LIBRARY
Brigham Young University

DANIEL C. JACKLING LIBRARY
IN THE
FIELD OF RELIGION

PRAELECTIONES

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

QUAS IN UNIVERSITATE ROMANA

HABUIT

IOANNES BAPTISTA PALMA

PRESBYTER ROMANUS

HISTORIAE ECCLESIASTICAE PROFESSOR

TOMUS I.

Continens praecipua Historiae Ecclesiasticae capita a saeculo I ad X. – XVI.

EDITIO V EMENDATIOR

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. C. DE PROPAGANDA FIDE

MDCCCLXXV.

PRAEFATIO

« Quas primum anno 1838 Historiae Ecclesiasticae prae-
» lectiones, in Collegio Urbano S. Congregationis de Propa-
» ganda Fide, atque in Pontificio Seminario Romano, a nobis
» habitas edidimus, et posterioribus annis, usque ad Concilii
» Tridentini aetatem perduximus; eas nunc, propter editionis
» tunc factae exemplorum deficientiam, et studiosorum homi-
» num opus illud requirentium desiderium, typis iterum man-
» dare opportunum esse arbitrati sumus. Atque hoc quidem
» loco, non possumus gratum animi nostri sensum non profi-
» teri erga tot doctissimos viros, et adolescentes rerum sacra-
» rum studiis addictos, qui praeter omnem exspectationem no-
» stram, praelectiones istas tanta benevolentia exceperunt, ut
» primam illarum editionem brevi consumpserint. Plane autem
» intelligimus quantopere nobis fuit honorificum, quae nos
» ad praecipua historiae ecclesiasticae capita explicanda, elu-
» cubrati sumus, ea sapientium hominum iudicio commendata
» et digna existimata esse, quae publicis in scholis, ad prae-
» claram illam disciplinam tradendam adhibeantur. Huius vero
» benignitatis is fructus nobis optatissimus erit, ut inde inci-
» tamentum ad opus feliciter absolvendum accipiamus, atque
» ad reliquam praelectionum nostrarum partem, quanto citius
» fieri poterit, publicandam perveniamus. »

Haec porro sunt verba, quae primis libri huius paginis apposita voluit Auctor noster clarissimus, quum anno millesimo octingentesimo quadragesimo octavo typis illum rursus excudebat. Verum etsi communi omnium plausu praeclarum istud opus fuerit exceptum; optatum nihilominus terminum attingere non valuit, quoniam anno insequenti perduellionum fraudibus Romae necatus gloriosam Auctor ipse mortem occubuit. Nos itaque intermissum hoc opus perficere cupientes, munus demandavimus viro praeclarissimo, qui abruptam historiae ecclesiasticae seriem ab Oecumenica Tridentina Synodo usque ad Sacrosanctum hoc Vaticanum Concilium prosequeretur. Quod quidem unicum volumen proprio Auctoris sui nomine insignitum tunc tandem nos in lucem edituros esse promittimus, quum Vaticanum ipsum Concilium feliciter iam auspicatum, in universae Christianae reipublicae bonum fuerit absolutum.

PRAELECTIONES

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

EX SAECULO PRIMO.



CAPUT I.

DE ANNO NATALI DÓMINI NOSTRI IESU CHRISTI.

Solent Historiae Ecclesiasticae scriptores opus suum ordiri, tempus statuendo, quo D. N. Iesum Christum natum esse putandum sit; hoc enim eo ertinet, ut intelligatur, quo tempore Ecclesia habuerit exordium. Hunc morem sequuti nos de praecipuis Historiae Ecclesiasticae capitibus pertractaturi, non omittendam arbitramur iamdiu cognitam de ea re controversiam. Cum vero nimis longum esset, singillatim omnes eruditorum hominum in natalitio Christi anno definiendo persequi sententias, et libros percensere quaestionem istam continentes, de quo inter ceteros legi potest Io. Georgius Walchius in Historia Novi Testamenti saec. I, c. I, §. 6, 7, 8; illam explicandam suscipiemus sententiam, quae magis gravibus firmata videtur argumentis, et qua Christum natum esse statuitur anno Urbis conditae Varroniano septingentesimo quadragesimo septimo, et imperii Octaviani Augusti trigesimo octavo. Exploratum omnibus est, auctorem aerae vulgaris, qua nos in Christi annis numerandis utimur, deceptum esse, cum natum Christum esse iudicavit anno 753, quod nonnullos ante annos evenerat. Quo tamen anno id prorsus contigisse existimari debeat, ostendi certo non potest.

Memoratam superius sententiam, quae Christi nativitatem anno U. C. 747 Varroniano tribuit, tamquam omnium probabiliorem amplexi sunt in chronologia historica Novi testamenti eruditissimi viri, qui celeberrimum opus ediderunt, quod *L'Art de vérifier les dates* inscriptum est. Illam deinde, reliquis silentio praeteritis, P. Henricus Sanclementius ordinis S. Benedicti Congregationis Camaldulensium Abbas, et sacri Consilii Episcoporum doctrinae periclitandae eo tempore a secretis, edito Romae anno 1792 opere de emendatione aerae vulgaris, propugnavit eruditissime.

Valde fusa est Sanclementii ad sententiam illam evincendam pertractatio. Nos quae ille disputat, eo ferme modo perstringemus, quo id effecit vir doctissimus, et de historia ecclesiastica praeclare meritus, quem ob singularem virtutem ac sapientiam inter S. E. R. Patres Cardinales adscitum, non sine magno scientiarum detrimento aliquot ante annos boni omnes vita functum defleverunt. Neque parum auctoritatis huic sententiae accessisse arbitramur tanti viri probatione.

Itaque ad demonstrandum quod proposuimus, haec sunt pertractanda: Christum scilicet post annum U. C. 749 natum non esse, ante annum 746 natum dici non posse, ex quatuor annis, qui ab anno 746 ad 749 fluxerunt, annum 747 natalem Christi esse iudicandum. Ostendamus igitur, quod primo loco diximus, Christum post

annum U. C. 749 natum non esse. Id vero patebit, modo constiterit, Christum Herode Magno regnante fuisse ortum; Herodem Magnum vero anno U. C. 750 mortuum esse, eoque mense, qui ab Hebraeis *Nisan* dicitur, et veluti primus anni legalis, seu sacri habetur, et partim martio, partim aprili nostro respondet. Quid vero potest esse tam certum, quam Christum Herode regnante in lucem editum fuisse, cum omnibus in promptu sint illa Matthaei Evangelistae verba cap. 2: *Cum natus esset Iesus in diebus Herodis Regis;* cum ex Evangelio praeterea appareat, inter Christi hortum, et Herodis mortem non exiguum temporis spatium intercessisse? Dicam id, quod certum omnino iudicari debet: scilicet fateri oportet, Magos, qui, vivo adhuc Herode et incolumi, Hierosolymam venerant, Christum adorasse saltem post quadragesimum ab eius ortu diem. Id exploratum esse cuique debet ex eo, quod Iosephus et Maria una cum infante Iesu, Angelo iubente, ut eundem ab Herodis crudelitate liberarent, qui infanticidium erat decreturus, in Aegyptum aufugerint continuo, postquam Magi Iesum adorassent, et in patriam redire aggressi fuissent. Docet hoc diserte Matthaeus cap. 2, v. 13 et 14. *Qui cum recessissent, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens, surge, et accipe puerum, et matrem eius, et fuge in Aegyptum . . . futurum est enim, ut Herodes quaerat puerum ad perdendum eum, qui consurgens, accepit puerum, et matrem eius nocte, et secessit in Aegyptum.* Quis vero negaverit, haec nonnisi post quadragesimum saltem a Christi ortu diem evenisse? Nonnullum enim certe tempus a Magorum discessu ad Iosephi fugam interiectum est, ut Maria ante Magorum adventum Hierosolymam se contulerit, quo caeremoniis de puerperae purificatione a lege praescriptis lustraretur, cuius lustrationis legitimum tempus, quodque mutari minime poterat, quadragesimus erat a partu dies. Quadraginta ergo iam erant certe exacti ab ortu Christi dies, cum Magi Hierosolymam pervenerunt. Est vero omnibus ex evangelii historia exploratissimum, cum Magi illuc venerunt, Herodem adhuc vixisse. Cum iis enim Herodes est colloquutus, eos ad se redire iussit post Messiam repertum, eorumque reditu frustra aliquandiu exspectato, imperavit, ut Bethleemitae infantes infra bimatum crudelissime necarentur.

Praeterea ostendi potest, huic temporis spatio, quod indicavimus, aliud non mediocre adiungendum esse, quo post Christum natum Herodes vixit. Ad sententiam, quam exponimus, ostendendam, satis est demonstrare, illud tempus quinque saltem mensium fuisse, licet ceteroquin effici posset, longe diuturnius illud fuisse. Videamus igitur, utrum saltem alios quinque menses post Magorum adventum Herodes vixerit. Itaque Herodes, quo tempore Magi Hierosolymam pervenerunt, in ea urbe morabatur, quemadmodum ex memorato Matthaei loco perspicue constat. Atqui certum est, Herodem postremis quinque vitae suae mensibus, quibus acerbissimo morbo laboravit, ex quo obiit, perpetuo Hierosolyma abfuisse, et vel apud Hiericunta, vel apud thermas Callirhoenses commoratum esse. Habemus huius rei gravissimum auctorem Iosephum Hebraeum, qui l. 17, c. 25 Antiq. Iudaic. hoc memoriae prodidit, cui in ea re fides habenda est, cum quae ad Herodis historiam pertinent, ex commentariis hauserit Nicolai Damasceni, quo Herodes usus est familiarissime. Licet igitur concederemus, Herodem statim post Magorum e Bethleemo discessum imperatumque infanticidium aegrotasse, et Hierosolyma digressum esse; illud tamen semper ex his, quae memoravimus, exsisteret, eum post illud tempus quinque alios saltem menses vixisse. Apparet ergo, non exiguum certe temporis spatium a Christi ortu ad Herodis mortem intercessisse.

Sed de anno loquamur, quo mor-

tuus Herodes est. Id anno U. C. Varron. 750 contigisse, eoque mense, qui *Nisan* dicitur, manifestum est. Neque ante quidem, neque post illum annum Herodes obiit. Iosephus enim Hebraeus c. 14, l. 14 Antiq. Iudaic. monet, renunciatum eum regem a Romanis fuisse, Cneo Domitio Calvino iterum et Caio Asinio Pollione Coss. hoc est an. U. C. 714 sub finem mensis Septembris. Idem scriptor memoriae prodidit l. 17 Antiq. Iudaic. c. 8, Herodem obiisse anno post regnum a Senatu Romano impetratum trigesimo septimo, post Hierosolymam expugnatam devictumque Antigonum, cui Parthilu daeorum principatum detulerant, trigesimo quarto. « Quinta die, inquit, postquam Antipatrum filium occidit, vita defunctus est, post detrusum regno Antigonum anno 34, ex quo autem a Romanis Rex declaratus est anno 37. »

Quo loco notandum est, Iosephum in Iudaicorum principum annis recensendis Hebraeorum morem sequutum esse, qui eos a praecedenti neomenia mensis Nisan illius anni ducere solebant, quo illi imperium suscepissent, quocumque tandem anni tempore rerum potiti fuissent. Haec vero si perpendantur omnia, et anni 37 numerentur a neomenia, hoc est a primo die mensis Nisan an. 714, quo rex a Romanis Herodes declaratus est, sequetur, trigesimum sextum Herodis annum pridie neomeniam mensis Nisan anni U. C. 750 desiisse, ab eaque neomenia annum 37 fluere coepisse, quo anno eum Iosephus mortuum esse testatur, eumque ante annum 750 mortuum certe non fuisse. Quae retulimus de Herodis mortis tempore, numerandi ratione ducta ab anno, quo Rex a Romanis declaratus est, eadem facili negotio accommodari possunt illi numerandi rationi, quae ducatur ab anno, quo Hierosolyma expugnata est. Iosephus enim narrat Herodem mortuum anno ab expugnatione illius urbis trigesimo quarto: libro autem Antiq. Iudaic. 14, c. 8 monet, Hierosolymam expugnatam esse ab Herode menso circiter Maio, M. Agrippa et Caio Caninio Coss. nempe anno U. C. 717. Quare si a neomenia mensis Nisan huius anni numeremus, trigesimum tertium ab expugnatione annum desiisse inveniemus pridie neomeniam mensis anni U. C. 750, et ab huius anni neomenia annum 34 initium duxisse, ut omnino iterum necesse sit fateri, Herodem, qui 34 post Hierosolymae expugnationem anno obierit, ante annum U. C. 750 Varronianum certe vita functum non esse.

Ostendi praeterea potest, Herodis obitum neque ad tempus referri posse, quod anno U. C. 750 posterius sit. Id apparet, si primum consideretur, Herodem Antipam quadraginta tres annos tetrarchiam obtinuisse. Exsistit vero hoc ex nummis servatis in Vaticano aliisque museis, qui sinceri certe et minime ficti sunt, quique ab Herode Antipa percussi fuerunt, in quorum antica parte haec verba graecis litteris scripta sunt intra lauream coronam: ΓΑΙΩ ΚΑΙΣΑΡΙ-ΓΕΡ-ΜΑΝ, et in postica palmae ramus insculptus est, circa quem verba leguntur: ΗΡΩΔΗϹ ΤΕΤΡΑΡΧΗϹ, ac in medio nummo litterae L ΜΓ, Ex quibus rebus, praecipue vero ex litteris L ΜΓ tempus indicantibus, quo nummi percussi sunt, quasque *anno 43* interpretari debemus, aperte colligitur, Herodem Antipam ad 43 Tetrarchiae suae annum pervenisse, eoque anno nummum illum in Caii Caligulae honorem cusum esse. Deinde illud etiam certum esse debet, mortuo Herode Magno, et autumno eius anni labente, quo ille obiit, Octavianum Imperatorem, postquam diu de re deliberasset, postremum Herodis testamentum de Regni inter filios divisione confirmasse, Archelao Hethnarchae nomen Augustum concessisse, dimidia eius regni parte, et imprimis Iudaea illi attributa; altera vero parte in reliquos Archelai fratres, quos Tetrarchas appellavit, ita tributa, ut Philippo Trachonitis cum Iturcae, Herodi Antipae Galilaea et Peraea, nonnullique alii tra-

ctus concessi sint: denique, prout Cardinalis Norisius evincit in epistola de nummo Herodis Antipae ad Antonium Pagium, et P. Sanclementius docet op. cit. lib. 3, c. 1, Herodem Antipam Tetrarchiam hanc retinuisse usque ad annum U. C. 792, quo ab Imperatore Caio Caligula ea exspoliatus est. Ex his vero omnibus efficitur, Herodem M. post annum U. C. 750 mortuum non esse. Quem enim locum statuere poterimus 43 Herodis Antipae Tetrarchiae anni, si Herodem M. eius patrem anno posteriore 751 mortuum fingeremus? Necesse enim esset una statuere, Herodem Antipam eius filium autumnali anni 751 tempore tetrarchiam impetrasse, et a praecedentis eiusdem anni mensis Nisan neomenia imperii sui annos numerare coepisse. Quare cum rationibus ductis ab eo anno tetrarchiae Herodis quadragesimus tertius annus incideret in annum 793 Urbis conditae; cumque ceteroquin appareat, Herodem vel ab anno 792 tetrarchia a Caio Caligula exspoliatum esse, reliquum est, ut ad inveniendum 43 huic anno tetrarchiae locum necessario concedatur, Herodem M. post annum 750 mortuum non esse.

Praeter haec demonstrari quoque potest, Herodem prorsus mense Hebraico Nisan anni 450 mortuum fuisse. Nam ex Iosepho Hebraeo lib. 17 Antiq. Iudaic. c. 8 et 9 constat, inter Herodis mortem et Paschatis festum paullo plures, quam septem dies fluxisse. Quamobrem cum Hebraei die 14 mensis Nisan, et vespere quidem, Paschatis festum inchoarent, sequitur, Herodis mortem primis mensis Nisan diebus contigisse. Refert enim Iosephus, Archelaum Herodis filium natu maiorem patris mortui corpus Hiericunte extulisse; maxima pompa in Herodium castellum detulisse, ubi sepultum est; Hierosolymam reversum Iudaeorum more patrem per septem dies luxisse; iisque exactis, epulum plebi praebuisse, ac in templo e superiore loco esse concionatum: dum haec agebantur, seditionem esse excitatam, illam omni, quo poterat, humanitatis genere sedare conatum esse; et cum timeret, ne seditiosi, qui in templo coetus habebant, tumultum excitarent in festo Paschatis, quod proximum erat, copias aliquas, ac deinde totum exercitum in eos immisisse: ita eorum conatus fuisse repressos, tria hominum millia caesa esse, reliquos in propinquos montes abeuntes fuga salutem petiisse; ex quibus Archelai iussu deinde discesserint, domumque redierint, ac *festum quamvis audaces deteriora veriti reliquerint*. Haec vero argumento sunt, Herodis mortem primis mensis Nisan diebus evenisse.

Quod si a memoratae sententiae defensoribus ostendi potest, Christum post annum U. C. Varronianum 749 natum non esse, ii etiam probant, ante annum 746 Servatoris Nostri natalem constitui non debere. Ad hoc evincendum depromitur argumentum ex pace, qua in universo orbe tunc florente, Christus natus est. Neque enim id in controversiam vocari potest, Christum natum fuisse bellis omnibus confectis, et in totius orbis tranquillitate. Neque veteres Ecclesiae patres, quae divini vates hac de re praedixerant, de sola spirituali, verum etiam de terrestri pace acceperunt, quae, Christo nascente, futura esset, ad pacem illam caelestem significandam, quam erat allaturus. Hoc, ut ceteros praeteream, aperte docet Hieronymus in c. 2 Isaiae, qui de eo tempore loquens affirmat: «tunc omnia bella cessaverunt.» Hoc Augustinus l. 18 de Civ. Dei c. 46. «Regnante ergo in Iudaea Herode, apud Romanos autem commutato Rei publicae statu, imperante Caesare Augusto, et per eum orbe pacato, natus est Christus.» Ut intelligamus igitur, dicine possit, Christum ante annum U. C. 746 natum esse, illud est quaerendum, quo tempore pax, imperante Octaviano Augusto, in universo orbe floruerit. Ter quidem id contigisse ex Suetonii et Dionis

historiis manifeste colligitur: cum vero Christus natus dici non possit iis temporibus, quibus prima aut secunda illa pax floruerit, postrema vero pax ante annum 746 non obtinuerit, ante eundem annum Christi ortus constitui non potest.

Neque difficile est docere, Christum primae et alterius pacis temporibus non esse ortum. Cum enim anno, quo Herodes M. mortuus est, hoc est 750, Christum puerum adhuc fuisse, manifestum sit; cumque ex Matthaei Evangelica narratione c. 2 diserte constet, puerum omnino Christum fuisse, cum post Herodis mortem ex Aegypto in Palaestinam reversus est, nonne inde sponte sua fluit, Christum dici non posse iis temporibus natum esse, quibus prima et secunda illa pace orbis terrarum frueretur? Prima enim pax anno circiter 725 coepit post fusum mortuumque Antonium; altera vero anno circiter 729, Cantabrico bello confecto: utraque tandem non diuturna fuit. Si Christus igitur, alterutra illa pace perdurante, natus esset, quomodo anno 750 puer adhuc esse potuisset?

Dicamus igitur de postrema illa pace, quam ante annum 746 non obtinuisse commemoravimus. Historiae Romanae l. 14 narrat Dio, anno 744 Senatum decrevisse, ut Iani Gemini templum clauderetur; quod apud Romanos bellis ingruentibus patebat, pacis vero tempore clausum servabatur. At non ex Dione solum, verum etiam ex Velleio Paterculo illorum temporum aequali habentur causae, quominus, quod Senatus decreverat, perfici minime potuerit. Noti sunt illorum temporum Dacorum motus, seditio a Dalmatis excitata, et perdurantes adhuc Germanici belli reliquiae. Notum praeterea est, Dacos et Dalmatas eodem anno 744 Tiberii virtute devictos esse, iisque provinciis pacatis, superfuisse tamen anno 745 bellum Germanicum, quod Druso Tiberii fratri commissum est; quodque licet ille feliciter gereret, conficere tamen non potuit, quod eo anno mortuus sit: itaque anno 746 Tiberium ab Augusto cum imperio missum esse, quo belli reliquias tolleret, Germanicas gentes populo Romano revera parere doceret. Haec vero argumentum suppeditant, postremam illam pacem, de qua loquimur, ante annum U. C. 746 omnino non coepisse.

Neque existimandum est, ineunte eo anno pacem hanc obtinuisse; nam media circiter aestate huius pacis initium factum esse probari potest. Nam, ut ex rebus superius commemoratis patet, eo anno bellum Germanicum, quod dumtaxat supererat, Tiberii virtute et industria perfectum est. Etenim Velleius Paterculus in Historia Romana narrat, hoc anno Tiberium «peragratum victorem omnes partes Germaniae sine ullo detrimento commissi exercitus sic perdomuisse eam, ut in formam pene stipendiariae redigeret provinciae.» Velleio Paterculo autem haec de Tiberio narranti fides haberi omnino debet, cum rebus ab eo gestis interfuerit, et apud eum primum quaestoris, tum legati munus gesserit. Confecto verum eo bello, quod unum supererat, pax obtinuit; et, quemadmodum senatus consulto biennio ante praeceptum erat, Iani templum claudi debuit. Pacis autem huius initium non ante mediam circiter huius anni aestatem constitui potest; constat enim ea, quae hoc anno gesta sunt, antequam pax inita dici possit, non mediocre temporis spatium postulasse. Nam veteres tradunt, et Germaniam peragrasse hoc anno Tiberium, et Germanos domuisse, et diu cum iis de pace egisse, reiectis conditionibus, quae ab iisdem propositae fuerant, novisque praecriptis, quibus denique pax constituta est. Quare cum dubium esse non debeat, Tiberium, intempesta hieme et ante vernum tempus bellum non suscepisse, eumque constet, multo ante finem huius anni Romam rediisse, media circiter aestate finem Germanico bel-

lo imposuisse censendus est; quo confecto, pax florere coeperit.

Huius autem pacis tempus satis diuturnum fuit; nam integro quinquennio eam perdurasse demonstrari potest. Certe veteres, qui Romanam horum temporum historiam litteris prodiderunt, post belli Germanici a Tiberio confecti narrationem nullum aliud bellum commemorarunt usque ad Armeniacum, quod anno U. C. 752 exortum est. Dio quidem narrat, anno 747 Tiberium in Germaniam reversum ob motus in ea provincia coortos, anno autem 748 missum eundem in Armeniam esse, *quae defecerat*. At quae de motibus tum Germaniae, tum Armeniae iis annis excitatis Dio scribit, de belli quidem metu, non autem de bello, quod revera gestum sit, intelligi debent, quodque pacem illam interrumperet, quae anno 746 inceperat; etenim auctor ipse Dio est, nihil memorabile anno 747 in Germania actum esse. Si vero bellum eo anno fuisset revera in Germania renovatum, et motus, quos indicavimus, non belli formidinem tantum attulissent, gravissima certe in Germania eo anno, et quae memorabilia imprimis essent, ibi contigissent. Quae vero recensuimus de Armeniae defectione, neque illa etiam de bello suscepto intelligenda sunt, cum veteres scriptores aperte testentur, nonnisi anno 752 bellum Armeniacum revera exortum esse. Ex his igitur efficitur, pacem, de qua loquimur, integro quinquennio perdurasse, cum nullum bellum a veteribus commemoretur gestum eo omni temporis spatio, quod ab anno 746 ad annum 752 fluxit.

Sed dici quoque potest, ipsum Augustum facto suo auctorem quodammodo esse, nullum bellum ab an. 746 ad an. 752 gestum a Romanis fuisse? Nam principum Romanorum mos fuit, ut cum victoriam aliquam vel ipsi per se, vel suis auspiciis retulissent, augerent numerum imperatoriae appellationis, quae in eorum nominibus indicandis adhiberi solebat. Est vero hoc eiusmodi, ut si de tempore agatur, quo non constet, Rem publicam bellicam calamitatem aliquam passam esse, et ceteroquin imperatoriae appellationis numerum eos non auxisse appareat, argumentum inde duci possit, pacem eo tempore in Imperio Romano floruisse. Si ergo, quemadmodum constat, his annis, de quibus loquimur, nihil adversi Romanum Imperium passum esse ita constet; iisdem vertentibus annis, Augustum Imperatoriae appellationis suae numerum non auxisse, argumento id esse debebit, pacem eo toto tempore perdurasse. Atqui Augustus, qui, ut ex Dione aliisque veteribus monumentis patet, anno U. C. 746 Imperator XIV appellatus est ob res in Germania a Tiberio feliciter gestas, eundem appellationis imperatoriae numerum saltem usque ad annum 751 retinuit: nam plures eius inscriptiones habemus adhuc, in quibus nomen Imperatoris XIV coniungitur cum tribunicia potestate XVII, XIX, XX. Exploratum autem est, Augustum singulis annis tribuniciae potestatis appellationem auxisse, et eam XVII gessisse ex ante cal. Iul. anni 747 ad ante cal. Iul. anni proximi; XIX vero ex ante cal. Iul. anni 749 ad ante cal. Iul. anni 750; XX denique ex ante cal. Iul. 750 ad ante cal. Iul. 751. Cum ergo his annis perpetuo Imperator XIV appellatus sit, quin aliquod bellicum infortunium Rei publicae advenerit, perspicuum est, idcirco imperatoriae eius appellationis numerum una cum tribuniciae potestatis indicatione auctum non esse, quod toto illo quinquennio in Imperio Romano pax obtinuerit.

Restat nunc ut tradamus, quomodo ex his annis, qui inter 746 et 749 lapsi sunt, ostendatur, annum 747 Christi natalem fuisse. Eruditissimus Sanclementius, qui sententiam, de qua disputamus, veluti certo sibi demonstrasse visus est, hac de re loquens operis cit. l. 4, c. 7, « Principii loco, inquit, habemus,

Verbum divinum naturam non assumpsisse humanam, neque in mundum advenisse, nisi post pacem ab Augusto ubique partam: quod sane de eius incarnatione non minus, quam de eius nativitate est intelligendum. Quis enim tam iniquus iudex esse velit, ut cum unum concesserit, alterum negare audeat? Quasi in eo tam divino admirabilique Incarnationis mysterio, unde primum reparationis nostrae exordium, descendente in uterum Deiparae ipso sole iustitiae et Pacis principe, ipse pacis auctor aeternus comitem secum habere non debuerit eam pacem, quam universo orbi afferebat; aut non ex aequo deceret, ut tum fieret in pace locus eius, cum nasceretur in Bethleem, quam cum, superveniente in plenitudine temporum Spiritus sancti virtute, in Virginis utero carnem nostram assumeret. Non est itaque ambigendum, quin ab ipso divinae incarnationis principio totus orbis fuerit in pace compositus.» Haec Sanclementius ideo affirmat, ut iis occurrat, qui anno 746 Christum natum esse contendunt. Cum enim ex iis, quae superius allata sunt, sequatur, ante annum 746, et media circiter aestate postremam illam pacem non incepisse, Christus ante illud tempus conceptus censendus non est: quare nec eo anno natus est. Nam si ab eo tempore, quo pax coepit, scilicet ab ineunte circiter mense sextili anni 746, numerare velimus novem menses, qui, teste Luca in Evangelio c. 2, ab Christi conceptione ad eius ortum lapsi sunt, et etiamsi annum non a calendis Ianuarii ad postremam Decembris diem, sed a palilibus ad palilia, hoc est ab XI calendas Maias ad XII cal. Maias, quod aliquando Romani faciebant, eum annum numeremus, inveniemus, eo anno Christum natum non esse.

Quod spectat vero ad excludendam eorum sententiam, qui annum Christi natalem statuunt vel 748, vel 749, haec sunt perpendenda. Certe eo tempore Christus natus est, qui, ut ex Lucae c. 2 habemus, Augusto Imperante, cum in omnibus provinciis, quae Populi Romani imperio parebant, tum in Iudaea, quae Herodi Regi populi Romani socio subdita erat, omnium hominum et familiarum census peragebatur, Tertullianus saeculi secundi desinentis gravissimus scriptor lib. I adversus Marcionem c. 19 docet, C. Sentium Saturninum provinciae Syriae eo tempore Legatum Pro-Praetorem censum hunc inivisse ac perfecisse. «Sed et census, inquit, constat actos sub Augusto tunc in Iudaea per Sentium Saturninum, apud quos genus eius (Christi videlicet) inquirere potestis.» Scio, auctorem Exercitationis de verbis D. Lucae *exiit edictum*, etc. Carali editae anno 1796 existimare, fidem Tertulliano hoc loco habendam non esse, quem ex coniectura tantum narrasse putat, quae ad censum pertinent a Sentio Saturnino in Iudaea institutum; at ex loco, quem paullo ante recitavi, perspicue apparet, Tertullianum non coniecisse quidem tantum aut suspicatum esse, censum illum a Sentio Saturnino actum, sed constare omnino affirmasse, ab eo Legato Pro-Praetore Syriae Censum institutum esse. Tanta vero erat Tertulliani gravitas, ut numquam certe constare asseruisset id, quod ipse tantummodo vel coniiceret, vel suspicaretur. Neque is certe Tertullianus erat, ut cum Marcionitis agens, eosdemque refellens, qui Christum veram carnem assumpsisse negabant, atque ea de causa duo priora Evangelii Lucae capita repudiabant, argumento uteretur, quod coniectura sua tantum excogitasset, et Romanorum monumentorum auctoritate eos revincere conaretur, quae vera esse ipse ac certa docere non posset. Quare cum tanta confidentia Tertullianus constare affirmaverit, per Sentium Saturninum censum actum esse, ex eoque censu Christi genus apparere posse; id vel a veteribus gravibusque scriptoribus accepisse, vel ex ipsius census monumentis, quae

servari in Romanis tabulariis perspicue tradit, hausisse putandus est. Neque ullam pugnam aut sententiarum oppositionem Lucam inter et Tertullianum ea de re esse iudicari potest, quorum alter a P. Sulpicio Cyrino, alter a Sentio Saturnino censum illum peractum esse doceat. Verba enim Lucae: « *Haec descriptio prima facta est a Praeside Syriae Cyrino,* » componi cum iis possunt, quae de censu per Sentium Saturninum peracto eo loco tradit Tertullianus. Gravis est de ratione, qua locus ille Lucae legendus sit, eruditorum hominum controversia. Non desunt enim, qui librariorum sive fraude, sive negligentia factum putent, ut cum a Luca Saturnini nomen positum fuisset, ibi nunc Quirini nomen reperiatur. Sunt, qui Graecum Lucae locum, non quemadmodum latinus interpres reddidit, legendum esse arbitrentur, sed vertendum potius fuisse: *haec descriptio prius facta est, quam praeses esset Syriae Quirinus.* P. Dominicus Magnanus ex religiosis sodalibus, quos Minimos vocant, in libro Romae anno 1772 edito, quem inscripsit: *Problema de anno nativitatis Christi*, et cum eo plures docent, Saturninum quidem censui in universa Syria, et propterea in ipsa Iudaea instituendo praefuisse; et cum ipse per se universum illud negotium absolvere non posset, misisse in Iudaeam Quirinum, qui censum in ea regione ageret. His vero doctissimi quique chronologi opponuntur, qui arbitrati sunt, Quirinum ab Augusto missum in Syriam fuisse cum extraordinario imperio, ut Syriae et Regni Iudaici censum iniret; eum autem ad Palaestinae censum conficiendum opera usum fuisse Sentii Saturnini, qui iis temporibus ordinarius Syriae Pro-Praetor erat. (Legatur Walchius loco superius citato.) Hac autem ratione Tertullianus cum D. Lucae testimonio componi facile potest.

Ideo vero Tertulliani auctoritas hoc loco asserenda est, ut dubitari non possit, censum Christo nascente peractum, in Iudaea institutum fuisse, quo tempore Sentius Saturninus Syriae Pro-Praetor erat. Iamvero inde sequitur, Christum anno 749 natum dici non posse; componi enim eius nativitas cum eo tempore debet, quo Sentius Saturninus adhuc Syriae praeerat. Atqui anno 749 Sentius Saturninus iam inde discesserat, Quintiliusque Varus eidem successerat. Quemadmodum enim ex Iosepho Hebraeo accepimus, Sentius Saturninus ab anno 744 ad an. 748 magna ex parte elapsum Syriae Pro-Praetor fuit, et longe ante anni 749 initium e Syria discessit. Nam in museis permultis exstant nummi ab Antiochenis in Syria in Vari iam Syriae praesidis honorem percussi, in quorum posteriore parte haec verba leguntur: ΑΝΤΙΩΧΕΩΝ ΕΠΙ ΟΥΑΡΟΥ ΕΚ, hoc est Antiochensium sub Varo anno 25. Hi autem nummi certe ante mensem Novembrem anni U. C. 748 ab Antiochenis percussi sunt; nam annus ille 25 his nummis inscriptus ad epocham pertinet Imperii Augusti in Syria post Actiacam victoriam, quae in nummis Antiochenis adhibebatur, quo tempore iidem nummi cusi fuerunt: Antiocheni vero eius epochae initium ducebant ab exeunte Octobri U. C. 723. Quare perspicuum est, annum illum 25, quo nummi, de quibus loquimur, cusi fuere, incepisse ab exeunte octobri anni U. C. 747, desiisse vero circa finem Octobris anni 748. Quamobrem cum ex inscriptione ipsa pateat, eos cusos esse cum iam Varus Pro-Praetor Syriae praeesset, sequitur, eundem Varum ante mensem Novembrem anni 748 iam Sentio Saturnino successisse. Concluditur ergo, Christum, qui, ut Tertullianus docet, Sentio Saturnino Syriam gubernante, et Iudaeam censente natus est, anno 749 natum dici non posse.

Est denique dicendum de anno 748, ut ostendatur, Christum eo anno natum non esse. Profecto si de die na-

tali Christi illam sententiam ceteris longe probabiliorem sequamur, Christum die 25 Decembris natum esse, id iam nativitatem Christi anno 748 non evenisse demonstraret, cum constet, mense Decembri anni 748 iam Quintilium Varum Sentio Saturnino successisse, et ceteroquin certum sit, Sentio Saturnino Iudaeam censente, Christum ortum fuisse. Quod si alio quovis die ac mense Christum natum vellemus suspicari, fateri tamen cogeremur, id anno 748 minime contigisse, si cum Sanclementio aliisque eruditis annum 747 a palilibus ad palilia ducamus, et annum 748 non Iuliano more a calendis Ianuariis, sed a palilibus item ad palilia, scilicet a die XI calendas Maias, more apud Romanos in publicis monumentis usitato, inchoemur. Habemus enim in Antiochenis nummis superius memoratis anno 25 Vari nomen inscriptum: iamvero ut Vari nomen anno 25 inscribere possent Antiocheni, necesse erat, Varum ipsum ineunte saltem mense Septembri anni 748 in Syriam pervenisse, eamque provinciam administrare coepisse: Sentius autem Saturninus iam multo ante censum absolvisse putandus est. Nam Augustus, qui singulari prudentia sua perspicue intelligebat, quam periculosum esset, census iis in regionibus instituere, quae moribus Romani assuetae non erant, certe de Varo in Saturnini locum subrogando minime cogitavit, ante quam nuncium de absoluto a Saturnino in Iudaea censu accepisset. Longe maius autem temporis spatium erat necessarium, quam eorum quinque fere mensium, qui ab XI cal. Maias ad Septembris initium fluxerunt, ut litterae, quibus id nunciabatur, a Palaestina Romam deferrentur; Augustus Varum eligeret; hic ea, quae itineri necessaria erant, compararet; in Syriam denique proficisceretur ac veniret. Inde vero colligitur, Saturninum Iudaeae censum absolvere debuisse ante diem XI cal. Maias, seu ante annum U. C. 748 a palilibus; ac propterea Christum, qui Saturnino Iudaeam censente natus est, anno 748 ortum non esse, licet illum non die 25 Decembris, sed alio quolibet die ac mense natum dicere vellemus. His autem ita explicatis, satis abunde demonstratum est, quibus argumentis sententia innitatur, quae habet, annum 747 Varronianum Christi natalem existimandum esse.

CAPUT II.

DE ANNO QUO CHRISTUS MORTUUS EST.

Postquam chronologicam de anno natali Christi controversiam absolvimus, opportunum nunc esse videtur, ea afferre monumenta, quibus, quo anno Christus mortuus sit, diiudicari possit. Id anno 782 U. C. Varroniano, vel aerae vulgaris 29 evenisse doctissimus Sanclementius contendit in *Exercitatione chronologica de anno Dominicae Passionis*, quam edidit ad calcem operis de emendatione aerae vulgaris. Qui diversas de ea re sequuti sunt sententias, ii memorati sunt praeter ceteros a Mario Lupo dissert. I *De notis chronologicis anni mortis et Nativitatis D. N. I. C.* edit. Romae anno 1744.

Ad sententiam istam, de qua loquimur, evincendam argumentum gravissimum affertur ex veteri et communi Christianorum traditione. Nam veteres Ecclesiae Patres, ac veterum monumentorum scriptores, communi consensione eas notas indicant de anno, quo mortuus Christus est, ut omnino concludi debeat, id anno U.C. 782 evenisse. Hoc colligitur primo loco ex iis, qui, consulibus duobus Geminis, Christum mortuum esse me-

moriae prodiderunt; qui duo Gemini, cum consulatum certe gesserint anno U. C. 782, profecto, ubi asseritur, iis consulibus Christum mortuum esse, probatur etiam, id anno 782 contigisse. Nimis longum esset omnes scriptores, omniaque monumenta afferre, ex quibus id demonstratur. Indicabo Tertullianum, qui adversus Iudaeos c. 8 de morte Christi verba faciens, « Quae passio, inquit, intra tempora 70 hebdomadum perfecta est sub Tiberio Caesare, Consulibus Rubellio Gemino et Fusio Gemino, mense Martio, temporibus paschae, die octavo calendarum Aprilium, die primo azymorum, quo agnum occiderent ad vesperam, a Moyse fuerat praeceptum. » Etsi vero Tertullianus non Eufium Geminum, ut ex Capitolino monumento habetur, sed Fusium scripserit, certe tamen ostendit, quorum hominum consulatum indicare voluerit. Tertulliano addendus Lactantius Firmianus, qui divinarum institutionum l. 4, c. 10 « Exinde, ait, Tetrarchas habuerunt usque ad Herodem, qui fuit sub imperio Tiberii Caesaris, cuius anno quintodecimo, id est, duobus Geminis consulibus, ante diem septimam Calendas Aprilium, Iudaei Christum cruci affixerunt. Hic rerum textus, hic ordo in arcanis sanctarum litterarum continetur. » His scriptoribus adiungendus est antiquissimus Romanorum Pontificum catalogus, qui *Liberianus* dicitur, eo quod Liberii Pontificis et Constantii Caesaris aetate fuerit compositus, quique eruditissimis viris Aegidio Bucherio, Petavio, Blanchinio, Papebrochio, aliisque, magno in honore est, tum quod antiquitate ipsa sua commendetur, tum quod eiusdem auctorem vetustioribus sincerisque monumentis in eo conficiendo usum fuisse appareat. Iam vero ita eius catalogi ducitur exordium: « Imperante Tiberio Caesare passus est D. N. I. C. duobus Geminis Consulibus, VIII calendas Aprilis: et post ascensum eius Beatissimus Petrus Episcopatum suscepit: ex quo tempore, per successionem dispositum, quis Episcopus, et quot annis praefuit, vel quo imperante. » Alia possent veterum scriptorum idem affirmantium testimonia afferri, sed ex adductis, atque ex iis, quae omittimus, facile ostenditur veterum consensio in eo chronologiae capite, ut duobus Geminis consulatum gerentibus Christus mortuus sit.

Ad annum, quo Christus mortuus est, recensendum, magna quoque veterum consensio est in alia nota chronologica statuenda, ex qua etiam anno 782 id evenisse concluditur. Est autem ea nota annus XV imperii Tiberii Caesaris; inter quamplures, quos commemorare possem, scriptores eam notam afferentes, adducam Iulii Africani et Clementis Alexandrini testimonia. Iam vero Clemens Alexandrinus, qui saeculi tertii initio vixit, *lib. I. Stromatum* ait: « Erat autem Iesus, cum ad baptismum venit, quasi annorum triginta. Quod autem uno dumtaxat anno praedicaturus esset, et hoc ita scriptum est: Annum acceptum Domino praedicare misit me. Hoc et Propheta dixit, et Evangelium. Quintodecimo itaque anno Tiberii Caesaris, et quintodecimo Augusti, hoc modo 30 complentur anni, donec passus est.» Iulius Africanus vero, qui fere iisdem temporibus vixit, quinto volumine *Temporum*, ut apud Hieronymum habemus in c. IX Danielis, inquit: « Macedones regnaverunt annis trecentis; atque exinde usque ad annum quintumdecimum Tiberii, quando passus est Christus, numerantur anni sexaginta. » Omissis ceteris, qui eiusdem sententiae sunt, perspicue constat, veteres scriptores omnino censuisse, Christum anno 782 mortuum esse. Cum enim demonstrari facile possit, annum hunc Tiberii XV ab Augusti morte coepisse ex ad diem XIV cal. Sept. anno U. C. 781, desiisse autem in ad diem XV calendas Septembres anni 782, cumque ex universa Evangelica narratione manifestum sit, Christum in

Paschate, quod mense Nisan celebrabatur, mortuum fuisse, perspicuum etiam est, qui eum mortuum dicunt anno Tiberii XV, existimasse simul, id anno 782 contigisse.

Huius autem sententiae communis auctoritas quanta sit, apparet, si consideretur, eam inniti gravissimis auctoribus, qui vix, ac ne vix quidem ducentis, aut trecentis annis post Christi mortem vixerunt. Ex agendi autem ratione, qua veteres usi sunt, ut traditionem hanc ipsam defenderent, videtur probari etiam iure posse, eos ex certissimis monumentis hausisse quae de Christo an. 782, et duobus consulibus Geminis, ac XV Tiberii anno mortuo memoriae prodiderunt. Quamquam enim id repugnare suspicari possent D. Lucae auctoritati, qui Evangelii sui c. 3 testari videtur, Christum XV Tiberii anno baptizatum, et promulgandae Evangelicae doctrinae suae exordium fecisse, sententiam tamen illam non deseruerunt, nihilque omiserunt, ut ostenderent, opinionem suam cum D. Lucae testimonio minime pugnare. Immo vero progressi eo usque sunt, ut cum aliam viam sibi non superesse putarent ad pugnam hanc excludendam, potius quam sententiam illam relinquerent, nonnulli affirmaverint, Christum uno tantum anno praedicasse, atque eum XV Tiberii anno ad baptismum venisse, eodemque anno mortuum esse. Hoc autem nemo ignorat aperte opponi iis, quae ex evangelica narratione habemus de temporis spatio, quod Christus in praedicando consumpserit. Cum igitur et hoc nonnulli veteres Patres asseruerint, ut in sententia persisterent, anno XV Tiberii Christum esse mortuum, sequitur, ut inde appareat, eos ex indubiis monumentis collegisse, quae de anno mortis Christi tanta constantia pronunciarunt.

Sed est hic respondendum difficultati, quae ex memorato D. Lucae Evangelii loco desumitur. Certe ex Evangelio colligitur, tria saltem paschata baptismum inter et mortem Christi intercessisse. Iam videtur prorsus Lucas denegare, Christum anno XV Tiberii, sive U. C. 782 mortuum esse, si eo anno baptizatum fuisse Christum retulerit. Nam ait eo loco Lucas: « Anno autem quintodecimo Imperii Tiberii Caesaris, procurante Pontio Pilato Iudaeam..... sub principibus Sacerdotum Anna et Caipha; factum est Verbum Domini super Ioannem Zachariae filium in deserto.» Nemo potest huius difficultatis gravitatem non sentire, atque ideo factum est, ut tum veteres, tum recentiores eruditione praestantes viri de ea dissolvenda vehementer laboraverint. Sane nonnullorum veterum probari illa sententia non potest, qui Christum arbitrati sunt, uno eodemque anno baptizatum a Ioanne fuisse, praedicandi munus suscepisse, ac mortuum esse. Illi quidem id affirmarunt, quod cum ex certissimis monumentis haberent, Christum an. 15 Tiberii, U. C. 782 obiisse, rati sunt, memoratum Lucae locum ita tantummodo componi posse cum certa hac, quam sibi iure comparaverant, notitia. At quoniam Historiam Evangelicam consideranti omnino apparet, tria saltem paschata a Christi baptismo ad eiusdem mortem fluxisse, sequitur, prorsus illam sententiam probari non posse, qua statuatur, Servatorem nostrum uno eodemque anno baptismum suscepisse, praedicationis officio functum esse, et interiisse.

Quo valerent difficultatem istam solvere plures eruditi viri recentiores, intelligentes memoratam paullo ante sententiam, de uno tantum transacto a baptismo ad mortem Christi anno, defendi non posse, duplex initium, seu epocham excogitarunt, unde Tiberii anni numerari debeant: alteram Imperii Proconsularis, alteram Augustalis: quarum prima ducenda sit a tempore, quo, Augusto adhuc vivo, Tiberius ex Senatus consulto proconsularem potestatem in Imperii Romani provincias consequutus sit; altera, quae exordiatur ex

Caesaris Octaviani Augusti obitu. Haec si secernantur, arbitrati sunt, sententiam de anno U. C. 782 Christi emortuali facile cum allato Lucae loco componi posse. Putarunt enim Lucam in eo testimonio, quod attulimus, de Tiberii Proconsularis imperii anno decimo quinto loquutum esse, de quo cum illud etiam tradatur, integro fere quadriennio ante Augusti mortem Proconsularem potestatem impetrasse, manifestum esse putant, subductis rationibus ab an. 15 proconsularis imperii, de quo anno Lucae verba intelligunt, ad annum 15 Tiberii ab obitu Augusti, tot illos annos labi potuisse, quos ex Evangelica narratione ostenditur, a Christi baptismo ad eius mortem intercessisse. Verum et haec recentiorum sententia probari non posse videtur, licet, si vera esset, argumentum commode dissolveret. Nihil dicam, valde incertum esse, a quo tempore ante Augusti mortem Tiberii proconsularis potestas coeperit: omittam omnia illa, quae contra hanc numerandi rationem ab aliis eruditis viris afferuntur. Illud dumtaxat ad hanc sententiam repudiandam commemorabo, veteres omnes, qui imperii Tiberii annos percensuerunt, ab Augusti morte solum numerandi initium fecisse, et epocham illam ab impetrata proconsulari potestate ignotam omnino veteribus fuisse. Cum igitur nemo possit in animum inducere, Lucam, neglecta vulgari et omnibus cognita annos Tiberii imperii ab Augusti morte numerandi ratione, ignotam illam proconsularis eiusdem potestatis epocham adhibere voluisse, reiici quoque sententia haec debet, annum 15, de quo Evangelista loquitur, non a morte Augusti, sed a tempore, quo Tiberio potestas proconsularis concessa est, ducendum esse.

Ostendendum tamen est, quae probabilis responsio argumento superius adducto afferri debeat: illa profecto, qua statuitur, Lucam dum commemoravit annum 15 Tiberii, non annum, quo Christus baptizatus est, sed annum, quo mortem oppetiit, indicare voluisse. Sane Eusebius Caesareensis Episcopus lib. 3 H. E. c. 24 notat, atque id praeterea legenti S. Lucae evangelium occurrit, Evangelistam, tertio, et sequentibus Evangelii sui capitibus, ea tantum comprehendisse, quae postremo vitae suae anno, et post Ioannem Baptistam ab Herode in vincula coniectum a Christo gesta fuerunt. Hoc vero cum imprimis sit vero simile, cumque de baptismo pauca tantum Lucas perstringat, cetera autem, quae postremum vitae Christi annum respiciunt, prosequatur, inde sequi omnino videtur, ut epocha, quam capitis tertii initio indicavit, non ad tempus, quo Christus baptizatus est, sed ad postremum praedicationis annum referri debeat.

Atque ut ea difficultas tollatur, quae ex verborum Lucae ordine, et non interrupta oratione oriri posset, ex qua fit, ut iuxta usitatam interpunctionem ita coniuncta videatur epochae illius indicatio cum suscepto a Ioanne praecursoris munere, Christique baptismo, ut annus Tiberii a Luca commemoratus non annum, quo Christus mortuus est, sed annum, quo baptizatus fuit, debeat significare; usitata ipsa eiusdem loci interpunctio mutanda est ea ratione, qua post Annam et Caipham commemoratos orationis absolutum habeatur exordium. Hac autem interpunctione mutata, impedimentum tollitur, quominus epocha illa, quam Lucas habet, annum baptismi Christi commemorare videatur. Neque haec interpunctionis mutatio de audacia poterit accusari. Certe novi Testamenti scriptores, prout a viris doctis pluribus, et inter ceteros a P. Sebastiano Seemillerio in Hermeneutica sacra pag. 67 et seq. demonstratum est, interpunctiones, et litterarum ac verborum distinctionem non adhibuerant, atque omnis haec interpunctio a privatis scriptoribus, posterioribus temporibus inventa est. Non licet quidem eam interpunctionem temere relinquere,

cum communi suffragio ea recepta ac probata sit: at si gravissimae causae interpunctionem illam non sequi omnino requirant, licet illam deserere. Ita profecto contingit in re, de qua disputamus. Nisi enim interpunctio, quam indicavimus, a ratione statuatur, quam diximus, non apparet, quomodo locus ille cum veteri communique Ecclesiasticorum scriptorum consensione componi possit: Evangelistae autem narratio, ut superius indicavimus, mutationem illam requirere prorsus videtur.

CAPUT III.

DE CHRISTIANAE RELIGIONIS PROPAGATIONE PRIMIS ECCLESIAE TEMPORIBUS.

Gravissima sunt monumenta, quae ostendunt, religionem Christianam, ubi primum praedicari coepit, incredibili prorsus celeritate propagatam fuisse. Ut cetera omittamus, celeberrimum est Plinii Iunioris Bithyniae Pro-Praetoris testimonium l. 10 epist. 97 ad Traianum, in qua de Christianorum numero loquens, qui ob religionis suae professionem in capitis discrimen adducebantur, «Multi enim, inquit, omnis ordinis, utriusque sexus etiam, vocantur in periculum, et vocabuntur. Neque enim civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est: prope iam desolata templa, et sacra solemnia intermissa.» Iustinus autem Martyr in dialogo cum Tryphone, generatim de Religione Christiana, quae ubique propagata esset, inquit: «Nec una quidem est hominum natio, sive Barbarorum, sive Graecorum, sive etiam aliorum omnium, quocumque appellentur nomine, vel in plaustris degentium, vel domo carentium, vel in tentoriis viventium, et pecora alentium, inter quos per nomen Crucifixi Iesu preces et gratiarum actiones Patri, et conditori universi non fiant.» Neque minus sunt gravia, quae de eadem re habet S. Irenaeus Lugdunensis Episcopus l. 1, c. 10 contra haereses. Inquit enim: «Neque hae, quae in Germania sunt fundatae Ecclesiae, aliter credunt, aut aliter tradunt, neque hae, quae in Iberis sunt, neque hae, quae in Celtis, neque hae, quae in Aegypto, neque hae, quae in Lybia, neque hae, quae in medio mundo constitutae.» Tertullianus denique Apologetici c. 37 «Hesterni sumus, ait, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum. Sola vobis reliquimus templa.»

Haec ex auctoribus, qui saeculo secundo floruerunt, desumpta testimonia demonstrant, singularem prorsus et pene incredibilem fuisse primis illis temporibus Religionis Christianae propagationem. Facile est autem evincere, divinitus factum fuisse, ut tam brevi temporis spatio, superatis gravissimis impedimentis, atque iis hominibus ad tantam rem peragendam adhibitis, qui adhibiti sunt, Christiana Religio propagaretur.

Est enim cuique obvium mente concipere, cuius gravitatis esset, et cuius difficultatis, homines ex qualibet orbis terrarum parte ad morum immutationem, vitaeque emendationem adigere, Deorum cultum evertere, veri Dei Religionem ubique statuere, et negotium eiusmodi absolvere, missis ad illud gerendum hominibus iudaeis, ex infimo genere, nullo gratiae, litterarum, peritiae rerum gerendarum adiumento. Apparet vero, opus hoc tale fuisse, ut felix eius exitus omnino incredibilis videri deberet, etiamsi praeter ea, quae indicavimus, adiuncta, impedimentum

nullum aliud exstitisset: quid vero si his adiungatur, quanta vi et potentia ex omni orbis terrarum regione Sacerdotum veterum auctoritas Religionis propagationi obstiterit, qui superstitionis suae cultum in summum discrimen vocari Religionis Christianae propagatione intelligebant, quantaque crudelitate vexati sint, non modo qui Religionem propagandam curarent, verum etiam qui illam amplecterentur? Profecto si haec omnia accurate perpendantur, intelligetur continuo, divinitus factum fuisse, ut brevi tanta rerum mutatio contingeret, et, repudiata veteri superstitione, reiectaque vitae morumque licentia, in universo terrarum orbe homines nec cruciatibus, nec morte ipsa perterriti Christum adorarent, et religionis Christianae mysteriorum sublimitatem, disciplinaeque sanctissimam severitatem libenti animo susciperent.

Habeat post haec Gibbonius, aliique quid loquantur: humanitus factum esse contendat, ut religio Christiana propagaretur. Numquam certe docere poterit, tantam hanc rerum mutationem hominum sola virtute evenire potuisse. Nonnullas ille quidem causas commemorat in opere *de la décadence, et de la chûte de l'empire Romain,* quibus contingere etiam humanitus potuisse ait, ut Religio nostra tantum incrementum tam brevi tempore haberet. Verum facile est ostendere, quam vanum sit, iis causis tantum hoc et tam singulare factum tribuere. Nonne enim levissimum est, Apostolorum studium, eorundemque labores veluti causam afferre, quare Religionis propagatio humana etiam ratione possit explicari? Nam quomodo Gibbonius ostendet, humanae tantum virtuti, et non potius divinae potentiae tribuendum esse, ut Apostoli tanta constantia, tantis laboribus, vexationum gravitate minime fracti, Religionem propagare studuerint, iisdemque, licet rudibus genere et conditione hominibus, facile fuerit, in communi hominum etiam litteratorum depravatione, orbi terrarum persuadere, relinquendas omnes de veteri superstitioso cultu sententias, et eam religionem esse veluti veram divinamque recipiendam, cuius praecepto cupiditatibus et licentiae sempiternum bellum indiceretur?

Illud vero quantae levitatis est asserere, animi immortalitatem, quam Apostoli praedicabant, alteram causam fuisse, cur Christiana Religio humana quoque ratione propagata censeri possit, perinde quasi tum primum apud homines pronuntiatum sit, humanum animum immortalem esse, neque id ex primorum temporum traditione descenderet, deque ea re apud Ethnicos etiam ad Apostolorum aetatem communis sententia non fuisset?

Nescio autem quomodo sibi constet Gibbonius, cum miraculorum multitudinem ineuntis Ecclesiae temporibus patratorum aliam causam fuisse arbitretur, cur facile potuerit Christiana Religio propagari; eam tamen propagationem humana ratione explicare conetur. Quid enim luculentius ad tantum hoc opus divinae virtuti tribuendum, quam inter propagationis causas miracula quoque recensere? Ille quidem cum arbitretur, Apostolos revera miracula non patrasse, idque velit demonstrare ex eo, quod in Ecclesia iam constituta tantam illam miraculorum multitudinem agi iam amplius non videat, dum Religionem propagatam esse affirmat etiam miraculorum causa, propagationem ipsam adscribit causae, quae vere non exstiterit. Nemo autem est, qui non plane sentiat esse levissimum, ex posteriorum temporum miraculorum raritate veram ineuntis Ecclesiae miraculorum multitudinem denegare; miraculorum causa propagatam religionem esse concedere, miracula vero ipsa inficiari.

Quid praeterea homini respondeas, qui sanctissimam veterum Christianorum vitam, cum praeclara Eccle-

siae gubernandae ratione coniuncta, causam quoque fuisse dicat, cui faciles Christianae religionis progressus accepti referri debeant? Quae enim ista est rei huius explicandae ratio? Ille nobis praeclaros hos progressus explicat ex singulari Christianorum vitae sanctitate. At est ineptum, cum quaeratur, quomodo doctrina obtinere potuerit, quae praeiudicatis omnibus opinionibus repugnabat, ita fieri potuisse concedere, quod cupiditates vivendique licentiam etiam coerceret. Ergone ut explicetur, quomodo Ethnici adducti sint ad Deos suos contemnendos, respondebitur, id facili negotio evenire potuisse, quod vitae quoque severitas libertati suffecta sit? An ideo Ethnici Christianae Religionis sublimia, et humanae superbiae impervia mysteria amplexi sunt, quod cuperent, vitae depravatae delicias in morum continentiam mutare, seque paupertati, ludibrio, cruciatibusque devovere? Neque Ecclesiae sapienter administrandae ratio Ethnicos commovere potuit, ut Christiani fierent, cum ad depravatos homines alliciendos idonea causa esse non potuerit disciplinae Ecclesiasticae custodia, ieiunium, preces, vigiliae, publica criminum accusatio, diuturnae et graves criminibus propositae poenae, et onus pastoribus omnino obtemperandi, a quibus prohibebantur, accommodata corruptis moribus spectacula frequentare.

Neque sunt minus futilia, quae a nonnullis cum Hobbesio adducuntur, ut tantam hanc rerum conversionem humanis rationibus explicare possint. Etenim ab iis affirmatur, insignem illam Christianorum benevolentiam, et erga pauperes ac miseros amorem, turbam egenorum, et infimae sortis homines adduxisse, ut Christianae Religioni nomen darent, quo possent Christianorum beneficentiae participes esse, vitamque ignavam et commodam agere. Verum primo loco docere ii debent, quanam de causa factum sit, ut Christianam Religionem susciperent illi, qui adeo benefici erant, et tanto praestabant studio pauperes inopesque iuvandi. Deinde, ut verbis utar Ioannis Laurentii Moshemii in comm. *De rebus Christianorum ante Constantinum, Historiae Christianae saeculi primi* §. 19. in adnot. ei paragrapho subiecta, « Nesciuntne, aut nescire volunt, quibus haec sententia placet, ignavis, et laborem fugientibus nihil loci datum fuisse inter primos Christianos, Paullumque vetuisse victum illis praebere, qui victum sibimetipsis laborando quaerere nollent, II ad Thessalonicenses c. 3? Nesciuntne, aut nescire volunt, segnes, vitiosos, voluptati deditos, mandato Apostolorum ex coetu Christianorum exclusos fuisse? Nesciuntne, aut nescire volunt, quamlibet Christianorum familiam pauperes suos alere debuisse, eosque tantum publico sumptu nutritos fuisse, quibus nulli erant cognati, quorum ope iuvari poterant, ad Timoth. c. 5?

Rem etiam, quam ii propugnant, non evincunt, quae de scelerata sacerdotum Ethnicorum vita, aut Religionis veteris stultitia dictitant, ut efficiant, homines superstitionis et sacerdotum contemptu commotos suscepisse consilium Christianam Religionem amplectendi. Etsi enim concedamus, Sacerdotum et superstitionis vitia excitare quandoque potuisse honestos atque sapientes, ut sacra spernerent, ac desererent quae a maioribus acceperant; non inde tamen sequitur, iisdem memorata vitia persuadere potuisse, ut religionem novam adsciscerent depravatae naturae adversantem, et cum maximo vitae, existimationis ac fortunarum periculo coniunctam. Est etiam eiusdem levitatis, quod ex contraria ratione argumentum depromitur, virtutes scilicet, quibus Apostoli ac eorum discipuli praestabant, honorum contemptum, fortitudinem, patientiam, aliaque eiusmodi tantopere valuisse apud homines, ut eos tamquam duces ac magistros ad salutem

sibi comparandam sequendos eligerent. Etenim nemo est, qui ignoret, magnam esse probitatis ac virtutis vim ad homines commovendos; atque est exploratissimum, Apostolos eorumque discipulos omni virtutum genere excelluisse, quare potuerit evenire, ut ad homines excitandos haec sine fructu non fuerint. Sed ut, Moshemio etiam hic auctore, prosequar respondere, norunt omnes, qui humanam naturam norunt, morum integritatem, et vitae innocentiam ad cultum quidem et reverentiam, raro autem ad imitationem adducere homines solere, numquam fere, si manifestum sit, ignominiam et pericula imitationi adiuncta esse. Nam constat, virtutem, et in excellenti gradu eminentem, summum sibi odium parere solere, si ab hominibus requirat, ut maiorum institutis et sententiis, suisque delectationibus bellum indicat. Id autem suis exemplis ipsi ii Apostoli nos docent, qui morum suorum innocentia orbem terrarum vicerunt, immo ipse Sanctissimus Apostolorum Magister ac Dominus, divinum scilicet sanctitatis ac virtutum omnium lumen, exemplo suo extra controversiam hoc ponit. Concedi poterit, Apostolos impetrare potuisse vitae sanctitate, ut iure nemeos reprehendere posset, atque abstinere ab iniuriis, et vi iis inferenda quamplurimi compellerentur. Est vero incredibile, eos nulla alia re, quam morum gravitate atque rerum humanarum contemptu effecisse, ut multa hominum millia Iesum Christum illum, quem Iudaei in Crucem egerant, totius humani generis Servatorem esse profiterentur; atque ad Apostolorum exemplum sese componerent ita, ut mori mallent, quam a sententia discedere. Esset tandem illud etiam explicandum ab adversariis, undenam, aut quibus ex causis orta fuerit tanta illa adeoque mirabilis Apostolorum virtus et vitae sanctimonia, quam unam populis constantissimam voluntatem iniecisse contendunt, Christiana sacra suscipiendi.

Haec, quae hactenus disputavimus, perspicue ostendunt, Christianae religionis tam celerem, tam late patentem propagationem humana ratione explicari prorsus non posse, et revera divina virtute factum fuisse, ut ea tantos, tam brevi tempore inter depravatos hominum mores progressus haberet.

CAPUT IV.

DE PERSEQUUTIONE IN CHRISTIANOS A NERONE EXCITATA.

Romanorum Imperatorum decretis excitatas contra Christianam Religionem persequutiones expositurí, iure Tertullianum in apologetico c. 5 de Nerone affirmasse dicimus: *eo dedicatore damnationis nostrae gloriamur*. Gloriosum enim religioni nostrae omnino est, inter Romanos Principes hominem scelestissimum, crudelitate teterrimum fuisse eum, qui decreto suo vexandos Christianos esse primo omnium statuerit.

Constat enim, neque Tiberium, neque Caligulam, neque Claudium vere Christianos persequutos esse; ac primum omnium Imperatorum, qui Christianam religionem vexaverit, Neronem fuisse. Sane veteres multa scelera a Tiberio commissa memoriae prodiderunt, eumque crudelissimum fuisse ostenderunt; nemo tamen illorum est, qui indicet, eum quidquam adversus Christianos conatum esse. Adeo vero ab hac sententia alieni fuerunt veteres nonnulli Christiani scriptores, ut ea etiam de Tiberio retulerint, quae illum Christianis minime inimicum fuisse declarant. Tertullianus certe refert, Tiberium a Pontio Pilato accepisse quae Christi mortem et patrata ab eo singularia prodigia spectabant: Imperatorem harum re-

rum narratione commotum consilium inivisse de Christo inter Romanorum Deos numerando, retulisse de ea re ad Senatum, et Patribus Conscriptis repugnantibus, in sententia tamen ipsum permansisse, ac minatum esse capitis periculum illis, qui Christianos accusare auderent. « Tiberius, ait Tertullianus Apolog. c. 5, . . . annunciata sibi ex Syria Palaestina, quae illic veritatem istius divinitatis revelarant, detulit ad Senatum cum praerogativa suffragii sui. Senatus quia non in se probaverat, respuit, Caesar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum. » Post Tertullianum Eusebius H. E. l. 2, c. 2; Hieronymus in Chronico Eusebii ad an. 23 Tiberii; Orosius l. 7 Histor., aliique veteres, eadem de Tiberio narrarunt. Non instituam hic quaestionem de facti, quod Tertullianus ceterique referunt, veritate. Hoc unum contendo, ex his quae commemoravimus, apparere, veteres scriptores Christianos plures, eosdemque gravissimos existimasse, Tiberium non modo non persequutum esse Christianos, verum etiam iis certe inimicum non fuisse.

Nihil est quod hoc loco de Caio Caligula dicamus: eum enim adversus Christianos nihil conatum esse exploratum est. Ad Claudium quod spectat, fuerunt qui suspicati sint ab eo Christianos eiectos ex urbe fuisse. Id illi collegerunt ex Suetonii verbis in Claudii vita c. 25, ubi ait: « Iudaeos, impulsore Chresto, assidue tumultuantes Roma expulit. » Nam arbitrati sunt, Iudaeos et Christianos inter se de Christo dissidentes a Claudio ex urbe pulsos esse, Suetonium vero rerum Christianorum imperitia deceptum, Iudaeos cum Christianis confudisse, ac pro Christo nomen Chresti posuisse. Sed contraria sententia propugnata quoque est, Chrestum a Suetonio memoratum Iudaeum hominem fuisse longe a Christo diversum, et turbulentum illum ac factiosum, qui seditionibus in urbe commotis, Claudium compulerit ut Iudaeos Roma eiiceret. Cum autem ex eiusdem Suetonii testimonio in vita Neronis intelligatur, eum Christianos a Iudaeis praeclare distinxisse, eosque proprio Religionis, quam profitebantur, nomine Christianos appellasse, grave inde nascitur argumentum, quare verba superius allata, in quibus Iudaeorum tantum mentionem Suetonius facit, ad Christum et Christianos pertinere censenda non sint. Legi potest inter ceteros de ea re Paulli Christiani Hilscherii dissertatio *de Chresto Svetonii*. Quidquid vero de hac controversia sit, et licet Iudaeorum nomine Christianos etiam intelligamus natione Iudaeos, semper illud verum erit, hos homines non Religionis, sed turbarum in urbe commotarum causa, Roma a Claudio pulsos esse, ac propterea dici non posse, religionis nomine ab Imperatore exilii poena affectos fuisse.

Possumus ergo iure cum Tertulliano affirmare, Neronis crudelitat-*dedicatam* condemnationem Christianorum fuisse, hoc est, eius acerbissima crudelitate, ingenioque funesto factum esse, ut tum primum edicto Principis Romani vexatio Christianorum decreta sit.

Anno aerae vulgaris 64 ea persequutio incepit. Cum enim eo anno Nero urbem incendisset, vel saltem de ea re Romani valde suspicarentur, omnium odium in se concitavit. Id cum ille intelligeret, nihil praetermisit eorum, quae conducere posse arbitrabatur ad hanc invidiam declinandam, et populi benevolentiam sibi conciliandam. Cum vero sentiret nihil se proficere, decrevit in Christianos tanti huius criminis infamiam convertere, quos ethnicis invisos esse non ignorabat. Nam cum percrebuisset opinio, ab omni quidem veri similitudine aliena, Christianos homines scelestissimos esse, et incredibili odio adversus genus humanum inflammatos, facile est intelligere, in magnam invidiam Christianos apud ethnicos adductos esse. Quare Nero

existimans, ethnicos sibi in animum inducturos, Christianos qui tanto ceteros homines odio prosequi dicebantur, urbem omnium principem incendere conatos esse, in eos, veluti in urbani incendii ac odii erga genus humanum reos, severissimas leges tulit. Comprehensi igitur magno numero, cum constantes essent in Christianae religionis professione, crudelissimis suppliciis affecti, ac necati sunt. Narrantur haec a Cornelio Tacito lib. 15 annal. cap. 44. Neque vero existimandum est, tantam hanc Christianorum calamitatem urbis limitibus circumscriptam fuisse; certum enim esse debet, in universi Imperii Romani provinciis contra Christianos saevitum esse. Permagna prorsus Christianorum multitudo in hac persequutione vexata, et extremo supplicio affecta est. Illud commemorabo, Tacitum, hominem ethnicum, et gravem imprimis scriptorem, tradidisse, ingentem in sola Urbe Christianorum copiam morte mulctatam esse.

Non placuit Henrico Dodwello in dissertatione XI Cyprianica certa haec de Neroniana persequutione sententia, quam tradidimus. Si enim illi fidem habere velimus, illa calamitas, quam Neronis scelere Christiani passi sunt, inter urbis moenia se continuit. Neque mirum hoc videri poterit, modo consideretur, Dodwellum in ea dissertatione sibi demonstrandum proposuisse, non solum multo minorem, quam vulgo existimetur, sed prorsus exiguum Martyrum numerum fuisse, qui primis tribus Ecclesiae saeculis, religionis causa, de medio sublati sunt. Dodwelli de Martyrum paucitate sententiam sequuti sunt Ioannes Clericus in Historia Ecclesiastica saeculi I; Ioachim Langius in Hist. Eccl. Novi Test.; Samuel Basnagius in annalibus politico-Ecclesiasticis, et manifestus Christianae Religionis hostis Voltairius, atque hic eo animo, ut Religionem irrideret ac aspernaretur. Hanc vero opinionem aperte falsam esse, et cum illorum temporum historia omnino pugnantem, demonstrarunt praeter ceteros, quos Walchius memorat in hist. saec. I, cap. 4, §. 9, Theodoricus Ruinartius in praefatione generali ad acta Martyrum; Thomas M. Mamachius operis iam citati t. I, lib. 2, cap. 8, et Franciscus M. Luchinius in praefatione ad acta Martyrum Ruinartii, quae italice ipse reddidit pag. 12 et seq. Id igitur et nos agamus, et breviter ostendamus, quantopere Dodwellus, ceterique quos indicavimus, decipiantur, cum Neronianam persequutionem inter urbis moenia se continuisse contendunt.

Negat Dodwellus, quae de ingenti Christianorum numero a Nerone necatorum accepimus a veteribus, intelligi generatim de vexatione debere, ab eo in universo Imperio Romano contra Christianos excitata: contendit autem ea calamitate perculsos fuisse tantummodo Christianos in urbe commorantes, quos Imperator tamquam reos accusavit illius incendii, quo universa urbs conflagraverat. « In eos, ait Dodwellus, qui Roma aberant, nulla erat, vel specie tenus, verisimilis ratio, cur intentaretur urbis incendium. » Quae si vera sunt, et universim Christiani considerentur, ac sermo de iis sit, qui Roma aberant, existimat Dodwellus falso affirmari, eos ingenti numero vexatos fuisse.

Verum si inter certa monumenta referri posset ea inscriptio, quam in Lusitania repertam aiunt, quamque Gruterus pag. 283, n. 9 refert, profecto ea gravissima esset ad Dodwellum confutandum. Haec sunt memoratae inscriptionis verba: « Neroni Cl. Caes., Aug. Pont. Max. Ob provinciam latronibus, et his, qui novam generi humano superstitionem inculcabant, purgatam. » Iam vero legenti inscriptionem ipsam pateret, in Lusitania quoque vexatos ita a Nerone Christianos fuisse, ut Ethnici, ob provinciam ab iis purgatam grati animi monumentum illi posuerint. Ex eo autem facile esset effice-

re, Dodwellum ceterosque falli cum commotam a Nerone persequutionem in Romanos tantummodo Christianos excitatam fuisse arbitrantur. Sed quoniam de huius inscriptionis veritate dubitatur, argumentum, quod ex ea depromitur, non adhibebo, atque alia potius adducam, quae ad rem demonstrandam idonea sunt.

Afferam igitur primo loco Tacitum, atque ex iis, quae ille Annalium lib. 15 cap. 44 habet, apparebit, Neronem non in urbanos dumtaxat, sed in universos omnino Christianos imperio suo subiectos saevisse. « Non ope humana, ait eo loco Tacitus, non largitionibus principis, aut Deum placamentis decedebat infamia, quin iussum incendium crederetur. Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos, et quaesitissimis poenis affecit, quos per flagitia invisos, vulgus Christianos appellabat. Auctor nominis eius Christus, qui, Tiberio imperante, per procuratorem Pontium Pilatum supplicio adfectus erat. Repressaque in praesens exitiabilis superstitio rursus erumpebat, non modo per Iudaeam originem eius mali, sed per urbem etiam, quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt, celebranturque. Igitur primo correpti qui fatebantur, deinde indicio, eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis convicti sunt. Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat, et circense ludicrum edebat, habitu aurigae permistus plebi, vel curriculo insistens. Unde, quamquam adversus sontes, et novissima exempla meritos miseratio oriebatur, tamquam non utilitate publica, sed in saevitiam unius absumerentur. » Apparet ex his quaenam tantae huic, tamque acerbae vexationi causae afferrentur. Scilicet exitiale illud odium, quo in omne genus humanum animati dicebantur Christiani, et incendium, quod in urbe fuerat excitatum. Ex his vero manifeste sequitur, Neronis decreta de Christianis vexandis non Romanos tantummodo Christianos respicere debuisse, sed omnes huius religionis imperio suo subiectos homines. Iussa enim a Nerone contra Christianos lata duo ista continuisse inde colligitur, scilicet, eos poenis subiici tum ob odium erga genus humanum, tum ob incendium in urbe excitatum. Tacitus vero affirmat Christianos magno numero vexatos, *haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis convictos.* Accusatio autem haec de odio contra genus humanum, et poenae ob hanc calumniam decretae, totius Imperii Christianos comprehendebant.

At docere omnino possumus, revera Neronem iussisse, ut Christiani in universo Imperio vexarentur. Id ostenditur allato Plinii Iunioris Bithyniae Pro-Praetoris ad Traianum imperatorem epistolae loco lib. 10, ep. 97, et Traiani ad Plinium responsione. « Cognitionibus de Christianis, ait Plinius, interfui numquam; ideo nescio quid, et quatenus, aut puniri soleat, aut quaeri. Nec mediocriter haesitavi, sitne aliquod discrimen aetatum, et quamlibet teneri, nihil a robustioribus differant: detur poenitentiae venia; an ei qui omnino Christianus fuit, desiisse non prosit; nomen ipsum, etiamsi flagitiis careat, an flagitia cohaerentia nomini puniantur. Interim in iis, qui ad me tamquam Christiani deferebantur, hunc sum sequutus modum. Interrogavi, ipsos, an essent Christiani. Confitentes, iterum ac tertio interrogavi, supplicium minatus: perseverantes duci iussi. Neque enim dubitabam, qualecumque esset, quod faterentur, partinaciam certe, et inflexibilem obstinationem debere puniri. » His vero Imperator respondit: « Actum quem debuisti, mi Secunde, in excutiendis causis eorum, qui Christiani ad te delati fuerant, sequutus es...

Conquirendi non sunt; si deferantur et arguantur, puniendi sunt; ita tamen, ut qui negaverit se Christianum esse, idque reipsa manifestum fecerit... veniam ex poenitentia impetret. »

Habemus ex his, quae attulimus, cum Plinius iunior Bithyniae Propraetor esset, magnam Christianorum multitudinem Religionis causa in iudicium vocatam fuisse; multos ex iis extremo supplicio damnatos esse; Plinium tamen Imperatorem rogasse, ut certum modum acciperet, quo in Christianis iudicandis uti deberet; Traianum Plinii agendi rationem probasse, ac decrevisse, in eos Christianos animadverti non debere, qui a nemine accusarentur; in eos vero quaestionem esse instituendam, quorum nomen ab aliquo delatum fuisset. Intelligimus autem, non modo in Provincia Bithynia, sed etiam in ceteris Imperii Romani provinciis tum temporis ex lege aliqua adversus Christianos lata agi consuevisse. Nam neque Plinius, neque Traianus ea fecissent, quae vidimus, nisi lex ea de re lata in Bithynia obtinuisset. Neque lex, quae in Bithynia adversus Christianos servabatur, ea ceteris provinciis communis non erat. Eadem enim erat Christianorum quibuslibet in provinciis morantium causa, ac verba, quibus Plinius utitur, *cognitionibus adversus Christianos interfui numquam,* aperte indicant legitimum adversus Christianos ac solemne iudicium, cuius habendi ratio in Imperio Romano communis esse debuerit.

Verum leges, quibus Plinii ac Traiani aetate contra Christianos agebatur, Neronis leges omnino fuisse ostenditur. Ex iis enim, quae diximus, certum est, lege aliqua, Traiano Imperatore, quaestiones adversus Christianos institutas fuisse in provinciis: ea autem lex neque vetus aliqua fuisse censenda est Romanae Reip. lex contra externas Religiones lata, neque a Domitiano, aut a Traiano ipso promulgata existimari potest. Sequitur ergo ut lex, qua a Plinio iuniore, Traiano imperante, contra Christianos agebatur, Neroni accepta referri debeat, quae post eius mortem abrogata non sit; ac idcirco patet, Neronem, cuius crudelitate id decretum fuerit, quod ea lege continebatur, non in urbe solum, sed in universi Imperii Romani provinciis Christianos vexasse.

Habetur autem id demonstrandi ratio. Ad veteres enim Romanae Reip. leges quod attinet, licet iis receptum esset, ne quis externas religiones Senatu inconsulto susciperet, « Separatim, ait Tullius l. 2 de legibus cap. 8, nemo habessit Deos: neve novos, sed ne advenas, nisi publice adscitos privatim colunto: » constat tamen capitis poenam numquam constitutam fuisse iis, qui externas religiones sua sponte susciperent: et quamvis Iulius Paulus Iurisconsultus sentent. l. 5, tit. 21 de vaticinationibus et mathematicis, lege 2, leges Romanas explicans asseruerit: « Qui novas, et non vel ratione incognitas religiones induxerit, ex quibus animi hominum moventur, honestiores deportantur, humiliores capite plectuntur; » inde tamen nullum contra sententiam istam duci argumentum potest. Constat enim, eum non vetustioris aetatis, sed temporis, quo ipse vixit, rationem habuisse. Vixit autem Iulius Paulus Alexandro Severo imperatore, quo certe tempore iam leges latae fuerant, quibus capitis damnabantur, qui novas Religiones, praecipue vero Christianam, inducere conarentur.

Neque potest existimari, Plinium ex Domitiani legibus in Christianos latis agere adversus eos, et damnare illos voluisse, cum eae leges vel ab ipso Domitiano, ut Tertullianus putat, vel a Nerva aut a Senatu, ut Lucio Caecilio et Eusebio videtur, abrogatae fuerint. Denique nulla lex a Traiano lata fuit, qua contra Christianos vexationem decerneret, ut licet sub eius imperio permulti Christiani Religionis causa necati sint;

tamen Tertullianus, aliique veteres Christiani scriptores negaverint, eum inter persequutores esse numerandum. Exsistit ex his, leges, ex quibus Plinius Christianos iudicabat, a Nerone latas fuisse, atque idcirco Neronem in universo Imperio Christianos persequutum esse.

Sed non desunt scriptores, qui diserte tradant, Christianos ubique a Nerone vexatos esse. Suetonius quidem in Neronis vita cap. 16 recensens eas leges ab illo latas, quas Rei publicae utilissimas fuisse arbitrabatur, illam etiam numerat, qua Christiani vexati sunt. « Multa sub eo, ait Suetonius, et animadversa severe, et coercita, nec minus instituta. Adhibitus sumptibus modus, publicae coenae ad sportulas redactae . . . afflicti suppliciis Christiani genus hominum superstitionis novae ac maleficae: vetiti quadrigariorum lusus.» Tertullianus vero Apologetici cap. 4 et 5, luculentius fortasse ea de re loquitur. « Ut de origine, inquit, retractemus, huiusmodi legum . . . . consulite commentarios vestros; illic reperietis, primum Neronem in hanc sectam tunc maxime orientem Caesariano gladio ferocisse . . . Tentaverat et Domitianus, portio Neronis de crudelitáte, sed quia et homo facile coeptum repressit, restitutis etiam, quos relegaverat. Tales semper nobis insequutores, iniusti, impii, turpes, quos et ipsi damnare consuestis, et a quibus damnatos restituere soliti estis . . . Quales ergo leges istae, quas adversus nos soli exercent impii, iniusti, turpes, truces, vani, dementes; quas Traianus ex parte frustratus est, vetando inquiri Christianos, etc.»

His addemus Lucii Caecilii verba ineunte saeculo IV scriptoris, qui auctor habetur libri *de mortibus persequutorum*, qui Lactantio tribui solet. Is cap. 2 haec inquit: « Inde discipuli, qui tunc erant undecim, assumptis in locum Iudae proditoris Matthia et Paullo, dispersi sunt per omnem terram ad Evangelium praedicandum, sicut illis magister Dominus imperaverat, et per annos 25 usque ad principium Neronis imperii, per omnes provincias et civitates Ecclesiae fundamenta miserunt. Cumque iam Nero imperaret, Petrus Romam advenit, et editis quibusdam miraculis, quae virtute ipsius Dei data sibi ab eo potestate faciebat, convertit multos ad iustitiam, Deoque templum fidele et stabile collocavit. Qua re ad Neronem delata, cum animadverteret non modo Romae, sed ubique quotidie magnam multitudinem deficere a cultu idolorum, et ad religionem novam, damnata vetustate, transire; ut erat exsecrabilis ac nocens tyrannus, prosilivit ad excidendum caeleste templum, delendamque iustitiam, et primus omnium persequutus Dei servos Petrum cruci affixit, et Paulum interfecit. »

Non est necesse post haec alia plura testimonia idem evincentia, ex. gr. Eusebii Caesareensis, Sulpicii Severi, Pauli Orosii afferre. Satis enim perspicue ex loquendi ratione a Tacito et Plinio adhibita eos tradidisse demonstratur, calamitatem, qua Neronis iussu Christiani perculsi sunt, non modo Romae, sed per Imperii provincias etiam eos affecisse. Suetonius autem, et multo clarius in Apologetico Tertullianus, atque auctor libri *de mortibus persequutorum* affirmant, Neronis leges ea de re omnes Imperii provincias comprehendisse.



CAPUT V.

DE PERSEQUUTIONE A DOMITIANO IN CHRISTIANOS COMMOTA.

Altera gravissima calamitas, quam Christiani decreto Imperatoris Romani pertulerunt, fuit persequutio a Domitiano excitata, qui a Tertulliano in apologetico cap. 5 appellatur *portio Neronis de crudelitate.* Hic autem Imperator cum per plures annos post susceptum anno aerae vulgaris 81 imperium, abstinuisset ab indicenda vexatione Christianorum, tandem vel sub exitum anni 93, vel ineunte 94, tum crudeli ingenio suo, tum consiliis scelestorum hominum adductus, leges contra eos crudelitate plenas tulit: id vero cum fecisset, ubique statim per omnes Imperii provincias Christiani vexati sunt. Fuit vero prorsus diuturna huius calamitatis perduratio, cum vel usque ad vitae finem in Christiana Religione vexanda Domitianus perseveraverit; vel si, eo vivente, persequutio cessasse censenda est, id non evenerit nisi paullo ante eius mortem. Colligitur autem ex monumentis, quae de hac re habemus, persequutione durante, non exilio tantum, deportatione, bonorum spoliatione, aliisque eiusmodi poenis, sed extremo supplicio, et morte crudeliter illata fuisse in Christianos animadversum.

De hac persequutione agens in memorata superius dissertatione XI Cyprianica Dodwellus, ut Martyrum numerum imminuat, contendit, eam minime diuturnam, ac minime cruentam fuisse. Refellunt hanc Dodwelli sententiam scriptores, quorum mentionem fecimus cum de Neronis persequutione pertractavimus. Itaque brevi nunc memorata Dodwelli sententia refutanda est.

Non potest autem primo loco non inconstantiae redargui Dodwellus, qui probabile putet quod Tertullianus narrat, Ioannem Apostolum, in fervens oleum Domitiani iussu coniectum, et ex eo divinitus liberatum esse, negandum autem arbitretur, eam vexationem cruentam fuisse. Certe tanta haec contra Ioannem crudelitas, tantum supplicium, a quo divinitus servatum illum esse Tertullianus tradit, ac Ioannes Laurentius Moshemius in epistola ad Augustum Heumannum, gravibus rationibus adductis, ostendit nihil esse cur Tertulliano haec narranti fides non habeatur, argumento perspicuo esse potest, revera ad caedes Domitianum venisse. Illud potius contendam, vetustissimos scriptores aperte litteris prodidisse, Domitiano imperatore, plures Christianos, religionis causa, de medio sublatos esse. Commemorabo Dionem Cassium qui in historia sua de Domitiano agens ait: « Eodem anno Domitianus, cum alios multos, tum vero Flavium Clementem etsi is consobrinus eius erat, ac Flaviam Domitillam et ipsam Domitiani consanguineam uxorem habebat, mortem affecit, illato ambobus crimine impietatis in Deos, quo crimine et plures alii, qui ad mores Iudaeorum aberraverant, damnati sunt, quorum pars occisa est, pars spoliata facultatibus. Domitilla tantum in Padetariam relegata est, Glabrionem quoque, qui cum Traiano magistratum gesserat, accusatum, cum de aliis, tum de illis, ob quae plerique deferebantur, interfici iussit. » His Brutius consonat ethnicus scriptor, qui medio circiter saeculo secundo historiam litteris commendavit. Nam quemadmodum habemus ex verbis, quae ex eo refert Eusebius in Chronico, *plurimi Christiani sub Domitiano fecerunt martyrium.*

Praeterea Clemens Romanus de Domitianea loquens persequutione, in epistola I ad Corinthios « His viris, inquit, qui divinam vitam duxerunt, ingens aggregata est multitudo electorum, qui multas contu-

melias, multaque tormenta propter aemulationem passi, pulcherrimo apud nos exemplo exstiterunt. Propter aemulationem vexatae mulieres Danaides et Dirce, cum gravia et nefanda supplicia sustinuissent, ad constantem fidei cursum pervenerunt, et corpore debiles, nobile praemium acceperunt. » Possent his quae attulimus alia etiam nec minus perspicua adiungi testimonia. At ea, quae recitavimus, luculenter efficiunt persequutionem Domitianeam cruentam fuisse. De Brutii enim testimonio non est quod laboremus; nam diserte tradit, magnum Christianorum numerum a Domitiano Religionis causa fuisse sublatum, Dionis autem locus est eiusmodi, ut hoc ipsum omnino demonstret. Nam plures ii homines qui impietatis, et rituum iudaicorum causa, a Domitiano interfecti a Dione dicuntur, non fuerunt nisi Christiani: praeterquam quod enim Romani perpetuo abhorruerunt a Iudaeis religionis causa vexandis, percrebuerat apud eos illa aetate ut Christiani Iudaeorum nomine appellarentur, et impietatis ac atheismi accusarentur.

Constat vero Flavium Clementem et Flaviam Domitillam, quos Dio inter eos recenset, qui impietatis causa accusati sunt, ob Christianam religionem a Domitiano fuisse vexatos. Denique ingens illa hominum multitudo, quam Clemens Romanus commemorat vexatam dudum caesamque fuisse, magnus ille Martyrum numerus fuit, qui ingruente Domitiani persequutione, eas calamitates toleravit, cum Clemens ipse Romanus, primam illam ad Corinthios epistolam scripserit, simul ac, Domitiano interfecto, et Nerva in eius locum suffecto, pacem ecclesia recuperavit.

His autem tribus scriptoribus, quorum postremus in urbe eo tempore vivebat, quo Domitianus Christianos vexavit, ceteri duo Ethnici erant, et non multo post Domitiani aetatem vixerunt, asserentibus cruentam omnino illam persequutionem fuisse, nisi historiam universam pervertere funditus velimus, fidem habere omnino debemus. Concludimus ergo Domitianum recensendum esse inter acerbissimos religionis nostrae vexatores, ac iure de eius crudelitate conquestos veteres scriptores Christianos fuisse, cum aliis in locis pluribus, tum in inscriptione, quae Martyri Gaudentio posita est, quamque Aringhus l. 3 Romae subterraneae c. 22 p. 340 et Mamachius Orig. et Antiq. Christianorum t. I, l. 2, p. 415 et 421 de Domitiano intelligendam censent, quaeque sic habet:

Sic praemia servas Vespasiane dire,
Civitas ubi gloriae tuae autori
Praemiatus es morte: Gaudenti laetare.
Promisit iste; dat Christus omnia tibi,
Qui alium paravit theatrum in coelo.

Ostendamus nunc quam falso etiam illud affirmetur, commotam a Domitiano vexationem non diuturnam fuisse. Dodwellus quidem arbitratur vix ad unius anni spatium illam fuisse protractam: at probari omnino potest, eam integrum biennium excessisse. Nam quod adducitur ex Lucio Caecilio c. 3 lib. *de mortibus persequutorum,* non ita est intelligendum, quasi ibi referatur Domitianum paullo postquam nostros insectari coepit, interfectum fuisse; sed accipi debet de temporis spatio, quod fluxit ex commotae vexationis exordio ad eius obitum, quod breve fuit, si comparetur cum temporis diuturnitate, qua ille imperator fuerat antequam Christianos persequeretur. «Post hunc (Neronem) interiectis aliquot annis, alter non minor tyrannus ortus est qui cum exerceret iniustam dominationem, subiectorum tamen cervicibus incubavit quam diutissime, tutusque regnavit, donec impias manus adversus Dominum tenderet. Postquam vero ad persequendum iustum populum instinctu daemonum incitatus est, tunc traditus in manus inimicorum, luit poenas. » Iam vero iure poterat affirmari, si comparetur tempus, quod lapsum est post per-

sequutionem a Domitiano excitatam cum tempore, quo ille rerum potitus est, antequam in Christianos tanta crudelitate fureret, illud omnino exiguum fuisse. Nam Tito Domitianus successit anno Christi 81, die 13 Septembris. Eusebius autem in Chronico anno 93 vexationis ab eo commotae initium assignat, idemque statuit H. E. l. 3, c. 17. Auctor autem Chronici Paschalis ex Brutii historia refert multos Christianos anno XIV Domitiani martyrium fecisse; et Hieronymus eodem anno commemorat in fervens oleum Ioannem Romae a Domitiano coniectum fuisse. Domitianus igitur qui anno 81 imperium susceperat, quique anno 96 die 18 Septembris interfectus est, brevi vixisse dici potest post Christianae persequutionis initium, si ratio habeatur temporis diuturni quo ante imperaverat, non autem generatim ita brevi vixisse, ut haec ab eo Christianis creata calamitas parvum temporis spatium perduraverit.

Neque ex eo quod Brutius apud Eusebium H. E. l. 3, c. 18 referat, magno numero Christianos anno 15 Domitiani qui a die 13 Septembris anni 95 exorditur, vexatos fuisse, inde sequitur, quod Dodwellus contendit, eo primum anno a Domitiano Christianos afflictos esse. Nam quemadmodum apparet ex iis, quae superius recensuimus, multo prius imperator nostros vexare coeperat, ac quae memorato Eusebii loco vel alibi apud veteres traduntur de eiusdem anno 15, nihil aliud poterunt fortasse probare, nisi Domitianum, qui iamdiu Christianos persequebatur, et quo imperatore, anno 14 multi Christiani necati fuerunt; anno deinde imperii sui decimo quinto, crudelius et acerbius religionem nostram persequutum esse.

Ceterum haec vexatio, vel usque ad Domitiani interitum perduravit, vel paullo ante desiit, quam ille interficeretur. Domitianum ipsum edicta in Christianos lata revocasse referunt Tertullianus Apolog. c. 5, Hegesippus apud Eusebium H. E. l. 3 c. 20. Contra vero auctor libri de mortibus persequutorum c. 3 non ab eo, sed a Nerva, et a Senatu post eius mortem, rescissa eius acta, et latas leges in Christianos revocatas narrat, cui consentire videtur Iuvenalis satyra IV, qui habet Domitianum post excitatam contra Christianos vexationem quamdiu vixit, eorundem vexandorum finem non fecisse. Haec autem horum scriptorum pugna argumento esse debet, vel numquam revera a Domitiano ipso has leges fuisse revocatas, vel si ad id consilii ineundum ille umquam adductus est, hoc sub vitae finem illum fecisse, ut scriptores quos indicavimus, haec revocatio latere potuerit. Illud igitur omnino sequitur, vexationem ipsam integrum biennium excessisse, ac falsum prorsus esse quod contendit Dodwellus, vix unius anni spatio perdurasse.

Addam id, quod Walchius habet in Hist. saec. I, cap. 4, sect. 2 *de persequutionibus*. « Quis sibi persuadeat repressisse saevitiam suam, et Christianos omnibus exosos ab exsilio revocasse Domitianum, imperatorem illum, cuius crudelitatem Plinius, Svetonius, Dio, Tacitus ita descripserunt, ut vix credi possit? Nullus illorum, qui vitam et gesta eius memoriae prodiderunt, refert, eum alios restituisse. Quis igitur credat quod in Christianos tam benignus, tam clemens exstiterit? Immo si talis fuit, cur Christiani scriptores, qui post Tertullianum scripserunt, nihil de favore hoc in gentem suam memorant, cum, si quod commodum Christianis a gentibus profanis accessit, id magnopere praedicarent? Cur scriptores qui apologias composuerunt, ab eo non argumentum innocentiae sumpserunt? Rationes has merito recenset, ac Dodwello opponit Christophorus Cellarius dissert. academic. p. 432, ita, ut simul recte observet, Hegesippi auctoritatem, ad quem Dodwellus provocat, ad probationem mutatae voluntatis cohibitaeque saevitiae Domitiani haud valere. »

CAPUT VI.

DE DIVI PETRI APOSTOLORUM PRINCIPIS ROMAM ADVENTU.

Notissima sunt Leonis Magni verba Ecclesiae Romanae gratulantis ob Divi Petri Apostolorum Principis Romanum adventum, et conditum ab eo gestumque Romanum Episcopatum. Id quidem non sine divino consilio evenisse sapientissimus ille ecclesiae doctor affirmat, ut Romam Petrus se conferret. « Ad arcem, in» quit, Romani destinatur Imperii... » quo divinis ordinationibus illum » anteibat honor potestatis, et gloria » passionis. » Serm. I de SS. Apostolis Petro et Paullo. Praeterea summam Urbis et Ecclesiae nostrae gloriam inde derivat, quod « per sa» cram B. Petri sedem caput orbis » effecta, latius praesideret religio» ne divina, quam dominatione terrena. » Factum enim inde est, ut Romanus Pontifex Divo Petro succedens, summum in universam ecclesiam iurisdictionis haberet principatum, atque in Romani Pontificis persona ille honoretur atque intelligatur, cuius dignitas in herede non deficit.

Iam vero inter praecipua Historiae Ecclesiasticae capita illud certe debet recenseri, ut Romam Petrum venisse episcopatum Romanum instituisse ac gessisse demonstretur. Ad imminuendam enim Romanae Ecclesiae dignitatem, atque ad denegandum, Petri potestatem iure successionis in Romanos Pontifices manasse, Ecclesiae Catholicae inimici, tum Romanum Petri iter, tum praesertim episcopatum Romanum ab eo gestum inficiati sunt. Magnus posset scriptorum numerus percenseri, qui alterutrum hoc, verissimumque factum denegaverunt; quemadmodum magna adesset copia virorum doctissimorum, qui utriusque rei veritatem invicte demonstrarunt. Omnium loco commemorabo Thomam Mariam Mamachium t. 5 originum et antiquitatum Christianarum lib. 4 c. 4 §. 1 et c. 5 §. 1, qui eorum mentionem facit, Franciscum Blanchinium in notis ad Anastasii Bibliothecarii vitas Romanorum Pontificum, et Petrum Franciscum Fogginium in opere de Romano Divi Petri itinere et episcopatu.

Facti veritas hoc habet, post Christi in caelum ascensum, Simeonem Ionae, seu Ioannis Filium, cui Dominus Petri nomen tribuerat, multis Iudaeae, Galilaeae, ac Samariae oppidis peragratis, anno aerae vulgaris trigesimo sexto Antiochiam in Syria se contulisse, eamque ecclesiam, veluti episcopum sexennio administrasse. Cum vero e Syria profectus esset, Evodio sibi in Episcopatu Antiocheno suffecto, anno circiter 42 aerae vulgaris Romam venisse, in qua urbe Religionem Christianam statuerit, et Episcopalem perpetuam sedem sibi constituerit: Roma deinde nonnullos post annos discessit, et Hierosolymam reversus concilio Apostolorum Hierosolymitano praefuit. Rediit in posterum Romam Nerone regnante. A scelestissimo autem tyranno teterrimam persequutionem contra Christianos exercente, anno aerae vulgaris 66, 3 calendas Iulias, una cum Divo Paullo Gentium Apostolo interfectus est, cum de Religione in hac urbe amplificanda, uterque summa virtute laboraret. Annus aerae vulgaris 42 ille est, ex quo Eusebius Caesareensis in Chronico viginti quinque annos numerat, quibus Divus Petrus Romanum Pontificatum gesserit. Apostolorum Principem anno revera 66 aerae vulgaris martyrio functum esse, eruditissimi viri evincunt.

Quemadmodum superius proposuimus, ostendendum a nobis est, vere Petrum Romam venisse, et episcopatum Romanum, quem instituerat, gessisse. Primo igitur loco de eius-

dem ad urbem adventu, tum de gesto Episcopatu Romano loquemur.

Itaque ut Apostolorum Principem Romam venisse demonstretur, adest Scriptorum aetati eius vel aequalium, vel proximorum auctoritas, adest manifesta totius orbis perpetua persuasio. Quae si ad confirmandam facti huius veritatem idonea non sunt, non facile intelligetur, quibus monumentis quaelibet antiquitatis facta demonstrari possint. Quanam vero ratione, non modo in omnibus Romanae Ecclesiae originibus, sed etiam apud omnia cuiusque aetatis monumenta, tamquam exploratum constitui potuisset, Petrum Romam venisse, nisi publica, atque omnibus nota facti celebritas, id extra omnem penitus controversiam constituisset?

Sed perspicue id, diserteque testantur aequales, proximique scriptores. Potest primo loco Clementis Romani, qui Petri ipsius auditor fuit, testimonium afferri. Is in epistola, quam ad Corinthios post Domitianeam persequutionem sedatam scripsit, commemorans res gestas a Christianis martyrio Romae perfunctis, Petri et Paulli mentionem fecit, ut ostenderet quibus institutoribus Ecclesia ista gloriaretur. « Accipiamus, inquit n. 5 et 6, prae oculis nostris bonos Apostolos. Petrus ob iniquam aemulationem, non unum, aut alterum sed multos sustinuit labores, atque ita Martyr effectus discessit ad debitum gloriae locum. Propter aemulationem Paullus patientiae praemium obtinuit . . . . et ad occidentis terminum veniens, et sub principibus martyrium passus ita e mundo migravit . . . . His viris, qui divinam vitam duxerunt, aggregata est ingens electorum multitudo, qui multas contumelias, multaque tormenta propter aemulationem passi, exemplo pulcherrimo inter nos fuerunt. » S. Ignatius Martyr, et Episcopus Antiochenus, qui eadem, qua Clemens aetate vixit, et cum Petro ac Ioanne Apostolis egisse fertur, in epistola ad Romanos ita loquitur, ut populo Romano Petri et Paulli Romam adventum innotuisse appareat.

Quae scriptores Divi Petri proximi scripserunt, idem probant. Recenseri inter eos potest Papias Hierapolitanus Episcopus, qui licet plures annos saeculo II vixit, tamen vel Ioannis Apostoli, vel alterius Ioannis Apostolis aetati aequalis auditor fuit apud Eusebium H. E. l. 2 c. 15 memoriae prodidit, Marcum in evangelium suum intulisse, quae a Petro Romae audiverat, et priorem epistolam a Petro in urbe scriptam esse, quam urbem Babylonis nomine appellaverit. Huic adiungendus est Irenaeus Lugdunensis Episcopus, Polycarpi Apostolorum discipuli auditor, qui ad urbem quoque venit. Hic lib. 3 adversus haereses c. 1, « Quoniam, inquit, valde longum est, in hoc tali volumine, omnium Ecclesiarum numerare successiones; maximae et antiquissimae, et omnibus cognitae, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paullo Romae fundatae, et constitutae Ecclesiae, eam, quam habet ab Apostolis traditionem, et annunciatam hominibus fidem, per successionem Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes confundimus omnes» et paullo post addit: « Matthaeus inter Hebraeos propria ipsorum lingua opus edidit Evangelii, Petro et Paullo Romae evangelizantibus, et constituentibus Ecclesiam, et post eius editionem Marcus discipulus, et interpres Petri, et ipse quae a Petro praedicabantur, scripto nobis tradidit.»

Dionysius Corinthiorum Episcopus apud Eusebium lib. 2 c. 25, « Ambo illi, inquit, Petrus et Paullus in urbem nostram Corinthum ingressi, sparso Evangelicae doctrinae semine nos instituerunt, et in Italiam similiter profecti, cum vos (Romanos) perinde instituissent, eodem tempore martyrio functi sunt.» Fortasse luculentius hac de re est Caii Romanae Ecclesiae Presbyteri testimonium hominis scilicet, qui II desinente Ecclesiae saeculo, et III ineunte vixit.

Is igitur in libro adversus Proculum montanistam haec asseruit, quae Eusebius H. E. l. 2, c. 15 refert: «Ego vero Apostolorum tropaea possum ostendere. Nam sive in Vaticanum, sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrent tibi tropaea eorum, qui Ecclesiam illam fundaverunt.» Sed Tertulliani quoque verba afferenda sunt lib. de praescriptionibus cap. 26. «Age iam, qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuae: percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsae adhuc Cathedrae Apostolorum suis locis praesident, apud quas ipsae authenticae litterae eorum recitantur, sonantes vocem, et repraesentantes faciem uniuscuiusque. Proxima est tibi Achaia, habes Corinthum: si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses: si potes in Asiam tendere, habes Ephesum: si autem Italiae adiaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est. Ista quam felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli suo sanguine profuderunt: ubi Petrus passioni Dominicae adaequatur, ubi Paullus Ioannis exitu coronatur; ubi Apostolus Ioannes posteaquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur.» Denique Origenes Alexandrinus, qui Romam Zephyrino Pontifice venit, apud Eusebium H. E. lib. 3, c. 1 ita de Petro habet: «Petrus, per Pontum, Galatiam, Bithyniam, Cappadociam, atque Asiam, Iudaeis, qui in dispersione erant praedicasse existimatur; qui Romam veniens cruci suffixus est capite deorsum demisso.»

Cum haec adeo sint perspicua scriptorum veterum testimonia, non est necesse Clementis Alexandrini, auctoris carminum contra Marcionem, Cypriani, aliorumque plurimum ad hanc ipsam rem probandam opportunissima loca afferre: quae enim adduximus ex scriptoribus desumpta, qui Petro vel aequales, vel proximi aetate fuerunt, eiusmodi sunt, ut nullum, vel in Romana vel in Graeca historia factum referri posse videatur, quod Petri Romam adventu certius ac exploratius debeat iudicari.

Facile est deinde intelligere quam leve sit, ad denegandam facti huius veritatem, ex silentio Lucae et Paulli argumentum deducere, ut passim fecerunt qui Romam venisse Petrum inficiati sunt. Quid enim valet negativum hoc argumentum, non dico ad evertendam, sed tantummodo ad imminuendam argumenti gravitatem, quod ex disertis parium et supparium scriptorum testimoniis desumitur? Profecto, si ex eo, quod Lucas in actis Apostolicis, vel Paullus in suis epistolis de Petri Romano itinere non loquatur, falsum illud esse affirmari posset, etiamsi scriptores, qui, vel eadem, qua Petrus, aetate, vel paullo post vixerunt, id aperte narrent, in magnum discrimen rerum omnium historia adduceretur.

Haec responsio, quae perpetuo valet ad excludendam vim argumenti negativi, quod contra positiva monumenta afferatur; eo gravior in rem nostram haberi debet, quod satis probabiles afferri causae possint ad explicandum, cur vel Lucas, vel Paullus de Petri ad urbem adventu non loquantur. Certe Lucas in actis Apostolicis, prout ex eo libro intelligitur, ea tantum de Petro narrare sibi proposuerat, quae ille in Iudaea ceterisque provinciis proximis gesserat. Quid mirum igitur, eum de Romano Petri itinere non loqui? Tacet Lucas, Petrum Antiochiam se contulisse; tacet Pontum, Galatiam, Cappadociam Petrum peragrasse; quorum alterum Paulus epistola ad Galat. c. 2 narrat, alterum traditum est a veteribus scriptoribus. De harum rerum tamen veritate, ob Lucae silentium, nemo dubitat. Quid est igitur, quod Petri Romanum iter innumeris veterum scriptorum testimoniis commendatum litteris, tantis vetustatis monumentis confirmatum, ob eiusdem auctoris silentium in controversiam vocetur?

Qua ratione argumentum ex Lucae silentio desumptum levissimum esse constat, eadem ratione possumus evincere, nullius roboris esse ad denegandum Petri Romam adventum, argumentum ex Paulli silentio petitum. Is quidem neque in epistola ad Romanos, neque in illis, quas Romae ad Philippenses, ad Colossenses, ad Ephesios, ad Philemonem, ad Hebraeos, ad Timotheum iterum scripsit, Petri mentionem fecit. Num inde tamen sequitur, Petrum Romam non venisse? Num silentii huius vis talis esse videri poterit, ut evertat quidquid nos ex paribus supparibusque scriptoribus attulimus ad confirmandum Romanum Petri iter, eaque alia plura, quae iis adiungi potuissent?

Praeterea quid prohibet, quominus nos huius omissionis causam afferamus Petri ab urbe digressum, cum epistolae illae scriptae sunt? Nam existimandum non est, Petrum, post quam Romam venit, ita in hac urbe moratum esse, ut inde numquam in posterum egressus sit. Fogginius certe et Mamachius, aliique, veteribus monumentis, et gravissimis coniecturis allatis ostenderunt, Apostolorum Principem, primum secundo Claudii Imperatoris anno, Romam venisse, ibi diu moratum esse, deinde ex eadem urbe discessisse, ad eamque iterum reversum esse Nerone Imperatore, octavo vel nono eiusdem imperii anno. Quid respondebunt igitur adversarii, si eas epistolas scriptas esse asseramus eo tempore, quod intercessit a Petri ab urbe discessu ad eius Romam reditum? Quid potest esse admiratione dignum, si, Petro Romae non morante, tum cum scripta est epistola ad Romanos, Paullus illum in eorum numero non nominaverit, quos salutavit, neque inter eos, quos Romae secum esse, in ceteris illis epistolis commemorat, Petrum appellaverit?

CAPUT VII.

DE ROMANO DIVI PETRI EPISCOPATU.

Divum Petrum apostolorum principem episcopatum Romanum instituisse, atque eum vere Romanae urbis episcopum fuisse, nunc demonstrandum est. Id autem tum veterum scriptorum testimoniis, tum Romanae Ecclesiae catalogorum auctoritate, seu monumentis ex Ecclesiae Romanae originibus depromptis facile demonstratur. Inter veteres scriptores afferri potest Caii Romanae Ecclesiae presbyteri testimonium. Is in libro, quem adversus Artemonem fertur scripsisse apud Eusebium H. E. l. 5, c. 28, de Victore Romano Pontifice loquens, «Tertius, inquit, ac decimus a Petro fuit Romae Episcopus.» Perspicuum vero est, eum, qui Romanorum Pontificum seriem a Divo Petro deducit, prorsus iudicasse, Petrum ipsum Romanum Pontificem fuisse. Adducendum est in hanc ipsam rem opportunissimus auctoris carminum contra Marcionem locus, quem Tertulliano aetate aequalem eruditi viri fatentur. Is certe veluti exploratum habet, Petrum gessisse Romanum episcopatum. Inquit enim:

Hac cathedra Petrus, qua sederat ipse locatum
Maxima Roma Linum primum considere iussit.

paullo post autem:

Constabat pietate vigens Ecclesia Romae
Composita a Petro, cuius successor et ipse
Iamque loco nono cathedram suscepit Higinus
Post hunc deinde Pius, Hermas cui germine frater
Angelicus Pastor.

Post hoc commemorabimus, quae Cyprianus Carthaginiensis episcopus

habet in epistola 59, alias 55, ad Cornelium, et quae disputat in epist. 55, alias 52, ad Antonianum. Sane in hac Cyprianus episcopatum Romanum *locum Petri* appellat. « Factus est, inquit, Cornelius de Dei et Christi eius iudicio, de clericorum pene omnium testimonio, de plebis, quae tunc adfuit, suffragio, et de sacerdotum antiquorum, et bonorum virorum collegio, cum nemo ante se factus esset, cum Fabiani locus, id est, cum locus Petri, et gradus cathedrae episcopalis vacaret. » In illa vero eundem episcopatum *cathedram Petri* omnino esse dicit. « Post ista insuper, ait, pseudo-episcopo sibi ab haereticis constituto, navigare audent, et ad Petri cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis et profanis litteras ferre, nec cogitare eos esse Romanos (quorum fides Apostolo praedicante laudata est), ad quos perfidia habere non possit accessum. » Iam vero nihil luculentius esse posse puto, quam Cypriano exploratum esse debuisse, rerevera Petrum Romanae urbis episcopum fuisse, ut his nominibus potuerit Romanum episcopatum indicare.

Audiamus nunc qua ratione hac de re Eusebius Caesareensis loquatur, vir in rebus ad historiam Ecclesiasticam pertinentibus summae auctoritatis: « Petrus et Paullus divinissimi Apostoli, inquit in Chronico, testimonium pro Christo exhibentes in eo certamine, coronati sunt . . . Primus post coryphaeum Petrum Romanorum Ecclesiae Episcopus Linus. » Libro autem 3 H. E. c. 4 ait: « Linus, quem (Paullus) in secunda epistola ad Timotheum Romae secum versari testatur primus post Petrum, ut supra iam diximus, Episcopatum Ecclesiae Romanae adeptus est. » Sed potuissetne Eusebius tam aperte testari Linum in Episcopatu Romano suscipiendo primum Petro suffectum fuisse, nisi extra omnem controversiam esse intellexisset, Petrum Episcoporum Romanorum principem habendum esse? Merentur etiam quae recitentur in hanc ipsam rem opportunissima Optati Milevitani verba, qui saeculo IV vixit, quique scriptis libris adversus Parmenianum de schismate Donatistarum, iure magnam nominis celebritatem adeptus est. Is igitur lib. 2, cap. 3 ait: « Negare non potes, scire te, in urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem fuisse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus... Ergo cathedram unicam, quae est prima de dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino successit Clemens, Clementi Anacletus, etc. » Denique, ne longior sim quam opus est, neve in re minime dubia videar adducere testimonia non necessaria, Augustinus in epistola ad Generosum, « Si ordo, inquit, Episcoporum sibi succedentium considerandus est; quanto certius, et vere salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiae figuram gerenti Dominus ait: *Super hanc Petram,* etc.? Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, » etc. Equidem post haec possem adversarios omnino relinquere. Si enim hac in re ad fidem faciendam non valeant quae adduximus testimonia, non video quomodo confirmari in universa tum civili, tum Ecclesiastica historia res ulla possit.

Est praeterea gravissimae auctoritatis ad rem istam evincendam argumentum, quod ex catalogis, seu e Romanae Ecclesiae originibus desumitur. Cum enim Romanorum Pontificum series in iis omnibus ita a Petro ducatur, ut primum Romanorum Pontificum Petrum fuisse omnino ponant, manifestum esse cuique debet, hoc ideo factum fuisse, quod persuasum semper veteribus fuerit, ac ex monumentorum gravitate iis constiterit, revera Petrum primum fuisse, qui Romanam Ecclesiam tamquam Episcopus gesserit.

Iam vero magno est in honore apud eruditissimos viros antiquissi-

mus Romanorum Pontificum catalogus, qui Liberianus appellatur, eo quod Liberii Pontificis et Constantii Caesaris aetate fuerit compositus. Eum eruditissimi viri Aegidius Bucherius, Petavius, Blanchinius, Papebrochius, aliique plurimi faciunt, tum quod antiquitate praestet, tum etiam quod eiusdem auctor vetustioribus sincerisque monumentis in eo exarando usus sit. Ita vero ille habet exordium: « Imperante Tiberio Caesare passus est D. N. I. C. duobus Geminis Consulibus VIII cal. Aprilis; et post ascensum eius Beatissimus Petrus episcopatum suscepit. Ex quo tempore per successionem dispositum quis episcopus, et quot annis praefuit, vel quo Imperante. » Idem dicendum de imaginum veterum serie RR. Pontificum saec. V depictarum in pariete Ostiensis Basilicae quam nonnullis abhinc annis, summo bonarum artium, et huius urbis ornamentorum detrimento, nocturno funestissimo incendio dirutam, ac pene funditus eversam ingemuimus. Illam vero seriem Marangonius exhibet in opere inscripto: Chronologia RR. Pontificum. Idem de innumeris illis catalogis affirmandum est, a Schelestratio, Mabillonio, Antonio Pagio, Henschenio, Papebrochio, Muratorio, utroque Blanchinio, Cardinali Garampio editis. Nullus est ex iis aliisque, in quo cum RR. Pontificum series refertur, a Petro, tamquam a primo Romanae ecclesiae episcopo, non ducatur exordium. Iam vero apparet ex his luculenter, quod in huius disputationis initio proposuimus, nihil in ecclesiastica, nihil in civili historia afferri posse, quod Romano Petri Episcopatu certius debeat iudicari. Veteres enim scriptores adduximus, qui non longe a Petri aetate vixerunt, perspicuum de ea re testimonium dicentes, et perplures brevitatis gratia praeterivimus. Vetustissimos commemoravimus Romanorum Pontificum catalogos. Scriptores autem eiusmodi in ea re narranda deceptos esse affirmare, catalogorum illorum auctores Ecclesiae Romanae origines ignorasse, solumque datum esse protestantibus tot post saecula, ut intelligerent Petrum Episcopum Romanum non fuisse, id omnino ferri non potest.

Haec quae gravissima sunt ad facti huius demonstrationem, conati sunt adversarii refellere, sed inanibus prorsus argumentis. Contendunt enim, cum Apostoli dignitate, alicuius urbis singularem propriumque Episcopatum pugnare, eo quod Episcopo peculiaris cuiusquam loci, apostolo autem universae ecclesiae curandae munus obtigerit; quare cum Petrus non modo Apostolus, verum etiam apostolorum princeps esset, urbis Episcopum proprium illum esse non potuisse. Quod si illud etiam concedi velit, Apostolorum aliquem Romanae urbis fuisse Episcopum, negant adversarii hoc de Petro affirmari debere, sed illud potius aiunt Paullo esse tribuendum. Putant huius rei probationem aliquam in eo positam esse, quod ex Romanis Pontificibus vetustissimis, ex. gr. Linus et Clemens, non Petri, sed Paulli a veteribus discipuli fuisse tradantur: incredibile vero arbitrantur, si Petrus revera Romanorum Pontificum primus fuisset, ei non suos, sed Paulli discipulos in tanto dignitatis gradu fuisse suffectos.

At cuius est tanta ingenii bonitas, ut non intelligat quam haec sint futilia? Non modo enim exemplis, sed rei ipsius considerata ratione apparet, episcopatum loci alicuius singularis cum apostoli summa dignitate componi posse. Quid enim habet Apostolatus summa dignitas, ut coniungi nequeat cum certi cuiusdam loci episcopatu? Num omnium ecclesiarum sollicitudo prohibet, quominus peculiari quadam ratione loci alicuius apostolus curam gerat? Non video quae pugnae huius causa probabilis afferri possit. Id vero luculentius fortasse apparebit non pugnare, si consideretur, apostolos, quo tempore generali Ecclesiae procurationi va-

cabant, homines sibi sufficere potuisse, quos tamquam suos Vicarios et adiutores adhiberent, ut illius regionis peculiaris curam gererent, cuius Episcopatum proprium sibi susceperunt. Auctor certe nobis est Epiphanius haeres. 27, Petrum cum religionis causa ab urbe abesse coactus est, imposuisse nonnullis negotium, ut vice sua Romanae Ecclesiae curam gererent. Quod si vero exempla sunt adducenda, ut Apostolatus dignitatem cum alicuius loci proprio Episcopatu non pugnare demonstretur, in promptu est Iacobum minorem commemorare, qui ut Hegesippi, Clementis Alexandrini, Eusebii, aliorumque veterum testimonio confirmatur, Hierosolymitanus episcopus fuit. Atque ut de Petro ipso loquamur, Chrysostomi, Hieronymi, Leonis Magni aliorumque auctoritas appellari posset pro Antiocheno Petri Episcopatu testimonium dicentium. Habemus igitur non modo ex rei ipsius consideratione, verum etiam ex facto, apostolatum cum alicuius urbis peculiaris Episcopatu componi posse, atque illud omnino reiiciendum esse, quod adversarii contendunt, Romanum Episcopatum Petri ideo non posse concedi, quod apostolatus dignitas cum Episcopi conditione coniungi non queat.

Nullam denique potest afferre difficultatem id, quod de primis post Petrum mortuum Romanis Pontificibus opponitur, eos videlicet Paulli potius, quam Petri discipulos fuisse. Nam primo controversia ista in facti veritate vindicanda versatur. Quare, licet id, quod obiicitur, verum esse concederetur, non ideo argumentum oriri posset ad denegandum, fuisse Petrum urbis Romae episcopum, cum gravia superius allata monumenta evincant, ita iudicari oportere. Deinde non possunt adversarii probare Linum vel Clementem Paulli tantum, non etiam Petri discipulos fuisse. Immo vero Tertullianus in libro de praescriptionibus Clementem a Petro *ordinatum* esse commemorat. Tandem quomodo posset ostendi, eos qui Paulli tantum, non vero Petri discipuli fuissent, eligi non potuisse tamquam proximos Petri successores? Certe nulla fuit inter Petrum et Paullum obtrectatio, quare alter alterius discipulos a pontificatus consequutione prohiberet. Neque quando Linus et Clemens electi sunt Petri successores, aliquis aderat inter sanctissimos nostros Ecclesiae Romanae Patres, qui minori erga alterutrum Apostolum observantia et religione animaretur. Sed haec omittamus. Cetera enim, quae argumenta respiciunt ab adversariis allata contra Romanum Divi Petri iter, vel Episcopatum, apud scriptores de ea re superius memoratos fuse tractata reperiuntur.

Verum hoc loco non praetereundum arbitror quod pertinet ad ostendendum quibus argumentis evincatur, Petrum tantummodo, non autem una cum Petro etiam Paullum Romanae Urbis Episcopum fuisse. Nam licet ob praeclara Divi Paulli merita in instituenda Romana Ecclesia, ob singularem ab eo adhibitam curam ut religio Christiana in urbe Imperii principe de ethnica superstitione triumpharet, licet, inquam, idcirco factum sit, ut iisdem honoris et grati animi significationibus, una cum Petro, tamquam Romanae ecclesiae conditor Paullus appellatus sit; hoc tamen non ostendit, illum etiam simul cum Petro proprium Romanae Urbis Episcopum fuisse.

Certe Romanorum Pontificum catalogorum veterum auctoritate, et scriptorum testimonio, qui ad Romanorum Pontificum seriem ac successionem pro catholicae doctrinae defensione provocare consueverunt, eorum denique tanto numero, tantaque gravitate praestantium qui Romani Episcopi sedem, D. Petri sedem appellarunt, et Pontifices Romanos, heredes Petri esse perpetuo affirmaverunt, efficitur, cum Petro Paullum Urbis Romae Episcopum eodem tempore non fuisse.

Praeterea monumenta quae habentur de schismate a Novatiano in Romana ecclesia excitato quando Cornelius electus est; testimonia scriptorum quae exstant de Liberii ad Urbem reditu, ac de Felicis discessu, qui Liberio in exsilium pulso, se veluti Pontificem in Urbe gesserat, satis clare demonstrant, apud Romanos persuasionem fuisse, ut in una eademque Ecclesia duo simul Episcopi esse non possint. Denique hanc Ecclesiae Romanae sententiam fuisse ab omni antiquitate, inter cetera evincit Melchiadis Romani Pontificis agendi ac decernendi ratio ab eo adhibita, postquam de Donatistarum causa iudicavit, quam agendi et decernendi rationem tantopere laudat Augustinus. Etenim, durante dissidio, persaepe evenerat, ut in una eademque civitate duo Episcopi constituerentur. Melchiades igitur ad pacem stabiliendam, decrevit inter duos eiusdem civitatis ab utraque parte ordinatos Episcopos illum debere Episcopatum retinere, cuius electio prior fuisset, nullo discrimine posito, utrum a Catholicis, an vero a Donatistis prior ista electio facta esset. Is autem, qui posteriori tempore electus esset, vel a catholicis is, vel a Donatistis electus tandem fuisset, ad aliam ecclesiam gubernandam destinatus est.

Animadverto tamen, eos, qui sententiam istam defenderunt de Paullo in Romano Episcopatu gerendo Divi Petri collega, nihil habere commune cum iis, qui, considerata ratione primatus, Paullum Petro parem constituerunt. Est enim omnibus cognita propositio ab Innocentio X anno 1647 tamquam haeretica condemnata, qua affirmetur « omnimoda aequalitas » inter S. Petrum et S. Paullum » sine subordinatione et subiectione » S. Paulli ad S. Petrum in potestate » suprema, et in regimine universa- » lis Ecclesiae. »

CAPUT VIII.

DE RR. PONTIFICIBUS DIVI PETRI PROXIMIS SUCCESSORIBUS.

Pertinet ad Romanae Ecclesiae origines agnoscendas aliquid statuere de Pontificibus maximis, qui Divo Petro proxime successerunt. Eruditam habet de ea re dissertationem Petrus Constantius praemissam Romanorum Pontificum epistolis a se editis. Nos haec breviter afferemus.

Veteres Ecclesiae scriptores haec memoriae prodiderunt de iis, qui proxime Petro suffecti sunt. Eusebius H. E. l. 3, c. 4 inquit: « Post Paulli et Petri martyrium primus Romanorum Ecclesiae Episcopatum Linus sortito cepit. » Irenaeus autem Lugdunensium Episcopus saeculo II, l. 3 adversus haereses c. 3 ait: « Fundantes igitur et instruentes B. Apostoli Ecclesiam, Lino Episcopatum administrandae ecclesiae tradiderunt: succedit autem ei Anacletus; post eum tertio loco ab Apostolis Episcopatum sortitur Clemens, qui et vidit Apostolos, et contulit cum eis. » Auctoris carminum contra Marcionem nota sunt verba, « qua cathedra Petrus sederat, maximam Romam primum iussisse Linum sedere. » Eundem Linum primo loco Petro in Romano Episcopatu gerendo suffectum fuisse tradiderunt Optatus Milevitanus, aliique veteres scriptores omnes, eademque sententia fuit auctorum veterum Romanorum Pontificum catalogorum, cum in iis omnibus primo post Petrum loco Linus referatur.

Haec sunt omnino perspicua, ac prorsus cuilibet ostendere debent quis primus Petro successerit: neque existimari debet his Tertullianum repugnare, qui lib. de praescriptionibus c. 32 obiiciens Apostolicae Ecclesiae auctoritatem, referens Episcoporum successionem, qui Ecclesiae Romanae

praefuerant, Linum et Cletum praeterit, et Clementem tantummodo memorans, eum a Petro ordinatum dicit. « Edant ergo, inquit eo loco Tertullianus, origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem, et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiae Apostolicae census suos deferunt, sicut Smyrnaeorum Ecclesia Polycarpum ab Ioanne collocatum refert, sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum itidem, perinde utique et ceterae exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatu constitutos Apostolici seminis traduces habeant.» Non, inquam, hic Tertulliani locus ita est accipiendus, perinde quasi sequatur, eius sententiam fuisse, Petro Clementem primo loco suffectum esse.

Nam quemadmodum ex verbis paullo ante recitatis manifestum est, Tertulliani institutum non postulabat, ut eum Pontificem nominaret, quem Petro proxime successisse arbitrabatur; demonstrandum enim assumpserat, Romanam Ecclesiam, ceterasque Ecclesias ab Apostolis constitutas ita posse census Episcoporum suorum afferre, ut suam ab Apostolis originem manifestarent. Hoc autem de Ecclesia Romana satis assequebatur, eo Pontifice commemorato, qui licet Petro proxime non successisset, ab eo tamen ordinatus, et designatus erat. Deinde Tertullianus Clementem a Petro ordinatum ait, non vero dicit Petro in Romano Episcopatu proxime suffectum esse. Non repugnat igitur Tertullianus ceteris, quos commemoravimus, vetustissimis scriptoribus, qui Romanorum Pontificum seriem singillatim referentes, ita de Lino loquuntur, ut veluti exploratum ab omni antiquitate fuisse demonstrent, eum revera Petro, primo loco, in Romano Episcopatu subrogatum esse.

Lino mortuo, quis Romanus Pontifex electus sit, nunc considerandum est. Est enim inter eruditos agitata quaestio, Cletusne, seu Anacletus Lino, an vero Clemens Lino ipsi successerit. Quo loco ut ostendam Cletum Lino proxime successisse, Eusebii verba referam lib. 3 H. E. c. 16- cuius, cum in ceteris rebus ad historiam Ecclesiasticam pertinentibus, tum praecipue in chronologia veterum Romanorum Pontificum afferenda, permagna est auctoritas, recte id animadvertente Henrico Valesio in eiusdem notis. « Per id tempus, ait Eusebius loc. cit., Clemens Romanam adhuc gubernabat Ecclesiam, qui post Paullum et Petrum Episcopalis illius dignitatis gradum obtinuit: Linus primus erat, secundus Anacletus. » Attulimus paullo superius Irenaei Lugdunensis Episcopi locum hoc idem asserentis. Auctor autem carminum contra Marcionem ait, post Linum *Cletum suscepisse gregem ovilis*. Ut Hieronymum vero, Rufinum aliosque praeteream, Epiphanius haeresi 27 inquit: « Romanorum Pontificum ista successio est: Petrus et Paulus, Linus et Cletus, Clemens, Evaristus, etc. »

Habemus denique canonem missae, in quo Romanorum veterum pontificum nomina hoc ordine recitantur *Lini, Cleti, Clementis*. Cum vero ex veteribus E. R. diptychis ea nomina relata sint in missae canonem, cumque Romanorum Pontificum nomina in priscis Romanae Ecclesiae diptychis eo ordine legerentur, quo illi Romanum Pontificatum gesserant, gravissimum ex eo canone deducitur argumentum ad ostendendum, quis habendus sit veluti proximus Lini successor. Licet igitur Augustinus in epistola ad Generosum, et Optatus lib. 2 adversus Parmenianum c. 3, Clementem proxime post Linum commemorent; sententia tamen, qua Cletus Lino sufficitur, cum vetustioribus innitatur pluribusque testimoniis, tenenda est.

Non est denique praetereunda illa

controversia, utrum Cletus et Anacletus unus idemque Pontifex sit existimandus. Sequemur nos sententiam, quam Valesius tenet in notis ad Eusebium, Tillemontius adnot. 5 in vitam S. Clementis, Constantius in dissertatione citata; ac referemus, qua de causa verisimilius omnino sit, Cletum et Anacletum unum eundemque Pontificem fuisse.

Duos profecto Pontifices illos fuisse habetur ex catalogo Liberiano, atque id traditur etiam ab auctore Carminum contra Marcionem. Certum est vero in catalogo illo, licet magnam obtineat apud eruditos aestimationem, errorem tamen aliquem reperiri in Romanis Pontificibus referendis, qui a Petro ad Pontianum vixerunt. Auctor autem carminum contra Marcionem, licet antiquitatis laude commendetur, non is tamen est, ut eius testimonium gravius esse possit Irenaeo, Eusebio, Epiphanio, Optato, Augustino, ceterisque pluribus. quos manifestum est existimasse, Cletum et Anacletum unum prorsus eundemque Pontificem fuisse.

Sane ex adductis superius Irenaei, Eusebii, Epiphanii, Augustini, Optati locis, patet, eos, Romanorum Pontificum nomina et seriem recensentes, vel Cletum, Anacleto praetermisso, vel Anacletum, praeterito Cleto, commemorasse. Caius vero Romanae Ecclesiae Presbyter, qui apud Eusebium H. E. l. 5, c. 8 affirmat, *Victorem tertium decimum a Petro fuisse Romanum Episcopum,* manifeste tradit, ea se sententia fuisse, ut arbitraretur, Cletum et Anacletum unum eundemque Pontificem iudicandum esse: si duos enim inter se distinctos Pontifices illos existimasset Caius, profecto Victorem non decimum tertium, sed decimum quartum a Petro numerasset. Constat igitur, sententiam, qua unum eundemque Pontificem Cletum et Anacletum fuisse ponitur, multo maiori et longe graviori veterum scriptorum numero inniti, quam illam, qua duos Pontifices Cletum et Anacletum fuisse traditur.

CAPUT IX.

DE SIMONE MAGO ET GNOSTICIS.

Vel a prima Ecclesiae aetate non defuerunt improbi homines, qui doctrinam ab ea, quam Christus tradiderat, alienam spargere conati sunt. Eorum princeps habetur Simon magus gente Samaritanus, quem communi suffragio Ecclesiae Patres universae familiae Gnosticae atque omnium haereticorum ducem et magistrum appellarunt. Philosophiae operam ille dederat Alexandriae, ac deinde fraudibus suis magnam sibi nominis celebritatem comparaverat. De eius sceleribus veteres scriptores loquuti sunt, et constat, illum sine pietate baptismum suscepisse, Spiritum sanctum pecunia possideri posse existimasse; et graviter a Divo Petro ob eam rem reprehensum esse, actorum Apostolicorum liber cap. 8 diserte tradit.

De se multa iactabat absurde Simon magus, quae Irenaeus Lugdunensis Archiepiscopus lib. 1 adversus haereses c. 23 recenset, scilicet, « semetipsum esse, qui inter Iudaeos » quidem quasi Filius apparuerit; in » Samaria autem quasi Pater de- » scenderit; in reliquis vero genti- » bus quasi Spiritus sanctus adven- » taverit: esse autem se sublimissi- » mam virtutem, hoc est, eum, qui » sit super omnia pater, et vocari » quodcumque eum vocant homines.» Haec vero sunt adeo absurda, ut neque cum doctrinae capitibus, quae ille tradebat, videantur posse cohaerere. Nam cum, licet obscura sint

quae de eius dogmatibus habemus, tamen certum esse appareat, discrimen inter se et Deum ab eo positum fuisse, non satis patet quomodo ista de se affirmare potuerit.

Iure Moshemius in comment. *De rebus Christianorum ante Constantinum* §. 67 neminem inter veteres scriptores de Simonis magi erroribus loquutum clarius esse contendit, quam id fecerit auctor *recognitionum,* quae Clementi tribuuntur. Is enim, quo loco D. Petrum cum Simone disputantem inducit, quae de ceteris breviter, et obscure tradita de eo sunt, non mediocriter illustrat. « Neque causae aliquid video, subdit Moshemius, cur fides ei dogmata Simonis explicanti haberi nequeat, cum, et ea vixerit aetate, qua secta hominis nondum esse desierat, et nihil afferat, quod cum ceterorum dictis magnopere pugnet, et nullam plane causam mentiendi habuerit.»

Eo autem referuntur quae Simon docebat, quaeque cum Gnosticis omnibus erant communia, ut duplex principium, bonum et malum induceret, *aeonum,* sive naturarum sui similium, Deum magnum numerum creasse affirmaret, materiam per se pravam esse, orbis conditorem malum, animos, veluti inclusos carceri esse corporum ex vitiosa et mala materia coagmentatorum, Deum valde misereri animorum sortis, et in votis habere ut ad *Pleroma,* seu domicilium suum illos perferre possit; animos praeterea in alia corpora migrare, antequam, spretis mundi conditoribus, ad ipsum supremum Deum cogitatione motuque se efferant; leges denique, quibus populi orbem terrarum incolentes obtemperant, atque ipsam mosaicam legem a mundi conditore ideo sancitas esse, ut animas corpore detentas in officio contineant, atque illas propterea mentes, quibus summus Deus innotuerit, impune eas contemnere posse.

Haec ideo commemorata hinc sunt, non modo ut quid Simon magus doceret, breviter significari possit, sed etiam ut quae apud Gnosticos fuerunt praecipua, non praetermitterentur.

Proditum memoriae est, Simonem summa dementia ac petulantia promisisse aliquando, se per aëra volaturum ut divinam virtutem suam confirmaret; sed SS. Petri et Paulli precibus ad Deum fusis, ne populus deciperetur, factum esse, ut ille praeceps lapsus sit, et vulneribus in eo lapsu acceptis miserrime obierit. Legendus de ea re Tillemontius tom. 1 historiae in vita S. Petri, Fogginius, Natalis Alexander in Historia Ecclesiastica saec. I.

Nonnulla tamen videntur dicenda de ea, quam Iustinus Martyr primum in apologia prima, tum eundem Iustinum sequuti, Irenaeus adversus haereses lib. 1, cap. 23; Tertullianus in apologetico cap. 13, aliique tradiderunt, scilicet, Claudii Imperatoris et Senatus Romani auctoritate in Tiberis insulam statuam Simoni mago positam fuisse cum hac inscriptione: *Simoni Deo Sancto.* Nam plures eruditi viri reperti sunt, qui historiae huius veritatem probari non posse affirmarunt. Eos refert inter ceteros Walchius in hist. Saeculi I, cap. 1, pag. 5.

Haec autem argumentorum summa est, quibus ii adducti sunt ut hac ratione iudicarent. Nemo, videlicet, sibi potest in animum inducere, Imperatoris et Senatus Romani auctoritate statuam homini Samaritano decretam esse, cum Iudaei et Samaritani a Romanis valde contemnerentur, et magicas artes, quae ponendae huius statuae causam attulerint, Romani despiciendas esse existimarent. Neque Simon aliquid gesserat, quod statuae honore dignum haberi posset; neque Claudius, qui neminem in Deorum numerum retulit, et sibi viventi eiusmodi honorem tribui vetuit, id in homine, qui obscuro genere natus erat, pati voluisset. Est denique hoc incredibilius, si vera iudicari illa narratio

debeat, quae Simonis volatum, lapsum, interitumque continet.

Quod spectat vero ad Iustini testimonium, a quo reliqui historiam istam acceperunt eruditi viri, qui de eius veritate non assentiuntur, ideo ista retulisse Iustinum arbitrantur, quod latini sermonis et rerum Romanarum haud ita peritus, de Simone mago acceperit, quod de illo non erat explicandum. Etenim anno 1574 in insula Tiberis quaedam marmorea basis detecta est, cui statua quondam fuerat superposita; basi autem marmoreae inscripta erant verba: *Semoni Sanco Deo Fidio sacrum*. Erat autem apud Sabinos *Sancus Deus*, qui pactis et foederibus sanciendis praeerat, quique *Deus Fidius* etiam appellabatur a *fide* iuranda, prout et Romani iuramentum iurare solebant. Iam vero fuit valde facile, Iustinum de *Simone Sancto* retulisse, quae *Semonem Sancum* respiciebant.

CAPUT X.

DE PERSEQUUTIONE, QUAM SUB TRAIANO IMPERATORE CHRISTIANI PASSI SUNT.

Quoniam ex permagno Martyrum Christianorum numero, qui primis ecclesiae saeculis pro religione Christiana sunt suppliciis affecti, et morte mulctati, gravissimum proficiscitur ad religionis ipsius divinitatem ostendendam argumentum; optimum factu est, in eorundem Martyrum magna copia asserenda prosequi, et de iis agere, qui sub imperatoribus Traiano, Hadriano, Antonino Pio, et Marco Aurelio religionis causa vexationem pertulerunt.

Nam in ea re pertractanda facile demonstratur quantopere a vero abhorreat Dodwelli sententia, cum in superius memorata XI dissertatione Cyprianica, paucos omnino, his etiam principibus summam rerum in Imperio Romano obtinentibus, Martyres fuisse contendit. Non est quod hic scriptores, qui de persequutionibus his tuse agunt, iterum commemorem: manifestum est enim eos esse, qui de dissertatione illa penitus refellenda laborarunt, quorum a nobis mentio facta est, cum de Neronis crudelitate loqui aggressi sumus.

Itaque primum de calamitate loquamur, quam sub Traiano Christiani passi sunt. De illa Dodwellus disputans affirmat, et paucos Martyres necatos esse, et ea supplicia Traiano tribui non debere, sed vel superiorum imperatorum edictis, vel gentium moribus, qui vim legis fuerant consequuti. Verum his opponimus primo loco testem ad Dodwellum confutandum in ea re gravissimum, scilicet, scriptorem actorum martyrii S. Ignatii Antiocheni, illorum temporum aequalem. Is igitur n. 2, « Post haec, inquit, Traiano nono imperii anno insolescente ob victoriam, quam adversus Scythas et Dacos, et alias multas gentes reportaverat, et existimante, ad universam subiectionem sibi adhuc deesse religiosum Christianorum coetum, atque comminante, nisi daemonum cultum cum omnibus gentibus amplecterentur, persequutionem passuros, timor omnes pie viventes vel sacrificare, vel mori cogebat. »

Ac multos quidem Christianos revera ad extremum supplicium deductos, perdurante illa tempestate, fuisse, colligi etiam potest ex epistola S. Polycarpi Smyrnensis episcopi n. 9 ad Philippenses. « Rogo, inquit, vos omnes, ut obediatis verbo iustitiae, et omnem patientiam exerceatis, quam oculis ipsis vidistis non modo in beatis Ignatio, et Zosimo, et Rufo, sed etiam in aliis, qui ex vobis sunt, etc. » In Palaestina quo-

que quaestiones institutas, et animadversum in Christianos fuisse, si cetera argumenta deessent, id aperte declarat, quod Hegesippus narrat apud Eusebium H. E. lib. 3, cap. 32, Simeonem, scilicet, Cleophae filium, Hierosolymitanum Episcopum, virum 120 annos natum, iugulatum fuisse, tum quod de Davidico genere natus esset, tum quod Christianam Religionem profiteretur. Eandem crudelitatem in Asia proconsulari Arrius Antoninus Traiano Imperatore exercebat; de quo Tertullianus ad Scapulam Africae Proconsulem c. 5 ait: « Arrius Antoninus in Asia cum persequeretur instanter, illius civitatis Christiani ante tribunal eius se manu facta obtulerunt; cum ille paucis duci iussis, reliquis ait: O miseri, si cupitis perire, praecipitia aut restes habetis. »

Notus denique est, ut cetera praetteream, Plinii Secundi ad Traianum epistolae locus lib. 10, ep. 97; in quo de iis, qui tamquam Christiani deferebantur, Imperatori scribebat se quaestionem instituisse, supplicium minitatum esse, *perseverantes duci iussisse,* verum *sibi visam esse rem dignam consultatione, maxime propter periclitantium numerum.* Nota praeterea est Traiani ad Plinium responsio, qua statuit, conquiri Christianos a provinciarum praefectis non oportere, at esse eos ab illis puniendos, si accusati, Christianos se esse minime negassent, Diisque supplicare recusassent.

Hanc autem Imperatoris responsionem sin augere, imminuere Christianorum calamitatem non debuisse manifestum est, cum homines essent plurimi in Christianos male animati, qui eorum nomen deferre non dubitarent. Profecto Tertullianus de eo rescripto iure queritur Apologetici cap. 2, inquiens: « O sententiam necessitate confusam! Negat inquirendos ut innocentes, et mandat puniri ut nocentes. Parcit, et saevit; dissimulat, et animadvertit. Quid temetipsum censura circumvenis? Si damnas, cur non et inquiris? Si non inquiris, cur non et absolvis? » Eusebius autem H. E. lib. 3, c. 33 de hoc eodem Traiani rescripto loquens ait: « Quo facto persequutionis incendium quod nobis violentius incumbebat, restinctum quidem aliqua ex parte videbatur; iis tamen, qui nos maligne et fraudulenter aggredi vellent, non minor opportunitas suppetebat. Alibi populo, alibi praesidibus provinciarum adversus nostros insidias comparantibus. »

Post haec, quae attulimus, facile intelligitur, quantopere Dodwellus decipiatur. Nam inde sequitur, in ceteris etiam Romani Imperii provinciis Christianos, Imperatore Traiano, vexatos esse. Neque enim Plinio et Antonino aequiores et mansuetiores erant reliqui provinciarum praefecti: neque ulla causa afferri potest cur Christiani in Palaestina, Bithynia, et Asia proconsulari vexarentur, reliqui vero ab eiusmodi calamitate essent immunes. Iam vero si in universo Romano imperio Christiani vexati, et extremo supplicio affecti sunt, Traiano imperante, qui ex historiae monumentis, non vero ex praeiudicatis opinionibus de factorum veritate disputare velit, numquam adducetur, ut Dodwello concedat exiguum Martyrum fuisse numerum pro Religione eo tempore necatorum, praesertim cum, quamdiu Traianus imperavit, Christianorum vexandorum finis factus numquam fuisse videatur.

Neque video quid probet ad Martyrum paucitatem ostendendam, persequutionem, de qua loquimur, non Traiano ipsi, sed vel veterum Imperatorum legibus, vel gentium moribus tribui oportere. Illud enim defendimus, sub Traiano Imperatore exiguum Martyrum numerum non fuisse; quod ex monumentis, quae attulimus, patere contendimus. Etsi vero fateamur, latas a Traiano contra Christianos leges non esse, potest tamen vexatio, qua eo imperante illi afflicti sunt, Traiano ipsi tri-

bui, in quo summa rerum potestas erat, quique si non ex suis, tamen ex legibus iam ante contra Christianos latis, in eos agi patiebatur. Deinde quae commemoravimus de Martyribus Antiochenis, ostendunt certe imperatorem crudeliter prorsus Christianos Antiochiae tractasse, et magnam afferunt suspicandi causam, eum alibi quoque eadem crudelitate se gessisse. Rescriptum denique ad Plinium Secundum argumento est, eius auctoritate factum esse, ut saltem Christiani, quorum nomen deferebatur, acerbissime punirentur.

CAPUT XI.

DE PERSEQUUTIONE CHRISTIANORUM SUB HADRIANO IMPERATORE.

Conatur Dodwellus Hadrianum Imperatorem omni persequutionis crimine immunem fuisse ostendere; inquit enim diss. XI parag. 28, « Omnium loco, id unum esse poterit, cum rescriptorum in favorem Christianorum editorum meminerint scriptores Christiani ab Hadriani aetate proximi, neminem tamen habeamus, qui edictorum meminerit persequutionem decernentium. » Nos vero etsi Dodwello concedamus, legem, edictumque nullum Hadrianum contra Christianos tulisse, negamus tamen, eum Christianos numquam persequutum esse. De re enim ipsa, et non de edicto disputamus, neque putamus quemquam sibi persuadere posse, veram persequutionem edicto novo, non autem cruciatibus, vexationibus et morte illata contineri.

Profecto Quadratus vir doctissimus, et Aristides homo pari eruditione praeditus, orationes pro sui ceterorumque Christianorum defensione Hadriano obtulerunt. Non erat autem cur hi defendendos Christianos apud Imperatorem susciperent, si iisdem eo tempore licuisset tranquille vivere. Dodwellus sentit huius argumenti vim: quare ut illo se expediat, ad arcendam quidem persequutionem, non vero ad sedandam scriptos illos libros esse contendit. At necesse esset id omnino evincere, ac demonstrare, eos homines Hadrianum precatos esse, non ut vexandorum Christianorum finis fieret, sed ne pateretur in eosdem persequutionem excitari.

At vero alia prorsus ratione iudicandum de ea re esse possumus ostendere. Nam H. E. lib. 4 c. 8 commemorantur ab Eusebio litterae ad Hadrianum a Sereno Graniano Asiae Proconsule scriptae, quibus Imperatorem hortatur, ut vexationem prohibeat inquiens: « Iniquum videri, Christianos, nullo obiecto crimine, tumultuosis vulgi clamoribus gratificandi studio, indicta causa, occidere. » Commotus his litteris Hadrianus tandem aliquando adductus est ut rescriptum daret ad Minucium Fundanum Graniani successorem, quo vetabatur ne Christiani, incognita causa, aut nullius criminis rei damnarentur. Illud rescriptum Iustinus Martyr post primam suam apologiam retulit, et Eusebius H. E. lib. 4, c. 9; illudque Hadrianum non solum ad Minucium Fundanum, sed etiam ad plures alios provinciarum praefectos misisse colligitur ex verbis Melitonis Sardiensis in Asia Episcopi, in apologia ad Imperatorem Marcum Aurelium apud Eusebium loc. cit. cap. 26 qui ita Imperatori illud Hadriani rescriptum obiecit: « Inter quos avus tuus Hadrianus, cum aliis pluribus, tum Fundano Asiae proconsuli litteras dedit. » Quid vero ista demonstrant nisi vexationem contra Christianos, Hadriano Imperatore, revera adhibitam fuisse, et Christianos non de arcenda persequutione, quae immineret, sed de avertenda, ac sedanda calamitate laborare debuisse? Quod si, quemadmodum superius ostendimus, Hadria-

nus rescripto illo suo vexationem, qua Christiani affligebantur, sedavit dumtaxat, et calamitatem qua nostri afficiebantur, tantummodo sustulit, habet Dodwellus, etiamsi Imperator hoc rescriptum ediderit, inde tamen non sequi, eum numquam persequutum esse Christianos.

Quid vero si possumus factis ipsis ostendere, et nonnulla monumenta proferre, ex quibus manifesto apparet, Christianos sub Hadriano religionis causa extremo supplicio affectos esse? Patebit ita, quam falso Dodwellus affirmaverit diss. §. 32, nullum Martyrem sub Hadriano necatum in probatae fidei monumentis reperiri, si Telesphorus Romanus Pontifex excipiatur, quem verisimile putat Martyrem eo imperatore obiisse. Atqui apud Aringhum lib. 3 Romae subterraneae cap. 21 habemus inscriptionem ex coemeterio Callisti, quam affert etiam Mamachius opere toties citato lib. 2, § 4: eaque posita est *cum lacrymis, et metu* a Christianis Mario cuidam adolescenti, militum duci, qui, Hadriano Imperatore, Religionis causa necatus fuit. Haec autem sunt illius inscriptionis verba: « Tempore Hadriani Imperatoris Marius adolescens dux militum, qui satis vixit, dum vitam pro Christo cum sanguine consumpsit, in pace tandem quievit: benemerentes cum lacrymis, et metu posuerunt I. D. VI. »

Praeterea Iustinus ipse argumentum nobis grave suppeditat de Christianis, qui Religionis odio, Hadriano Imperatore, necati sunt. Nam extra controversiam est, eum Christianae religioni nomen dedisse, cum Hadrianus imperabat. Atqui Apolog. 2 auctor nobis est Iustinus, permotum se fuisse ad Christianam religionem suscipiendam, praecipue ob eam constantiam, qua supplicia, et mortem ipsam perferre videbat eos, qui Christum venerabantur. « Nam et ego, inquit, Platonis Philosophiam amplexus fueram, cum Christianos calumniis appeti audirem, eosque adversus mortem, et cetera, quae formidabilia habentur, fortes atque intrepidos viderem, sic apud me reputaram, fieri non posse, ut iidem vitiis ac voluptatibus dediti essent. »

Exscribenda denique essent re de qua agimus fusius demonstrandae causa, integra martyrii S. Symphorosae, et septem filiorum eius acta, quae edidit Ruinartius, quaeque sincera omnino esse eruditi docent. Ex his enim actis primo loco habemus, Getulium Symphorosae virum, eiusque fratrem Amantium iam pro Christo ab Hadriano interfectos fuisse, cum Symphorosa septemque eius filii crudelissime occisi sunt. « Vir meus Getulius, ita Hadrianum Symphorosa alloquuta est, cum fratre suo Amantio, tribuni tui cum essent, pro Christi nomine passi sunt diversa supplicia, ne idolis consentirent ad immolandum, et quasi boni athletae daemones tuos moriendo vicerunt... Tu existimas, quod possit animus meus aliquo terrore mutari, cum ego desiderem cum viro meo Getulio, quem pro Christi nomine interfecisti, requiescere? » Deinde ex memoratis actis patet, Hadrianum, cum palatium suum in villa Tiburtina lustrare vellet, conatum esse Symphorosam filiosque illius perducere ad sacrificia Diis facienda, verum singulari animi virtute id denegantes Symphorosam et filios, Crescentem, Iulianum, Nemesium, Primitivum, Iustinum, Stracteum, Eugenium teterrimo acerbissimoque mortis genere affecisse. Tandem ex ea martyrii narratione colligitur, magnam per illud tempus, quo haec contigerunt, fuisse Christianorum calamitatem, et plures Martyres interfectos esse. « Post haec quievit persequutio, legitur n. 4, anno uno et mensibus sex, in quo spatio omnium Martyrum honorata sunt corpora, et constructis tumulis condita cum omni diligentia, quorum nomina descripta sunt in libro vitae. »

CAPUT XII.

DE PERSEQUUTIONE CHRISTIANORUM TEMPORE ANTONINI PII IMPERATORIS.

Negari non potest Christianos persequutionem passos esse etiam sub Antonino Pio Hadriani ex adoptione filio, eiusque in imperio successore. Etsi vero Antoninus singulari clementia, mansuetudine, animique erga omnes facilitate praestaret; Christianis tamen, eo imperante, non modo non licuit in tranquillitate vivere, sed gravis et diuturna calamitas ferenda fuit. Neque ea quidem locis aliquibus se continuit, sed late in universo Imperio Romano Christianos perculit.

Nam Iustinus in dialogo cum Tryphone, « Dum gladio, inquit, percutimur, et in crucem agimur, et bestiis obiicimur, et vinculis, et igne, et tormentis omnibus plectimur, excruciamur... Colligit (Deus) angustiis affectam (ecclesiam), hoc est orbe terrarum eiectam, quantum in vobis (Iudaeis), et cunctis aliis mortalibus est situm, quandoquidem non solum ex possessionibus suis Christianorum quisque exigitur, verum etiam in mundo toto nemini eorum vivere permittitur. » Tantam hanc vero vexationem Christianos Antonini ipsius auctoritate passos esse demonstrant quae idem Iustinus habet apolog. 1, in qua de Imperatore, tamquam de huius calamitatis auctore queritur. « Accusamur enim, quod Christiani simus: bonum autem odio haberi contra iustitiam est. Deinde vero, si quis ex his, qui accusantur, negatorem se praebeat, verbo negans se esse Christianum, dimittitis, tamquam nihil habentes, quod eum peccare arguatis: si quis autem confiteatur, poenam ob ipsam confessionem irrogatis... Quid haec igitur sibi volunt? Erga nos, qui nihil mali facturos, nec impia illa opinaturos pollicemur, non iudicia examinatis, sed affectu a ratione alieno, ac malorum daemonum flagello agitati, animadvertere indicta causa parvipenditis. » Ita denique eadem apologia Imperatorem alloquitur, eidemque gravia mala minitatur, nisi vexandorum Christianorum finem faciat. « Atque haec quidem si vobis rationi et veritati consentanea videntur, in pretio habete: sin autem nugae vobis videntur, ut nugas contemnite, nec ut adversus hostes, ita adversus homines innocuos mortem decernite. Vobis enim praedicimus, vos Dei iudicium non evitaturos, si in iniustitia permaneatis; ac nos exclamabimus. »

Post haec quae ex Iustino attulimus, facile est intelligere quantus fuerit Christianorum numerus sub Antonino interfectorum. At id etiam demonstrari potest ex nonnullis inscriptionis verbis, quae in coemeterio Callisti reperta fuit, quaeque refertur ab Aringho l. 3, c. 22 Romae subterraneae. Posita illa est Alexandro cuidam Martyri, qui ab Antonino Religionis causa interfectus fuerat. Post narratam vero Alexandri mortem, ita inscriptionis auctor prosequitur: « O tempora infausta, quibus inter sacra, et vota, ne in cavernis quidem salvari possumus: quid miserius vita, sed quid miserius in morte, cum ab amicis, et a parentibus sepeliri nequeant. »

Denique hoc eruitur ex temporis diuturnitate, qua illa calamitas perduravit. Nam valde probabilis sententia est Antoninum in ipso imperii sui initio Christianos vexare coepisse: vexatio autem post scriptam primam a Iustino apologiam finem habuisse videtur. Ea vero, ipso Iustino auctore, anno post Christum natum 150 scripta est. Hic porro annus vel incidit in 13 Antonini annum, vel saltem non multum ab eo

distat, quaecumque tandem de anno Christi natali Iustini sententia fuerit. Ad 13 igitur Antonini imperii annum persequutio perduravit. Utrum vero post ea omnia, quae commemoravimus, non apparet, ingentem, Antonino Pio imperatore, Martyrum numerum fuisse, hominis cuiuslibet est intelligere, ex rei consideratione ac ex monumentis de factis disputare cupientis.

CAPUT XIII.

DE PERSEQUUTIONE CHRISTIANORUM SUB MARCO AURELIO IMPERATORE.

De Marco Aurelio agens Dodwellus contendit, parvum, eo imperatore, numerum Christianorum fuisse qui pro Christo vexati sint, et supplicia Christianis illata Imperatori adscribi minime debere. Utrumque autem falsum esse brevi possumus demonstrare, licet illud unum disputationis nostrae institutum requirat, ut, scilicet, adversarium Martyrum paucitatem docere conantem refellamus.

Non modo Ruinartius, sed fere eruditus quisque fatetur, genuinam esse epistolam ab Ecclesia Smyrnensi ad universam Asiae Ecclesiam de Polycarpi Smyrnensis Episcopi eiusque sociorum martyrio scriptam. Atqui in ea epistola non solum Polycarpi et duodecim eius sociorum martyrium commemoratur, sed ostenditur etiam, plures alios martyres iisdem fere temporibus, Religionis causa, variis ac inter se diversis suppliciorum generibus fuisse vexatos. Ita quidem Smyrnenses Christiani in memorata epistola loquuntur: « Beata quidem, et generosa fuerunt cuncta martyria, utpote quae iuxta voluntatem Dei facta fuerunt: . . . nam eorum strenuitatem, et tolerantiam, et erga Dominum charitatem, quis non admiretur? Qui flagris quidem adeo lacerati, ut ad intimas usque venas et arterias corporis compago spectaretur, tamen sustinuerunt . . . Frigidus ipsis videbatur immanium carnificum ignis . . . . Simili etiam modo qui ad bestias erant condemnati, graves cruciatus diu etiam pertulerunt.

Praeterea Melito Sardiensis apologiam pro Christianis, cum iidem tanta hac calamitate opprimerentur, Imperatori M. Aurelio tradidit. Eusebius H. E. l. 4 c. 26 eius apologiae loca aliqua affert, in quibus auctor Melito est, erga publicos quidem hostes agi crudelius non posse, ac erga Christianos ageretur. « Persequutionem, inquit, patitur piorum hominum genus novis per Asiam decretis exagitatum. Impudentissimi namque delatores, et aliarum opium cupidi ex imperialibus edictis occasionem nacti, palam diu noctuque grassantur, spoliantque homines innoxios. . . . et nos libenti animo eiusmodi mortis praemium ferimus. Unum a te petimus, ut cum huiusmodi pertinacia praeditos homines per te ipse prius examinaveris, tum deinde pro tua aequitate statuas, utrum supplicio ac morte affici, an salvi et securi degere mereantur. Sin vero illud consilium atque edictum plane inauditum, quod neque adversus barbaros hostes sanciri decuerat, numquam a te profectum est, obsecramus multo magis, ut nos huiusmodi latrocinio diutius vexari non permittas. »

Haec quae de Asia diximus non ita sunt intelligenda, perinde quasi ibi solum Christiani sub Marco Aurelio vexati sint: vel in ipso enim Europae sinu atra tempestas Christianos eo Imperatore afflixit. Testis huius rei est epistola Ecclesiarum Viennensis et Lugdunensis in Gallia ad Asiae et Phrygiae Ecclesiae, cuius

auctorem S. Irenaeum fuisse plures suspicantur, quamque magna ex parte Eusebius refert H. E. l. 5 c. 1 et seqq. In illa enim, quae universa in rem nostram faceret, luculenter exponitur quam crudeliter cum Christianis ageretur, qui eas Galliarum provincias incolebant; ac ostenditur etiam, quae in illa calamitate fuerint M. Aurelii partes adversus Christianos. « Comprehendebantur, inquit, quotidie qui digni erant... adeo ut ex utraque Ecclesia (Lugdunensi et Viennensi) praestantissimi quique et quorum maxime labore atque industria res hic constitutae fuerant, simul omnes tenerentur... Inde litteris ad Caesarem datis de his omnibus, qui inclusi tenebantur, assentationem eius exspectabat... Rescriptum fuerat a Caesare ut confitentes quidem gladio caederentur, hi vero, qui negarent, dimitterentur incolumes... Cumque illos denuo interrogasset, quicumque cives Romani reperti sunt, capite truncati, reliqui traditi sunt bestiis. »

Meretur autem quae a nobis commemoretur secunda Iustini apologia, ex qua intelligitur, in urbe ipsa, et in aliis etiam R. Imperii provinciis Christianos eo tempore vexatos fuisse. Neque certe, ut arbitror, Apollinaris, Athenagorae, Miltiadis, aliorumque apologias pro Christianis haberemus, nisi ethnicorum persequutio Christianos afflixisset, qui diversas illas provincias incolebant, in quibus praeclari illi viri morabantur.

Patet vero ex his quae diximus quam diuturna fuerit calamitas, qua M. Aurelio imperante, Christiani perculsi sunt. Cum enim Polycarpi mors et Melitonis apologia ad illa tempora pertineant, quae non multo post consequuta sunt, quam M. Aurelius imperium susciperet, apparet, eum fere ab imperii sui initio Christianos vexare suscepisse. Ea vero, quae persequutionem in Gallia respiciunt, illa etiam, quae ex apologiis mox commemoratis argumenta desumi possunt, non brevem certe temporis decursum demonstrant.

Quod si vexatio haec non brevis fuit, necesse quidem non erit argumentando efficere, magnum Christianorum numerum, qui pro Religione interfecti sint, esse debuisse; praesertim cum vexatio illa in tanta locorum varietate Christianos perculerit, quantum superius docuimus. Ex iis autem quae de Ecclesia Viennensi ac Lugdunensi diximus, ex edictis etiam imperialibus, quae a Melitone Sardiensi memorantur, intelligitur quoque, M. Aurelium persequutionis crimine purgari non posse, quo inconsulto, nemo certe eius nomine edicta proponere ausus esset. Ex his igitur apparet magnum fuisse numerum Christianorum sub M. Aurelio interfectorum, et tribui has Christianorum clades M. Aurelio oportere.

CAPUT XIV.

DE LEGIONE MELITINENSI IN EXERCITU MARCI AURELII BELLUM CONTRA QUADOS ET MARCOMANNOS GERENTIS.

Exstant scriptorum veterum plura testimonia, quibus proditum memoriae est, Marco Aurelio Imperatore bellum contra Quados et Marcomannos in Germania gerente, evenisse in exercitu factum quoddam religioni Christianae imprimis honorificum, quo voluerit Deus ipsius religionis divinitatem confirmare.

Nam in eo bello, cui Marcus Aurelius ipse aderat, aliquando eo res adducta est, ut exercitus Romanus ad gravissimum periculum redactus sit. Etenim undique ab hostibus interseptus, atque in iis locis constitutus, quae aqua carebant, summa eiusdem aquae inopia ad extrema devenerat. Cum haec contigissent, ac

nullus esset sperandi locus fore, ut tanto periculo Romani liberarentur, milites Christiani qui erant in exercitus illius legione *Melitinensi*, prout eam Eusebius vocat, fusis more Christiano ad Deum precibus, eius opem imploraverunt. Deus autem his precibus exoratus est. Repente enim tanta pluviae copia habita est, ut exercitus sibi commode consulere, et omne periculum vitare potuerit. Interea vero fulminibus de caelo immissis hostes perculsi et perterriti sunt, ex qua re nomen *fulminatricis* ei legioni impositum esse testimonium aliquod veterum scriptorum habet. Continetur etiam in huius facti narratione, imperatorem hac de causa mitiorem erga Christianos evasisse, et in Christianorum gratiam litteras ad Senatum Romanum scripsisse.

Neque vero scriptorum tantummodo Christianorum testimonio relatum est, in Marci Aurelii exercitu haec evenisse, sed scriptores etiam a Christiana religione alieni tantam hanc pluviam exercitum liberasse narrant ea ratione, ut praeter omnem spem impetrata sit. Itaque de facto illi quoque conveniunt, etsi, prout manifestum est, non Christianorum Deo rem tribuant, sed eventum explicent modo opinionibus suis consentaneo.

Tertullianus quidem, qui floruit non multos post annos a tempore quo res gesta fuisse traditur, in apologetico cap. 5, hoc est in eo libro quem pro religionis Christianae defensione magistratibus praesertim provinciarum legendum scripsit, ea quae diximus evenisse, summa confidentia commemorat. Haec autem a Tertulliano adhibita agendi ratio talis est, ut ostendat, notam atque omnibus cognitam facti veritatem esse debuisse, nisi in eo libro scribendo, ex quo tantam Christianorum utilitatem sperabat, diligentiam necessariam non attulisse credatur. Iam vero ita loquitur eo in loco Tertullianus: « At nos e contrario edimus » protectorem, si litterae Marci Au» relii gravissimi imperatoris requi» rantur, quibus illam Germanicam » sitim, Christianorum forte militum » precationibus impetrato imbri, dis» cussam contestatur. » In libro etiam ad Scapulam c. 4 eadem prorsus usus rei celebritatis notitia, habet: « Marcus quoque Aurelius in Germa» nica expeditione Christianorum mi» litum orationibus ad Deum factis, » imbres in siti illa impetravit. Quo» modo non geniculationibus et ieiu» nationibus nostris etiam siccitates » sunt depulsae? »

Quod Tertullianus duobus istis in locis, id etiam Eusebius tum in Historia Ecclesiastica, tum in chronico commemorat, atque auctorem esse ait Apollinarem veterem scriptorem, ut ex fulminum iactu quibus hostes perculsi sunt, fulmineae nomen legio melitinensis assequuta sit. « Milites » legionis Melitinae, ait H. E. l. 5 c. 5 » Eusebius, quae fidei merito nunc » etiam manet, dum Marci acies ad» versus hostes ordinatur, flexis in » terram genibus, ut Christianorum » mos est, preces ad Deum fudisse » perhibentur. Cuius spectaculi novi» tate hostibus stupefactis, aliud quid» dam longe maiori dignum admira» tione accidisse narrant. Hinc qui» dem fulminum iactus, quibus ho» stium copiae in fugam versae, » atque extinctae sunt: illinc vero » imbrium vim, quibus exercitus eo» rum, qui Deum precati fuerunt, » iamiam siti periturus praeter spem » servatus est . . . Apollinaris legio» nem ipsam, cuius precibus id mi» raculum impetratum est, exinde » congruo rei vocabulo fulmineam ab » imperatore cognominatam esse scri» bit. » Fidem huic narrationi plures alii scriptores Christiani comparant, Gregorius Nyssenus, Orosius, auctor chronici Alexandrini, Paullus Diaconus, Suidas, Georgius Cedrenus, Zonaras, Nicephorus Callistus.

Si vero quid homines a Christiana Religione alieni de ea re scripserint considerari velit, apparebit, eos in

miri huius facti veritate referenda convenisse, rem ipsam tamen qua ratione eorundem opiniones ferebant, litteris tradidisse.

Itaque Dio Cassius apud Xiphilinum, ubi de bello contra Marcomannos et Quados mentionem facit, postquam commemorasset, Romanos aqua prorsus destitutos, adeo vexatos ardore et siti fuisse, ut ne pugnare quidem possent, ait: «nubes de » repente coactae sunt, et maxi» mus imber cecidit non sine Dei be» neficio. » Praeterea Iulius Capitolinus in Marci Aurelii vita «fulmen, » inquit, de caelo precibus suis con» tra hostium machinamentum ex» torsit, suis pluvia impetrata, quum » siti laborarent. » Denique Aelius Lampridius in vita Eliogabali id magicis artibus in bello Marcomannico factum esse narrat.

De praeclaro hoc eventu eruditi viri plures scripserunt, ut eiusdem veritatem ostenderent, et Dei beneficio tribuendum esse demonstrarent. Tales sunt Baronius ad annum 176, Valesius in notis ad Eusebii Hist. Ecclesiasticam, Petrus Daniel Huetius demonstr. Evangelicae prop. 3, paragr. 19, Tillemontius in Imperatorum Historia, Dominicus de Colonia in tractatu gallice scripto de Religione Christiana testimoniis Ethnicorum confirmata, Hermannus Witsius diatriba de legione Fulminatrice Christianorum quae eiusdem *aegyptiacis* subiecta est, Petrus Kingius in disceptatione de hac re. Inter eos vero, qui de miri facti huius veritate impugnanda laborarunt, praecipue sunt commemorandi Gualterus Moylius, cuius, et Petri Kingii epistolas de hac controversia ex anglico latine reddidit, et cum observationibus suis adiecit *syntagmati dissertationum ad sanctiores disciplinas pertinentium* Ioannes Laurentius Moshemius, sub inscriptione: *de miraculo quod legio fulminatrix olim fecisse dicitur, disceptatio inter Gualterum Moylium, et Petrum Kingium aliquot epistolis comprehensa.* Eandem ac Moylius sententiam sequitur Samuel Basnagius in annal. polit. Ecclesiast. et Ioannes Clericus in hist. Eccl. duorum primorum saeculorum. Thomas Maria Mamachius vero t. 1, lib. 2, cap. 7, §. 1 orig. et ant. Christ. collegit argumentorum capita, quae historiae huic obiecta sunt, eaque dissolvenda curavit.

Haec autem rationum praecipuarum summa est, quibus facti huius probatio continetur: extra omne dubium positum esse debere, cum bellum contra Marcomannos et Quados gereretur, Romanorum exercitum ob aquae inopiam in summo discrimine versatum esse, neque minus indubium esse debere, in Marci Aurelii exercitu milites magno numero Christianos fuisse, insperato pluviae copiam magnam impetratam esse, Christianos scriptores fide dignos id non sine manifesta Dei virtute evenisse testatos esse, et precibus Christianorum militum fuisse impetratum; ethnicos denique scriptores, cum facti veritatem confirmant, licet eventum vel magicis artibus, vel M. Aurelio pluviam impetranti, vel Iovio Pluvio tribuunt, Christianorum narrationi adiumentum afferre.

Ad narrationis huius veritatem infirmandam solet praesertim inde argumentum depromi, quod post bellum contra Marcomannos et Quados Marcus Aurelius Christianos graviter persequutus esse videatur. Nam Eusebius lib. 5 H. Eccl. in prooemio locum quendam habet, quem de anno decimo septimo imperii Marci Aurelii adversarii accipiendum esse contendunt, quo loco legitur: « quum » in nonnullis terrarum partibus vio» lentior adversus Christianos per» sequutio commota esset ex incur» sione popularium, innumerabiles » prope Martyres per universum or» bem enituisse. » Quae si de anno illo sunt intelligenda imperii Marci Aurelii, quoniam bellum contra Marcomannos et Quados antea gestum erat, sequeretur, post bellum illud, et partam de hostibus victoriam,

Imperatorem minime mitiorem esse factum erga Christianos.

« At vero ex his nihil est conficiendum, quod veritati de legione fulminatrice, et pluvia illius precibus impetrata resistat, apposite notat Walchius in hist. saec. 2, sect. 2, c. 4, §. 12. Primum enim de testimonio Eusebii, eiusque auctoritate disputatur. Potuit ab eo annus septimus imperii M. Aurelii indicari, et ab aliena manu addi annus decimus. Sique et scripserit de anno decimo septimo, nihil sane impedit, quominus illi error tribuatur, sive hic per negligentiam in scribendo, sive per memoriae humanae vitium admissus fuerit. Deinde ubi etiam fateamur, numeros apud Eusebium minus corruptos esse, et anno imperii Marci XVII vexationem adversus Christianos susceptam esse, ex eo tamen haud sequitur, quod historiae de legione fulminatrice fidem deroget. Res prodigiosa potuit evenire, licet postea imperator in saevitia erga homines Christianae professionis sit progressus, nec pro illis edictum ullum ediderit. Immo calamitas, qua Christiani post victoriam de Quadis afflicti sunt, non probat, imperatorem non benigniorem de illis sententiam tulisse, cum mala eorum fortasse magis proconsolum, praesidum, procuratorum, iudicum crudelitati, ac furori impiae plebis, quam imperatoris voluntati ac decretis adscribenda essent. Ita nonnulli in hoc negotio aberrarunt a vero per id, quod parum est. »

Et quoniam legis mentio facta est, qua se mitiorem erga Christianos M. Aurelius ostenderit, animadvertendum hic est, iniuria dici, Tertullianum deceptum esse, et edictum *ad commune Asiae,* quod ab Antonino Pio pro Christianis latum erat, M. Aurelio tribuisse, et putasse, ex eo edicto constare, hunc principem legem pro Christianis tulisse.

Etenim Tertullianus Apologetici cap. 5 meminit quidem litterarum, quas M. Aurelius eo tempore scripserit, nihil autem eo loco dicit de edicto *ad commune Asiae.* «Litterae, » inquit, Marci Aurelii gravissimi » Imperatoris requirantur. . . . Qui » sicut non palam ab eiusdem homi- » nibus (Christianis) poenam dimovit, » ita alio modo palam dispersit, adie- » cta etiam accusatoribus damnatio- » ne, et quidem tetriore. » Eusebius vero, qui lib. 4 H. E. c. 12 edictum *ad commune Asiae* Antonini Pii esse commemoraverat, l. 5, c. 5 H. E. de Marco Aurelio, et de Tertulliani narratione legionem melitinensem respiciente loquens, ait:« Tertullianus » eiusdem rei idoneus testis est in » Apologetico. . . ubi hanc historiam » validiore atque evidentiore argu- » mento confirmat. Scribit enim, » Marci Aurelii gravissimi impera- » toris litteras adhuc sua aetate ex- » stitisse, quibus testabatur, exerci- » tum Romanum in Germania, cum » aquae penuria iamiam periturus » esset, Christianorum precibus esse » servatum. Eundem quoque princi- » pem capitis poenam comminatum » dicit esse accusatoribus Christia- » norum. »

Quod si quae de Marco Aurelio Christianos persequente commemoravimus, non ostendunt, factum pluviae Christianorum militum precibus impetratae suspectae fidei esse, multo facilius refelluntur cetera, quae a scriptoribus huius historiae veritatis impugnatoribus obiiciuntur, cum ea fere omnia non rem ipsam, sed facti potius adiuncta respiciant.

CAPUT XV.

DE ARCANI DISCIPLINAE ANTIQUITATE.

Sapientissimum aliquando obtinuit in ecclesia institutum, ut in religionis negotio arcanum quoddam servari oporteret: huius autem institutionis inducendae, ac iis temporibus servandae ratio erat, ut ita religionis incremento consuleretur. De hac institutione pertractatio haberi solet, tum ut quo tempore inducta sit, tum ut quam materiam sibi subiectam habuerit, tum denique ut cuius utilitatis fuerit, demonstretur. Haec autem brevi a nobis nunc agenda sunt. Quid vero arcani disciplinae nomine hoc loco veniat, primum explicandum est.

Itaque illius disciplinae nomine intelligitur institutum a maioribus nostris servatum, quo Ethnicos, Iudaeos et Catechumenos praesertim inferioris ordinis, nonnulla celabant, quae ad religionem Christianam pertinebant. Ex quo apparet, arcani disciplinam non comprehendisse eos, qui baptizati iam erant, sed sive Ethnicos, sive Catechumenos, sive Iudaeos, et generatim illos omnes, quibus baptismi sacramentum collatum non fuisset. Haec vera huius instituti definitio est, quae in disputationis initio tradenda erat, praecipue ut a protestantibus ad hanc rem demonstrandam adhibitae definitiones reiiciantur, quae partim obscurae, partim ambiguae, partim aperte falsae esse noscuntur.

Haec generatim de eo instituto protestantium plurium sententia fuit; disciplinam scilicet hanc vetustissimis ecclesiae temporibus, atque iis Christianis, qui apostolica et posteriori aetate vixerunt, ignotam prorsus fuisse, ac exeunte circiter saeculo secundo primum induci coeptam esse; ea autem disciplina cautum dumtaxat fuisse, ut Iudaei, Ethnici, Catechumeni participes non essent quorundam Ecclesiae rituum; minime vero eo instituto praescriptum esse, ut etiam de dogmatibus quibusdam coram iis hominibus silentium custodiri oporteret. Facile est intelligere, quanam de causa protestantes tam arctis limitibus arcani disciplinam circumscribant. Scilicet cum contendant evincere, nonnulla Catholicae Ecclesiae dogmata primis illis Ecclesiae temporibus inaudita fuisse, idque conentur efficere argumento desumpto ex silentio, quod pluribus in locis veteres patres de iisdem dogmatibus servaverunt; plane sentiunt, ut expedire se possint ab ea gravissima responsione, quae a catholicis affertur, silentium hoc, videlicet, arcani disciplinae tribui debere, negant ea disciplina etiam de dogmatibus silentium servari iussum esse.

Non est autem dubium, utrumque evinci facile posse, disciplinam hanc a primis Ecclesiae temporibus derivari, eoque instituto non solum de ritibus nonnullis, sed etiam de quibusdam dogmatibus silentium coram extraneis servandum praescriptum fuisse.

Necesse non est hic commemorare eos, qui falsam hanc de Arcani disciplina sententiam tradiderunt. Satis erit recensere Guillelmum Ernestum Tentzelium parte 2 exercitationum selectarum, Casaubonum exerc. 16 adversus Baronium, Samuelem Basnagium in exercitationibus historico-criticis adversus Baronium pag. 489, et in annalibus ecclesiastico-politicis pag. 565, Ioannem Clericum in H. E. duorum primorum a Christo nato saeculorum ad an. 118 n. 3. Veram autem de arcani disciplina sententiam defenderunt Emmanuel Schelestratius in diss. adversus Tentzelium, Christianus Lupus in scholiis ad cap. 41 lib. de praescript. Tertulliani, Antonius Pagius in cri-

tica Baronii ad a. 118 n. 4; atque inter protestantes etiam Christophorus Matthaeus Pfaffius in diss. posteriori de praeiudiciis theologicis §. 13.

Gravissimi profecto sunt ii veteres scriptores, quorum testimonio constat, arcani disciplinam ea ratione explicatam, quam superius indicavimus, a prima ecclesiae aetate profectam esse. Basilius certe cap. 27 lib. de Spiritu sancto, postquam plura de ea disciplina disputasset, « Qui ab initio, inquit, res Ecclesiasticas ordinaverunt Apostoli et patres, in occulto silentioque mysteriis suam servavere dignitatem. Neque enim omnino mysterium est id, quod ad popularem et temerarium auditum refertur. » Est autem tanta Basilii auctoritas, ut nemo non intelligat, hac in re ei potius fidem habendam esse affirmanti institutum hoc ab apostolicis temporibus manasse, quam protestantibus contendentibus multo posterius disciplinam illam induci coepisse.

Tertullianus vero in suis operibus ea habet de hac disciplina, ut luculenter doceat, inter primae Ecclesiae aetatis instituta referendam esse. Sane lib. de praescript. cap. 41 de haereticis loquens inquit: « Non omittam ipsius etiam conversationis haereticae descriptionem, quam futilis, quam terrena, quam humana sit; sine gravitate, sine auctoritate, sine disciplina, ut fidei suae congruens. Imprimis quis catechumenus, qui fidelis incertum est. Pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant. Etiam ethnici si supervenerint, sanctum canibus, et porcis margaritas licet non veras iactabunt. » Iam vero si arcani disciplina exeunte circiter saeculo II induci coepit, apostolica aetate certe usurpata dici non potest. Haeretici igitur qui arcani disciplinam non servabant, illius aetatis exempla in ea re sequuti fuissent. Quomodo vero Tertullianus eo tempore scribens, quo perspectum omnibus esse debebat, quaenam essent apostolica instituta, futilem, terrenam, humanam, sine gravitate, sine auctoritate, sine disciplina, consuetudinem ab haereticis in conventibus suis servatam appellare potuisset, si ab instituto non fuisset abhorrens, quod in ecclesia a prima illa aetate servaretur?

Fortasse sunt magis perspicua quae Tertullianus disputat de ea re in apologetico, et in libro I ad nationes; quo in libro eadem fere, quae in apologetico, Tertullianus pertractat. Itaque iis in scriptis, argumento ex arcani disciplina deprompto, Tertullianus refellit atrocissimam calumniam, qua Christiani in summum vitae periculum vocabantur, scilicet, eos in conventibus suis thyesteas epulas celebrare. Ita vero ex ea disciplina argumentatur, ut extra omne dubium positum esse affirmet, etiamsi haec tam falsa a Christianis patrarentur, ab ipso tamen ecclesiae initio ethnicos non potuisse rei notitiam sibi comparare, cum et ethnici, et quomodolibet *extranei*, ob eam disciplinam vetarentur conventibus interesse, et graviter Christianis esset prohibitum ea referre, quae in conventibus suis celebrarentur, aut eveniebant.

In eiusmodi autem libris Tertullianum ethnicos alloquentem adeo confidenter ex disciplinae huius antiquitate argumentatum esse, ut tantam illam calumniam excluderet, falsum autem simul esse, adeo antiquam disciplinam illam fuisse, nemo sibi persuadebit, qui non credat Tertullianum omni prorsus iudicio destitutum. Haec vero sunt Tertulliani verba in apologetico cap. 7: « Census, inquit, istius disciplinae (Christianae) a Tiberio est. Cum odio sui coepit veritas, simul atque apparuit, inimica esse. Tot hostes eius quot extranei; et quidem proprie ex aemulatione Iudaei, ex concussione milites, ex natura ipsa domestici nostri... Si semper latemus, quando proditum est quod admittimus? Immo a quibus prodi potuit?

Ab ipsis reis non utique, cum ex forma omnibus mysteriis silentii fides adhibeatur... Si ergo non ipsi proditores sui, sequitur ut extranei. Et unde extraneis notitia, cum semper etiam piae intentiones arceant profanos, et arbitris careant?» Quod si Tertullianus a Tiberii Caesaris aetate ad tempora sua ob arcani disciplinam innotescere ethnicis non potuisse ait, num Christiani thyesteas epulas celebrarent, quis non intelligat, Tertullianum tamquam exploratum existimasse, illud institutum ab apostolica aetate derivari oportere? Possent post haec afferri testimonia idem demonstrantia ex auctore *recognitionum*, quae Clementis Romani nomine circumferuntur, et ipso Tentzelio iudice sub saec. secundi finem; Ioanne autem Laurentio Moshemio H. E. antiquae saec. 1, part. 2, c. 2, §. 19 tertio saeculo conscriptae sunt. Possent Origenis loca memorari, qui, ut omnibus manifestum est, saeculo Ecclesiae tertio vixit. Hi vero aliique Ecclesiastici scriptores, qui adduci possent, ostendunt, institutum, de quo sermo est, ad primam Ecclesiae aetatem referri.

Nunc ut praecipua, quae ab adversariis afferuntur, argumenta refellamus; putant ii primo loco, incredibile esse prima Ecclesiae aetate doctrinam obtinuisse, quae Christi monitis praeceptisque repugnaret: Christum autem ab arcano in Religionis negotio servando alienissimum fuisse, contendunt ostendi posse iis Matthaei; c. 10 verbis: «quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: et quod in aure auditis, praedicate super tecta.» Praeterea ex Iustini Martyris prima apologia, quam circa medium saeculum secundum Antonino Pio Imp. et eius filiis ex adoptione M. Aurelio, et Lucio Vero, universoque Senatui Romano obtulit, patere aiunt, post ea circiter tempora arcani disciplinam obtinere coepisse. Nam in ea apologia Iustinus copiose persequitur ea omnia, quae ad baptismi et eucharistiae sacramenta pertinent, et accurate ea narrat, quae in sacris Christianorum conventibus agebantur. Id autem argumento perspicuo esse aiunt, ea aetate arcani disciplinam non obtinuisse, ut Iustinus potuerit de his rebus apud homines ethnicos aperte loqui.

Neque minus id luculenter exsistere arbitrantur adversarii ex eo, quod per ea tempora ethnicis notum fuerit Christianorum dogma, quo credimus, nos in eucharistia corpus Christi et sanguinem manducare et bibere. Etenim legenti Iustini, Tertulliani, Athenagorae, aliorumque veterum Christianorum scriptorum opera patet, vel a primis Ecclesiae temporibus accusatos Christiano fuisse, quod thyesteas epulas celebrarent. Hanc autem calumniam ex depravata eucharistici sacramenti notione derivasse, certum esse contendunt adversarii; atque idcirco concludunt, per ea tempora dogma illud notum esse debuisse. Incredibile autem esse aiunt, si arcani disciplina tunc obtinuisset, ethnicos scire ea potuisse, quae ad eucharisticum dogma pertinent, cum illud sit ex iis dogmatibus, quae rationis vires maximopere excedunt.

Haec licet adversariis adeo gravia esse videantur, ut inde demonstrari putent, vetustis illis temporibus disciplinam, de qua sermonem facimus, non obtinuisse; manifestum est tamen ad hoc efficiendum id minime valere.

Nam quod spectat ad illud allatum ex evangelico Matthaei testimonium, certum est, in eo nihil esse, quod ad disciplinam arcani vel vetandam, vel instituendam referatur. Hoc unum enim memorato in loco affirmabat Christus, in fidei negotio nihili ducendas esse hominum minas, nihili gravissimas quaslibet poenas, quibus conari vellent religionis inimici, Christianos a fidei professione deterrere. Post allata enim verba continuo addit Christus: «nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.»

Sermonem vero illum ita Christus

absolvit: «qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo.» Apparet igitur falsum esse, non fuisse prohibitum Christi monitis aut praeceptis, quominus arcanum in Religione servaretur. Quod si vero Evangelium consulere velimus, habebimus ex eo desumi loca posse, quae quodam modo ostendant, hanc disciplinam Evangelio consentaneam prorsus esse: nam Matthaei c. 7 Christus inquit: «Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas ante porcos.» Haec autem verba veteres Ecclesiae Patres ita sunt interpretati, ut Christus monuerit, non esse omnia religionis suae mysteria iis patefacienda, qui baptisma nondum assequuti fuissent. Falsum igitur est, institutum de quo loquimur, ab apostolica aetate idcirco derivari non posse, quod notum omnibus esset, illud cum Christi praeceptis monitisque repugnare.

Neque gravius est argumentum quod ex prima Iustini apologia depromitur, ut concludatur, per ea tempora nondum inductam esse arcani disciplinam. Sane quae superius attulimus testimonia, evincunt omnino institutum illud ad primam Ecclesiae, seu apostolicam aetatem referri oportere. Verum cum Ecclesiae Christianae causa ipsa postulabat, ut aliquantum de ea disciplina remitteretur, non dubitabant Christiani, quin religionis suae mysteria patefacerent iis, qui baptismum nondum erant consequuti. Atque id certe flagitasse reipublicae Christianae tempora, cum Iustinus apologiam illam scripsit, intelligent omnes, qui acerbissima illius aetatis adiuncta perspecta habeant. Dissipabantur ab infensissimis Christianae religionis hostibus rumores de sceleribus, quae in conventibus Ecclesiasticis Christiani patrarent, atque inter ea scelera, illud passim iactabant Christianorum inimici, eos in Ecclesiasticis coetibus infantem recens natum occidere, eius carnes vorare, ac sanguinem bibere: erat calumnia haec adeo gravis, ut in summum discrimen Christianos adduceret.

Ut se a malis Christiani defenderent, quae harum calumniarum causa ubique pati cogebantur, illa praesertim erat agendi ratio adhibenda, ut, scilicet, quid in conventibus suis agerent, manifeste explicarent. Id autem perfici certe non poterat, nisi ante oculos Imperatoris quodammodo poneretur universa Christianorum conventuum forma, eaque illis manifestarentur, quae ad Baptismatis conferendi, ac Eucharistiae conficiendae rationem pertinebant. Haec causa vera fuit, cur Iustinus de Baptismo, de Eucharistia, aliisque de rebus aperte in apologia sua coram ethnicis loquutus sit. Verum hoc non modo non infirmat, sed etiam evincit id, quod ostendendum suscepimus; cum ecclesia illud perpetuo in rebus ad disciplinam pertinentibus servaverit, ut secundum peculiaria temporum adiuncta, eius severitas, aliqua in re, vel mitigari, vel urgeri deberet. Legantur ea quae breviter de hac re disputant duo eruditissimi Maurini Monachi Aug. Touthaeus, adnot. 1 n. 12 Catechesis 5 s. Cyrilli Hierosolymitani, et Prudentius Maranus c. 9 n. 1 part. 2 praefat. ad opera S. Iustini Martyris edit. Maurinae.

Ad thyesteas epulas quod spectat, non video quomodo certo constet, ab Eucharistiae sacramenti notione hanc calumniam ortam esse, cum variam eiusdem originem veteres Ecclesiae scriptores afferant, cumque epulae, quarum reos Christianos esse ethnici affirmabant, longe diversae essent ab Eucharistiae celebratione. Caecilius, homo ethnicus, apud Minutium Felicem in dialogo, qui *Octavius* inscribitur, harum epularum hanc descriptionem suppeditat: «Iam de initiandis tirunculis fabula tam detestanda, quam nota est. Infans farre contectus ut decipiat incautos, apponitur ei, qui sacris imbuatur. Is infans a tirunculo farris

superficie, quasi ad innoxios ictus, provocatus, caecis, occultisque vulneribus occiditur. Huius proh nefas! sitienter sanguinem lambunt, huius certatim membra dispertiunt, hac foederantur hostia, hac conscientia sceleris ad silentium mutuo pignorantur, haec sacra sacrilegiis omnibus tetriora.»

Iam vero quid hic commune est cum Eucharistiae notione? Quid est in tota Catholica de Eucharistico sacramento sacrificioque doctrina, quod simile sit iis, quae Caecilius habet de infante ea ratione interfecto, qua interfici solitum fuisse dicit in epulis thyesteis? Ex his ergo potest intelligi, hanc tam atrocem calumniam ab Eucharistica notione ortam non esse. Hinc factum est ut veteres patres, qui de ea tam turpi atque acerba accusatione egerunt, calumniam hanc ex Eucharistiae notione ortam esse numquam affirmaverint. Immo vero ii scriptores aliquam prorsus, atque ab Eucharistiae notione distinctam, huius calumniae originem fuisse existimarunt, quod pluribus testimoniis adductis ostendi potest.

Eiusmodi est Origenes, qui lib. 6 contra Celsum num. 27 Iudaeos huius calumniae auctores fuisse ait, qui ut Christianos in invidiam vocarent, eam impudentissime excogitaverint, et spargendam curaverint. «Videtur mihi, inquit, Celsus idem fecisse, ac Iudaei, qui initio Christianae praedicationis malos rumores de Christianorum doctrina sparserunt, quasi de immaculati pueri carnibus sumerent.» Alii autem Ecclesiae patres existimarunt, a veterum haereticorum sceleribus hanc infamiae notam universae Ecclesiae Christianae fuisse inustam. Haec, ut ceteros omittam, Eusebii sententia fuit, qui lib. 4 H. E. c. 7 de Carpocratianis, aliisque huius generis haereticis inquit: «His igitur ministris usus malignus ille daemon, primum effecit, ut ex fidelibus quicumque ab illis decepti essent, ad miserabile exitium tamquam captivi adducerentur. Deinde gentibus a fide nostra alienis amplam obtrectandi et calumniandi Evangelii materiam subministravit, cum ab illis orta infamia ad totius Christiani nominis opprobrium diffunderetur. Atque hinc factum est, ut absurda quaedam et impia de nobis opinio apud infideles tunc temporis spargeretur, quasi...et exsecrandis dapibus vesci soleremus.»

Quod si haec veterum patrum de huius calumniae origine sententia fuit, iam apparet, certum non esse, quod adversarii contendunt, eam ex Eucharistici Sacramenti notione ortam esse, atque idcirco thysteas epulas, de quibus Christiani vel ab antiquiss ma Ecclesiae aetate accusabantur, non posse argumentum ullum grave suppeditare, ut ostendatur, iis temporibus secreti servandi disciplinam non obtinuisse. Legendi sunt de hac re inter ceteros eruditos scriptores, Tillemontius H. E. t. 2 p. 225; P. Prudentius Maranus c. 4 partis 3 praefat. cit.; Dodwellus dissert. XI Cyprianica §. 19. His autem, quae diximus, adiungi potest, etsi institutum hoc generatum in Ecclesia custodiretur, contingere tamen potuisse, ut Ethnici Eucharistici sacramenti notionem a fidei Christianae desertoribus sibi comparaverint aliquando, quam inique fortasse de epulis thyesteis explicare voluerint. Ratio autem ipsa, qua utebantur in ea calumnia spargenda, si verum esset, quod adversarii contendunt, eam ab Eucharistiae notione ortam esse, exploratum relinquit, de ipso Eucharistiae sacramento in occulto a Christianis pertractatum fuisse. Nam si de ea re sine arcano quolibet actum fuisset, non poterant Ethnici ex Eucharistiae celebratione in vulgus spargere, Christianos puerum recens natum mactare, eiusque carnibus et sanguine in epulis suis nefarie uti.

CAPUT XVI.

DE MATERIA ARCANO SUBIECTA.

Quam vetusta Ecclesiae aetate arcani disciplina vigeret, satis perspicue demonstratum est. Neque minus clare veterum patrum testimoniis potest ostendi, materiam arcano isti religioso subiectam, non ritus tantum, prout hominibus a catholica fide alienis placeret, sed etiam nonnulla doctrinae catholicae capita comprehendisse. Id autem si verum est, apparet continuo, silentium de aliquibus doctrinae catholicae dogmatibus apud antiquos Ecclesiae patres, non eorundem dogmatum ignorationi, sed arcani custodiendi necessitati esse tribuendum.

Inter plura rem demonstrantia testimonia, quae possent afferri, adducam primo loco Origenis responsionem, qua Celsum confutavit, Christianorum doctrinam tamquam clancularium contemnendam esse contendentem. Eo in loco profecto non de ritibus, sed de rebus doctrinam respicientibus Celsus loquebatur, et secundum propositam a Celso quaestionem Origenes respondebat. Exponit autem Origenes, quae dogmata etiam a Christianis sine arcano praedicarentur, atque adducit causas, quare Christiani possent de nonnullis aliis dogmatibus arcanum servare. Est igitur indubium Origenem eo in loco ostendere, arcani disciplina dogmata quaedam comprehensa fuisse. «Quoniam vero, inquit Origenes l. I contra Celsum n. 7, in sequentibus clancularium saepe vocat nostram doctrinam, etiam in hoc confutandus est, cum illa sit toto orbi magis cognita, quam ipsamet placita philosophorum. Quem enim fugit Iesum natum esse ex Virgine, et suffixum cruci, et quod iam tot annos credunt, illum e mortuis resurrexisse, venturum esse iudicium, quo iniusti meritis suppliciis, et meritis poenis affici debent? Et mysterium resurrectionis nonne in ore est etiam infidelibus, quibus de ridiculo est quia non intelligunt? Post haec ineptus sane fuerit qui nostram doctrinam occultam esse diceret. Ceterum esse quaedam reconditiora, nec omnibus retecta, id Christianae doctrinae commune est cum philosophia, ubi quaedam exteriora, quaedam etiam interiora sunt. Nam quibusdam Pythagorae discipulis satius erat *ipse dixit*.»

Hoc Origenis testimonium generatim ostendit quod proposuimus. Sed potest Patrum auctoritate doceri, aliqua nominatim fuisse dogmata, quae arcani disciplina comprehenderentur. Satis erat id demonstrare de SS. Trinitatis et Eucharistiae mysterio. Ad veritatem enim huius sententiae evincendam, necesse non est omnia persequi singillatim, quae arcano religioso continebantur.

Itaque quod spectat ad SS. Trinitatis mysterium, Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 6 n. 29 pag. 106 operum edit. Touthaei, quam catechesim ad competentes catechumenos habuit, hoc est, ad eos, qui paucos post dies baptismum suscepturi erant, aperte demonstrat, ante illud tempus catechumenis dogma Trinitatis explicatum non fuisse. «Haec mysteria, inquit, quae nunc tibi patefacit Ecclesia ex Catechumenorum sorte transgresso, gentilibus exponere mos non est; non enim Gentili, quae Patrem, Filium, et Spiritum sanctum spectant, declaramus, neque Catechumenis coram de mysteriis palam loquimur, ut qui norunt fideles, intelligant, qui vero nesciunt, non laedantur.» Eiusmodi est etiam quod Ambrosius habet ep. 20 ad sororem suam tom. 2. opp. edit. Maurinorum: «Post lectiones et tractatum, dimissis catechumenis, symbolum aliquibus competentibus in baptisteriis tra-

debam basilicae. » Ob memoratam enim arcani disciplinae causam, mos obtinuerat, ut competentibus symbolum paullo ante baptismum traderetur, eiectis antea inferioris gradus catechumenis; id autem idcirco fiebat, quod in symbolo de Trinitatis mysterio fuse agatur. Post haec dubium esse nullum potest, circa Trinitatis mysterium arcani institutum fuisse servatum.

Perspicua ratione id ostendi quoque potest de Eucharistiae mysterio: hoc ut evincam, testimoniis tantum utar Iulii I Romani Pontificis et Augustini. Ille enim epistola ad Eusebianos apud Constantium p. 378 Eusebianos reprehendit, quod coram praefecto et militibus, aliisque non initiatis de Eucharistia palam loqui non dubitaverant. «Interrogationem autem de calice et mensa factam esse coram praefecto et eius cohorte, praesentibus Ethnicis et iudaeis. Videbatur illud initio incredibile, nisi fuisset ex ipsis monumentis demonstratum. Quod nobis admirationi fuit, id etiam vobis dilecti fore existimo: ut de sanguine, et corpore Christi interrogatio ... apud externum iudicem, praesentibus catechumenis, et quod indignius est, coram Ethnicis et Iudaeis, qui circa Christianismum suspecti, et male affecti audiunt, habita sit.» Haec Iulii verba sunt eiusmodi, ut extra controversiam positum esse demonstrent, coram Ethnicis vetitum fuisse de Eucharistia verba facere: nisi enim id veluti certum ponatur, non potuisset Iulius Eusebianis graviter succensere, quod coram Praefecto, et cohorte de Eucharistia loquuti fuissent.

Augustinus vero n. 3 tractatus 11 in Ioannem pag. 274 partis 2 t. 3 opp. edit. Antuerpiensis anni 1700 auctor est, Catechumenos sua aetate, si forte interrogati essent, an Christi corpore vescerentur, eiusque sanguinem biberent, certe non intellecturos esse, quid per hanc interrogationem significaretur. At si Ecclesiae Catholicae sententia de Eucharistia hominibus baptismo non initiatis occultata non esset, profecto Catechumeni interrogationis eiusmodi significationem non ignorassent. Patet ergo, arcani disciplinam Catholicae Ecclesiae dogma de Eucharistia complexam esse. «Intendat, inquit Augustinus, charitas vestra, si dixerimus catechumeno credis in Christo? Respondet credo, et signat se: iam crucem Christi portat in fronte, et non erubescit de cruce Domini sui. Ecce credit in nomine eius: interrogemus eum, manducas carnem filii hominis, et bibis sanguinem filii hominis? Nescit quid dicimus, quia Iesus non se tradidit eis?»

Ad ea autem refellenda quae ab huius sententiae impugnatoribus in hoc disputationis genere afferuntur, ut evincant Patres saepenumero de dogmatibus coram Ethnicis loquutos fuisse haec generatim responderi possunt. Etsi veteres arcani disciplinam tuerentur, eademque dogmata etiam complecterentur; tamen cum vel Reipublicae Christianae tempora id requirebant, vel aliqua ratione expedire putabant, non dubitabant, quin aliquid de huius disciplinae rigore remitterent, et nostrae religionis mysteria hominibus non initiatis patefacerent. At vero inde effici non potest, arcani disciplinam complecti dogmata non consuevisse. Id enim veteres tantum faciebant, cum probabiles causae eos quodammodo cogerent; at, cum graves causae praesto non erant, quae ipsis persuaderent, ut ab arcani disciplina aliquantum recederent, eam diligenter servabant, atque praesertim dogmata nonnulla hominibus non initiatis occultabant; nam communi legi non obstant exceptiones necessariae.

Neque servatum hoc in dogmatibus quibusdam tradendis arcanum, facit ut extenuetur argumentum, quod ad Religionis Christianae divinitatem demonstrandam ex difficili eius propagatione desumitur. Etenim discrimen hoc in dogmatibus quibusdam

tradendis, non efficiebat ut sublimiora dogmata occultarentur omnino, et credenda non proponerentur, sed ut adhibita diligentia ita traderentur hominibus religionem suscipientibus, ut eorum sublimitate non deterrerentur. Interea tamen in ipso, ut ita dicam, suscipiendae religionis ingressu, non pauca statim tradebantur omnibus, prout ex testimonio Origenis superius allato constat, quae ipsa intellectu facilia non erant: omnibus praeterea apertissime pronuntiabatur, in amplectenda Religione nostra cupiditatibus depravatis bellum esse indicendum, vitae licentiam cohibendam, et morum sanctitatem colendam esse, in quo praecipua Religionis Christianae propagandae difficultas continebatur.

CAPUT XVII.

DE ARCANI DISCIPLINAE UTILITATE.

Postquam tradidimus quid arcani disciplina comprehenderet, sequitur, ut aliqua breviter de eius utilitate et opportunitate dicamus. Id autem faciemus iis protestantium praesertim accusationibus occurrentes, quibus illi vetustissimum hoc Ecclesiae institutum prosequuti sunt. Eorum autem disputatio tota in hac re eo refertur, ut vel ineptam, vel inhumanam disciplinam hanc fuisse contendant. Utrumque autem hoc Ecclesiae iniuriosum est, quae de instituto quodam inducendo ac servando tanta diligentia laborasset, quod vel inhumanitate sua, vel levitate, contemnendum fuisset.

Atqui ex monumentis veteribus arcani disciplinam respicientibus habemus, illud institutum neque levitatis accusari posse, neque eiusmodi fuisse, ut barbarum quidquam, et inhumanum contineret. Nam causae considerandae sunt quamobrem Patres solliciti erant ut institutum illud custodiretur: apparebit autem ex earum causarum consideratione quam a veritate abhorreat, eam disciplinam ineptum quoddam institutum fuisse. Primo enim loco nostrae Religionis mysteria Catechumenos, aliosque non initiatos homines, patres nostri celabant, ne ii tanta mysteriorum sublimitate perterriti a Religione suscipienda revocarentur. De ea re legendus est Cyrillus Hierosolymitanus, qui n. 12 procatechesis hortatur competentes, quibus religionis mysteria patefacturus erat, ne ea Catechumenis inferioris ordinis manifestent. «Quando catechesis pronuntiabitur, si catechumenus percunctatus fuerit te, quid dixerint doctores, nihil dicas mysterium enim tibi, et spem futuri saeculi tradimus. Secretum serva ei, qui mercedem rependet. Ne quisquam tibi dicat aliquando: Quid tibi adportat mali si ego quoque didicero? nimirum etiam aegroti vinum postulare solent; quod si illis intempestive fuerit datum, phrenesim conciliat. Et duo hinc nascuntur mala; nam et aeger interit, et medicus male audit: idem quoque contingit Catechumeno, si audiat mysteria a fideli. Nam et Catechumenus phrenesim patitur; quod enim audivit, ignorat, et rem totam obtrectat, et rem totam sannis excipit; simul vero fidelis uti proditor condemnatur.»

Haec ratio, quam Cyrillus exponit cur servari silentium deberet, a Patribus etiam reliquis traditur. Id vero unum sufficeret, ut patere possit, apertam calumniam esse, institutum illud ineptum et leve fuisse. Coniuncta enim imprimis videbatur patribus huius disciplinae custodia cum Catechumenorum salute, ac timebant, ne, silentio non servato, catechumeni in discrimen adducerentur, consilium derelinquendi Christianam Religionem suscipiendi. Timor au-

tem hic iure poterat patres movere, quibus manifesta erat hominum recens ad fidem Christianam conversorum infirmitas, et quam facile iidem possent mysteriorum sublimitate perterreri. Ratio igitur ista, quare disciplina haec servabatur, gravis imprimis erat, et ineptum idcirco institutum hoc dici non potest.

Alteram rationem custodiendae huius disciplinae habemus ex his quae scribit auctor serm. qui exstat in app. t. 6 op. S. Augustini edit. cit. « Non mirari debetis, fratres carissimi, quod inter ipsa mysteria de mysteriis nihil diximus: quod non statim ea, quae tradidimus, interpretati sumus; adhibuimus enim tam sanctis rebus honorem silentii.»

Tertia denique ratio, cur arcani disciplinam veteres tuerentur, haec erat, quod nimirum illi sperarent, mysteriorum occultatione inflammari catechumenos posse cupiditate, ea quamprimum agnoscendi, itaque stimulos aliquos iis addi, qui diuturno tempore negligerent ab baptismum accedere. Hanc rationem perspicue Augustinus tradit tract. 96 in Io. p. 535 t. 4 op. ed. cit. « Si catechumenis, inquit, sacramenta fidelium non produntur, non ideo fit, quod ea ferre non possint, sed ut ab eis tanto ardentius concupiscantur, quanto eis honorabilius occultantur. »

Haec autem rationum capita, quibus patres adducti disciplinam hanc defenderunt, et custodiendam curarunt, sunt eiusmodi, ut adversariorum calumniam omnino manifestam esse ostendant, cum aiunt hoc institutum ineptum ac leve fuisse. Nonne enim gravitatis potius et prudentiae argumentum perspicuum est, idcirco catechumenos ceterosque non initiatos baptismo homines mysteria celare, ne ii mysteriorum arduitate perterriti, consilium delinquerent Christiana sacra amplectendi? Atqui hanc primam ex iis rationibus attulimus, quibus permoti patres Ecclesiae, arcani disciplinam propugnarunt. Nonne sapientissimum erat, silentii adhibita disciplina, mysteriis certam quandam dignitatem servare? Atqui hanc adduximus alteram rationem, quamobrem patres voluerint coram catechumenis et ceteris non initiatis hominibus arcani institutum custodiri. Nonne denique sanctissimum prudentissimumque fuit, eam rationem propugnare, quae incitamento esse catechumenis posset ad baptismum suscipiendum? Eam autem tertio loco attulimus rationem, qua permotos esse Ecclesiae patres diximus, ut disciplinam hanc custodiendam curarent, qua scilicet fieret, ut catechumeni excitati, ad baptismum suscipiendum alacrius contenderent. Post haec vero quis non intelligat, apertam calumniam esse, hanc disciplinam veluti ineptam levemque accusare, quemadmodum inter ceteros Zimermannus fecit in orat. de arcani disciplina non revocanda parte I t. 2 Tempe Helveticae p. 76 et seqq.?

Illud igitur affirmandum potius est, disciplinam hanc, consideratis illorum temporum adiunctis, quibus vigebat, opportunissimam, et imprimis utilem Ecclesiae fuisse. Nam Zimermannus non meretur ut refellatur, cum ait patres quidem veteres ea praedicasse de hac disciplina, quae indicavimus, sed deceptos esse, quod eae utilitates, quas describebant, ex hoc memorato instituto revera profectae non sint. Erant enim sapientissimi gravissimique viri ii patres, quorum testimonia attulimus, atque plenissimam rei, de qua agebant, notitiam habebant: erant ita comparati, ut nisi vidissent eos fructus ex memorato instituto proficisci, quos diximus, rationes, quas commemoravimus, ad illud defendendum non attulissent: ea denique aetate vivebant, ut certe intelligere possent, quae huius rei conditio esset.

CAPUT XVIII.

DE ARGUMENTO EX ARCANI DISCIPLINA DESUMPTO AD CONFIRMANDAM CATHOLICAM DOCTRINAM DE SS. EUCHARISTIAE SACRAMENTO.

Antequam finem loquendi facimus de arcano in negotio religionis servato, videtur opportunum, occasionem non omittere, breviter ostendendi, argumento ex ea disciplina petito, Calvini, Zwinglii, ceterorumque eiusmodi, sententiam manifeste refelli circa SS. Eucharistiae Sacramentum, cum corporis et sanguinis D. N. I. C. realem praesentiam in eo sacramento denegant et figuratum tantummodo corporis et sanguinis Christi sensum inducere conantur.

Praeter ea quae superius attulimus, quaeque evincunt, servatum esse primis ecclesiae saeculis de Sacramento Eucharistico silentium, possent magno numero veterum scriptorum ad illa tempora pertinentium adduci alia testimonia, quae idem confirmarent, Tertulliani, videlicet, Athenagorae, scriptoris *recognitionum* S. Clementi Papae tributarum, Minucii Felicis, Origenis, aliorumque. Quare extra omne dubium positum esse debet, de eo doctrinae catholicae capite arcanum fuisse custoditum.

Iam vero certissimum hoc historiae Ecclesiasticae factum secreti in ea re tanta diligentia servati componi quidem et explicari potest, si primis illis temporibus Ecclesiae doctrinam fuisse statuatur, conversa panis et vini substantia, realem et corporis et sanguinis Christi praesentiam esse in Eucharistia credendam; explicari vero et componi cum ea sententia non potest, quae sensum rei figuratum dumtaxat in eo Sacramento iis temporibus ecclesiam habuisse contendat.

Etenim quae commemoravimus de rationibus, quibus adducta est ecclesia ut nonnulla doctrinae capita arcano religioso comprehenderet, conveniunt omnino cum doctrina, quae realem Christi praesentiam certam esse contineat. Nam praesentiae realis certa veritate statuta, sequitur, Ecclesiam ob mysterii sublimitatem consulere debuisse eorum imbecillitati, qui in fide Christiana suscipienda instituebantur. Si enim nullo discrimine facto, doctrinam de ea re, statim prout fides habet, tradidisset, timere iure debebat, ne tanta difficultate perculsi, deterrerentur ii a consilio religionem nostram amplectendi, qui nomen illi erant daturi.

Ergo antequam tam arduam intelligentiae humanae doctrinam Ecclesia traderet, debuit ea ratione se gerere, quam arcani natura ferebat, ut prius illa omnia faceret, quae in hominum animis firmitatem ad credendum, constantiamque certam efficerent. Itaque tempus erat tribuendum, ut demonstrata revelationis certa veritate, prodigiorum a Christo patratorum virtute et gravitate explicata, doctrinae a Christo traditae sanctitatis et praestantiae argumento allato, ac ceteris, quae divinam eius missionem evincerent, adductis, eo devenirent homines, quibus catholica fides erat persuadenda, ut etiam in tam recondito difficilique dogmate, quale Eucharistia erat, audiendo, obsequium mentis suae exhibendum esse intelligerent.

Constat praeterea, inter rationes, quarum causa patres de secreto servando solliciti fuerunt, eam quoque reperiri, ut ita mysteriorum dignitati, et debitae iisdem observantiae prospiceretur. Si vero scriptorum veterum ea loca consulantur, quae arcanum ostendunt circa eucharisticum dogma esse servatum, illos sollicitudinem suam in ea re ideo etiam demonstrasse apparebit, quod de dignitate mysterii tuenda laborarent. Tantum autem studium iure a pa-

tribus adhibitum fuisse perspicuum est, si in hoc doctrinae capite praesentiam Christi realem, facta panis vinique conversione, credendam proponi eos iudicasse concedatur; sed si de figurato tantum sensu res esset explicanda, tantae sollicitudinis ratio non intelligitur.

Quid enim in Calviniana, quid in Zwingliana sententia est, quod excitare patres debuisset, tum ut imbecillitati hominum consulerent, qui in fide Ecclesiae suscipienda informabantur, tum ut prospicerent ne mysterii dignitas, si illud sine discrimine traderetur, detrimentum aliquod pati posset? Quando homines ex ea secta audiantur, coniungimur quidem nos Christo in sacra coena, sed spiritu tantum ac fide vota nostra et venerationem Christo tribuimus, quem tamen non in altari, sed ad dexteram Patris sedentem contemplamur; commemoramus profecto eius mortem, sed nulla ratione sacrificium ab eo in cruce factum renovantes; panis et vinum sumendum hominibus affertur, sed ita tamen, ut licet Christi memoriam agamus, panem vinumque proprium, prout in natura sua sunt, accipiamus.

Quis vero inde timor in patrum mentibus excitari poterat ne humanae intelligentiae vires harum rerum explicatione frangerentur, modo non ineptos patres omnes fuisse censeamus, qui ita timere potuerint? Quae deinde sollicitudinis causa, ne debita mysterio dignitas in periculum vocaretur? Primum si haec vera sunt, ubi mysterium supersit non intelligitur: deinde quid erat, quod cuiuslibet generis vel conditionis homines offenderentur, vel de Christo detraherent, qui morte sua humano generi universo vitam restituens voluerit memoriam sui ab hominibus fieri, illius alimenti susceptione, quod orbi terrarum universo commune est?

Non defuere quidem inter sententiae huius, antiquitati prorsus inauditae defensores, figuratum scilicet in eucharistia praesentiae Christi sensum inducentes, qui de singulari sacrae coenae praestantia, deque rebus omni admiratione dignis in ea comprehensis, loquuti sunt. Sed certum est, haec ab iis exaggerari, ut, si fieri posset, sententiam suam, patrum testimoniis consonam esse demonstrent. Nam perspicua res est, eorum sententiam mysterium omne eucharisticum auferre, et nihil in eo relinquere, quod tanta admiratione dignum existimari possit, nihil causae suppeditare, cur ecclesia religiosum de eo sacramento servandum esse secretum statueret. Immo vero, quoniam Ecclesia facile intellexisset, ob manifestam dogmatis explicationem, nullum detrimentum timeri posse, eucharistiam, patentibus ianuis, et in summa ingrediendi libertate, celebrare potuisset.

Quod si illorum temporum memoriam volumus recordari, et pericula gravissima reminisci, quibus ob calumnias iniquitate plenas obiiciebantur Christiani, praesertim ob scelera, quae in conventibus suis patrare accusabantur, apparebit continuo, eos habuisse maximi momenti causas, ut non modo doctrinam suam exponerent, sed etiam ut ethnicos conventuum suorum participes esse paterentur. Verum si ad calumniae gravitatem, et ad periculi metum vitandum, id non egerunt, manifestum est, eos ob mysterii veram sublimitatem, quae in praesentia Christi reali posita est, se impediri iudicasse, quominus arcanum in ea re derelinquerent. Si autem veterum patrum sententia ea ipsa fuisset, quam deinde Calvinus et Zwinglius attulerunt, non constat quomodo evenire potuerit, ut ad periculum declinandum, et ad Ecclesiam defendendam, Ethnicos ad conventus suos non invitarent, ut viderent rem agi nulla admiratione dignam, hoc est, Christianis communem panem et vinum afferri, quibus in coena uterentur.

Negari certe non potest, Iustinum

Martyrem in apologia prima tum de aliis religionis Christianae dogmatibus, tum de Eucharistia sine arcano loquutum esse: verum singulare hoc exemplum, ut tanta libertate cum ethnico principe loquens, de Eucharistia aperte pertractaret, non modo non iuvat, sed potius luculentius evertit haereticorum sententiam. Etenim inficiari nemo potest, doctrinam, quam Iustinus de Eucharistia aperte professus est, illam ipsam fuisse, quam Ecclesia Catholica veluti divinitus acceptam credebat, sed arcani tamen disciplina tegebat. Quid vero exposuit Iustinus cum doctrinam illam explicaret? Notum est omnibus eius testimonium de hac re, quo diserte tradidit, conversa panis vinique substantia, corporis et sanguinis Christi praesentiam realem in Eucharistia contineri.

Praeterea non desunt qui arbitrentur, apologiam hanc primam Antoninum Pium tamquam reservato sibi traditam accepisse. Certum vero est post oblatam hanc Antonino Pio apologiam, Ethnicos in dogmatum illorum ignoratione mansisse, quae aperte Iustinus exposuerat Imperatori; id quod argumento est, res a Iustino expositas ad communem notitiam non pervenisse. Denique rationum gravitatem superius commemoravimus, quibus adactus Iustinus est, ut sibi licere putaverit, de doctrinae catholicae capitibus nonnullis aperte agere cum Imperatore.

CAPUT XIX.

DE CONTROVERSIA CIRCA PASCHATIS CELEBRATIONEM.

Cum Victor I Pontificatum gereret, qui praeesse ecclesiae coepit anno 193, et novem circiter annos Ecclesiam gubernavit, excitata est celebris illa controversia, apostolicam sedem inter et Asiae minoris Episcopos, de diei Paschatis celebratione. Eusebius in chronico eam refert ad annum quartum Septimii Severi Imperatoris, qui anno aerae vulgaris 196 respondet. Illam controversiam inter ceteros accurate illustravit t. 1 epistolarum RR. Pontificum a se editarum Petrus Coustantius agens de Victoris I Pontificatu col. 91 et seqq. Haec autem huius historiae summa est.

Christiani, qui in Asia minori commorabantur, Paschatis festum celebrare solebant cum Iudaeis luna 14 mensis Nisan, in quemcumque tandem diem illa incidisset. Reliqui vero Christiani vel ab ipsa apostolorum aetate Paschatis festum agebant dominico die, qui post aequinoctium vernum lunam 14 mensis Nisan sequitur. Manifestum est, quanta esset Asianorum hac in re a ceteris Christianis discrepantia. Attamen cum Romani Pontifices intelligerent, morem, quem diximus, Asianos sequi, non mosaicorum rituum custodiendorum cupiditate, sed veteris tantummodo traditionis conservandae cura, quam ab Apostolo Ioanne derivatam arbitrabantur, nulla ab initio ea de causa in Ecclesia mota est controversia. Cum Polycarpus Smyrnensis Episcopus, Aniceto Pontifice, Romam venit, de die Paschatis celebrandi cum eodem Pontifice egit. Ac licet Anicetus conatus sit Polycarpo persuadere, ut ipse una cum ceteris Asianis consilium susciperet, communem Christianorum morem in Paschatis festi celebratione sequendi, nihil impetravit, quin idcirco aliqua animorum indignatio exarserit. Soter, qui Aniceto successit, illud in praesenti negotio egit, ut, licet Asianos domi suae morem, quem commemoravimus, sequi passus sit, voluerit Asianos, qui in Urbe versarentur, eo die Pascha celebrare, quo die Christiani ceteri festum hoc agere solebant.

Verum cum Montanistae, et Blastus Ecclesiae Romanae presbyter, asserere coepissent, divino iure Christianos teneri, Pascha cum Iudaeis celebrare, Victor, qui tunc Romanus Pontifex erat, timens ne Asiani eiusdem erroris participes essent, atque ipse videri posset eorum errori connivere, diutius hunc Asianorum morem tolerandum non iudicavit. Habuit idcirco Romae concilium, et praecipuis Ecclesiae Episcopis auctor fuit, ut collectis in Concilio suarum provinciarum Episcopis, de hac re disputarent, ad se autem scriberent quid agendum existimavissent. Cum Episcopi Victori obtemperassent, exposuissentque, in pluribus orbis provinciis habita concilia iudicasse, die dominico Pascha celebrandum esse, ab Episcopis vero Palaestinae litteras accepisset, quibus de Asianis ita loqui videbantur, perinde si de hominibus agerent, qui errores fidei repugnantes in hoc negotio sequerentur, vehementius Victor est in sua sententia confirmatus. Igitur scripsit litteras ad Polycratem Episcopum Ephesinum, in quibus eum iussit, universos Asiae Episcopos ad concilium convocare, minatusque praeterea est excommunicationis poenam iis, qui luna XIV pascha celebrarent.

Audiendum vero est ab Eusebio quidnam Victor scribendo profecerit. « Coguntur, inquit, H. E. l. 5, c. 23 et seqq., ob hanc causam Synodi et conventus Episcoporum, ac cuncti una sententia decretum ecclesiasticum per epistolas omnibus ubique ecclesiis constituunt, quod nullo alio umquam, nisi Dominico die, Resurrectionis Domini celebrandum sit mysterium. Exstat etiamnum scriptum eorum, qui ob eam causam tum in Palaestina congregati fuerant, quibus praefuerunt Theophilus Caesariensis, et Narcissus Hierosolymitanae Paroeciae Episcopus. Et Romae quoque consimiliter, alia propter eandem causam habita est Synodus, cui Victor Episcopus praesedit. Deinde et alia Episcoporum Ponti, quibus Palma tamquam vetustissimus praefuit. Ad haec et alia paroeciarum per Galliam, quas Irenaeus moderatus est. Denique et Episcopi per Osrhoenam, ac quae in illa sunt civitates; et praecipue Branchilli Corinthiorum Episcopi, ac plurimorum aliorum, qui uno et eodem decreto ac iudicio, eandem sententiam constituerunt. Episcopis vero per Asiam minorem, qui morem ipsis ab antiquo traditum retinendum esse affirmabant, praeerat Polycrates, qui in eo scripto, quod ad Victorem Romanamque Ecclesiam exaravit, traditionem ad ipsius usque tempora servatam hisce verbis exponit: « Nos illibatum (id est inviolabilem) agimus Paschatis diem; magna enim luminaria in Asia obdormiverunt, Philippus unus ex duodecim Apostolis, et Ioannes, qui supra pectus Domini recubuit, Polycarpus, etc. Isti omnes diem Paschae in quartadecima die mensis observaverunt, iuxta evangelium, fidei regulam per omnia conservantes. Unde non perturbabor ex iis, quae ad terrorem referuntur. Poteram etiam praesentium Episcoporum facere mentionem, quos petistis ut convocarem, sicut et feci, quorum nomina si scribam, ingens multitudo sunt, qui in epistolam hanc consentiunt. »

Haec, quae Polycrates suo et collegarum nomine scribebat, Victori gravius argumentum fuerunt, eos de re hac ita sentire, ut in fidei negotio etiam peccare viderentur, atque ita esse intelligenda quae ab Episcopis Palaestinae de Asianorum sententia acceperat. Iterum igitur ad Asianos Episcopos scribendum iudicavit, ac multo gravius in suis ad eosdem litteris excommunicationis sententiam minitatus est. Etsi vero quaestio acrior evasisset, et Victor vehementer Asianis esset indignatus, non videtur tamen eum ad excommunicationis poenam ferendam reipsa pervenisse.

Et iure quidem id, inter ceteros

Henrico Valesio, Natali Alexandro videtur: nam licet Eusebius affirmare videatur, Pontificem scilicet non minis tantum se continuisse, refert tamen Irenaei ad Victorem epistolae locum H. E. lib. 5 cap. 24, quo « Eum decenter admonuit, ne integras Dei Ecclesias, morem sibi a maioribus traditum custodientes, a communione abscindat. » Irenaeum autem nominis sui fructum retulisse omnes conveniunt, ut pax servaretur. Firmilianus praeterea Caesareae Cappadociae Episcopus, qui vix 60 annos post hanc rem gestam floruit, in epist. ad Cyprianum edit. Pamel. 75 animadvertit, « propter hoc ab Ecclesiae Catholicae pace non esse discessum. » Illud tantummodo tum ex controversiae ipsius fervore, tum ex Epiphanii in haeresi 70 testimonio certum videtur, ob hanc causam talem indignationem inter orientales et occidentales fuisse, « ut pacificas a se invicem litteras nullas acciperent. »

Atque haec de controversiae istius historia retulisse sufficiat; neque enim necesse putamus hic immorari in eiusdem historiae veritate demonstranda. Adeo enim huius facti veritas explorata est Eusebii lib. 3 c. 24, et lib. 5 cap. 23 H. E.; Hieronymi in lib. de scriptoribus ecclesiasticis, aliorumque veterum testimoniis, ut dubitari de ea non possit. Omittimus igitur vel P. Marcellinum Molkemburium in criticis dissertationibus suis, vel alium quemlibet, qui conetur coniecturis potius laboriosis, quam argumentis, historiam hanc inficiari.

CAPUT XX.

QUID IUDICANDUM SIT DE VICTORIS I R. PONTIFICIS AGENDI RATIONE IN CONTROVERSIA DE PASCHATIS CELEBRATIONE.

Est nunc breviter Victoris I Romani Pontificis causa defendenda: nam non defuerunt, qui ex pertractata illum inter et Asianos Episcopos de Paschatis celebratione controversia, occasionem susceperint illius Pontificis accusandi, perinde quasi eiusdem inconsiderato consilio et imprudentia tantum hoc dissidium fuerit excitatum. Profecto Boehmerus diss. 9 Iuris Eccl. ant., ac Moshemius in commentario de rebus Christianorum ante Constantinum, Victorem hac de causa temeritatis insimulant. Febronius autem t. 2 p. 611 « Victorem, inquit, ut Ecclesiasticae unitatis minus studiosum, nimiaque praecipitatione in excommunicando adductum improbaverunt quamplurimi eiusdem temporis praesules sanctitate conspicui, quos inter Irenaeus. »

At facili negotio ostendi potest, quantopere haec a veritate abhorreant, et nihil Victorem commisisse, quod officii sui, et sollicitudinis omnium ecclesiarum, quae Romanorum Pontificum propria est, partes non requirerent. Causam enim primum consideremus, cur Victor cum Asianis controversiam habuerit. Ea quidem erat gravissima. Agebatur enim de disciplinae capite, quod omnes ubique Ecclesiae, Asianis dumtaxat Episcopis repugnantibus, servabant; et officii sui Victor esse putabat, Asianis persuadere, ut receptum hoc disciplinae caput et ipsi amplecterentur. Narrat id luculenter Eusebius H. E. l. 5 c. 23. « Nota est eo tempore quaestio ex eo, quo cunctae per Asiam minorem Paroeciae, velut ex antiquiore traditione quartadecima luna Paschatis festum observandum esse putabant, cum reliquis Ecclesiis per universum orbem consuetudo non esset ad hunc modum observandi Paschatis, quae ex Apostolica traditione (Petri et Paulli) morem hunc hactenus durantem servant,

quod ieiunia nullo sint alio, nisi die Servatoris nostri resurrectionis solvenda. » Iam vero nonnisi per calumniam Romanus Pontifex temeritatis accusari potest, si receptum ubique terrarum disciplinae caput persuadere repugnantibus conetur, eisque parere obtrectantibus, et succenseat graviter, et minitetur. Cum igitur homines, quos commemoravimus, Victorem accusant, reprehendunt eo in negotio Pontificem, qui muneris sui partes absolvere cupiens, causae gravitate considerata, id conari debebat, quod summo studio efficere conatus est.

Adiungi his deinde posset argumentum, quod causae huius gravitatem luculentius demonstraret, et Victori purgando esset opportunissimum. Nonne enim ad demonstrandum cuius gravitatis esset res de qua Victor cum Asianis dimicavit, plurimum valere deberet, inter causas cur magnum Nicaenum concilium habitum est, illam quoque fuisse, ut scilicet de die celebrandi Paschatis decerneretur? Atqui ita profecto iudicari oportere, praeter ceteros auctor est Athanasius, qui lib. de synodis n. 5 inquit: «Nicaena Synodus non temere, sed ex urgente necessitate et ex legitima causa coacta est: nam Syriae, Ciliciae et Mesopotamiae populi circa festi celebrationem claudicabant. » Concilii autem Nicaeni patres in eam sententiam omnes convenere, quam Victor contra Asianos propugnaverat.

Praeter haec, quae causae gravitatem respiciunt quaeque satis esse potuissent ad Romanum Pontificem movendum, ut Asianis auctor et hortator esset ad Pascha celebrandum iuxta communem ecclesiarum morem; habuit Victor Pontifex peculiaria rationum momenta, quibus vehementius excitaretur ut hoc ab illis Episcopis omnino flagitaret. Meminerat Blastum Presbyterum ab Eleutherio Pontifice excommunicatione perculsum, cum aliis de causis, tum illa praesertim, quod « Pascha non aliter custodiendum esse dicebat, nisi secundum legem Moysis quartadecima mensis, » quemadmodum in lib. de praescriptionibus cap. 53 Tertullianus refert. Habebat timendi causam ne Asiani, mosaicae legis servandae studio, Pascha cum Iudaeis celebrandum arbitrarentur. Ab Episcopis Palaestinae acceperat eiusmodi epistolas, quae poterant magnam suspicionem afferre, ne Asiani in re ad fidem spectante errarent. « Satagite autem nostrae epistolae exempla per totam Paroeciam mittere, ne rei simus erroris eorum, qui suas ipsorum animas tam facile seducunt. » Ita illi apud Eusebium H. E. l. 5 c. 23. Confirmatus denique in ea suspicione erat, id est, ne Asiani in negotio fidei errarent, Polycratis verbis, qui ut sententiam de Paschate die 14 mensis Nisan celebrando tueretur, non modo debitam Deo obedientiam ita exsolvi arbitrabatur, verum etiam loquens de decessoribus suis, qui eo ipso die illud festum egerant, «Illi omnes, affirmabat, iuxta evangelium, fidei regulam per omnia conservantes diem Paschae in quartadecima die mensis observaverunt. » Hanc suspicionem deinde Victor deposuisse dicendus est, praecipue cum Irenaei litteras accepit. At quamdiu in suspicione perduravit, ac suspicandi graves rationes habuit; Asianos ea de causa reprehendens, nihil aliud egit, nisi quod gravissimum munus poscebat, quo fungi cogebatur, confirmandi fratres suos, et universi Christi gregis pascendi ac gubernandi.

Reliquum est, ut modum in tam gravi re a Victore adhibitum consideremus. Iam vero patet ex illius controversiae historia, Romanum hunc Pontificem ita se gessisse, ut nonnisi per apertam iniuriam temeritatis accusari possit. Quis enim Victorem Romanum Pontificem iure reprehendat imprudentiae in negotio tractando adhibitae, cum constet, eum, licet ageretur de re omnibus omnino explorata, solos Asianos, sci-

licet, a ceterarum ecclesiarum consuetudine celebrandi Paschatis discrepare, tamen voluisse, antequam ad eos scriberet, ut communem hunc morem tenendum esse iis persuaderet, Episcoporum concilia ubique haberi, ac deinde ad se referri quid in iis Episcoporum conventibus iudicatum fuisset? Atqui Victorem hac usum fuisse agendi ratione ab Eusebio accepimus H. E. l. 5 c. 23, cuius locus superius adductus est.

Commemorat autem eo loco Eusebius et Synodum ab Episcopis Palaestinae habitam, et Episcoporum Ponti et Galliae, et eorum qui *per Osrhoenam, ac quae in illa sunt civitates,* et Corinthiorum Episcopi, et plurimorum aliorum conventus, et illud denique quod sub Victore ipso habitum est Romae Concilium. « Cuncti una sententia, ait de eo loco Eusebius, decretum Ecclesiasticum per epistolas omnibus ubique Ecclesiis constituunt, quod nullo alio umquam, quam Dominico die Resurrectionis Domini celebrandum sit mysterium. » Quid igitur est, quod Victoris non dico imprudentiam prodat, sed potius sapientissimam agendi rationem non demonstret?

His denique addendum est, Victorem commotum litteris Episcoporum, ac praesertim Irenaei, quibus ostendebatur, Asianos in re ad fidem pertinenti non peccare, minis tantummodo se continuisse, et ab anathematis sententia ferenda abstinuisse doctissimis viris iure videri, ac tantummodo pacificas litteras Asianis ad aliquod tempus, quod tamen diuturnum non fuit, denegasse. Haec autem demonstrant, eum non modo summa prudentia, verum etiam singulari mansuetudine et humanitate se gessisse.

Haec quidem, quae attulimus, satis sunt ut Victor Pontifex ab iis accusationibus defendatur, quas superius commemoravimus. Est autem hic non praetereundum, Victorem veram apostolicam traditionem de diei Paschatis celebratione contra Asianos propugnasse. Nam primo quis iure contenderet, Romanam Ecclesiam apostolicam traditionem obiicientem, quae vera traditio apostolica esset, non intellexisse? Deinde in urbe Roma festum Paschatis ante Apostolorum Petri et Paulli adventum, ante propagatam in ista civitate Religionem Christianam a Romanis celebratam esse, quibusnam monumentis doceri posset? Quare si celebrandi festi huius exordium in urbe Roma antiquius Apostolorum adventu et praedicatione non potest existimari, quodammodo, ut ita dicam, facto ipso ostenditur, festi huhuius institutionem apud Romanos Apostolis esse tribuendam. Quod si in urbe a primis Ecclesiae temporibus, Victoris I Pontificis aetate, festum illud Dominico die, qui post aequinoctium vernum lunam 14 sequitur, celebrabatur, et omnes generatim occidentales provinciae in ea re cum Romana Ecclesia perpetuo convenerant, apparet, dubium esse nullo modo posse, a Victore apostolicam traditionem fuisse propugnatam. Tandem Ecclesia universa Victoris sententiam patrocinata est, quae in concilio Nicaeno, ea ratione, qua Pontifex asseruerat, festum illud celebrari debere confirmavit.

Afferebant Asiani Episcopi exemplum Ioannis, Philippi et Polycarpi, qui luna decima quarta mensis Nisan Pascha peregerint. Sed exemplum hoc non demonstrabat, Apostolos illos tradidisse, eo die Pascha celebrari oportere: verum ex eo tantummodo sequi poterat, Apostolos iis temporibus opportunum iudicasse, accommodare se circa illius festi celebrationem consuetudini iam in Asia cognitae. Nam circa festi huius institutionem diversa ratione existimandum est si de Asia loquamur, quam de urbe Roma circa eiusdem festi originem loquuti sumus. Etenim ante Apostolorum aetatem nota erat per eas regiones festi Paschatis celebratio, et ad illum diem so-

lemniter agendum solebant magna frequentia undique Hierosolymam homines convenire. Ex eo quod igitur Ioannis, Philippi et Polycarpi aetate Paschatis festum luna decima quarta in Asia celebraretur, id non ostendit propriam ab Apostolis factam illius festi eo die peragendi institutionem. Verum alia ratione significavimus ex more in urbe semper usurpato, ut die dominico festum Paschae peragereturr, id argumentum esse, apostolicam traditionem de ipso prorsus dominico die esse intelligendam.

Abutuntur controversiae huius historia scriptores a catholica doctrina alieni, atque inde confidenter affirmant desumi argumentum posse, ea aetate Romanum Pontificem primatus potestatem in universam ecclesiam non obtinuisse. Omnium loco satis erit afferre Moshemii verba in commentario *de rebus Christianorum ante Constantinum* saec. 2 §. 72. « Ea, inquit, qua Victor vivebat aetate, tanta nondum erat antistitis Romani potestas, ut quorum sententias et instituta improbabat, eos totius ecclesiae corpore abscindere posset. Hoc ipsa haec controversiae paschalis historia extra omnem controversiam ponit. Ius enim et facultas si Romano Episcopo fuisset, quos vellet universae Ecclesiae communione privandi, neque Irenaeus, neque reliqui Episcopi voluntati eius adversari ausi fuissent, sed ratum habuissent quod ab ipso iudicatum erat. » In eandem sententiam loquitur De Potter tom. 2 *de l'esprit de l'église* etc., ubi agit de controversia, Paschatis celebrationem respiciente.

Atqui negotii huius pertractatio summam Romani Pontificis in Ecclesiae regimine potestatem, vel ab eo tempore, omnibus cognitam fuisse omnino ostendit. Etenim ipsa agendi ratio Victoris id declarat, qui in ipso controversiae initio ad se praecipuorum universae Ecclesiae negotiorum pertractandorum officium pertinere manifeste significavit, et apostolicam sedem Ecclesiarum omnium sollicitudinis gerendae veluti possessionem retinere. Confirmant id Episcopi ex qualibet orbis parte, qui, prout Victor statuerat, concilia in peculiaribus provinciis ea de causa habuerunt, ut Pontifici Maximo, qui de isto gravi negotio erat decreturus, adessent. Ostendunt id minae excommunicationis ferendae, quas Victoris litterae continebant, nisi Asiani mentem mutarent. Demonstrat denique Episcoporum cura et studium, ne Victor efficeret id, quod minitatus fuerat; demonstrat inquam, eo etiam tempore persuasum Episcopis fuisse, talem esse Romani Pontificis potestatem, ut ii ab Ecclesia abscinderentur, quos ipse communione privasset. « Ex quorum numero, inquit Eusebius loco superius citato, Irenaeus in Epistola, quam scripsit nomine fratrum, quibus praeerat in Gallia, illud quidem defendit, solo die Dominico Resurrectionis Domini mysterium esse celebrandum, Victorem tamen decenter admonet, ne integras Dei Ecclesias morem sibi a maioribus traditum custodientes a communione abscindat. » Tot autem Episcopos, tanta gravitate praestantes, tantopere metuisse, ne Victor excommunicationis poena Asianos mulctaret, eosque ab Ecclesia abscinderet, nisi explorata res fuisset, Victorem potestate sua eos abscindere posse, incredibile est.

Restitit certe Polycrates Ephesinus Episcopus cum suis Victori Pontifici. Verum ea resistentia non probat, iis temporibus ignotam Pontificis auctoritatem illam fuisse, quam posterioribus temporibus exercere potuerint. Resistentia enim legitimam auctoritatem non imminuit: neque posterioribus temporibus, quando tantam potestatis amplitudinem gradus sui propriam Romani Pontifices tranquille exercebant, exempla defuerunt hominum, qui sedis Apostolicae auctoritati non dicam

restiterunt, sed nefarie prorsus illam spreverunt. Denique Conciliorum generalium historia ostendit, num repugnantium Christianorum resistentia auctoritatis deficientiam probet.

CAPUT XXI.

DE HAERESIBUS QUAE SAECULO SECUNDO ECCLESIAM PERTURBARUNT.

Multa fuere errorum capita, quae Ecclesiam saeculo secundo perturbarunt. Eorum praecipui auctores fuerunt Saturninus Antiochenus, Bardesanes natione Syrus, patria Edessenus, Tatianus natione Assyrius Iustini M. quondam discipulus, Basilides Aegyptius, Carpocrates Alexandrinus, Praxeas in Phrygia natus et Graecorum doctrina institutus, Theodotus Byzantinus, Artemon, aliique. Eorum errores, quod ad rei summam pertinet, eo referuntur omnes, ut catholica dogmata impugnarent de SS. Trinitate, de incarnationis mysterio, de corporum resurrectione, mosaicorum rituum observationis necessitatem docerent, sacras scripturas veteris novique testamenti vel reiicerent, vel depravarent. Indicabimus aliqua singillatim de Marcione et Montano.

Cerdonis Syri haeretici, quem Marcion sequutus est, dogmata erant, ut duo principia induceret, de corporum resurrectione, de redemptione hominum male sentiret, libros sacros omnes, praeter Lucae evangelium et Paulli Epistolas licet non universas, repudiaret. Cerdonis assecla fuit Marcion Sinopensis atque ideo Ponticus appellatus. Cum hic propter nefandum crimen cum virgine patratum ab Episcopo patre suo excommunicatione mulctatus esset, neque ulla ratione posset Episcopi severitatem flectere, Romam se contulit, cum, Hygino mortuo, de alio Pontifice eligendo Romanus clerus deliberaret. Petiit igitur a Romanis presbyteris Marcion ut in communionem acciperetur, sed, prout refert Epiphanius haeresi 42, responsum ab illis est, inconsulto Episcopo id fieri non posse; «unam enim fidem esse, et unam concordiam, neque se adversari posse bono comministro suo eius patri.» Repulsam passus, Cerdoni Romae tunc commoranti Marcion se adiunxit, et eius erroribus, in eodem ferme genere, graviores suos addidit: de qua re inter ceteros legi possunt tum Moshemius in commentario superius citato, tum Walchius ubi de haereticis saeculi secundi agunt. Iam vero inde constat eum praedicasse, praeter cetera Cerdonis deliria, Christum boni principii filium, specie quadam, et umbratili corporis forma praeditum, missum fuisse ut animis salutem afferret; veterem legem et prophetarum oracula veluti a malo principio profecta reiecisse, alterum baptisma ad delenda peccata excogitasse, quo suum stupri scelus deletum esse iactavit.

Allatum quidem est aliquando hoc Marcionis factum, veluti si eo exemplum contineatur hominis, medio saeculo secundo ex Ponto, ab Episcopi sui iudicio ad Romanum Pontificem appellantis. Verum Natalis Alexander diss. 2 in saec. 2 art. 3 aliique animadverterunt, id tamquam verum appellationis exemplum haberi non posse. Neque enim Marcion petebat ut de causa sua cognosceretur, et in urbe Roma de sententia contra ipsum lata iudicium institueretur. Immo videtur omnino Marcion de Episcopo non esse conquestus, veluti si iniuria secum egisset, sed tantummodo id petiisse, ut quoniam exorare patrem non potuerat, ut sibi veniam tandem aliquando impertiretur, communionem, quam ille denegabat, ab Ecclesia Romana

impetraret. Nisi vero petatur, ut de sententia lata iudicium instituatur, quo appareat, iure ne, an iniuria sit actum, verae appellationis ratio non habetur.

Quamquam vero consilium a Marcione susceptum Romam veniendi non in eo versaretur, ut veram apud apostolicam sedem appellationem poneret; negari tamen non potest, ex hoc eius facto patere, quaenam eo tempore esset de Romanae Ecclesiae potestate ubique recepta opinio. Nam ut calamitati suae occurreret, in tanta locorum distantia, illud unum sibi superesse putavit Marcion, ut a Romana Ecclesia communionem consequeretur. Quoniam vero Romam ingressus, Pontificis adeundi copia non erat, eo quod de successore Hygini eligendo Clerus Romanus tunc ageret, narrat memorato loco Epiphanius, « Eo statim ut pervenit, ad seniores adiens, qui ab Apostolorum discipulis edocti adhuc supererant, ut in communionem admitteretur, ab iis frustra petiit. Quamobrem exstimulatus invidia, quod non principem illic locum, ac ne Ecclesiae quidem aditum impetrasset, ad impostoris Cerdonis haeresim confugere in animum induxit. » Sententia Epiphanii certe esse non potest, conatum esse Marcionem pontificatum adipisci, sed eum a presbyteris Romanis nulla ratione dignum iudicatum esse ut audiretur. Studium tamen Marcionis, ut, quoniam a Pontifice non poterat, saltem a Clero Romano communionem obtineret, satis aperte significat, quam honorifica esset etiam de Cleri Romani praestantia, quae tunc obtinebat, opinio.

Montani debet etiam peculiaris mentio fieri. Is Pepuzae ignobili Phrygiae vico natus erat, et sectam quandam a nomine suo appellatam condidit. Paracletum se esse affirmabat, non ita quidem stulte, ut se Spiritum sanctum esse contenderet, sed tantum ut veluti Doctor virtute superna donatus, religioni Christianae clarius explicandae consuleret. Contendebat is, divino consilio se motum esse, ut morum disciplinam in Ecclesia excitaret, et perficeret ea, quae prima Ecclesiae ipsius aetate, habita ratione imbecillitatis hominum, explicata non fuerant. Quare ieiunia frequentiora et diuturniora inferebat, secundas nuptias vetabat, gravioribus peccatis veniam ab Ecclesia concedi posse negabat, corporis cultum damnandum, litterarum et philosophiae studia despicienda esse tradebat, virgines velo tegendas iubebat, et eos Christianos, qui, persequutione saeviente, vel fuga salutem petebant, vel argento mortis pericula redimebant, gravissimi criminis reos esse praedicabat. Manifestum est, hominis huius errores excitare Ecclesiae sollicitudinem debuisse, quae illum in Conciliis suis damnavit. Praeter eius errores vero, qui Christianis erant perniciosi, in multum etiam periculum Ecclesia, Montani causa, apud ethnicos adducta est. Etenim tristes, quas ille spargebat de imminenti Romanae rei publicae interitu, vaticinationes, ethnicorum indignationem contra Christianos acriter provocabant.

Sed severitate, quam praeseferebat praeceptis suis Montanus, apud multos non infimi certe ordinis homines proficiebat, quos inter duae feminae sunt recensendae, Priscilla et Maximilla, quae una cum aliis praeceptoris sui exempla sequutae, vaticinabantur. Omnium autem eius sectatorum doctissimus et praecipuus Tertullianus fuit, vir ingeniosus, sed natura ipsa tristis et austerus, qui Montani causam pluribus scriptis fortiter gessit.

Haeretici ut Ecclesiae Catholicae instituta contemnant, quadragesimae ieiunium a Montano catholicos derivasse affirmant. Sed haec quanta falsitate dicantur, constat animadvertendo, communem hanc esse patrum sententiam, instituti huius originem ab Apostolica aetate, et tra-

ditione descendere. Praeterea incredibile omnibus statim apparet, ecclesiam ab eo homine instituta sua derivasse, quem condemnaverat manifesto iudicio.

Satis erit verba referre Hieronymi in epistola ad Marcellam: «Nos unam quadragesimam secundum apostolicam traditionem toto anno, tempore nobis congruo ieiunamus. Montanistae tres in anno faciunt quadragesimas, quasi tres passi sint Salvatores.» Et Montanistae quidem affirmabant, tribus vicibus a Deo hominum salutem partam esse.

CAPUT XXII.

DE PERSECUTIONE, QUAM SUB SEPTIMIO SEVERO IMPERATORE CHRISTIANI PERTULERUNT.

Cum de iis praecipue vexationibus sermonem habere instituerimus, quos a Romanis imperatoribus Christiani passi sunt, non est quod de ceteris calamitatibus, quas aliunde profectas saeculo tertio pertulerunt Christiani, peculiarem disputationem habeamus. Quare nihil dicimus de Iudaeis, qui licet rerum suarum infelici conditione afflicti essent, Christianis molestiam afferre conati sunt, ac in eos teterrimum illud odium explere, quo semper contra religionem nostram inflammati fuerunt. Ex Hippolyti autem Episcopi et aliorum patrum de odio et conatibus Iudaeorum in Christianos querelis colligimus, eos nostris molestos hac aetate fuisse, etsi diserte affirmare non possimus quidnam prorsus illi contra religionem nostram tunc fuerint machinati. Essent etiam recensendi Ethnici philosophi, aliique litterati viri, qui permagno incommodo Christianis hac aetate fuerunt. Nam ex iis nonnulli, veteres de Christianorum sceleribus accusationes renovarunt, ut ita Christianos in invidiam vocatos in gravissima pericula adducerent. Nonnulli praeterea Ethnicorum religionem fictis allegoriis, et contortis explicationibus, ea ratione sunt interpretati, ut vix diversa ab ea videri posset, quam Christum tradidisse affirmabant. Nonnulli denique per summam iniuriam, omnique adhibita fallacia, in vitae veterum philosophorum historia, aliorumque, ita rem pertractabant, ut Servatoris nostri vitam, miracula, resque gestas cum illorum hominum vitae ratione componerent, eosque Christo nihilo inferiores fuisse persuadere rudibus conarentur. Ex his autem religionis nostrae inimici consequuti sunt, ut aliqui susceptam Christianae religionis professionem desererent, aliqui vero ab ea suscipienda deterriti sint, nonnulli denique veterum heroum ac philosophorum vitae lectione commoti, mistum quoddam, et omnino ineptum religionis genus sibi sequendum iudicarint.

Sermonem igitur prosequentes de iis calamitatibus, quas a Romanis imperatoribus Christiani etiam saeculo tertio passi sunt, de Septimio Severo loqui primum occurrit. A. M. Aurelii morte usque ad annum 197 ecclesia tranquillitate usa est. Quod si eo annorum spatio, quod a M. Aurelii morte ad annum 197 intercessit, Christiani pro religione perempti aliquando fuerunt, id aliquorum hominum potentia, et adversus nostros odio, non autem ex nova lege perfectum est. At Septimius Severus anno 197 adductus est, ut iuberet, cum Christianis ex veteribus imperii legibus agi, et anno 202 edicto promulgato saevissimam contra Christianos vexationem excitavit.

In ea vexatione haud ita magnum Martyrum numerum fuisse contendit Dodwellus in toties memorata undecima diss. Cyprianica de Martyrum

paucitate, et praeterea conatur efficere, biennio tantum eam persequutionem perdurasse. Arbitramur autem nobis facile esse, etiam hoc loco Dodwellum confutare, atque ostendere revera permagnum hominum numerum fuisse in Severi persequutione pro Christi religione caesorum, et eam calamitatem, qua ecclesia vehementer afflicta est, fuisse biennio longe diuturniorem.

Res haec, de qua disputamus, nonnisi veterum scriptorum testimonio demonstrari potest: atqui gravissimos viros, aetate, doctrina, auctoritate praestantes adducere possumus pro sententia nostra luculentissimum testimonium dicentes. Accepimus enim ab Eusebio lib. 6 H. E. omnino plurimos pro Christo fuisse interfectos. «Porro cum Severus, ait c. 1, persequutionem adversus ecclesias excitasset, per omnes quidem ubique locorum ecclesias, ab athletis pro pietate certantibus illustria sunt confecta martyria.» Cap. autem 2 « Igitur Severo annum imperii decimum agente... cum persequutionis ardentissimum flagraret incendium, atque innumerabiles martyrio coronarentur. » Cap. denique 7 de Iuda Christiano verba faciens, ea tempora commemorans, quibus Severus ecclesiam vexabat, « Antichristi, inquit, adventum iam tunc imminere existimabat: adeo commota tunc adversus nostros persequutio multorum animos vehementer conturbaverat. »

Possent haec satis esse ad Dodwellum refellendum cum de parvo Martyrum numero disputat, qui sub Septimio Severo pro Christo passi sunt. Cui enim umquam ille persuadebit, revera Septimio Severo imperatore paucos Christianos pro religione interfectos esse, cum ex allatis Eusebii locis pateat, ubique locorum Severum Christianos vexasse, ubique preclara fortitudinis exempla innumeros Christianos pro religione vexatos edidisse, tantum denique timorem Christianis ob persequutionis crudelitatem gravitatemque incussum esse, ut Antichristi tempus adventare sibi in animum induxerint? Praeter Eusebium tamen, Dionem etiam commemorabimus, qui in historia sua de Severo Christianos persequente ait: « Morte afficiebat magnum numerum clarorum, et honore sibi parium virorum. » Adiungemus etiam Clementem Alexandrinum. Is Stromaton libros Severo imperatore scripsit, atque in eo opere quanta tunc esset ecclesiae calamitas, quantusque Christianorum numerus pro religione caesus sit, manifeste demonstrat, Lib. enim 2, pag. 494 edit. Oxoniensis ait: « Nobis autem sunt quotidie redundantes Martyrum fontes, qui nostris spectantur oculis, qui torrentur, torquentur, et capite truncantur. » Lib. denique 4 pag. 598 Christianos, *quod Christiani sint*, suppliciis affici refert.

Effecimus primum illud, quod erat contra Dodwellum ostendendum, non paucos certe Martyres, hac persequutione perdurante, fuisse. Alterum nunc brevi efficiamus, eam calamitatem fuisse longe biennio diuturniorem. Sane luculentum huius rei argumentum affert Tertullianus ad Scapulum c. 40 cum sex praesides in Africa commemorat, quibus illam provinciam administrantibus, persequutio perduravit etsi quandoque minus crudeliter cum Christianis ii ipsi praesides egerint. « Vigelius, inquit, Saturninus, qui primus in nos gladium egit, lumina amisit. Sub Hilariano praeside cum de areis sepulturarum nostrarum acclamassent, areae non sint, areae ipsorum non fuerunt. Quanti autem praesides, et crudeliores, et constantiores dissimulaverunt ab huiusmodi causis? ut Circius Severus, qui Thysdri ipse dedit remedium, quomodo responderent Christiani, ut dimitti possent: ut Vespronius Candidus, qui Christianum quasi tumultuosum civibus suis satisfacere dimisit: ut Asper, qui modice vexatum hominem, et statim deiectum, nec sacrificium compulit facere, ante professus inter advocatos et adses-

sores dolere se incidisse in hanc causam: Pudens etiam missum ad se Christianum, in elogio, concussione eius intellecta, dimisit, scisso eodem elogio, sine accusatore negans se auditurum hominem secundum mandatum. Haec omnia tibi et de officio suggeri possunt, et ab eisdem advocatis, qui et ipsi beneficia habent Christianorum.» His addendus Minucius Firmianus, qui Vigellium excepit, et de quo mentio est in actis martyrii SS. Perpetuae et Felicitatis. De Scapula vero illud commemorandum est, eum scilicet, qui post numeratos superius proconsules Africam administravit, circa persequutionis finem in eam provinciam missum esse.

Iam vero cum persequutionis huius tempore, tot proconsules Africam administraverint, apparet, quam falso asseratur, eam vexationem biennio tantum perdurasse. Praeterea gravissimis argumentis ostenditur ab eruditis, martyrium SS. Felicitatis et Perpetuae anno 205 contigisse: anno 210 Plutarchum, aliosque Alexandriae pro Christi religione ad mortem usque vexatos esse, Alexandrum Hiesosolymitanum Episcopum anno 211 cum in vincula coniectus esset, Clementi Alexandrino dedisse litteras ad Antiochenos deferendas. Quid vero haec demonstrant, nisi ex illorum temporum monumentis patere, longe plures annos, ac Dodwellus contendit, vexationem, de qua hactenus disputavimus, perdurasse?

CAPUT XXIII.

DE CONTROVERSIA, NUM ALEXANDER SEVERUS IMPERATOR CHRISTIANUS FUERIT.

Alexandrum Severum Imperatorem Christianum religione fuisse obtinuit apud non paucos opinio, prout et eius Matrem Iuliam Mammaeam Christianam religionem amplexam esse existimatum est. De Iuliae Mammaeae religione legi praesertim potest Io. Rud. Wetstenius in *praefatione ad Origenis dialogum contra Marcionitas*. Nos quid veterum scriptorum testimoniis magis consentaneum videri potest, breviter explicabimus.

Agit de Iulia Mammaea Eusebius H. E. lib. 6 cap. 21, et Hieronymus in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum cap. 54. Eusebii et Hieronymi testimonio, Iulia Mammaea appellatur femina religiosa, cultui dedita. Commemorant duo ii scriptores, Iuliam Mammaeam vocasse ad se Origenem in aulam, quae tunc Antiochiae erat, et ab ea Origenem de religione disputantem fuisse auditum. Verum, ut facile intelligitur, haec minime sufficiunt, ut Iuliam Christianam fuisse statui possit. Nam licet uterque referat, ab ea Origenem auditum esse in aula de religione verba facientem, nemo tamen eorum narrat, Origenem apud Iuliam profecisse, et Christianam religionem ei persuasisse. Immo vero cum Eusebius etiam illud addiderit, cito Origenem Alexandriam reversum esse, hoc non modicam affert suspicionem, Iuliam domnam, pertaesam Origenis humana despicientis severitatem, cito se eius incommoda oratione expedivisse. Neque ii loquendi modi, quibus Eusebius et Hieronymus usi sunt, evincere possunt, Christianam Iuliam Mammaeam fuisse: nam ea ratio loquendi significat tantum feminam religioni addictam, quin necesse sit prorsus affirmare, Christiana sacra illam amplexam esse.

Haec maiorem vim obtinent, si consideretur, Lampridium in vita Alexandri Severi cap. 14 t. 1 hist. Augustae, sanctam mulierem Iuliam Mammaeam appellasse; et eodem in loco ostendisse, non ita illam san-

ctam intelligi, quomodo sanctos suos Christiani vocant. « Quum puer (Alexander), inquit, ad imperium pervenisset, fecit cuncta cum matre, ut et illa videretur pariter imperare, mulier sancta, sed avara, et auri atque argenti cupida. » Iam vero, ex eo quod Lampridius sanctam dixerit Iuliam Mammaeam, nemo iure arbitrabitur, illum scriptorem Christianam matrem Alexandri iudicavisse. Cum autem Lampridius scribit, mulierem sanctam, sed avaram, et auri ac argenti cupidam Mammaeam fuisse, satis manifeste prodit, quid sanctae nomine intelligat, scilicet, eam quamtumvis religioni deditam, et animi sui salutis cupidam, vitio avaritiae imprimis obnoxiam fuisse.

Quamquam vero haec ita sint, certum est tamen, illam erga Christianos valde benevola voluntate semper fuisse, et Religionis nostrae disciplinam, moresque Christianorum omnino laude atque amore dignos iudicasse. Cum vero Alexander singularem semper erga matrem observantiam demonstraverit, mirum certe esse non potest, imperatorem hunc prorsus amico animo erga Christianos fuisse.

Videamus tamen quid ex veterum scriptorum testimonio depromi possit ad statuendum, num ipse Alexander Severus Christianam religionem fuerit amplexus. Nam non defuerunt qui imperatorem illum religionem nostram suscepisse existimaverint. Et inter ceteros Paullus Ernestus Iablonskius hoc contendit in commentatione sua *de Alexandro Severo Christianorum sacris per Gnosticos initiato.* Affert ille quidem, praeter reliqua, quae ingeniose disputat, gemmam quandam a Iacobo de Wildio editam, cui gemmae quaedam inscripta sunt, quae is de Christiana religione ab Alexandro suscepta interpretatur. Sed Ioannes Laurentius Moshemius in comm. de reb. Christ. ante Constantinum saec. 3 §. 8 probat, nihil certi ad hanc rem probandam desumi ex ea gemma posse.

Multo igitur firmius ac verius illi agunt, qui ex veterum testimóniis existimant esse ostendendum, num Christianus Alexander Severus fuerit. Si vero testimonia ista consulantur, exsistet Alexandrum Christianam religionem magni fecisse, sed illam religionem ab imperatore susceptam esse numquam probabitur.

Primum quod Lampridius habet in Alexandri vita cap. 22 commemorandum est: « Iudaeis privilegia reservavit, Christianos esse passus est. » Hoc vero non tale est elogium ut imperatorem Christianum fuisse doceat. Nam locus iste Lampridii magis beneficum erga Iudaeos, quam in Christianos Alexandrum fuisse ostendere posset. Deinde ex eo loco tantummodo sequi potest, Alexandrum effecisse, ut ea, quae contra Christianos antea fuerant decreta, ad effectum non perducerentur. Fuisset autem animi Christianam religionem vere reverentis iniquas illas leges abrogandas omnino curare. Quam vero molestum Christianis fuerit ea decreta penitus non rescindi, facile intelligitur ex eo, quod licet Alexander eiusque mater bene de Christianis esse passus sit, tamen ob illarum legum rationem vexati ab Imperii Romani magistratibus saepenumero fuerint Christiani. Est etiam non praetereundum, ab Alexandro in rerum publicarum administratione adhibitum praecipue fuisse hominem Christianis valde inimicum, Domitium Ulpianum; hunc autem non omisisse, auctoritate et gratia, qua valebat, uti ad suam erga Christianos inimicitiam exercendam. Hinc scimus eum scripsisse librum *de officio proconsulis,* atque in eo scripto magistratibus Imperii Romani, veluti in tabula, proposuisse leges omnes contra Christianos latas, ut scirent quanam ratione cum iisdem agi oporteret; qua facta magistratibus legum recordatione, non est mirum, eos persaepe Christianos religionis causa vexasse. De ea re Lactantius agens divinarum institutio-

num lib. 5 cap. XI ait: « Domitius de officio proconsulis rescripta principum nefaria collegit, ut doceret quibus poenis affici oporteret eos, qui se cultores Dei confiderentur. »

Neque vero quod Lampridius scribit, Alexandrum in larario suo, in quo matutinis horis rem divinam faciebat, habuisse etiam imaginem Christi, id ostenderet imperatorem vere Christianum animo fuisse: nam Lampridius cap. 29 refert ex testimonio scriptoris, quem Alexandro aetate aequalem fuisse dicit, illum in larario, inter animas sanctiores, Apollonium, Christum, Abrahamum, Orpheum et *huiuscemodi Deos* in imaginibus coluisse. Hoc autem argumento esse potest tantummodo, Alexandrum de Christi virtute magnam opinionem sibi comparasse, non autem cum animi sententia Christianam religionem suscepisse. Multo clarius deinde constabit, ex imagine Christi in larario ab Imperatore servata, non sequi, eum Christianam religionem amplexum esse, si verba Lampridii ipsius cap. 32 considerentur. Etenim eo loco refert, Alexandrum Severum in larario maiore inter divos et optimos consecrasse Alexandrum Magnum, cuius tamen ebrietatem et crudelitatem in amicos cap. 30 idem scriptor narraverat, Severum condemnasse. Id autem ostendit, non omnes, quos in larario suo consecraverat imperator, habitos ab eo fuisse veluti virtute ac sanctitate praestantes.

Haec sunt praecipua, quae afferuntur, ut Alexandrum Severum Christianam religionem suscepisse demonstretur: verum id ex iis minime sequi manifestum est. Cetera sunt prorsus leviora. Nam si perpendatur quod Lampridius cap. 43 refert, Alexandrum sibi proposuisse, templum Christo aedificare, id nullo modo evincit, imperatorem Christianum vere fuisse. Etenim idcirco narrat deinde Lampridius consilium templi aedificandi Alexandrum dereliquisse, quod eos audierit, « qui consulentes sacra repererant, omnes Christianos futuros, si id optato evenisset, et templa reliqua deserenda.» Item quod Lampridius commemorat cap. 51 placuisse vehementer Alexandro praeceptum illud: « Quod tibi non vis, alteri ne feceris, » nihil prorsus habet, quod imperatorem Christianum demonstret. Potuit enim homo, recte a matre institutus, et in Christianos bene animatus sibi facile persuadere huius praecepti praestantiam, cum etiam homines Christianis infensi denegare saepenumero non potuerint, in Christianae religionis praeceptis multa praeclara et laude digna reperiri. Denique quod Eusebius referat H. E. lib. 6 c. 28, « familiam Alexandri plenam Christianis fuisse, » id argumento tantum est, iis annis, quibus Alexander Severus imperavit, atque in omnibus matri Iuliae Domnae obsequutus est, aulam Christianis propitiam valde fuisse. Hoc autem extra omnem controversiam positum est, tum ob Iuliae Mammaeae in Christianos amorem, tum ob singularem Alexandri erga matrem reverentiam, evenire facile potuisse, ut in imperatoris familiam magno numero Christiani referrentur. Id vero minime potest adduci ut concludatur Imperatorem Christianum fuisse.

Esset hic quaerendum, num Imperator Philippus Arabs Christianus fuerit. Verum tanta est in re diiudicanda difficultas, talia responsa afferuntur argumentis, quae ad evincendum, Christianum eum fuisse adducuntur, ut longam necesse esset ad rem explicandam instituere disputationem. Certum tamen est, plures doctrina praestantes viros sententiam illam propugnasse, quemadmodum docti viri plures non defuerunt, qui id probari non posse contenderint. Numerat praecipuos, qui de hac controversia pertractarunt, Ioannes Albertus Fabricius in libro *salutaris lux evangelii toti orbi exoriens* pag. 235, et Walchius saec. 3

cap. 2 in adnotatione §. 4 subiecta. Constat vero, eum quamdiu regnavit, hoc est, a mense martio anni 244 ad dimidium mensem octobrem anni 249 perpetuo se benevolum Christianis exhibuisse, ita ut ii constanti tranquillitate sub eo principe frui potuerint.

CAPUT XXIV.

DE PERSEQUUTIONE A MAXIMINO IMPERATORE CONTRA CHRISTIANOS COMMOTA.

Cum Alexander Severus in Germania interfectus esset, eique Maximinus in imperio suffectus fuisset, qui mortis Alexandro illatae praecipuus auctor fuit, gravissima iterum excitata est persequutio contra Christianos, qui sub Alexandro praesertim tranquilli esse generatim potuerant, licet aliquando, prout superius tradidimus, a magistratibus imperii, secundum leges antea latas agentibus, aliquibus in locis vexati fuerint. Maximinus ignobili genere natus erat, et incredibili corporis sui robore ad gradus militares viam sibi paraverat; deinde anno 235 Alexandro sublato, obtinuerat, ut imperatoria potestas ad eum deferretur. Odio acerrimo in Alexandrum Maximinus animabatur, atque ab eius familia vexanda initium fecit, in qua magno numero reperiebantur Christiani.

Eusebius lib. 6 H. E. c. 28 id memoriae prodidit. « Gravi odio succensus adversus familiam Alexandri, in qua plerique erant Christiani, persequutione excitata, solos antistites ecclesiae, utpote evangelicae praedicationis auctores interfici iussit,» fortasse quod, iis occisis, minus sibi timendum ab ea familia putaret. Sed minime se Maximinus continuit in Alexandri familiae vexatione: etenim in Cappadocia scimus, Alexandro mortuo, Christianos persequutionem pati continuo coepisse. Docet id scriptor ad hanc rem probandam gravissimus, Firmillianus Caesareae Cappadociae episcopus in epistola inter Cyprianicas 75. « Volo autem, inquit, et de historia, quae apud nos facta est, exponere, ad hoc ipsum pertinente. Ante viginti enim et duos fere annos, temporibus post Alexandrum Imperatorem, multae isthic conflictationes et pressurae acciderunt vel in commune omnibus, vel privatim Christianis . . . ut ex hoc persequutio gravis adversus nos Christiani nominis fieret, quae post longam retro aetatis pacem repente oborta de inopinato et insueto malo, ad turbandum populum nostrum terribilior effecta est.»

Quod in Cappadocia, id aliis etiam in regionibus evenisse certum est. Nam, ut cetera praetereantur monumenta hoc probantia, Origenes homil. 28 in Matthaeum commemorat, «Ecclesias persequutionem passas, et incensas esse. » Calamitas autem ista, quae Christianos eo tempore graviter afflixit, toto triennio perduravit, quo Maximinus imperium obtinuit. Homo enim teterrimus, de cuius crudelitate tantopere veteres conquesti sunt, numquam a Christianis vexandis destitit. « Maximus numerus, ait Rufinus lib. 6 hist. c. 19, exstitit confessorum tribus annis persequutione commota, in quibus finem et persequutionis fecit, et vitae. »

Haec vero adeo per se perspicua sunt, ut ad persequendam magnae Martyrum multitudinis, qui pro Christo passi sunt, demonstrationem, explicatione non indigeant.

CAPUT XXV.

DE DECII IMPERATORIS PERSECUTIONE CONTRA CHRISTIANOS.

Post diuturnam tranquillitatem, qua Ecclesia usa fuerat, rerum facies repente mutata est, cum, Philippo sublato, Decius anno 249 Imperator factus fuit. Communis enim veterum Christianorum scriptorum querela est, illum statim post susceptum imperium crudeliter Christianos vexare coepisse. Eorum autem testimonio constat, teterrima fuisse edicta a Decio in Christianos promulgata.

Edidit quidem Bernardus Medonius Tolosae anno 1664 Decii Augusti quoddam edictum contra Christianos ex codice, cuius antiquitatem is plurimi faciebat. Verum Tillemontius in hist. eccl. tom. 3 p. 400 multa ei libello, in quo edictum illud continebatur, inesse ostendit, quae fraudis suspicionem afferre possunt, licet cum iis conveniant, quae ab antiquis de vexatione Deciana memoriae prodita sunt. Putat vero Moshemius in comm. de rebus Christianorum ante Constantinum pag.478, edictum illud de quo Medonius disputat, ex Sancti cuiusdam sub Decio interfecti recentioribus actis depromptum, et ab editore nonnullis in locis partim locupletatum, partim emendatum fuisse, ut veterum narrationibus magis consentaneum esset.

Quamquam vero Decii edicti textus ipse interierit, certum est tamen, atrocissimum contra Christianos illud fuisse. Testis huius rei est inter ceteros Dionysius Alexandrinus apud Eusebium H. E. l. 6 c. 41, ubi Decii edictum appellat *horrificum ac terribile,* et «tale fuisse, ut ipsi etiam electi, si fieri posset, scandalum paterentur, et omnes Christiani mirum in modum exterriti sint. » Testis Gregorius Nyssenus in vita Gregorii Thaumaturgi tom. 3 opp. pag.568; quo loco postquam affirmavit: « Imperator iussit in edicto suo praesides et magistratus, Christianos omni suppliciorum genere ac metu ad Deorum cultum reducere; » commemorare pergit, praesidibus et magistratibus severas poenas Decium denuntiasse, si remissiores in hoc mandato implendo fuissent: hinc factum esse ut praesides, reliquis negotiis posthabitis, de Christianis vexandis vehementer solliciti fuerint, atque edictis propositis significaverint, eos, qui Christianae religioni nuncium remittere nollent, saevissimis cruciatibus, atque extremo supplicio mulctandos esse; nova, atque antea inaudita tormentorum et cruciatuum genera excogitata fuisse, atque instrumenta terribilia ad corpora torquenda comparata, palam exposita esse, ut adspectu suo Christianos affligerent, metuque implerent; incredibilem denique terrorem, incredibilem metum, ac gravissimam perturbationem ubique his de causis obortam fuisse. Haec sunt, quae de legis contra Christianos a Decio latae forma tum Gregorius Nyssenus, tum veteres reliqui scriptores memoriae prodiderunt.

Haec vero per se sola satis sunt, ut intelligatur teterrimam esse debuisse calamitatem, quam Christiani sub eo imperatore pertulerint: generatim enim ea evincunt, imprimis crudele fuisse edictum, cuius auctoritate Decius voluit agi contra Christianos. Deinde metus magistratibus incussus, ut in edicti exsequutione diligentissimam operam exhiberent, additus hominum iniquitati, qui sponte sua voluissent Christianos affligere, perspicue declarat, quanta Christianorum clades esse debuerit. Pertinebat ea calamitas ad omnes, omnis generis, ordinis, aetatis et sexus Christianos; quod quidem exemplum eorum, qui Alexandriae mortem

Christi causa oppetierunt, et ea quae ex Dionysio Alexandrino apud Eusebium l. 6 c. 41 superius adducta sunt, luculenter demonstrant. Auctor vero est inter ceteros Cyprianus ep. 52 ad Antonianum pag. 69 ed. Baluzii, Decium, quemadmodum Maximinum, sacerdotes et Episcopos Christianorum imprimis vexari atque excruciari iussisse, eaque de causa factum esse, ut, Fabiano R. P. interfecto, impediverit, quominus alius eius loco Episcopus crearetur, « Sedit, inquit de Cornelio Fabiani successore loquens, sedit intrepidus Romae in sacerdotali cathedra eo tempore, cum tyrannus infestus, sacerdotibus Dei fanda atque infanda omnia comminaretur, cum multo patientius et tolerabilius audiret levari adversus se aemulum principem, quam constitui Romae Dei sacerdotem. »

Magnam tamen ex qualibet provincia fuisse Martyrum Christianorum copiam facile est mente concipere. Licet enim ex Cypriani libro *de lapsis,* aliisque eius epistolis manifestum sit magnam fuisse diversitatem a praesidibus in edicto implendo adhibitam, certum tamen est, omnes variis modis periclitatos esse num Christianos adducere possent ad Christum, quem professi erant, deserendum, omnes ultimi supplicii poena intentata Christianos terruisse, omnes cum sacrorum ministris, maxime cum Episcopis severius atque inclementius egisse, quam cum ceteris, atque mortem Episcopi citius, quam aliorum imperasse. Itaque atrocissimam hanc a Christianis sub Decio toleratam persequutionem fuisse patet.

CAPUT XXVI.

DE PERSEQUUTIONE SUB VALERIANO IMPERATORE A CHRISTIANIS TOLERATA.

Valerianus Imperator cum usque ad quintum imperii sui annum se imprimis benevolum et clementem erga Christianos ostendisset, anno tandem 257, auctore Macriano, Praefecto Praetorii, cuius familiaritate utebatur, quique in summa apud eum aestimatione erat, repente sententiam mutavit, atque praesides Imperii Christianorum conventus vetare, et Episcopos doctoresque Ecclesiae in exilium mittere iussit: haec imperatoris mandata Christianorum animos, gravioribus malis assuetos, accendere potius, quam terrere visa sunt. Quare anno proximo severius contra Christianos Imperator edictum promulgavit, cui magistratus obtemperantes, magnam Christianorum copiam per omnes Imperii provincias necaverunt, et poenis aliquando morte ipsa deterioribus affecerunt.

Pluribus adductis testimoniis ista possunt ostendi; sed brevitatis gratia haec satis erunt. In actis Cypriani, apud Theodoricum Ruinartium, Paternus proconsul ita Cyprianum adductum in iudicium alloquitur: « Sacratissimi imperatores Valerianus et Gallienus litteras ad me dare dignati sunt, quibus praeceperunt, eos, qui Romanam religionem non colunt, debere Romanas caeremonias recognoscere. » Neganti fortiter Cypriano proconsul poenam exilii decernens, respondit ita prosequutus: « Non solum de Episcopis, verum etiam de presbyteris mihi scribere dignati sunt. » Praeterea proconsul haec pronunciavit: « Praeceperunt etiam, ne in aliquibus locis conciliabula fiant, nec coemeteria ingrediantur: si quis igitur hoc tam salutare praeceptum non observaverit, capite plectetur. » His autem verbis manifestum est, poenam capitalem contra eos Christianos latam, qui generatim sacros conventus agerent,

et nominatim eadem poena proposita vetitum fuisse, ne coemeteria frequentarentur. Ideo vero iis Christianis irascebatur Imperator, qui coemeteria adirent, eo quod in illis Martyrum et Confessorum cadavera condita essent, et Christiani, qui inde revertebantur, fortiores, et ad contemnenda decreta principum alacriores facti viderentur. Colligitur ex his summa primae legis a Valeriano latae contra Christianos, et haec manifeste conveniunt cum iis, quae Dionysius Alexandrinus apud Eusebium H. E. lib. 7 cap. 11 narrat de rebus a se ceterisque perferendis: Aemilianus enim praefectus de eis inquit: « Mittemini in partes Libyae ad locum Cephro: hunc enim locum iussu augustorum nostrorum elegi. Nullatenus autem licebit vobis conventus agere, aut ea, quae vocantur coemeteria adire. » Exscribenda hic esset tota Cypriani epistola 77 *ad Martyres in metallis constitutos,* in qua refert, partem populi sibi commissi iam martyrio functam esse, partem adhuc in carceribus contineri, atque ad metalla damnatam esse, fustibus caesam, compedibus vinctam: ostendit praeterea ex quolibet ordine, genere, et aetate condemnatos magno numero ea de causa Christianos fuisse. « Denique, inquit, exemplum vestrum sequuta multiplex plebis portio confessa est vobiscum pariter, et pariter coronata est, connexa vobis vinculo fortissimae charitatis, et a praepositis suis nec carcere, nec metallis separata. Cuius numero nec virgines desunt. In pueris quoque virtus maior aetate, annos suos confessionis laude transcendit, ut martyrii vestri beatum gregem, et sexus et aetas omnis ornaret. »

Tantam crudelitatem, qua contra Christianos tunc temporis agebatur, ut poenis exilio maioribus affligerentur, tribuendam esse postremae legis parti manifestum est, qua morte mulctandos esse statuebatur eos, qui conventus frequentarent, vel coemeteria ingrederentur. Hanc causam adducit Cyprianus loquens de Xysti II Romani Pontificis martyrio in epistola 82 ad Successum. « Xystum autem in coemeterio animadversum sciatis octavo iduum augustarum die, et cum eo diaconos quatuor: sed et huic persequutioni quotidie insistunt praefecti in urbe, ut si qui sibi oblati fuerint, animadvertantur, et bona eorum fisco vindicentur. » Cum Christiani, videlicet, imperatoris prohibitione deterriti non sint a conventibus suis habendis, et a coemeteriis adeundis, eo quod nollent poenarum metu ea derelinquere, in quibus fidei Christianae professio illis temporibus contineri videbatur, magno numero comprehendebantur. Cum autem praesides plane intelligerent, cuius periculi esset tantam hominum multitudinem interficere, eveniebat, ut non pauci capite plecterentur, ceteri verberibus, carcere aliisque poenis exilio gravioribus afficerentur.

Alterum edictum Valerianus anno circiter 259 promulgavit, quod primo crudelius iudicatum est. Iussit enim in hoc altero edicto, Episcopos, presbyteros, diaconos omnes, qui ethnicam superstitionem suscipere nollent, continuo interfici; senatores, et egregios viros, atque equites Romanos, dignitate amissa, etiam bonis spoliari, et si, bonis publicatis, in religione retinenda perseverassent, capite plecti debere, matronas bonis suis spoliatas in exilium relegari, Caesarianos denique, hoc est, omnes eos, qui, quacumque ratione ad imperatoris familiam pertinebant, eadem de causa, in Caesarianas passiones mitti oporteret. Scripsit tandem, et edicto subiecit Imperator epistolam ad omnes provinciarum praesides, qua eos urgebat, illa omnia implere, quae edicto suo continebantur. His rationibus atrocior evasit calamitas, quam sub eo Imperatore Christiani pertulerunt.

Captus in Persico bello, exeunte anno 260, Valerianus fuit, et ludibrio habitus est, atque eo tandem tempore haec vexatio sedata est. Id au-

tem Eusebius lib. 7 H. E. cap. 13 diserte narrat, ubi, allatis Gallieni rescriptis per universum Imperium Romanum missis, ostendit, tunc ab eo factam fuisse copiam Christianis, ut libere religionem suam profiterentur. Apparet igitur, Valeriano imperante, ab eo tempore, quo Christianos vexare coepit, usque ad tempus, quo a Persis captus fuit, id est spatio temporis, quod tres annos longe superavit, magnam fuisse eorum Christianorum copiam, qui pro Christo interfecti sunt, et permagnum etiam Christianorum numerum fuisse, qui carcere, exilio, bonorum spoliatione, exquisitis cruciatibus eadem de causa vexati fuerunt. Merentur autem, ut singillatim commemorentur duo fortissimi sanctissimique viri, qui hac vexatione durante, gloriosum pro Christo martyrium fecerunt, Cyprianus, videlicet, Carthaginiensis Episcopus, invictus religionis assertor, et Laurentius Romanae Ecclesiae diaconus, qui, Leone Magno sapientissime affirmante, tantam martyrio suo urbi nostrae gloriam, quantam Stephanus Hierosolymae comparavit.

Usque ad annum 270 quo Aurelianus imperare coepit, res Christianorum satis tranquillae fuerunt. Neque Aurelianus, integro quadriennio, etsi Deorum superstitioni imprimis addictus, ac de Christianis male sentiret, quidquam grave contra eos molitus est: quinto autem imperii sui anno, sive propria superstitione, sive aliorum instigatione motus, bellum in eos paravit, quod, si is vixisset, cum crudelis et ferocis ingenii homo esset, ac Deorum amicis et sacerdotibus valde obnoxius, praeteritis atrocius esse potuisset. Sunt qui censent, ideo eum crudeliter vexandos decrevisse Christianos, quod tunc vehementer contenderit, divinos honores soli adhiberi debere, Christianos vero repererit voluntati suae invicte repugnantes. Verum eius conatus compressi a Deo fuerunt: « Protinus, inquit auctor libri de mortibus persequutorum cap. 6, protinus, inter initia sui furoris, extinctus est: nondum ad provincias ulteriores cruenta eius edicta pervenerant, et iam Caenofrurio, qui locus est Thraciae, cruentus humi iacebat. »

Ut quae habet auctor libri de mortibus persequutorum intelligantur, et simul appareat, quomodo Martyres sub Aureliano vere fuisse dici possit, commemorandum est, veteres scriptores tradidisse, Aurelianum, post edictum contra Christianos promulgatum, fulmine de caelo labente, perterritum vehementer in itinere fuisse cum suis; deinde, quod ex historia constat, inter Heracleam et Byzantium mense Ianuario anno 275, Mnesthei intimi familiaris sui praesertim proditione, illum interfectum esse. Post Aureliani mortem menses fere octo vacavit imperium, antequam Senatus auctoritate, mense Septembri exeunte, Marcus Claudius Tacitus Imperator eligeretur. Eo autem temporis spatio, secundum legem ab Aureliano editam actum est contra Christianos, praesertim a praesidibus, qui ad Religionem Christi vexandam vix indigebant incitamento. Atque ita in provinciis, ad quae eius adhuc vivi edicta venerunt, vel in quibus post eius mortem praesides iniquo erant in Christianos animo, manifestum est religionem vexatam fuisse. Legi potest Antonius Pagius in critica Baronii ad an. 272 n. 7.

CAPUT XXVII.

DE CONTROVERSIA CHRISTIANOS IN PERSEQUUTIONE LAPSOS RESPICIENTE.

Si quae fuit persequutio contra Christianam Religionem commota, qua perdurante, non parva Christianorum copia ab officio suo defecit, illa certe fuit, quam sub Decio Imperatore Christiani passi sunt. Hinc factum est, ut ad diversas hominum, qui in ea calamitate religionis causam dereliquerunt, classes distinguendas, *thurificatos, sacrificatos, libellaticos*, scriptores praesertim de ea calamitate loquentes commemoraverint. Cyprianus Carthaginiensis Episcopus cum vidisset, tot homines, etiam Ecclesiastici Ordinis a Religione defecisse, id tribuendum esse putavit desidiae, quae proximis temporibus in mores Christianorum irrepserat, qui cum tranquillitate fruerentur sub Alexandro Severo primum, deinde toto tempore, quo Philippus imperavit, de veteri Religionis defendendae constantia, atque animi fortitudine multum remiserant. Haec licet vera sint, negari tamen non potest, defectionis huius causam praecipue constitui debere in summa vexationis acerbitate, qua, Decio imperante, Christiani perculsi fuerunt.

Nam si persequutionum ratio consideretur, quas usque ad illud tempus toleraverant Christiani, facile reperietur, illam, quam Decius indixit, ceteris crudeliorem fuisse. Etenim cum generatim de ceteris persequutionibus illud certum sit, in Christianos extremi supplicii poenam fuisse decretam, nisi Christiana sacra dereliquissent; in Decii vexatione inducta sunt atrocissima cruciatuum et poenarum genera, quibus, antequam vita privarentur, teterrima ratione mulctabantur. Praeterea graves minae magistratibus ab Imperatore factae, nisi accurate implevissent quod ipse decreverat de Christianis omnibus eo modo vexandis, qui Religionem non deseruissent, prout superius significatum est, efficiebant, ut ubique extraordinario prorsus atque inaudito vexationis modo Christiani afflictarentur. Quod si ipsam edicti a Decio lati formam et contextum haberemus, fortasse ex illo colligeremus, singillatim cautum in eo fuisse, ut Christiani ad consulendum saluti suae deberent peculiare praesidum testimonium sibi comparare, quo doceretur, eos Imperatoris decreto obtemperasse. Id autem praesertim inde coniici potest, quod eo prorsus tempore obtinuerit, ut inter diversas hominum classes, qui a religione defecerant, *libellatici* quoque commemorarentur. Nam ad libellum istum sibi impetrandum, in quo crimen religioni contrarium contineri scriptores illorum temporum satis aperte demonstraverunt, ideo adducti videntur Christiani, ut saluti suae, sine eiusdem libelli consequutione in discrimen versanti, prospiceretur.

Cum magna Christianorum copia, qui, persequutione saeviente, lapsi fuerant, antequam communionem consequi posset, poenitentiae canonicae subiici deberet, prout Ecclesiae instituta ferebant, excitata est gravis illa controversia quae *de lapsis* solet appellari. De ea re cum breviter loquuturi simus, non erit certe inopportunum antea inquirere, quidnam mali commiserint ii inter lapsos Christianos, quos *libellaticos* dictos esse retulimus.

Etenim quod spectat ad libellaticorum crimen explicandum, constat disputatum inter eruditos fuisse, et diverso modo de libellis persequutione durante acquisitis esse existimatum. De ea autem re, inter ceteros, consuli possunt praesertim

doctissimus Prudentius Maranus Monachus Maurinus in vita Cypriani n. 6 praemissa eiusdem operibus editionis Baluzianae; Tillemontius H. E. t. 4; §. 14; Natalis Alexander diss. 2 in saeculum tertium.

Ea vero fuisse omnino videtur criminis ratio a libellaticis commissi, ut, cum nota esset iudici ipsorum constantia in Christiana religione non deserenda, data tamen pecunia, saluti suae consulerent, libello eiusmodi reportato, in quo illos edicto principum satisfecisse contineretur. Erat igitur in libellis illis, simulatae defectionis a fide testificatio, quo solo evenire poterat in tanta persequutionis crudelitate, ut incolumes esse ii possent. Nisi id verum sit, non apparet ullo modo, quomodo nefandi libelli isti a Cypriano appellari potuerint, et « nefandis idololatriae libellis contaminati » dicti ab eodem fuerint ii, qui libelli huiusmodi accipiendi crimen commisissent.

Hoc crimen certe levius esse non potuisse testificatione simulatae defectionis a fide, quod libellatici patrarent, satis aperte ostendit Cyprianus, quo scriptore ad hanc rem explicandam nemo gravior reperiri poterit. Quid enim aliud evincit instituta ab eo comparatio libelli accipiendi, cum iis, quae Eleazari amici 2 Machab. 6 conati sunt Eleazaro persuadere, ut eundem ab extremi supplicii periculo liberarent? Atqui in libro de *exhortatione martyrii* c. XI haec Cyprianus habet: « Ac ne quis, vel libelli, vel alicuius rei occasione, qua fallat, amplectatur decipientium malum munus, nec Eleazarus tacendus est, qui cum sibi a ministris regis offerretur facultas, ut, accepta carne, qua liceret sibi vesci, ad circumveniendum regem simularet se illa edere, quae de sacrificiis atque illicitis cibis ingerebantur, consentire ad hanc fallaciam noluit, dicens, nec aetati suae, nec nobilitati convenire id fingere, quo ceteri scandalizarentur, et in errorem inducerentur, existimantes Eleazarum nonaginta annos natum ad alienigenarum morem, relicta et prodita Dei lege, transiisse.... Sincera prorsus fides et virtus integra, ac satis pura, non regem Antiochum cogitasse, sed Deum iudicem, et scisse, proficere sibi ad salutem non posse, si hominem derideret ac falleret, quando Deus, qui conscientiae nostrae iudex est, et solus timendus est, nec derideri possit omnino, nec falli.»

Idem confirmant quae epist. 52 ad Antonianum Cyprianus ait, scilicet libelli accepti criminis reum « dare magistratui praemium, nec quod non licet, faceret.... nunc tamen etiam iste, qui libello maculatus est, postquam nobis admonentibus didicit, nec hoc se facere debuisse, etsi manus pura sit, et os eius feralis cibi nulla contagia polluerint, conscientiam tamen eius pollutam, flet auditis nobis, et lamentatur. » Item quod in libro *de lapsis,* ubi laudat eos, qui « apud sacerdotes Dei exomologesin conscientiae facerent, animi sui pondus exponerent » eo quod licet « nullo sacrificii, aut libelli facinore constricti, quoniam tamen vel de hoc cogitaverunt. » Denique eandem scientiam probant verba Cleri Romani ep. 31, quem Cyprianus de ista controversia consuluerat, affirmantis, libellaticos se ipsos infideles illicita libellorum professione prodidisse. « Cum totum, inquiunt, fidei sacramentum in confessione Christi nominis intelligatur esse digestum, qui fallaces in excusatione praestigias quaerit, negavit, et qui vult videri propositis adversus Evangelium vel edictis, vel legibus satisfecisse, hoc ipso iam paruit, quod videri se paruisse voluit. »

Quamquam vero haec ita sint, magnum tamen Cyprianus ipse, et reliqui Episcopi discrimen esse putaverunt inter veros religionis proditae reos, et homines, qui ad periculum vitandum, libellos illos a magistratibus acquirebant. Etenim manifestum est ex Cypriani scriptis de

ea re, habitam fuisse rationem animi propositi Christianam Religionem nulla ratione relinquere volentis, in iis, qui ad poenam declinandam libellos pecunia comparandos existimaverant. Hoc dicit Cyprianus in epistola memorata ad Antonianum animadverti debere, ut libellaticorum conditio a sacrificatoribus secernatur: affirmabat enim libellaticus antequam libellum securitatis acciperet. « Ego prius legeram, et Episcopo tractante cognoveram non sacrificandum idolis, nec simulacra servum Dei adorare debere, et idcirco ne hoc facerem, quod non licebat, cum occasio libelli fuisset oblata, quem nec ipsum acciperem, nisi ostensa fuisset occasio, ad magistratum vel veni, vel alio eunte mandavi, Christianum me esse, sacrificare mihi non licere, ad aras diaboli me venire non posse, dare me ob hoc praemium, ne, quod non licet, faciam. »

Quo loco animadvertendum est, satis apparere ex Cypriani pluribus locis, quo nemo fusius, aut cum maiori rei notitia hanc controversiam pertractavit, magistratus avaritia evenisse passim, ut ad libellos securitatis impetrandos, non ipsi per se adesse coram tribunali debuerint, qui illos accipiebant, sed aliorum opera et prece illi impetrati facile fuerint. Quare in libro *de lapsis* Cyprianus ait: « minus plane peccavit libellaticus non videndo idola, nec sub oculis circumstantis atque insultantis populi, sanctitatem fidei profanando, non polluendo manus suas funestis sacrificiis, nec sceleratis sacrificiis ora maculando. Hoc eo proficit ut sit minor culpa, non ut innocens conscientia. » Hac denique de causa factum est, ut in exitu controversiae de communione lapsis tribuenda, semper illud obtinuerit, ut multo benignius generatim cum libellaticis, quam cum lapsis ceteris agendum esse statueretur.

Haec satis manifesta sunt ad speciem lapsorum explicandam, qui libellatici fuerunt appellati. Nunc de controversia, lapsorum causa saeculo tertio, Imperatoris Decii persequutionis occasione, Fabianum inter et Cornelium Pontificem pertractata, agendum est.

Itaque in Ecclesia, temporibus ea aetate antiquioribus, mos servabatur, ut qui in idololatriam, et in alia etiam nonnulla graviora scelera lapsi essent, publicae poenitentiae subiicerentur, eamque persolvere omnino tenerentur, si cum Ecclesia catholica in gratiam et communionem redire voluissent. Institutum hoc quantopere utile esset continendis hominibus in officio, iisdemque a tam gravi crimine deterrendis, manifestum est. Sed ante aetatem hanc, ante atrocissimam a Decio commotam persequutionem, mos etiam obtinuerat, ut Ecclesia, Martyrum et Confessorum gratia benignius ageret cum lapsis in idololatriam, vel in alia graviora crimina, eo quod magna esset Martyrum et Confessorum auctoritas, et vellet Ecclesia ostendere, quanti eorum virtutem fortitudinemque faceret. Solebant autem Martyres et Confessores testimonium quoddam scripto exhibere lapsis, quo se illos in pacem accipere declarabant, et ut ab Episcopis acciperentur, precari solebant. His vero libellis, qui *libelli pacis* appellabantur, impetratis, erga lapsos Ecclesia benignitatem suam ob Martyrum merita demonstrabat.

Tertulliani aetate id iam obtinuisse perspicuum est ex eius testimonio cap. 22 libri *de pudicitia*. « Quam pacem, inquit, quidam in Ecclesia non habentes, a Martyribus in carcere exorare consueverunt. » Praeterea subdit Tertullianus: « At tu iam ad Martyres tuos effundis hanc potestatem, ut quisque ex confessione vincula induit adhuc mollia, in novo custodiae nomine, statim ambiunt moechi, adsunt fornicatores, iam preces circumsonant, iam lacrymae circumstagnant maculati cuiusque, nec ulli magis adi-

tum carceris redimunt, quam qui Ecclesiam prodiderunt.... Alii ad metalla confugiunt, et inde communicatores revertuntur.» Haec si Tertulliani aetate passim eveniebant, apparet, antiquiorem hunc morem fuisse etiam tempore, quo scribebat Tertullianus.

Sed superioribus temporibus Martyres magna moderatione usi fuerant in eiusmodi *pacis libellis* concedendis. Non idem contigit in Deciana persequutione. Immo in Africa omnem prorsus in ea re modum excesserunt, et incitati dolo malo a Presbyteris Cypriani inimicis, indiscriminatim omnibus Religionis desertoribus, quorum tantus eo tempore numerus erat, libellos pacis impertiti sunt, quibus si, neglecta muneris sui propria gravitate, Episcopi assensi essent, de publica poenitentia vel ab eo tempore actum fuisset.

Non is tamen erat invictus religionis amator Cyprianus Carthaginiensis Episcopus, ut ingruente ista controversia frangi posset. Quare pro ea qua praeditus erat animi fortitudine, et pro singulari quo praestabat religionis amore, haec minime toleranda esse arbitratus est, et non modo cum lapsis, sed cum Martyribus ipsis egit, ut res sine disciplinae ecclesiasticae violatione exitum haberet. Verum controversia ferventior evaserat, tum quod Martyres contenderent hoc iam esse in Ecclesia receptum, ut Episcopi non possent eis communionem denegare, quibus illi libellos pacis concessissent, tum quod lapsi, etiam vi adhibita, et tumultu commoto, ab Episcopis et Presbyteris conarentur communionem impetrare. His addendum quod Cyprianus habet pluribus in locis de ratione, qua, nullo discrimine adhibito, libellos pacis Martyres largiri coeperant: videlicet tanto numero concedebantur, ut Cyprianus epistola 14 quotidie libellorum millia numerari conquereretur: neque libelli contextus is erat, ut singulis illum afferentibus prodesse deberet, sed etiam, prout epistola 10 probat, pax tribueretur homini libellum accipienti, et iis omnibus, quos ille Episcopo attulisset. Denique eo res evaserat, ut aliquando, etiam fiduciaria ratione, Martyres committerent alicui, ut post eorum mortem pacem petentibus impertirentur, de qua re sermo est in epistola 21 ad Celerinum.

Conatus fuerat antea Cyprianus rem omnem Concilii iudicio reservare, quod celebrari deberet, cum, persequutione sedata, illud cogi primum potuisset; sed deinde, tanta discordiae et schismatis periculi gravitate adductus, iis lapsis non denegandam communionem esse statuit, qui in mortis periculo versarentur. Consuluit praeterea de negotio toto Clerum Romanum Cyprianus, prout superius significatum est, atque ille Clerus postquam in epistola inter Cyprianicas 31 ostendisset, indubium esse debere, libellorum a Martyribus concessorum vim et auctoritatem talem esse non posse, ut Episcopis necessitatem afferrent iisdem morem gerendi; se praeterea optasse declarasset, exspectare electionem, quam Decius diu impediebat, Pontificis maximi, « qui omnia ista moderetur, et eorum, qui lapsi sunt, possit cum auctoritate et consilio habere rationem.» Denique memoratam amplexus est sententiam, « ut interim, dum Episcopus dari a Deo nobis sustinetur, in suspenso eorum, qui moras possunt dilationis sustinere, causa teneatur: eorum autem, quorum vitae finem urgens exitus dilationem non potest ferre, acta poenitentia... demum caute et sollicite subveniri.»

Cum, Decio tandem aliquando de medio sublato, pacem Ecclesia recuperasset, habitum Romae Concilium anno 254 fuit, et Cornelii Pontificis auctoritate decretum est, *sacrificatos* lapsos plenam agere poenitentiam debere, antequam communionem consequi possent, nisi vitae pe-

riculum illius sine mora concedendae causam attulisset, sacerdotes lapsos, poenitentia peracta, ad communionem laicam esse accipiendos; de libellaticis denique statutum fuit, ut nulla iis imposita novae poenitentiae necessitate praeter illam, quam, persequutione durante, ipsi sponte obeundam curaverant, pacem Ecclesiae adipiscerentur. Consuli potest collectio Conciliorum Ioannis Dominici Mansii t. 1 col. 793 et seqq. quo loco monumenta omnia ex ordine recitat istam controversiam respicientia. Quod Cornelii auctoritate de ista causa decretum est, hoc deinde eius successor Lucius litteris quoque suis confirmavit. Id apposite animadvertit Petrus Coustantius tom. 1 epistolarum Romanorum Pontificum, allato Cypriani Epistolae 1 testimonio ad Stephanum. « Servandus est enim, inquit Cyprianus, antecessorum nostrorum, beatorum Martyrum Cornelii et Lucii honor gloriosus. Illi enim pleni spiritu Dei, et in glorioso martyrio constituti, dandam esse lapsis pacem censuerunt, et, poenitentia facta, fructum communicationis et pacis negandum non esse, litteris suis signaverunt.»

Quae hactenus exposuimus, praecipua continent, quae ad istius controversiae pertractationem pertinent. Iniuria vero Cyprianum quis carperet, veluti si nimis severus, et auctoritatis suae defendendae studiosus, Martyribus et lapsis obstiterit, et idcirco tanta discordia excitata, Ecclesiam vehementer afflictam magis contristaverit. Nam non est necesse, qua virtute praestaret Cyprianus hic ostendere, cum luce clariora sint singularis eius sanctitatis exempla. Deinde quanti religionis interesset, disciplinam custodire in eo rerum genere, de quo agebatur, satis manifestum est, cum eo tempore ob ingruentes persequutionum calamitates ab illo maxime crimine deterrendi essent Christiani, quod persequutores sibi proponebant ab iis consequi, scilicet, defectionis a fide. Praeterea disciplinam istam in summum discrimen vocatam esse ob inconsideratam et ferme tumultuosam libellorum pacis concessionem, satis abunde colligitur ex iis, quae recensuimus; aliisque quae possent commemorari. Denique Cyprianum virum sanctissimum de disciplina tantummodo et religione sollicitum in ea controversia pertractanda perpetuo fuisse, perspicue docent eius scripta, quae huius rei plena sunt. Constat vero ex toto controversiae decursu, eam semper curam fuisse Cypriani, ut quando salutis aeternae periculum adesset, abstineri deberet a disciplinae severitate, et, nulla mora interiecta, lapsorum bono esset prospiciendum.

Non est etiam omittendum, Cyprianum, qui tantopere de poenitentiae disciplina servanda laboraverat antequam communio lapsis concederetur, ubi primum divinitus admonitus intellexit, novam Valeriani persequutionem imminere, statim lapsis communionem concedendam esse in Africana Synodo statuisse, etiamsi iam illa decreta fuissent, quae Cornelii Pontificis auctoritate de lapsis post poenitentiam communioni restituendis promulgata fuerunt. Etenim hoc ille aperte affirmat in epistola ad Cornelium ex Africana Synodo, in qua statutum esse narrat, pacem lapsis largiri, «quia hostis nobis imminere praenunciatur, et ostenditur colligere intra castra milites Christi, et examinatis singulorum causis, pacem lapsis dare, immo pugnaturis arma suggerere.» Haec nisi demonstrent virum egregium de religione tantum, et de animorum salute sollicitum, non intelligitur quid significent.

Ad Romanam denique Ecclesiam quod pertinet, controversia ista de lapsis quantopere huic Ecclesiae honorifica est! Primum res tota Romani Pontificis Cornelii, ac Lucii deinde auctoritate et iudicio absolvitur. Deinde quodnam potest ho-

norabilius de Romani Cleri praestantia testimonium afferri ex vetusta illa aetate, quam sanctissimi doctissimique viri Cypriani exemplum, qui, Fabiano mortuo, et per tyrannum importunum novi Pontificis electione diu impedita, Clerum illum consuluerit, atque ab eius responsione, quid in gravissimo, Ecclesiam omnem respiciente, negotio agendum esset exspectaverit? Ipsae vero Cleri Romani Epistolae de ea re sunt eiusmodi, ut singularem huius Ecclesiae in universum orbem praeeminentiam doceant. Refelluntur certe isto facto, qui Ecclesiae Romanae auctoritatem excogitatis posteriori tempore monumentis veritate carentibus tribuendam esse contenderunt.

CAPUT XXVIII.

DE VERITATE CONTROVERSIAE SAECULO TERTIO EXCITATAE CIRCA ITERANDUM BAPTISMUM AB HAERETICIS COLLATUM.

Celeberrima est controversia illa saeculo tertio excitata de iterando baptismo, quem haeretici contulissent. Fuerat haec communis in Ecclesia sententia ab Apostolicis temporibus, ratum esse et virtute sua praeditum baptismum a quocumque homine collatum, qui ritu a Christo praescripto usus esset in eo ministrando. Obtinuerat idcirco, ut, si qui ab haereticis baptizati ad Ecclesiam Catholicam revertebantur, modo constaret nihil de legitima materia ac forma baptismatis mutatum fuisse, iterum non baptizarentur. Verum de hac re acriter fuit pertractatum, cum Stephanus I Romanus Pontifex universae Ecclesiae praeesset. In controversia autem ista adversarium habuit praecipue Cyprianum Carthaginiensem, Firmilianum Caesareensem Cappadociae Episcopum, aliosque Praesules, non ex Africa modo, sed etiam ex aliis provinciis, qui sententiae adhaeserant, iam nonnullos ante annos spargi coeptae, qua iterandum esse baptismum ab haereticis omnibus collatum decernebatur, eo quod haeretici natura sua vero Christi baptismo conferendo impares ab iis iudicarentur. Stephanus vero nihil innovandum esse praedicabat, et collatum legitima forma ab haereticis baptismum ratum habendum esse iubebat.

Gravissimis argumentis inniti veritatem historiae, controversiam de rebaptismo respicientis manifestum est; atque inde tantum fieri potuit, ut usque ad annum 1733 quo Raymundus Missorius Ord. Franc. singulari libro Venetiis edito idem factum denegavit, eruditissimi viri cuiuslibet aetatis sine ulla dubitatione crediderint, vere memoratos Episcopos de ea re disputasse, et ad illam controversiam vere pertinere monumenta, quae de ipsa re litteris tradita sunt. Incredibilem hanc temeritatem, inquit Moshemius de rebus Christianorum ante Constantinum pag. 536, merito Io. Georgius Walchius diss. a. 738 Ienae edita et Ioannes Henr. Sbaralea pererudito opere Bononiae an. 1741 edito exceperunt et compresserunt. His addendus P. Laurentius Berti de Theologicis disciplinis lib. 31 c. 13. Eadem quae Missorii, fuit etiam P. Marcellini Molckemburii sententia, qui diss. 7 et 14 critica, reiicienda esse ea omnia contendit, quae de hac controversia circumferuntur.

Historiae huius et monumentorum eam respicientium veritatem impugnavit quoque tom. I Dissertationum *in selecta argumenta Historiae Ecclesiasticae* edit. anno 1820 Ioannes Nepomucenus Alberus Ord. Mat. Dei Scholarum Piarum, in universitate

Pestiensi S. Theologiae et Archaeologiae Biblicae professor. Nos praecipuis, quae ille disputat, confutatis, ostendemus, falsam sententiam istam esse, qua historiam de controversia circa baptismum haereticorum iterandum, et monumenta ad illam spectantia statuitur reiici oportere.

Est indubium, Eusebii Caesareensis septimum H. E. librum undique testimonia suppeditare, quibus huius facti veritas confirmatur. Nisi vero gravissima ratio afferatur, qua ostendi possit, ea Eusebii testimonia fidem non mereri, explicandum perpetuo relinquitur, qua de causa historiae huius veritatem denegare debeamus. Neque enim cuiquam poterit umquam persuaderi quod affirmatur, Eusebium Arianis studentem, in Donatistarum praecipue gratiam totam hanc historiam de Cypriano cum Stephano R. P. ob haereticorum baptismum pugnante excogitasse atque illas epistolas commentum esse, quas Dionysio Alexandrino tribuit. Neque illud potest ulla ratione credibile videri, Eusebium a Donatistis fuisse foede corruptum, et eorundem opera in eius Historiam Ecclesiasticam illata esse ea loca, quae praesentem controversiam respiciunt.

Ad primum enim quod pertinet, ut cetera omittantur, manifestum est Eusebium improbasse rebaptismum, ut patet ex lib. 7 cap. 2, 3, 7 et 9. Improbabat etiam vehementer Paullianistas, ut constat ex lib. 7. H. E. c. 27: quare dici nequit ei displicuisse rebaptisma eo quod aegre ferret Paullianistas iterum a catholicis baptizari. Aversatum denique imprimis Eusebium esse Schisma Novatianum patet ex lib. 6 c. 43, ac lib. 7 c. 8. Quare excluditur omnis suspicio, fraude aliqua factum fuisse, ut Eusebius memorata loca scripserit, quae respiciunt controversiam Cypriani. Ad alterum vero quod spectat, videlicet Donatistarum dolo factum esse, ut Eusebii Historia Ecclesiastica in locis quae controversiae illius narrationem continent corrumperetur, id prorsus incredibile est. Existimandum enim esset, omnes Eusebi manuscriptos codices, qui in eadem historia, et epistolis eam respicientibus referendis consentiunt, a Donatistis corruptos fuisse; catholicos passos esse in Eusebii codices, qui apud ipsos erant, Donatistarum additamenta inferri; germanos praeterea, et non vitiatos codices, iis tantum exceptis, qui corrupti sunt, interiisse; haec denique Donatistis feliciter evenire potuisse, licet catholici sibi ab eorum fraudibus diligenter prospexerint, et Donatistis essent potentiores.

Iam vero Eusebius lib. 7 c. 2 inquit: «Ad hunc Stephanum Dionysius (Alexandrinus) primam earum, quae de baptismo conscriptae sunt, epistolam exaravit, cum per id tempus non mediocris controversia exorta esset, utrum eos, qui ex qualibet haeresi convertuntur, baptismo purgari oporteret. Quippe antiqua consuetudo invaluerat, ut in eiusmodi hominibus sola manuum impositio cum precationibus adhiberetur.» Neque minus perspicue de excitata hac controversia Eusebius testimonium dicit c. 3. «Primus omnium, inquit, Cyprianus, qui tunc temporis Carthaginiensem regebat Ecclesiam, nonnisi per baptismum ab errore prius emundatos, admittendos esse censuit. Verum Stephanus nihil adversus traditionem, quae iam ab ultimis temporibus obtinuerat, innovandum ratus, gravissime id tulit.» Denique c. 7 refert, Dionysium secundam epistolam de Baptismo ad Xystum II Stephani successorem scripsisse, in qua Dionysius loquens affirmabat: «Antea quidem litteras scripserat de Heleno, et Firmiliano, de omnibus denique sacerdotibus per Ciliciam, Cappadociam, cunctasque finitimas provincias constitutis, sese ob eam causam, ab illorum communione discessurum, quod haereticos rebaptizarent.»

Disertius testimonium Eusebius dicere non potuit, quo explicaret gra-

vitatem controversiae cum Cypriano pertractatae, et morem ante Cyprianum iam inductum, ut haeretici rebaptizarentur, quae causa fuit, ut Stephanus Heleno, Firmiliano, aliisque excommunicationem minitatus sit. Neque Eusebius sibi non cohaeret in his testimoniis, ubi initium opinionis de haereticis rebaptizandis a Cypriano ducere videtur et deinde eam antiquiorem fuisse ostendit. Etenim est indubium, Eusebio notum fuisse morem hunc multo ante induci coepisse. Id luculenter ostendunt quae eodem c. 7 habet, ubi adducens Dionysii Alexandrini tertiam epistolam addit: «Illud praeterea didici (Dionysius ait) non ab Afris solis hunc morem nunc primum invectum fuisse, sed et multo antea superiorum Episcoporum temporibus, in Ecclesiis populosissimis, et in conciliis fratrum apud Iconium et Synnada, et apud alios plurimos idem sancitum fuisse.» Valesius in notis ad c. 1 lib. 7 fatetur hoc ipsum, verum subdit, se codicum Mazzarini, Medicei, aliorumque auctoritate adductum esse ad latine reddendum, Cyprianum primum omnium censuisse rebaptizandos esse haereticos. Alium igitur eo in loco Eusebii sensum esse non posse apparet, nisi Cypriani praesertim auctoritate, et occasione dissidii cum Stephano exorti, tum primum rebaptizantium opinionem celeberrimam evasisse.

Profecto Augustinus lib. 2 de bapt. c. 8 inquit: «Nec arbitror, B. Cyprianum, propter aliud contra consuetudinem, quid sentiret, liberius exprompsisse, prioremque dixisse, nisi ut alium si forte exsisteret, cui esset melius revelatum, gratissime acciperet.» Deinde vero inquit: «Quam tamen consuetudinem, nisi prior ante Agrippinus, et nonnulli per Africam coepiscopi eius, etiam per concilii sententias disserere tentavissent, non auderet iste saltem ratiocinari adversus eam.» Ex his apparet ab Augustino, Agrippinum et Cyprianum, priorem appellatum esse in controversiae de rebaptizandis haereticis pertractatione. Id autem ea ratione facit, quod, dum Agrippinum in ea re priorem fuisse dicit, eundem comparat refertque ad Cyprianum; dum vero Cyprianum priorem dicit, eum ad Stephanum refert, atque ad ceteros, qui tunc eodem negotio contendebant.

His quae Eusebius de Cypriano scripsit, memoratis superius locis, simile est quod Sozomenus habet lib. 6 c. 25 Historiae ubi de Apollinari haeretico verba facit. «Damasus, inquit, Episcopus Romae, et Petrus Episcopus Alexandrinus certiores facti, primi omnium, convocato Romae Concilio, haeresim condemnaverunt.» Atqui tamen in Alexandrino S. Athanasii concilio anno 362 ea haeresis condemnata fuerat, et Sozomenus ipse ante narraverat, Liberium Papam de his erroribus scripsisse ad orientales, et eiusdem Pontificis iudicio causam visam esse absolutam. Nemo autem Sozomeni hanc narrationem reiecit, atque omnes intelligunt, Sozomenum loquutum fuisse de eo tempore, quo plurimi haeresim Apollinaristarum proscripserunt, quorum principem locum tenebant Damasus Romanus, et Petrus Alexandrinus Episcopi, non vero de quocumque tempore. Eadem ratio est ut concludamus, Eusebii loquendi modum nullum argumentum afferre, ut eius auctoritas in facti, de quo loquimur, veritate demonstranda imminui possit.

Quemadmodum Eusebii, ita Augustini testimonio evincitur, vere inter memoratos Episcopos de baptismo haereticorum fuisse disputatum. Iam Augustini locum de ea re attulimus, quo ostenditur, Augustinum certum putasse, eos Episcopos de ea re dimicasse. Est vero perspicuum, quod ille habet lib. 6 de bapt. cap. 14: «Erant duarum Eminentissimarum Ecclesiarum (Romanae et Carthaginiensis) Episcopi duo, Stephanus et Cyprianus, ambo in unitate catholica constituti, quorum Stepha-

nus baptismum Christi in nullo iterandum esse censebat, et hoc facientibus graviter succensebat. Cyprianus autem in haeresi vel schismate baptizatos tamquam non habentes baptismum Christi baptizandos esse in Ecclesia Catholica existimabat.» Est exploratum, Augustini auctoritatem, cum in ceteris rebus, tum in Donatistarum confutatione plurimi faciendam esse. Est etiam manifestum, Augustinum, si putasset revera Cyprianum pro rebaptismo non pugnasse, hoc Donatistis non fuisse concessurum, qui Cypriani patrocinio tantopere gloriabantur.

Argumentum, quod ex Augustini testimoniis desumitur, everti posse putat memoratus scriptor affirmans, Augustinum hypothetice tantum de hac controversia loquutum esse. Neque mirum, Augustinum, licet pluribus in locis de controversiae huius veritate dubitaret, tamen, quin concederet, revera illam pertractatam esse, argumento ex eadem petito uti voluisse. Nam putavit factum Cypriani a Donatistis obiectum ipsos Donatistas refellere. Etenim illi teterrimum schisma conflaverant: Cyprianus vero, non solum perpetuo a schismate quolibet conflando abhorruerat, sed omnino charitatis et unitatis Ecclesiae fuerat amantissimus et invictus assertor. Itaque exemplo Cypriani usurpato, Donatistas confutari Augustinus iudicavit, argumento ad hominem, ut aiunt, adhibito. Sed haec Augustinus ipse refellit, qui ubi suam de tota hac historia sententiam manifeste explicare vult, luculenter docet, se de eiusdem veritate non dubitare. Nescio utrum clarius id ostendere potuerit Augustinus, quam in epistola 92 ad Vincentium Rogatianum fecit. Affirmaverat ibi: «Quamquam non desint, qui hoc Cyprianum prorsus non sensisse contendant.» Subdit vero: «Nos tamen duas ob res non negamus illud sensisse Cyprianum; quod et stylus eius habet quandam faciem, quam possit agnosci: et quod ibi magis contra vos nostra causa monstratur invictior, vestraeque separationis praesumptio, videlicet, ut ne macularemini peccatis alienis, tota facilitate subvertitur; cum appareat in litteris Cypriani, communicata esse cum peccatoribus sacramenta, cum admissi sunt in Ecclesiam, qui secundum vestram, et sicut vultis, illius sententiam baptismum non habebant.»

Grave profecto hoc Augustini argumentum est, et apposite de illo Bertius inquit: Donatista, qui fingitur epistolarum Cypriani artifex, vel fuit callidus et vafer, vel ignarus prorsus, ac rerum tractandarum imperitus. Quomodo vero Donatista callidius unitatem Ecclesiae probare potuit, quae harum litterarum thema constituit? si vero Donatista hic, cuius dolo hae Cypriani epistolae scriptae sunt, homo erat rerum ignarus, et tardi ingenii, quomodo potuit adeo apposite Cypriani scribendi rationem imitari, ut S. Martyris verus stylus appareat, et cetera Cypriani ornamenta referre, ut auctor epistolarum omnino Cyprianus videri perpetuo potuerit hominibus legendo Cypriano assuetis? Eandem Augustini sententiam ostendere quoque possumus, ut alia testimonia omittantur, verbis lib. 7 de bapt. c. 20. « Bene tamen, inquit, quod toties meminerunt, primum apostolorum Petrum potuisse aliter sapere, quam veritas postulabat, quod accidisse etiam Cypriano sine ulla eius contumelia credimus, quicumque diligimus Cyprianum.»

Ad facti, de quo loquimur, veritatem confirmandam, iure etiam commemoranda est Magni Basilii auctoritas, qui vix post centum annos Firmiliani fuit in Caesareensi Cappadociae Episcopatu successor, cuius gravitas et doctrina explorata omnibus est. Is igitur in prima epistola ad Amphilochium Iconii in Lycaonia Episcopum canonica inquit: « Antiquis visum est, Cypriano dico et nostro Firmiliano, hoc omnes uni

calculo subiicere.... quare eos, qui ab ipsorum partibus stabant tamquam a laicis baptizatos, iusserunt vero Ecclesiae baptismo ad Ecclesiam venientes expurgari.» Quemadmodum verba ipsa per se demonstrant, nihil haesitans Basilius narrat, hanc, quam toties recensuimus, fuisse Cypriani mentem de hominibus, qui ab haereticis baptisma suscepissent, atque eandem Firmiliani sententiam fuisse sine ulla dubitatione commemorat.

Testimonio huic opponit adversarius, deceptum Basilium esse Eusebii auctoritate; atque ea narrasse, quae mox recensuimus. Primo loco autem ostendendum esset, Basilium Eusebii testimonio tantum addictum fuisse ad referendum, Cyprianum et Firmilianum omnes haereticos rebaptizandos censuisse. Id enim veluti certum ponit quod in quaestione versatur: nam veluti certum ponit, Firmilianum non fuisse controversiae participem, de qua loquimur, eumque ad Cyprianum epistolam non scripsisse, de qua in posterum loquuturi sumus. Quod si hoc in argumentando vitium declinandum est, manifestum quoque est, affirmari hic non posse, Eusebii auctoritate deceptum Basilium fuisse. Id autem eo luculentius apparet, quod legenti illam epistolam canonicam Basilii ad Amphilochium, perspicuum est, diverso prorsus modo, ac Eusebius facit, Basilium narrare ea, quae hanc de rebaptismo controversiam recipiunt. Consideratis vero iis, quae editores Maurini habent in notis ad memoratas epistolas, omnia ita cohaerent, ut Basilii mens, et disputandi ratio facile explicetur. Praeterea etiamsi concedi vellet, quod tamen concedi non posse ostendimus, Basilium ad haec narranda adductum esse Eusebii auctoritate, non inde certe sequeretur, Basilii testimonium ad rem demonstrandam non valere: effecimus enim superius, Eusebio credi debere testimonium dicenti de controversiae huius veritate.

Incredibile autem minime est, Basilium ea narrasse, quae indicavimus, de Cypriano et Firmiliano: immo Basilii narratio omnino accurata est. Etenim interroganti Amphilochio respondet circa baptismum haereticorum, sed ita respondet, ut tempora antiquiora commemoret, et quae iis temporibus sententia viguerit exponat. « Certe, inquit, ep. 1 et nunc, cum de interrogatis tuis numquam hactenus sollicite cogitassem, coactus sum diligenter attendere, et si quid a senioribus audieram recordari, et cognita iis, quae didiceram, per me ipse ratiocinari. » Deinde addit. « visum esse antiquis haereticorum quidem baptisma penitus reiicere, schismaticorum vero, ut adhuc ex Ecclesia exsistentium, admittere. » Denique narrat, Cyprianum et Firmilianum iudicasse, omnes, sive haereticos, sive schismaticos uni calculo subiiciendos esse, ut ab iis baptizati ad Ecclesiam revertentes, vero Ecclesiae baptismo expurgari deberent. Haec ad controversiae huius historiam exponendam a Basilio scripta sunt in epistolis, quae veterum codicum auctoritate eidem tribui omnino debent, et de quarum epistolarum authentia dubitari posse eruditissimi viri ne suspicati quidem sunt.

At Basilius in iis epistolis ostendit, se hactenus in sententia perseverare rebaptizandi haereticos, etiamsi Nicaena synodus de solis Paulianistis rebaptizandis mentionem fecerit: videtur autem hoc de Basilio credi non posse, qui tantopere Nicaeni concilii decreta venerabatur. Ut brevitati tamen consulam, respondebo adductis Cardinalis Norisii verbis in historia Donatistarum parte 1 c. 10. « Fateor Basilium existimasse, canonem Nicaenum de Paulianistis loquutum, nihil interim statuisse de rebaptizandis aliarum sectarum haereticis, quos ipse iterum sacris lymphis abluendos putabat. Etenim Firmilianus Caesareae metropolita in synodo sanxerat, omnes haereticos

rebaptizandos: cui, cum altero saeculo in eandem sedem Basilius subrogatus fuisset, inclytae Cappadocum consuetudini mordicus inhaerens, haereticos ad catholicam venientes iterum baptizabat. In eandem sententiam ivit Epiphanius, aliique, existimantes, Nicaenam synodum illud statuisse, non ut regulam dogmatis, sed ut morum iuxta consuetudinem regionis variabilem disciplinam.» Haec Norisius qui confirmat, hanc Basilii sententiam fuisse, verbis ex ep. ad Amphilochium canonica. « Nos autem una ratione omnes rebaptizamus; quod si apud vos prohibita est rebaptizatio, sicut ea apud Romanos, oeconomiae alicuius gratia, nostra tamen ratio vim obtineat.... Quamobrem si hoc placuerit, oportet Episcopos plures in unum convenire, et ita demum canonem edere, ut is, qui agit, periculo careat, et qui responcet, in dando eiusmodi quaestionibus responso auctoritatem habeat.»

Concludam hunc locum animadvertendo epistolam primam canonicam ad Amphilochium, in qua de rebaptismo Basilius disputat fusius, quam in altera epistola, omnino contrariam schismaticis omnibus esse. Probat enim in illa Basilius Cypriani et Firmiliani sententiam, qui ideo schismaticorum baptismum eidem calculo subiiciebant, ac baptismum haereticorum, quia « ab Ecclesia separati non habent amplius in se gratiam Spiritus sancti .... qui autem resecti sunt, nec baptizandi habebant potestatem, ut qui non possent amplius Spiritus sancti gratiam aliis praebere, a qua ipsi exciderant. » Haec Donatistarum artificio scripta esse, quae eorundem causae imprimis officiebant, nescio utrum persuaderi cuiquam possit.

Gravissimis scriptoribus, quos hactenus commemoravimus, adiungendus est Hieronymus, qui in dialogo adversus Luciferianos et in catalogo virorum illustrium, extra omne dubium esse positum demonstrat, vere controversiam illam pertractatam fuisse inter Stephanum et Cyprianum de baptismo haereticorum iterando. Hieronymus inquam, hoc habet in his locis: Quidquid vero dici placeat de rebus, quae in memoratis Hieronymi operibus continentur, quoniam nos, dum hoc in loco Hieronymi auctoritatem adducimus, ea tantum de causa illam afferimus, ut ostendamus, eius etiam testimonio confirmari controversiae memoratae veritatem, manifesum est, ad eiusdem auctoritatem declinandam necesse omnino esse, certis argumentis ostendere prorsus, ea loca, quae in iisdem operibus habentur, Hieronymo tribui non posse. Hoc autem quomodo demonstrari possit, non ita facile intelligitur. Facile quidem est affirmare, Hieronymum, si ei memorata loca sunt accensenda, deceptum esse supposititiis Cypriani epistolis: sed facile minime est ostendere, illas epistolas Cypriani, in quibus de controversia ob rebaptizationem excitata agitur, supposititias esse: immo non esse supposititias omnino evincitur.

Praeterea hoc in loco satis nobis est affirmare, Hieronymum adduci posse tamquam scriptorem, qui de eiusdem controversiae veritate testimonium dicit. Consonat Hieronymi narratio hac in re cum Eusebii et Basilii testimoniis, qui certe extra dubium ponunt, Cyprianum cum Stephano R. P. de rebaptismo contendisse: hanc vero litem inter eos per litteras pertractatam esse indubium est. Quomodo igitur Hieronymum falsis litteris deceptum fuisse dici poterit, ut referret, vere eos Episcopos inter se de baptismo haereticorum iterando pugnasse? Nisi quae hactenus diximus, refellantur, non poterit demonstrari, ab Hieronymo scribi non potuisse quae in dialogo adversus Luciferianos, et in illustrium virorum catalogo ab eo memoriae prodita esse recensuimus.

Est nunc breviter aliquid dicendum de silentio, quod veteres Donatistae circa Cypriani factum serva-

verunt. Nam adversarius qui contendit, universam narrationem hanc de Cypriano cum R. P. Stephano disputante ob rebaptizationem veluti falsam reiici oportere, putat falsitatis perspicuum argumentum reperiri in silentio a veteribus Donatistis de ea re servato. Verum quid valere possit argumentum hoc negativum contra positiva, quae iam attulimus argumenta, perspicuum est: nisi evincatur autem, ab Eusebio, a Basilio, ab Augustino, ab Hieronymo memoriae proditum non esse, controversiam illam saeculo III pertractatam fuisse, numquam poterit veteri Donatistarum silentio demonstrari, Episcopos, de quibus sermo est, de rebaptismo non pugnasse. Deinde videri iure potest propria esse hominum sententiam suam quacumque ratione defendere volentium, argumentandi methodus ex Donatistarum agendi ratione petita; ut, si veteres Donatistae non provocent, neque obiiciant exemplum Cypriani, argumentum ex hoc silentio desumptum tale esse debere dicatur, ut controversiae illius historiae falsitatem evincat; si vero a Donatistis Cypriani exemplum adductum fuisse constet ad rebaptizationem propugnandam, tunc confidenter statuatur universam narrationem de Cypriano haereticos rebaptizante a Donatistis confictam esse.

Nos vero, sive obiecerint illud exemplum, sive non obiecerint Donatistae, quaerendum hoc non esse contendimus, ad historiae veritatem ostendendam, cum ea certissimis veterum scriptorum testimoniis innitatur. Plura praeterea commemorari possent responsionum capita, quibus pateret, quare factum sit, ut Donatistae debuerint non afferre exemplum Cypriani. Est celeberrimus Optati Milevitani locus lib. 5 n. 3 adversus Parmenianum, ubi de baptismo sermonem habet. « De hoc Sacramento, inquit, non leve certamen innatum est, dubitatur an post Trinitatem, in eadem Trinitate hoc iterum liceat facere: vos dicitis licet; nos dicimus non licet: inter licet vestrum, et licet nostrum, nutant et remigant animae populorum: nemo vobis credat, nemo nobis; omnes contentiosi homines sumus. Quaerendi sunt iudices: si Christiani, de utraque parte dari non possunt, quia studiis veritas impeditur. De foris quaerendus est iudex; si paganus, non potest nosse Christiana secreta: si iudaeus, inimicus est Christiani baptismatis: ergo in terris de hac re nullum poterit reperiri iudicium: de caelo quaerendus est iudex; sed ut quid pulsamus ad caelum, cum habemus hic in Evangelio testamentum? » Haec clara sunt, ut omnes intelligant, Donatistas Optato exemplum Cypriani afferre non potuisse, neque Optatum de exemplo Cypriani rebaptizantis haereticos sollicitum esse debuisse.

Item cum Optatus lib. 1 cap. 10 ostendit, Maiorinum a Donatistis consecratum, non vero Caecilianum consecratum, a catholicis Episcopum Carthaginiensem, a Cypriani et Petri cathedra defecisse; Donatistae non poterant respondere Maiorinum a Cypriani cathedra non recessisse, eo quod eandem de rebaptismo sententiam sequutus sit, sed ut schismaticos se non esse docerent, demonstrare debebant, Maiorinum, non Caecilianum fuisse legitimum Mensurii successorem. Quomodo igitur institutum disputationis tunc pati poterat, ut de rebaptismo a Cypriano propugnato Donatistae verba facerent? His addi potest, non omnia veterum Donatistarum scripta ad nos pervenisse; eos intellexisse facillime, Cypriani exemplo causam suam iuvari minime posse; omnes praecipuis eorundem labores in eo positos fuisse, ut sententiam damnationis a Melchiade Pontifice latam contra Donatum, et pro Caeciliano refellerent. Haec autem nullam afferebant causam de rebaptismo loquendi.

Et quoniam hic absolvenda prorsus est tota responsio argumento ex silentio scriptorum desumpto, brevi di-

cam non valere quidquam ad controversiae huius, vel monumentorum eam respicientium veritatem denegandam, silentium ab anonymo scriptore libelli adversus rebaptizantes, qui exstat inter opera Cypriani a Baluzio edita, neque etiam silentium a Pontio Diacono servatum, qui res a Cypriano gestas memoriae posterorum tradidit. Quod spectat enim ad scriptorem anonymum, si ille, ut communis opinio fert, adversus Cypriani rebaptismum scripsit, patet, eum afferri posse tamquam controversiae huius veritatis testem. Si vero contra Donatistas ille scripsisse putandus est, aliud ex eo silentio non exsistet, nisi, eum scriptorem, Donatistas refellentem, B. Martyris honori consuluisse, cum nihil de eius sententia rebaptizandi haereticos commemorandum putavit, eo quod videret, quam diversa esset Donatistarum agendi ratio, ab ea, quam Cyprianus unitatis Ecclesiae amantissimus adhibuerat.

Neque gravior est difficultas, quae ex Pontii silentio proficiscitur. Nam certum est, eum non omnia Cypriani facta referre : etenim n. 10 fatetur, se praeterire *multa alia, et quidem magna.* Id autem et de facto ipso controversiae verum est, et de scriptis Cypriani : etenim omittit commemorare Cypriani nonnullas epistolas absque ulla controversia genuinas. Talis est epistola, in qua Cyprianus agit de presbyteris factionis Felicissimi, deque iis, quae contra ipsum conati erant; talis illa ad Antonianum, ea de Cornelii confessione, item ad Lucium, in qua de eius ab exilio reditu gratulatur : quod si nemo harum epistolarum veritatem negat, eo quod a Pontio praetermittantur, quid est quod Pontii silentium adducatur ad epistolas Cypriano non tribuendas, in quibus de haereticorum rebaptismo sermo est? Potest praeterea probabilis causa afferri cur Pontius nihil de ea re scripserit, atque illas epistolas omittendas iudicaverit. Timere enim potuit, ne harum rerum recordatio dedecus aliquod Cypriano afferret; et cum ea maxime referenda suscepisset, quae B. Martyri honorifica erant, consilium amplexus esse videtur, totum rebaptizationis negotium praetereundi.

Quae hactenus pertractavimus, eo pertinent ut ostendatur vere saeculo tertio de haereticis rebaptizandis inter Episcopos, de quibus sermo est, fuisse disputatum. Restat nunc ut brevissime nonnulla singillatim dicamus de monumentorum eandem controversiam respicientium veritate. Loquimur videlicet de epistolis, quas Cyprianus in huius controversiae pertractatione scripsit ad Episcopos Numidiae, ad Quintum, ad Iubaianum, ad Pompeium, ad Magnum; loquimur de actis concilii tertii Carthaginiensis, quod in eadem causa habitum est; loquimur denique de epistola Firmiliani Caesareensis Cappadociae Episcopi ad Cyprianum, qui missis per Rogatianum litteris, illum de baptismo haereticorum consuluerat, deque sententia, quam Stephanus R. Pontifex circa illos non rebaptizandos tenendam esse volebat.

De epistolis autem Cypriani iam possumus affirmare, eas genuinas demonstrari posse Augustini testimonio, quod superius attulimus. Illud enim testimonium, atque ea, quae de testimonio illo loquentes diximus, non modo evincunt, Augustinum existimasse vere Cyprianum contendisse, haereticos rebaptizari oportere, sed illi epistolas memoratas tribuendas esse. Circa Augustini mentem de iis epistolis illud idem obiicitur, quod de controversiae ipsius veritate, scilicet, eum hypothetice tantum de illis litteris esse loquutum. Verum S. Doctoris omnino certam sententiam fuisse, illas epistolas Cypriano debere tribui, locus iam adductus demonstrat, ex ep. ad Vinc. Rogatianum, et libri de baptismo pluribus locis, in quibus de epistolis iis, tamquam de veris Cypriani epistolis sine ulla dubitatione

pertractat. Huiusmodi est testimonium lib. 1 cap. 18 ubi ait: «Exstant B. Martyris in eius litteris magna documenta; . . . nam illis temporibus visum est ei cum ferme octoginta Episcopis suis africanarum Ecclesiarum, omnem hominem, qui extra Ecclesiae Catholicae communionem baptizatus fuisset, oportere ad Ecclesiam venientem denuo baptizari. »

Huiusmodi etiam sunt dicendi rationes, quibus Augustinus usus est in aliis locis quae afferri possent, et in quibus de epistolis sermonem instituit, quas adversarii putant Augustinum hypothetice tantum Cypriano tribuisse. Neque enim ibi eas Epistolas Cypriano tributas appellat, sed omnino ita loquitur, ut minime se dubitare ostendat, num illae debeant Cypriano accenseri. Etenim de iis agens inquit: «His verbis B. Cypriani: hoc enim ipse etiam Cyprianus cum ceteris statuit: ad Pompeium etiam scribit Cyprianus: Epistolam, quam Iubaiano scripsit; illam, quam ad Quintum dedit; illam, quam cum quibusdam collegis ad quosdam collegas; illam, quam ad Pompeium scripsit. » Praeter haec, ad veritatem harum epistolarum probandam cetera illa argumenta vim habent, quae desumuntur ex veterum codicum auctoritate, in quibus eae reperiuntur, et ex controversiae contextu, quae harum epistolarum scriptionem requirit, cuius controversiae historiam veram existimandam esse docuimus.

Quod pertinet vero ad concilii tertii Carthaginiensis celebrationem, superius Augustini testimonium attulimus, ex quo illud vere habitum esse constat. Scilicet S. Doctor lib. 1. de baptismo c. 18 ait, visum esse Cypriano cum ferme octoginta coepiscopis suis Africanarum Ecclesiarum, haereticos rebaptizandos esse: cum enim concilium illud 87 Episcoporum fuerit, apparet Augustini verba referri ad sententiam Cypriani, quae communi Episcoporum suffragio in memorato concilio confirmata est. De eodem concilio Augustinus lib. 3 de baptismo c. 3 inquit: « Nullo prorsus modo crediderim in sancto concilio praesertim collegarum aliud ore protulisse, quam corde gestabat Cyprianus. » Nihil vero magis manifeste demonstrat, Augustino persuasum fuisse, vere illud concilium habitum esse, quam ipsius agendi ratio, qui Episcoporum sententias in eo pronuntiatas expendendas suscepit. « Sanctorum Episcoporum, inquit lib. 6 c. 7, sententias, salvo cum eis vinculo unitatis et pacis, in quo retinendos eos quantum Dominus adiuvat imitamur, considerandas et pertractandas aggredimur. » Adiungendus Augustino Hieronymus, qui lib. de script. Ecclesiasticis, de Dionysio Alexandrino sine ulla haesitatione tradit: « Hic in Cypriani et Africanae synodi dogma consentiens, de haereticis rebaptizandis ad diversos plurimas misit epistolas. »

His testimoniis, ceterisque argumentis, quae ad vindicandam huius synodi veritatem afferri possent, obiicitur, mirum omnino esse, et incredibile prorsus videri, antequam Episcopi, qui concilio aderant, sententiam dicerent, recitatas esse Cypriani ad Iubaianum litteras, Iubaiani ad Cyprianum, Stephani vero epistolam Cypriani sententiae contrariam recitatam non esse. Ioannes Felles in editione operum S. Cypriani in adnotatione ad inscriptionem huius synodi, respondet brevi his admirationibus, atque adeo delicatae animadversioni. « Post litem, inquit, de haereticorum baptismo diu multumque agitatam, non tantum per epistolas cum Episcopis seorsum, sed etiam in synodis eorundem frequenter congregatis, cal. septemb. anno 256 concilium 87 Episcoporum Africae, Numidiae, Mauritaniae cogendum Carthagine curavit Cyprianus. Cum vero controversiae statum in litteris Iubaiani ad ipsum scriptis, eiusque invicem responso, perquam accurate proponi censeret, consultis-

simus praesul ex iisdem primo loco lectis, tractationem synodicam inchoandam duxit. Epistolas vero praedictas, lite iam adulta, et Stephano in apertas simultates provecto, transmissas fuisse, ex iis, quae inibi memorantur, rebus gestis, abunde constat. Porro non tantum epistolas Iubaiani et Cypriani ad ipsum, sed etiam illas ad Stephanum in concilio lectas constat ex suffragio octavo, quod Crescens e Cirta tulit. » Haec apposite ad rem nostram Fellus.

Iam vero quodnam est suffragium octavo loco a Crescente Cirtensi Episcopo latum? Huiusmodi: « In tanto coetu Sanctissimorum Sacerdotum, lectis litteris Cypriani dilectissimi nostri ad Iubaianum, itemque ad Stephanum, quae tantum in se sanctorum testimoniorum descendentium ex scripturis deificis continent, ut merito omnes per Dei gratiam adunati consentire debeamus; censeo, omnes haereticos et schismaticos, qui ad Catholicam Ecclesiam voluerint venire, non ante ingredi, nisi exorcizati et baptizati prius fuerint. » Ex hoc octavo Episcopi Cirtensis testimonio constat, lectas esse Cypriani ad Stephanum litteras de rebaptismo. At nihil, inquit qui synodum hanc fabulis annumerat, nihil, de Stephani ad Cyprianum responso, nihil de decreto illo, quo a Romano Pontifice iussum est contrariam sequi oportere consuetudinem. Hoc autem quomodo probari possit, non video.

Etenim in proloquio synodi haec habentur: « Cyprianus dixit: Audistis collegae dilectissimi, quid mihi Iubaianus coepiscopus noster scripserit consulens mediocritatem nostram de illicito et profano haereticorum baptismo; et quid ego ei scripserim censens scilicet, quod semel, atque iterum, et saepe censuimus, haereticos ad Ecclesiam venientes Ecclesiae baptismo baptizari ac sanctificari oportere. Item lectae sunt vobis et aliae Iubaiani litterae, quibus pro sua sincera et religiosa devotione, ad nostram epistolam rescribens, non tantum consentit, sed etiam instructum se esse gratias egit. » Nunc vero Episcopi Cirtensis suffragium ferebat tantum, lectas esse litteras Cypriani ad Iubaianum, et nihil in eo suffragio et de lectione facta litterarum Iubaiani ad Cyprianum, quam tamen factam esse ex verbis mox recitatis perspicuum est. Si ergo Episcopus Cirtensis affirmavit lectas esse Cypriani litteras ad Stephanum, et nullam mentionem fecit lectionis epistolae Stephani ad Cyprianum, hoc non probabit, in synodo expositum dumtaxat esse quid Cyprianus Stephano scripserit, nihil vero pronunciatum de Stephani ad Cyprianum responso.

Praeterea legenti epistolam Cypriani ad Iubaianum, quam lectam in synodo esse indubium est, apparet manifeste, in ea a Cypriano omnem quaestionis statum esse explicatum, et quid Stephanus responderit luculenter fuisse in ea expositum; immo vero curasse Cyprianum omnia argumenta refellere, quae Stephani sententiam respiciebant. Affirmari igitur iure potest, lecta Cypriani ad Iubaianum epistola, iam esse universum Stephani responsum synodo patefactum, ac ad causam, quam Cyprianus pertractabat, satis fuisse suam ad Iubaianum epistolam recitare.

Quid mirum deinde est, Donatistas ea argumenta attulisse ad rebaptizationem defendendam, quae in suffragiis exposita sunt ab Episcopi in synodo Carthaginiensi pronunciatis? Negari non potest iis argumentis innixam fuisse eorum opinionem, qui putaverunt sacramenti virtutem a fide etiam et sanctitate ministri aliqua ratione pendere. Negari quoque non potest, tum Episcopos, de quibus sermo est, tum Donatistas deinde, licet inique, et schismate conflato, pro rebaptizatione pugnasse. Quid mirum igitur, Donatistas, iniquos quidem recentiores rebaptizatores abuti voluisse argumentis, quae catholici illi Episcopi ad sententiam

suam de rebaptizandis haereticis defendendam adhibuerant? Esset denique veluti certum ponere quod in quaestione versatur, ideo contendere illas Episcoporum responsiones, quae in concilio Carthaginiensi referuntur, genuinas non esse iudicandas, quod Donatistarum causae favere deinde existimatae sunt.

In proloquii quidem fine Cyprianus ait: « Superest ut de hac ipsa re singuli quid sentiamus, proferamus, neminem iudicantes, aut a iure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes. Neque enim quisquam nostrum, Episcopum se Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit. » Sed haec primo loco ita dicta sunt a Cypriano, ut licet de Stephano intelligi possint, illum tamen non nominaverit. Deinde etiamsi ea verba ad Stephanum referantur, constat ex aliis testimoniis catholica Cypriani sententia circa R. Pontificis primatum, ex iis praesertim quae ante controversiae pertractationem scripsit, aut gessit. Scripserat ad Stephanum epistolam Cyprianus quae n. 72 est, ut eum consuleret de rebaptizationis negotio, atque in illa affirmaverat de ea re « vel maxime illi scribendum fuisse, et cum eis gravitate ac sapientia conferendum. » Praeterea dixerat, pro honore communi, et pro simplici dilectione haec Stephano communicata fuisse, manifeste ostendens, se omnem erga eundem observantiam habere. Verum Cyprianus tum in proloquio concilii, tum in epistola ad Stephanum, tum in epistola ad Iubaianum, perpetuo declarat, sibi persuasum esse, negotium illud talis generis esse, ut Episcoporum arbitrio relinqui debeat, et ob haereticorum baptismum pacem tolli nullatenus debere. Quare mirum non est eum affirmasse, neminem Episcoporum, qui concilio aderant, ad obsequendi necessitatem collegas adigere velle.

Reliquum est, ut de Firmiliani ad Cyprianum epistola aliquid dicamus, quam Firmilianus scripsit Cypriano, qui illum per Rogatianum Diaconum post concilium Carthaginiense habitum consuluerat. Ut longior non sim, referam quae apposite notat Fellus ad memoratam epistolam. « Rigaltius ait: Tantus amor veri Pamelio fuit, ut hanc epistolam, nisi a Morellio iam edita fuisset, omitti, ac tenebris damnari consultius esse censuerit. Cuiusmodi certe consilio peccasse arbitror viros cetera praestantes, qui vetustissimos codices inspexerant, Veronensem et Beneventanum, et cum editionibus Manutii Pameliique contulerant, absque ulla mentione huius epistolae. Etenim omissam illic fuisse vix est credibile, cum in plerisque, quos vidit Pamelius, sit reperta: nimirum in Angliano, Affligiensi, Blandino, Marchiano, Dunensi, Cauchiano. Ea certe in regio nostro exstat, et per catalogum invenitur sub numero 305. » Tum subdit Fellus: « Porro in septem Mss. codicibus, quorum copia mihi facta est, reperitur. Manutianae omissionis culpam Latinus Latinius aperta fronte in se excipit dicens: Ego Latinus omisi, non Manutius, cum maiorum exempla sequutus, tum hominis petulantiam detestatus: Latinus biblioth. sacr. p. 177: ita cum patres immorigeris filiis suis, qui detestari malunt, quam obsequi, displicent, silentium illis imperatur. » Idem qui ius hoc plusquam censorium in Firmilianum exercuerunt, non aliter in Cyprianum animadvertissent, modo spes subesset, fraudem latere potuisse; siquidem tota haec epistola recognitio quaedam et recapitulatio videtur litterarum a Cypriano missarum. Unde Firmilianus ait, se illa « quasi sua propria suscipere, eadem retexere ad confirmandam veritatem, et quaedam addere ad cumulandam probationem. » Rigaltius denique addit: « Epistolam hanc graece a Firmiliano Caesareae Cappadociae Episcopo conscriptam fuisse, atque etiam a Cypriano versam latine satis arguit

stylus; etsi Firmiliani vocabulum latinam prodat originem. Nec frustra Cyprianicis epistolis insertam varia disciplinae veteris arma testantur.»

Vidimus praeterea superius, Eusebium, Dionysium, Basilium Magnum memoriae prodidisse, Firmilianum pro rebaptismo disputasse, Stephanum de Heleno et Firmiliano scripsisse, se ab eorum communione rebaptizationis causa recessurum esse. Apparet ergo, cum rebaptizationis historia convenire scriptam esse hanc epistolam a Firmiliano, de qua loquimur. Donatistas Firmiliani auctoritatem non obiecisse mirum esse non potest, cum orientales communicarent cum Africanis, Donatistae autem ipsi schisma suum acriter defenderent, et insuper constabat, orientales sententiam de iterando baptismo retractasse, et non cum Donatistis, sed cum catholicis esse coniunctos. Quidquid denique epistola Firmiliani contineat, ex quo protestantes occasionem sumpserint errores suos circa Romani Pontificis potestatem propugnandi, vel aliud quodlibet argumentum efformandi, certum est, illam epistolam ad protestantium errorum defensionem scriptam non esse, cum in codicibus pluribus reperiatur protestantium origine multo antiquioribus. Perpendenti vero epistolam illam apparet, Firmilianum errorem non docuisse, fidelium filios non indigere baptismo, aut parentum fide salutem consequi posse; neque etiam illum errorem docuit, lapsos post baptismum a sacerdotibus remissionem peccatorum non consequi, veluti si sacerdotum tantummodo proprium sit, ut peccatores ad delictorum intelligentiam atque resipiscentiam perducantur. Legendae sunt ad hanc epistolam Rigaltii adnotationes.

CAPUT XXIX.

DE STEPHANI I ROMANI PONTIFICIS SENTENTIA CIRCA VIRTUTEM BAPTISMI AB HAERETICIS COLLATI, ET DE CYPRIANI AGENDI RATIONE IN EA CAUSA.

Vere Cyprianum Carthaginiensem, Firmilianum Caesareensem Cappadociae, aliosque Africanos et Orientales Episcopos cum Stephano I Romano Pontifice controversiam habuisse vidimus de virtute baptismi, quem haeretici contulissent. Non est necesse requirere quaenam Cypriani, et ceterorum, qui Stephano adversabantur, de ea re sententia fuerit. Satis enim perspicue constat ex historia totius huius facti, atque ex iis, quae in eiusdem veritate evincenda pertractavimus, eos putasse, impares vero Christi baptismo conferendo haereticos atque schismaticos esse. Hinc generatim haec affirmat de agendi ratione circa illos servanda Cyprianus epistola 74: «Qui ex quacumque haeresi ad Ecclesiam convertuntur, Ecclesiae unico et legitimo baptismo baptizantur, exceptis his, qui baptizati prius in Ecclesia fuerant, et sic ad haereticos transierunt; illos enim, cum redeunt, acta poenitentia, per manus impositionem solum recipi.»

Stephani etiam quaenam sententia fuerit apparet ex controversiae ipsius historia, atque ex iis, quae superius significata sunt, videlicet virtuti baptismi non officere haeresim hominis illum conferentis, sed ratum esse baptismum ab haeretico licet ministratum, modo ritus a Christo praescriptus adhibitus fuisset; de quo quaestio ne quidem proponebatur. Quoniam vero et protestantes plures, et Catholici nonnulli contenderunt, Stephanum in controversia

ista docuisse errorem illi oppositum, quem defendebat Cyprianus, ita ut, nullo discrimine facto, baptismum ab haereticis collatum probaret, de hoc agendum nunc est, et Pontificis doctrina de hac re ab ea accusatione defendenda est.

Primo loco illud commemorandum est, quod Petrus Coustantius animadvertit in pererudita dissertatione, *Qua vera Stephani circa receptionem haereticorum sententia explicatur* tom. 1 collect. cit. col. 227, et seqq., Stephanum ab antiquis perpetuo habitum fuisse apostolicae traditionis propugnatorem in ea re, de qua cum Cypriano ceterisque controversia fuit. Id autem facile ostenditur, si aliquem inter veteres scriptores de hac controversia loquentem audiamus.

Iam vero Augustinus lib. 5 de bapt. c. 33 «Consuetudo illa, inquit, quae opponebatur Cypriano, ab apostolica traditione sumpsisse dicenda est.» Praeterea Vincentius Lirinensis in commonitorio affirmavit, morem haereticos rebaptizandi inductum esse « contra divinum canonem, contra universalis Ecclesiae regulam, contra sensum omnium sacerdotum, contra morem et instituta maiorum.» De Stephano autem, qui huic errori resistebat, ait, eum « reliquos omnes tantum fidei devotione vicisse, quantum loci auctoritate superabat.» Denique Facundus Hermianensis lib. contra Mocianum, « Stephani potius, inquit, quam Cypriani sententiam tenet Ecclesia. » Atqui certum est, in vetustissima, atque ab Apostolis profecta traditione hoc positum esse, ut non omnium, sed eorum tantummodo baptismus ratus habeatur, qui, servata forma a Christo instituta, collatus fuisset. Stephanus ergo qui traditionem istam propugnabat, sententiam nulli errori consentaneam de baptismi virtute docebat.

Post haec, ut clarius quod contendimus appareat, constat ex iis, quae habet Firmilianus in epistola ad Cyprianum, Stephanum haec scripsisse in epistola sua ad Cyprianum quae periit, et in qua sententiam suam exposuit de ratione, quamobrem baptismus ab haereticis collatus recipi debeat. « Multum proficit nomen Christi ad fidem et baptismi sanctificationem, ut quicumque, et ubicumque in nomine Christi baptizatus fuerit, consequatur statim gratiam Christi. » Plura vero adducit Coustantius, ut ostendat, Stephanum, cum sollicitum se demonstrabat in probando baptismo, qui in Christi nomine collatus fuisset, alium non intellexisse baptismum, nisi eum, qui SS. Trinitate invocata collatus esset. Sed satis erit ad hoc evincendum afferre Firmiliani ipsius testimonium in memorata superius epistola, in qua verba illa Stephani recitat, et quae Stephani sententia iis verbis continetur, exponit ac reprehendit: « Non putant, ait Firmilianus, quaerendum esse quis sit ille, qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus sit, gratiam consequi potuerit invocata Trinitate nominum Patris, et Filii, et Spiritus sancti.» Est ergo perspicuum, latente adversario vehementer Stephano indignato, illum non omnem promiscue baptismum, sed eum tantummodo probasse, qui legitima forma adhibita ministratus fuisset. Qua ratione autem Firmilianus mentem Stephani, eadem Cyprianus Pontificis sententiam exposuit, prout, si opus esset, eius testimoniis ostendi posset.

Argumenta, quae recensuimus, sunt adeo gravia ad rem probandam, ut vix necesse sit ei difficultati respondere, quae ex Stephani notissimo testimonio desumitur, qui, prout Cyprianus refert in epistola 74, ita scripserat: « Si quis ergo a quacumque haeresi venerit ad vos, nihil innovetur, quod traditum est, ut manus illi imponatur in poenitentiam, cum ipsi haeretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum.» Etenim huius loci minime sententia esse potest, Stephanum respondisse,

esse ratum habendum quemlibet baptismum, etsi non servata legitima forma collatus esset: nam ipsa rei obvia cuilibet consideratio hoc excludit. Quis enim hoc verisimile credere potest, Cypriano affirmante non valere haereticorum baptismum, eo quod haeretici vera Christi fide, et Spiritu sancto careant, Stephanum, quem antiquitas veluti traditionis propugnatorem laudavit, respondisse, valere baptismum haereticorum tantopere, ut virtus baptismi maneat, etiamsi cum ritus a Christo praescripti violatione collatus esset?

Praeterea controversia minime erat de forma ac ratione baptismatis conferendi, sed in eo tantummodo versabatur, num careret virtute sua baptismus, eo quod homo haereticus, vel schismaticus illum ministrasset. Respondebat ergo Stephanus secundum propositam quaestionem, in qua nulla ratione dubium erat, nihil valere baptismum, qui violato ritu a Christo instituto ministratus fuisset.

Quanam vero de causa debebat disertis verbis Stephanus in responsione sua excludere baptismum, qui violato legitimo ritu tributus esset, cum de ea re nulla controversia moveretur? Certe Augustinus ipse lib. 5 de baptismo contra Donatistas cap. 25 ait « facilius inveniri haereticos, qui non baptizent, quam qui non verbis istis (quibus Ecclesia utitur) baptizent.» Innocentius I vero in epist. 16 ad Macedonas, et Hieronymus ad finem dialogi contra Luciferianos affirmaverunt, Nicaenum Concilium, ubi solos Paullianistas excepit, ceterorum haereticorum baptisma suscepisse.

Constat etiam, Hieronymum ipsum et Leonem Magnum, ut ceteri omittantur, cum de haereticorum baptismo recipiendo loquuti sunt, generatim pronuntiasse, illum ratum esse, et exceptionem nullam posuisse de iis, qui irrito modo illum contulissent: nemo tamen idcirco Hieronymum, Leonem, aliosque reprehendit, cum in re minime obscura non adiecerint exceptionem nulla ratione necessariam. Eodem modo de Stephani responso iudicandum est. Immo vero, si Innocentii ac Hieronymi certa sententia est existimanda, solos Paullianistas Nicaeni Concilii tempore contra formam ritumque in baptismo ab Ecclesia servari solitum peccasse, quoniam Stephani aetate nondum exorti erant Paullianistae, multo magis poterat ille Pontifex ab exceptione memorata facienda in responso suo abstinere.

Non arbitror necesse esse Innocentii, Hieronymi, Leonis testimonia afferre, cum de re agatur extra controversiam posita, in eorundem scriptis ea contineri, quae significata sunt. Concludam potius hunc locum, affirmans non modo Stephanum Cypriano respondentem non attulisse sententiam, quae a vera Ecclesiae de baptismi sacramenti doctrina abhorreret, sed etiam in ea re fuisse Catholicae doctrinae manifestum propugnatorem. Afferam verba Vincentii Lirinensis de Stephano traditionem propugnante in ea causa, et de Cypriano diversam sententiam proponente. « Quis ergo, ait, tunc universi negotii exitus? Quis utique, nisi usitatus et solitus? Retenta est antiquitas, et explosa novitas.»

Hactenus exposita Stephani doctrinam de baptismo haereticorum recipiendo satis perspicue demonstrant, atque a memorata accusatione defendunt. Quare constare debet, in hac controversia peragenda nihil a Romano Pontifice esse commissum, quod argumentum suppeditare possit ad eius inerrantiam in fidei quaestionibus denegandam. Est vero opportunum nonnulla hic de Cypriani agendi ratione adiungere, ut appareat, num ex ea contra Pontificis Romani auctoritatem aliquod argumentum depromi possit.

Certe quod spectat ad primatum iurisdictionis, quo Romani Pontifices in universam Ecclesiam potiuntur, nemo potest iure contendere,

ideo Cyprianum adduci potuisse ut Stephano morem non gereret, quod potestate illa praeditum esse Stephanum non iudicaret. Etenim ante ortam controversiam Cyprianus ostenderat, se in D. Petri successore hanc potestatem intelligere, prout inter cetera declarat agendi modus, quo usus est in causa *de lapsis* pertractanda; et hoc confirmat Cypriani persuasio, Romanam Ecclesiam *Principalem* Ecclesiam esse, unde unitas sacerdotalis exorta est, prout in epistola 55 ad Cornelium profitetur. Eruditi viri autem efficiunt, hoc idem demonstrari ex eius libro *de unitate Ecclesiae.* Resistentia igitur Cypriani probare tantummodo potest, illum in controversia de rebaptizatione tali modo se gessisse, qui alienus esset a sententia, quam ipse certam putabat, de Pontificis potestate. Animadvertit autem Augustinus in epistola ad Vincentium Rogatianum 95, « si quid in Cypriano fuerat emendandum, purgasse patrem falce passionis. » Addit etiam lib. 2 de baptismo cap. 3 fortasse Cyprianum retractasse quae gesserat. « Et fortasse factum est, inquit, sed nescimus: neque enim omnia, quae illo tempore inter Episcopos gesta sunt, memoriae litterisque mandari poterunt, aut omnia, quae mandata sunt, novimus.»

Illud potius quaeri posse videtur, num ex ista Cypriani ceterorumque Episcoporum, qui cum illo sentiebant, repugnantia, quam erga Stephanum Pontificem demonstraverunt, sequi possit, eos existimasse, Romanos Pontifices non esse praeditos in dirimendis fidei morumque controversiis inerrantia. Verum, cum ex Cypriani ipsius et Firmiliani testimoniis constet, eos censuisse, controversiam de baptismo haereticorum reiiciendo esse de illarum rerum genere, in quibus, pro recepto in regionibus peculiaribus more, liceat Episcopis agere; argumentum inde depromitur ut statuatur, repugnantiam illam non ostendere, eos arbitratos esse, Pontifices inerrantia carere, cum de rebus fidei morumque decernunt.

Iam vero ita Cyprianum censuisse, constat ex eiusdem epistola ad Iubaianum, constat ex illa ad Stephanum, in qua prorsus explicat quaestionem esse de negotio, in quo « soleant aliqui, salvo inter collegas pacis et concordiae vinculo, quaedam propria, quae apud se simul sunt usurpata, retinere.» Idem de Firmiliano dicendum est, qui in epistola ad Cyprianum, quaestionem istam esse explicat de iis, quae « pro locorum et nominum diversitate variantur.» Fuse de hac re agitur a Cardinali Orsio in opere de irreformabili Romani Pontificis iudicio lib. 3 c. 3. De ea agitur etiam a Petro Ballerinio in libro de vi et ratione Primatus Romanorum Pontificum c. 13 §. 3, atque in praefatione ad opera Cypriani Maurinae editionis.

Dicam tantummodo, ad contrariam evincendam sententiam non valere quae Cardinalis Luzernius disputat in opere *sur la déclaration de l'assemblée du clergé de France en 1682* Parisiis edito anno 1821 parte 3 c. 3 n. 14 et seqq. Etenim ille animadvertit, etiamsi concedatur, existimasse Episcopos memoratos, in ea controversia agi de re disciplinam respiciente, negari saltem non posse, hoc ad disciplinam dogmaticam spectare, scilicet, posset ne haereticorum baptisma iterari, eo quod ab haereticis collatum fuisset.

Etenim respondeo, non modo id negari non posse, sed quando res ipsa in se perpendatur, statim occurrere, quaestionem respicere dogma de unitate baptismi, et inde derivasse repugnantiam, quod ii crederent, ad veram baptismi virtutem necessario requiri fidem catholicam hominis sacramentum ministrantis. Sed licet haec vera sint, quoniam quaestio in facto versatur, et ex facto constat illos arbitratos esse, negotium ex illis esse, « quae pro locorum et nominum diversitate va-

riant, » semper illud persistit, Episcopos, de quibus est sermo, repugnantes Stephano Pontifici non posse adduci veluti homines, qui denegarent Pontifices maximos falli non posse, cum de fide moribusque decernunt. Ex eo quod autem temporibus nostris, cum Ecclesia caput illud doctrinae iam perspicue explicavit, facile intelligatur controversiae tota ratio et natura, non eodem modo iudicandum est de temporibus Cypriani, quibus Augustinus affirmat *obscuram, non eliquatam* hanc quaestionem fuisse.

Quaeri solet etiam, num talis fuerit controversiae huius exitus, ut Stephanus Pontifex non modo minitatus sit contra rebaptizantes excommunicationem, sed eos vere excommunicatione mulctaverit. Verum si testimonia veterum perpendantur, quae ad diiudicandum de ista re idonea sunt, intelligitur, minitatum quidem graviter illud fuisse Stephanum, sed facto ipso minime quod minitatus fuerat, exsequutum esse.

Certe si testimonio Firmiliani tantummodo insistere vellemus in epistola ad Cyprianum, praesertim eo loco, ubi de Episcopis loquitur, quos Africani ad Stephanum legatos Romam miserant, quosque a Stephano reiectos esse conqueritur, argumentum inde nasceretur de excommunicatione vere a Stephano lata. Irascitur enim ibi Firmilianus, Stephanum ita cum illis egisse, « ut nec ad sermonem saltem colloquii communis eos admitteret, et fraternitati universae praeciperet, ne quis eos in domum suam reciperet, ut venientibus non solum pax, sed etiam tectum et hospitium negaretur.»

Verum epistolam illam scriptam esse ab irato omnes norunt, et quamplurima in ea contineri, quae exaggerata, et ab indignatione profecta esse intelliguntur. Animadvertit vero Coustantius in memorata superius dissertatione, eo prorsus in loco deceptum Firmilianum existimari oportere, et non accurate retulisse quae pertinent ad Legatos ex Africa Romam missos; atque etiamsi aliquanto severius cum Legatis illis Stephanus egisset, gravem causam habere potuisse Pontificem, ut sibi ab iis caveret; prout Hormisdas in posterum severe cum monachis Scythis egit.

Quamquam vero non in epistola Firmiliani tantum, sed in litteris Cypriani etiam, ex. gr. in illa 73 ad Pompeium, verba reperiantur, quibus affirmatur, Stephanum abstinendos, abscindendos rebaptizantes censuisse, ea tamen non de excommunicatione lata, sed de minis excommunicationis a Stephano factis, accipi iure possunt. Ut ita iudicemus, probat Augustinus, qui lib. 5 de baptismo cap. 25 habet, licet Stephanus excommunicationem minitaretur, tamen Cyprianum « cum eo in unitatis pace permansisse. » Et multo clarius fortasse lib. 4 c. 9 scripserat: « At ille (Cyprianus) charitatis patientia toleravit... in obscura quaestione bonos collegas non malevole aliud sentientes, sicut et ipse toleratus est.» Idem affirmat Hieronymus, qui in dialogo adversus Luciferianos ait, Cyprianum in « eorum communione permansisse, » qui ab illo de haereticorum baptismo dissidebant. Alii etiam possent veteres scriptores commemorari, qui eodem modo de re ista loquuti sunt. Quare concludi iure potest, Stephanum minis se continuisse, et ad excommunicationem ferendam non pervenisse. Consuli possunt Valesius in adnotationibus ad Eusebium, et Natalis Alexander diss. 12 in saeculum tertium art. I.

CAPUT XXX.

DE SYNODO ANTIOCHENA IN QUA PAULLUS SAMOSATENUS CONDEMNATUS EST.

Synodus Nicaena veluti Catholicae fidei contra Arianos tesseram esse decrevit, Filium consubstantialem ὁμοουσιον Patri appellare. Haec vox consonat doctrinae, quam de Verbo Dei semper Ecclesia Catholica propugnavit, et Patres, qui ante Nicaenum Concilium vixerunt, Filium Patri substantialem esse perpetuo docuerunt. Multorum tamen animis insedit opinio, in Synodo Antiochena, quae anno 269 vel 270 contra Paullum Samosatenum habita est, vocem illam reiectam ab Episcopis fuisse. Cum de hac re loquuturi simus, primum de Paullo Samosateno ipso praecipua significanda sunt.

Natus est is Samosatis, scilicet in urbe ad Euphratem sita, ex ignobili genere, et mortuo Demetriano Antiochiae Episcopo suffectus fuit, cum Gallienus Imperator esset. Praeter vitam cupiditatibus et sceleribus deditam, errores gravissimos praedicavit, quibus SS. Trinitatis mysterium denegabat, et Nestorianae haeresi viam aperiebat. Etenim contendebat, Patris, et Filii, et Spiritus sancti personas minime distingui, sed Deo ita Filium et Spiritum sanctum inesse, quemadmodum ratio et operandi vis Deo inest; Christum vero purum hominem esse affirmabat, cui ad certum tempus divina ratio se adiunxerit. Cum eius causa in Concilio Antiocheno anno 264 ageretur, simulavit se Catholicae fidei adhaerere, atque ita condemnationem vitavit. Verum iterum in Concilio Antiocheno, exeunte anno 269 vel ineunte 270 eius causa pertractata, condemnatus, ac episcopatu spoliatus est, suffectusque ei fuit Domnus Episcopus.

Quaerendum est, num in ista Synodo vox ὁμοουσιον reiecta fuerit, eo quod Paullus Samosatenus illam male explicaret, et explicatione sua ad ceteros decipiendos abuteretur. Doctissimus Prudentius Maranus lib. 4 c. 29 operis inscripti: *Divinitas D.N.I.C. manifesta in scripturis et traditione,* falsam hanc sententiam esse ostendit. Eius autem demonstrationis summa ita concluditur; ut videlicet, illud factum reiiciendum sit, quod cum exploratissimis historiae monumentis pugnat; praeterea iis, a quibus nec ignorari nec taceri potuerat, ignotum fuerit, et ab iisdem silentio praetermissum; a nullo denique idoneo teste, sed sero, ac sine argumentis ab hominibus, quorum intererat ita rem evenisse, narratum sit. Haec argumentatio est eiusmodi, ut eius firmitas revocari in dubium a nemine iure possit. Quoniam igitur de decreto Anticchenae Synodi, quo vox illa reiecta dicitur, haec argumentatio perspicue valet; sequitur, falsum prorsus esse, Antiochenos patres vocem illam repudiasse.

Haec argumenta igitur explicantes ostendamus, eam opinionem omnino reiiciendam esse, qua repudiatam ab Antiochenis patribus vocem ὁμοουσιον fuisse statuitur. Profecto primo loco hoc certum est, cum illorum temporum historia exploratissima pugnare, Synodum Antiochenam anno 269 circiter habitam reiecisse vocem, de qua sermonem instituimus. Nam si hoc vere contigisset, ut Episcopi in illo conventu vocem, de qua disputamus, repudiandam iudicassent, sequeretur, in publico Ecclesiae conventu, adstantibus magno numero Episcopis, non displicuisse id, quod gravissimas turbas, paucos ante annos excitaverat, eo quod Episcopus Alexandrinus apud nonnullos, et iniuria quidem, in suspicionem venerat, id ipsum

egisse. Sequeretur, Episcopos Antiochenos improbasse eam vocem, licet recentissima memoria constaret, Romanum Pontificem, ubi ad eum querela perlata est de hac ipsa re contra Episcopum Alexandrinum, monuisse eundem Episcopum, illum fuse ac palam demonstrasse, falsum esse, a se vocem illam reiectam fuisse. Sequeretur denique, nullo reclamante, et probantibus, Episcopis, decretum illud editum esse, cum vel una eiusdem rei suspicio non plures, sed unum Episcopum Alexandrinum spectans gravissimae querelae causa fuisset. Haec vero omnia incredibilia prorsus sunt, et satis luculenter ostendunt, falsum esse quod inveterata illa opinio fert, Episcopos Antiochenos tum, cum de Paullo Samosateno damnando egerunt, vocem ὁμοούσιον repudiasse.

Est vero indubia historia illorum, quae evenerunt, cum Dionysius Alexandrinus Episcopus accusatus est apud Dionysium Pontificem Romanum, veluti si revera vocem consubstantialis recipere nollet. Est, inquam, indubium, ea re commotos nonnullos Pentapolitanos esse, et eum accusasse apud Dionysium R. Pontificem, «quod Filium rem creatam, nec Patri consubstantialem diceret.» Nondum vero lapsi erant decem anni, ex quo haec contigerant, cum Synodus Antiochena in Paulli Samosateni causa habita fuit. Coegit Romae post acceptam hanc accusationem Synodum Dionysius Romanus Pontifex, ac ad Episcopum Alexandrinum ita scripsit, ut suam ceterorumque sententiam esse ostenderit, Filium Patri consubstantialem dici oportere. Indignatus accusationis falsitatem Dionysius Alexandrinus epistolam continuo ad Romanum Pontificem scripsit, in qua calumniam esse arguebat, « quod non diceret Christum esse Deo consubstantialem. » Praeterea quatuor libros ad eundem Romanum Pontificem misit, ut se fusius apertiusque purgaret. Haec, inquam, huius facti historia indubia est, atque certissimis vetustatis monumentis tradita ita, ut Athanasius pluribus in locis illam Arianis obiecerit, tamquam apud omnes exploratam ac manifeste cognitam. Cum vero Patres Antiocheni sententiam suam per epistolam toti Ecclesiae communicandam curarunt, id egerunt epistola scripta ad omnes Episcopos, quae tamen Dionysio Romano Episcopo, et Maximo Dionysii Alexandrini Episcopi successori nominatim inscribebatur.

Nihil autem adeo a veri similitudine alienum esse videri potest, quam Episcopos Antiochenos reiiciendam decernentes vocem consubstantialis, ea agendi ratione uti voluisse. Tot enim Episcopi doctrina et sanctitate praestantes, non ita erant comparati, ut epistolam talem ad Romanum Pontificem mittere vellent, quae si condemnationem vocis consubstantialis continuisset, veluti in ipsius Pontificis Romani definitionis decem ante annos latae contemptum, scripta esse videri potuisset. Neque denique ita ii Episcopi erant amentes, ut cum condemnaturi essent impium haereticum, qui Christum fuisse purum hominem asserebat, eam vocem reiicerent, quae nefario huic errori refellendo erat opportunissima. Neque ita parum de religione erant solliciti, ut, cum laici ipsi, nonnullos ante annos, commoti essent contra Episcopum Alexandrinum, et eius nomen detulissent ad Romanum Pontificem ob reiectae illius vocis suspicionem, pati vellent, publico concilii decreto eandem vocem condemnari.

Id, quod in Dionysii Alexandrini causa contigit, facile etiam demonstrat, quidnam futurum esse debuisset, si revera decretum illud, de quo sermonem facimus, Patres Antiocheni edidissent. Debuit, prout apposite notat Maranus, illius decreti fama longe manare, synodi litteris, in quibus consubstantiale damnatum fuisse dicitur, ad omnes Ecclesias missis. Etenim si tot motus excitati

sunt, cum unus Episcopus apud quosdam laicos offendit, quanto magis, si septuaginta Episcopi, si apud omnes Ecclesias, si non levem suspicionem, sed consignata publicis litteris huius rei indicia dedissent? Nemo tamen inventus est, qui contra synodum quidquam scripserit aut gesserit, sed omnium plausu ea synodus excepta est, ac semper apud omnes in honore est habita.

Confirmant ea, quae diximus, argumenta, quae desumuntur ex agendi ratione, qua usi sunt hac in re Ariani, qui certe non omisissent non modo commemorare, sed omnino iactare, vocem consubstantialis a synodo Antiochena reiectam fuisse, si eam ab illa synodo repudiatam esse, ostendere potuissent. Atqui hoc numquam ii affirmarunt, licet propriam causam ita vehementer iuvare possent. Neque silentium hoc tribui potest rei huius ignorationi. Nam litterae Antiochenorum Patrum in omnium manibus erant. Ariani nonnullos Antiochenos Episcopos viderant, ab iisque accipere facile potuerant, utrum decretum illud in Synodo Antiochena editum esset. Si autem id accepissent, profecto eorundem auctoritate confirmare non omisissent, quod tantopere causae suae profuisset.

Neque alia certe de causa evenire potuit, ut Ariani de hoc Antiochenae Synodi decreto silerent, nisi quod omnino viderent, illud conditum a Synodo Antiochena non esse. Notum enim est, Arianos diligentissimos fuisse in argumentis quibuslibet afferendis, quae nefariam sententiam suam defenderent. Notum est, eos neque a fraudibus abstinere consuevisse, si eae causae suae defensioni visae fuissent opportunae. Illud statui prorsus debere videtur, agendi rationem hac in re ab Arianis adhibitam non negativi tantum, sed positi argumenti vim quodammodo habere. Non modo enim haec eorum agendi ratio ostendit tantum, eos de memorato decreto siluisse, sed demonstrat etiam ideo siluisse, quod viderent falsum esse, illud ab Antiochena Synodo fuisse exaratum. Nam in summa diligentia, qua utebantur cum de causae suae defensione agebatur, cum facile iis esset scire, PP. Antiochenos vocem consubstantialis repudiasse, cumque, si id agnoscere potuissent, omnino ad causam defendendam adducere illud non neglexissent; manifestum est Arianos de decreto illo silentes, quodammodo diserte affirmasse, falsum esse, Antiochenos Episcopos decretum illud edidisse.

Semiariani quidem in posterum illud decretum commemorarunt, atque ut ostenderent, vocem ὁμοούσιον adhiberi non oportere, argumento utebantur ex eo deprompto, quod ea vox a Patribus Antiochiae collectis, tum cum Paullum Samosatenum condemnarunt, reiecta fuisset. At Semiarianorum haec argumentatio non potest ullam probabilem rationem afferre, ut credatur, revera ab Antiochenis Patribus vocem illam repudiatam esse. Primo enim loco, quo tandem tempore huius decreti ab Antiochenis Patribus editi mentionem fecerunt Semiariani? Scilicet anno 358 primum in Concilio Ancyrano obiecerunt catholicis vocis omousion factam ab Antiochenis Patribus repudiationem. Hoc est, cum ferme nonaginta anni lapsi essent, ex quo res gesta fuisse dicebatur, quo tam diuturno temporis spatio Ariani, qui omnia argumentorum capita ad sententiae suae defensionem attulerant, illo usi numquam sunt, quod ex Antiocheno decreto desumi potuisset, quodque eorundem causam imprimis iuvasset. Deinde Semiariani homines erant, quorum maxime intererat, ex vetustioribus temporibus aliquod monumentum adducere, ut evincerent, se iure posse recusare vocem ὁμοούσιον. Quare cum reiectam eam vocem a Synodo Antiochena fuisse affirmarunt, gravissimam suspicionem omnibus afferre debuerunt, se in causae defensionem excogitasse

id, quod Episcopi Antiochiae collecti numquam decreverant.

In epistola de Homusii et Homaeusii expositione illam repudiationem commemorant, sed Synodi verba afferre non potuerunt, quibus decretum illud contineretur. Res autem, de qua agebant, eiusmodi erat, ut omnino debuissent Synodi verba recitare, quo fieret, ut adversarii non contemnerent quae illi, tamquam a Synodo Antiochena statutum, commemorabant. Erat vero omnibus in promptu, Semiarianos ex nullo certo atque ad fidem faciendam opportuno monumento, quod affirmabant, deprompsisse, cum prae oculis omnes haberent, Arianos nonaginta fere annos ignorasse id, quod illi deinde tanta confidentia asserebant. Perspicue autem ostenderunt Semiariani, se Antiochenorum Patrum epistolam non legisse, in qua de reiicienda voce omousion sermo fieret. Hilarius enim Pictaviensis Episcopus in lib. de Synodis pag. 1196 « Secundo quoque, inquit, id addidistis, quod Patres nostri, cum Paullus Samosatenus haereticus pronunciatus est, etiam omousion repudiaverint, quia per hanc unius essentiae nuncupationem solitarium atque unicum sibi Patrem et Filium praedicabat. » Paullo post vero: « Male omousion Samosatenus confessus est, numquid melius Ariani negaverunt? »

Haec Hilarii verba satis apertum argumentum suppeditant, quo demonstretur, Semiarianos epistolam Antiochenorum Patrum non legisse. Etenim, ut constat ex ea parte illius epistolae, quam Eusebii diligentia et eruditione conservatam esse et memoriae posterorum traditam manifestum est, Paullus accusabatur, quod Filium Dei e caelo venisse inficiaretur, illumque e terra ortum esse contenderet. Non potuit igitur in Antiochenorum Patrum epistola reperiri, Paullum male explicasse vocem *homousion,* atque ex eo, quod, adhibita illa voce, solitarium atque unicum sibi Patrem et Filium esse diceret, Episcopos vocem ipsam reiiciendam esse existimasse. Ea enim epistola alium prorsus Paulli Samosateni fuisse errorem ostendit, et non in voce *consubstantialis* explicanda eum errasse, sed eo, quod universam de Verbi incarnatione catholicam doctrinam funditus everteret. Apparet igitur luculenter, Semiarianis id de Patribus Antiochenis affirmantibus fidem haberi omnino non posse.

Nec mirum esse potest, Semiarianos eum locum epistolae Antiochenorum Patrum non vidisse, in quo reiicienda statueretur vox consubstantialis; ille enim locus non exstabat. Sane Eusebius Caesareensis scriptores Ecclesiasticos commemorat, qui ante Concilium Nicaenum floruerunt, quique vocem ὁμοουσιον adhibuerunt; neminem vero se reperisse narrat, qui vocem illam repudiarit. Is scriptor non ita certe erat comparatus, ut Arianis inimicus videri posset; neque eius agendi ratio fuit talis, ut hominem ostenderit Arianis infensum. In suo autem lib. 7 H. E. refert eam partem epistolae Antiochenorum Patrum, quam tantum habemus, quaeque tota eius diligentiae accepta referri debet. Nihil vero in ea memoratae epistolae parte reperitur, ex quo desumi suspicandi ratio possit, revera in alio eiusdem epistolae loco vocem homousion repudiatam fuisse. Id autem nonne perspicuum argumentum affert, quo demonstrari possit, Patres Antiochenos numquam decrevisse, vocem illam reiici oportere?

Est praeterea multo luculentius argumentum ad hoc evincendum, quod ex symbolo ab Antiochenis Patribus condito desumitur. Etenim Episcopi Antiocheni ita de verbo Dei incarnato in eo symbolo loquuti sunt, ut non modo non reiecerint, sed omnino propugnaverint vocem, de qua disputamus. Symbolum tom. 1 conc. pag. 1639 apud Harduinum legitur: Quod si symbolum illud Antiochenis

Patribus tribuendum est, quemadmodum adscribendum iis esse eruditi viri demonstrant, iam est manifestum, Semiarianos non legisse veram epistolam ab Antiochenis Episcopis scriptam, et falsam prorsus eorum sententiam esse, qui condemnatam a Patribus Antiochenis vocem *consubstantialis* fuisse contendunt. Etenim Episcopi Antiochiae congregati non potuerunt epistolam eiusmodi scribere, in qua vox ὁμοουσιον condemnaretur, cum in symbolo a se condito synodus illa perspicue ostenderit, se vocem illam recipere. Legi potest Diss. de voce *Homousion* P. Liberati Fassonii Schol. Pi. Romae 1755 edita, et ab eruditissimo P. Francisco Antonio Zaccaria in suum thes. theol. tom. 3 pag. 211 relata.

His argumentis, quibus sententia, quam exposuimus, manifeste demonstratur, nihil grave possunt obiicere ii, qui factam illam ab Antiochenis Patribus vocis *homousion* repudiationem esse voluerunt. Opponunt ii quidem Athanasium, Hilarium, Basilium huius rei testes esse; certum est tamen, hoc tres Ecclesiae Catholicae eruditissimos Patres hoc suo nomine numquam testatos esse, sed illud retulisse tamquam ab adversariis sibi oppositum. Etenim est exploratum, eos Patres non legisse decretum illud, quod ab Antiochenis Patribus conditum fuisse dicitur, ut vox homousios condemnaretur. Paullo superius de S. Hilario Pietaviensi loquuti sumus, qui Semiarianorum haec de re sententiam in lib. de Synodis exponit.

Ita vero de re ipsa agit Hilarius, ut Semiarianorum obiectionem referre, non autem exploratum sibi esse ostendat id, quod Semiariani obiiciebant. « Epistolam, inquit, quam a vobis de homousii et homaeusii expositione apud Sirmium Valens et Ursacius, et Germinius poposcerunt, legi . . . Et quidem de homaeusio, quod est similis essentiae, commune iudicium est; de homousio vero, quod est unius essentiae tractantes primum idcirco respuendum pronuntiastis, quia per verbi huius enuntiationem substantia prior intelligeretur, quam duo inter se partiti essent. Intelligo vitium in intelligentia . . . . Secundo quoque addidistis, quod Patres nostri cum Paullus Samosatenus haereticus pronuntiatus est, etiam homousion repudiaverint, quia per hanc unius essentiae nuncupationem solitarium atque unicum sibi esse Patrem et Filium praedicabat. » Non igitur haec affirmans Hilarius testatur, Antiochenos Patres vocem homousion damnasse, eo quod male a Paullo Samosateno explicaretur, sed haec obiecta esse ait ab iisdem Semiarianis. Neque id testari ulla ratione potuisse Hilarium manifestum est, cum error Paulli Samosateni in epistola Patrum Antiochenorum longe diversus fuisse tradatur, quam ut ex eo aliqua occasio afferri posset Episcopis, ob homousion male intellectum, vocem illam reiiciendi. Etenim in ea epistola traditur, Paullum Samosatenum affirmasse, Filium Dei de caelo non venisse, sed e terra ortum esse.

Est etiam perspicuum, Athanasium numquam nomine suo testatum esse Patres, Antiochenos vocem ὁμοουσιον reiecisse. Haec sunt enim de hac re Athanasii verba in lib. de synodis Ariminen. et Seleucien. n. 46: « Quoniam autem (ut ipsi dicunt; nam epistola penes me non fuit) qui Samosatensem damnarunt Episcopi, scripto tradidere, Filium non esse consubstantialem Patri, ac demum ipsi pietatis honorisque causa erga viros, qui haec dixerunt, sic pro ea voce sunt affecti, operae pretium fuerit, pie cum ipsis hac de re disserere.» Propterea ait: «Quod si epistolae, quam illos scripsisse dicunt, mihi copia fuisset, existimo me plures deprehensurum fuisse causas, cur beati illa ita scribere coacti sint.»

Ex his autem locis nihil aliud erui posse exploratum est, quam Semiarianos Athanasio obiecisse, factam esse a Concilio Antiocheno repudia-

tionem vocis, de qua loquimur. Athanasius vero nihil in adductis testimoniis habet, ex quo aliqua ratione demonstrari queat, ei persuasum esse Patres Antiochenos vocem homousion reiecisse. Affirmat enim disertis verbis, se epistolam non vidisse, quae a PP. Antiochenis ea de re scripta dicebatur: quam si vidisset, fortasse intelligere potuisset, quare ii Episcopi Samosatenum damnantes vocem homousion reiicere potuerint. Iam vero haec satis sunt perspicua, ut concludi iure possit, Athanasium numquam testatum esse id, quod adversarii contendunt. Ut vim enim argumentum ex Athanasio desumptum hoc in loco haberet, necesse esset ostendere, Athanasium prorsus fuisse testatum, se scire, Episcopos Antiochenos damnasse vocem homousion, eo quod a Paullo Samosateno male explicaretur. Certum vero est, Athanasio ipso auctore, ei copiam huius epistolae, in qua illud decretum contineri affirmabant Semiariani, non esse factam, et se eam epistolam prorsus non vidisse. Adducta igitur Athanasii loca aliud non efficiunt, nisi Semiarianos in causae suae defensionem obiecisse Athanasio, sed iniuria tamen, Patres Antiochenos vocem homousion reiecisse. Id vero nos non negamus, neque in Semiarianorum assertione huius causae definitio continetur.

Restat Basilius, quem etiam huius rei testem adducunt ii, qui synodum Antiochenam vocem homousion damnasse contendunt. Epistola enim 52 iis, qui decreta Nicaena, excepto consubstantialis vocabulo, suscipiebant, excusationem aliquam relictam esse putavit, «quod hanc vocem ut minus aptam et commodam vituperaverant, qui in causa Paulli Samosateni convenerant.» Ut autem, qua de causa id factum sit, Basilius doceat, haec in eadem epistola habet: «Revera, inquit, dixerunt, voce consubstantialis actionem exhiberi substantiae, et eorum, quae ex substantia orta sunt, ut divisa substantia iis, in quae dividitur, consubstantialis appellationem conciliet.»

Atqui tamen manifestum est, Basilium ita loqui, ut rem minus accurate considerasse, et Semiarianis obiicientibus vocem illam a Synodo Antiochena reiectam esse, facile fidem se habuisse ostendat. Hoc primo loco constat ex iis, quae superius indicavimus sive de Dionysio Alexandrino ac Romano, qui nonnullos ante annos, quam Synodus Antiochena haberetur, demonstrarunt, quantopere Ecclesiae cordi esset vocem illam adhibere; sive de silentio ab Arianis in ea re per nonaginta fere annos servato; sive ab Eusebio Caesareensi, qui aliam partem epistolae Antiochenorum Patrum in Historiam suam Ecclesiasticam inferens, nihil de ea parte epistolae habet, in qua huius vocis repudiatio contineri dicitur; sive denique de symbolo illo, quod eruditi viri Episcopis Antiochenis tribuendum esse docent, quodque non modo nihil habet contra consubstantialis vocabulum, sed illud saepe usurpat, atque ad divinitatem Verbi explicandam imprimis proprium esse demonstrat.

Praeterea rem, de qua disputamus, minus accurate Basilium considerasse apparet ex eo, quod paullo ante adhibitam explicandae vocis homousion rationem tribueret Antiochenis Episcopis ipsis, cum Semiariani eam non synodi Antiochenae, sed suo nomine afferrent. Hilarius enim in lib. de Synodis cum refert hanc causam reiiciendi homousion a Semiaranis adductam, «quia per verbi huius enunciationem substantia prior intelligeretur, quam duo partiti essent,» id a Semiaranis, non autem a synodo pronuntiatum esse ostendit. Denique ea explicatio secundum Athanasium in lib. de Synodis p. 75 non Synodo Antiochenae, sed Paullo ipsi Samosateno tribuenda est. Nam Paullus, non autem Synodus eo loco inquit: «Si Christus non ex homine Deus factus est, ergo consubstantialis est Patri; atque hinc necesse est,

tres esse substantias, unam priorem, duas vero ex illa procedentes.»

Haec autem cum ita se habeant, perspicuum est, Basilium afferri non posse veluti testem reiectae ab Antiochenis Patribus vocis homousion, cum illum Semiarianis nimis facilem habuisse fidem hac in re manifestum sit, eumque haud ita diligenter, quae Semiariani in eo negotio iactabant, refutasse videatur. Sequitur ergo, tres illos eruditissimos Ecclesiae Patres Athanasium, Hilarium, Basilium, adduci non posse tamquam testes reiectae a PP. Antiochenis vocis *consubstantialis;* immo vero concluditur, gravissimis argumentis constare, eam vocem ab Episcopis Antiochenis numquam reiectam fuisse.

CAPUT XXXI.

DE HAERETICIS, QUI SAECULO TERTIO ECCLESIAM PERTURBARUNT, ET DE NOVATIANO SCHISMATE.

Praeter Paullum Samosatenum, cuius errores praecipuos agentes de concilio Antiocheno ad illum iudicandum habito commemoravimus, recensendos breviter nunc esse arbitramur reliquos haereticos, quorum erroribus saeculo tertio Ecclesia perturbata est, et nonnulla singillatim de schismate Novatiano putamus referenda, cui schismati, prout solet, errores etiam a fide catholicae Ecclesiae abhorrentes adiuncti sunt.

Occurrit igitur primo loco Noetus, quem Hippolytus, Theodoretus aliique Smyrnaeum, Epiphanius Ephesium fuisse tradidit. Is Patripassianorum errorem, quem Praxeas saeculo secundo docuerat, sequutus fuit. In errore autem isto continebatur, ut, sublato personarum in SS. Trinitate discrimine, una tantum persona intelligeretur. Et cum homines errorem illum sequentes Patri omnia tribuerent, quae Filio sunt tribuenda, *Patripassiani* ex Filii passione appellati sunt. Noeto se adiunxit medio circiter saeculo tertio Sabellius Afer, eiusque errorem de Trinitate personarum divinarum deneganda ita confirmavit, atque adeo is celebris in ea hominum secta evasit, ut deinde secta ipsa Sabellianorum nomen assequuta sit. Dionysius Alexandrinus aliique de refellendo Sabellianorum errore omni diligentia laborarunt; sed, his non obstantibus multo post secta illa perduravit.

Beryllus praeterea Bostrorum in Arabia Episcopus, Christum, antequam inter homines versaretur, non fuisse propriam ac distinctam a Patre personam affirmavit. Memorandi sunt hic etiam haeretici, qui *Arabici* appellati sunt, eo quod ex incerto auctore in Arabia deserta errorem suum spargere coeperint. Eorum autem error erat, prout Eusebius refert H. E. lib. 6 c. 37, «hominum animas in praesenti quidem saeculo cum corporibus interire atque corrumpi, rursus vero resurrectionis tempore simul cum iisdem corporibus ad vitam esse redituras.» Adiungit praeterea Eusebius, Origenem a Synodo invitatum, quae Arabica dicitur, quaeque ad huius erroris confutationem anno circiter 248 habita est, disputatione sua consequutum esse, ut homines errore illo laborantes mentem mutarent, et veram de animae humanae natura doctrinam amplecterentur. Sed non desunt, qui his adversantur, et sectam hanc hominum memoratum errorem tradere prosequentem non statim Origenis opera exstinctamesse, verum diu postea perseverasse contendunt.

Post hos Manes Persa commemorandus est, qui antea *Cubricus,* vel *Carcubius* appellatus fuit a loco,

ubi natus est, ac deinde se Manetem, vel Manichaeum dici voluit. Ab initio ille inter magos fuerat institutus, et in posterum cum Christianam Religionem suscepisset, reputans Religionem Christianam cum magorum Persarum disciplina coniungi, et ex eorundem placitis explicari posse, tales protulit errores, qui Religionem penitus evertebant. Praecipuus in iis erat, duos ex infinito tempore Deos exstitisse, quorum alter natura beneficus, alter ingenio pravus sit. Et primum quidem natura beatum alios quoque beatos esse velle; alterum materiae pravae et crassae sive tenebris praeesse, et natura infelicem, ceterorum etiam miseriam quaerere. De baptismi virtute praeterea Manetis sectatores, et de sacris Scripturis male sentiebant. Extremo supplicio Manetem a Persarum rege mulctatum esse veteres memoriae tradiderunt, quod post promissam et curatam eius filii salutis restitutionem is mortuus fuerit. Manetis tamen secta diu perduravit, licet Imperatorum etiam auctoritate quandoque compressa sit.

Dicendum nunc est aliquid de Novatiano schismate. Usque ad Cornelii Pontificis Romani electionem, quae die 4 Iunii anno 251 contigit, numquam Romana Ecclesia schismate perturbata fuerat, cum de novo Pontifice eligendo agi deberet. Verum cum diu Sedes Apostolica post mortem Fabiano a Decio die 20 Ianuarii anno 250 illatam vacasset, eo quod Imperator novam electionem impediret, cum electus tandem aliquando Cornelius fuisset, primum in Pontificis electione dissidium Ecclesia Romana passa est. Hoc autem factum fuit Novatiani presbyteri Romani scelere, qui Novati presbyteri Carthaginiensis hominis tumultuosi et turbarum cupidi artibus adiutus est, et alios presbyteros romanos, nonnullosque confessores in suas partes perduxit. Iuraverat Novatianus, mortuo Fabiano, se nulla cupiditate ferri Pontificatus adipiscendi, sed deinde ostendit quanto illum consequendi studio inflammaretur. Cum igitur factionem sibi comparasset, vocatis Romam tribus Episcopis rudioris et simplicioris ingenii, ab iisdem, primum deceptis ac vino obrutis, Episcopus consecratus est, et primus evasit Antipapa.

Cum haec evenissent, graves molestias Cornelio Novatianus attulit, et tum litteris scriptis, tum legatis missis, conatus est ex longinquis etiam dioecesibus schismatis sui sectatores sibi comparare, atque hominibus incautis persuadere, se legitime electum pontificem fuisse. Immo eo usque scelus Novatiani pervenit, ut cum schismatis sui sociis Eucharistiam ministraret, eos per sanctissimum Christi corpus et sanguinem ad iurandum adigeret, in schismate se esse permansuros, et ad Cornelium numquam redituros. Novatus Carthaginiensis presbyter, quo praecipuo sceleris sui adiutore usus est Novatianus, postquam contra Cyprianum Carthagine turbas excitasset, eique restitisset, volenti homines in persequutione lapsos poenitentiam agere, antequam Ecclesiae communione donarentur, rebus suis timens, relicta Carthagine, Romam venerat, et cum natura factiosus esset, ac Cornelium Cypriano carum esse sciret, libenter cum Novatiano coniunctus est, immo illum ad schisma confirmandum inflammavit. Adeo vero iniuste se gerebat, ut cum repugnasset Cypriano Carthagine iubenti, lapsos ante poenitentiam peractam communioni non esse restituendos, Romae una cum Novatiano severitatem affectaret, et Cornelii reiiciendi causam afferret, quod erga lapsos se benigniorem Cornelius ostenderet. Utrumque hominem pravum fuisse litterae Cornelii et Cypriani satis abunde demonstrant. Ad exstinguendum gravissimum hoc schisma, quo tantopere Ecclesia perturbabatur, Cornelius ipse et Dionysius Alexandrinus, tum vehementer Cyprianus operam contulerunt; et Cypriani stu-

dio imprimis tribuendum est, Confessores aliosque, qui Novatiano adhaeserant, illo relicto, veniam flagitantes ad Cornelium reversos esse.

Habita praeterea sunt huius schismatis causa plura concilia, hoc est anno 251 Carthagine, in quo, Cypriano praeside, Cornelii electio cognita et confirmata est; eodemque anno Romae synodus sexaginta Episcoporum, cui Cornelius praefuit, celebrata fuit, in qua Novatianus condemnatus est; atque in alio Romae habito Episcoporum conventu eo anno confessores, qui Novatiano studuerant, cum summa catholicorum laetitia communioni redditi sunt. Denique Antiochiae anno 252 sub Fabio Episcopo contra idem schisma concilium habitum est. Homines tamen, qui ad factionem istam pertinebant, in plures sectas divisi diu etiam posterioribus temporibus perdurarunt, ut ex Eusebii, Hieronymi, Paciani et aliorum scriptis constat.

Prout superius significavimus, Novatiano schismati errores adiuncti fuerunt. Primum enim Novatianus negavit, Ecclesiam lapsis in Decii persequutione veniam et peccati remissionem concedere posse; deinde Novatiani sectatores docuerunt, nulla gravia scelera post baptismum patrata posse ab Ecclesia dimitti. Praeter haec, secundas nuptias Novatiani damnarunt, et qui societatis suae, quam *Catharorum* appellabant, hoc est, hominum singulari munditia praestantium, participes fieri volebant, eos novo baptismo purgari debere contendebant.

Defecisse Novatianos a Christi et Ecclesiae doctrina, cum inter ceteros errores illum propugnabant, qui in secta ista praecipuus erat, scilicet, aliqua crimina valde gravia ab Ecclesia dimitti non posse, non est instituti nostri ex professo ostendere, cum hoc pertineat ad S. Theologiae pertractatores. Constat autem, illos id affirmantes sententiam docuisse S. Scripturae testimoniis contrariam, quibus demonstratur, omnium quorumcumque, licet gravissimorum, criminum dimittendorum potestatem Ecclesiae suae Christum impertitum esse: constat, Ecclesiae Catholicae et universae traditionis Ecclesiae auctoritate sententiam hanc, qua potestas peccata dimittendi imminueretur, perpetuo fuisse proscriptam.

Ad causae, de qua agimus, historicam pertractationem illud potius pertinet, scilicet, ut commemoremus rationem illam, qua Cyprianus usus est, ut schisma Novatianum comprimeret, et Cornelium legitimum Pontificem, Novatiano reiecto, habendum esse demonstraret. Itaque Cyprianus epistola 52 ad Antonianum haec exposuit, ut Cornelium legitimum Pontificem iudicandum esse evinceret: «Factus est, inquit, Cornelius Episcopus de Dei et Christi eius iudicio, de clericorum pene omnium testimonio, de plebis, quae tunc adfuit, suffragio, et de sacerdotum antiquorum et bonorum virorum collegio; cum nemo ante se factus esset, cum Fabiani locus, id est, cum locus Petri, et gradus cathedrae sacerdotalis vacaret. Quo occupato de Dei voluntate, atque omnium nostrum consensione firmato, quisquis iam Episcopus fieri voluerit, foris fiat necesse est, nec habeat ecclesiasticam ordinationem, qui Ecclesiae non tenet unitatem. Quisquis ille fuerit, multum de se licet iactans, et sibi plurimum vindicans, profanus est, alienus est, foris est. Et cum post primum secundus esse non possit, quisquis post unum, qui solus esse debeat, factus est, non iam secundus ille, sed nullus est.»

Evincit igitur Cyprianus, Cornelii electionem legitimam esse, non modo quod tempore anterior evenerit, sed etiam quod in illa facienda ea sint accurate impleta, quae in Romani Pontificis electione erant adimplenda; Novatianum autem, qui, successore Fabiani iam legitime constituto, per vim ac fraudem Apostolicam Sedem occupare voluerit, veluti

perspicuum invasorem reiici oportere. Quod ad Cornelii electionem legitimam demonstrandam Cyprianus adhibuit argumentum, id posterioribus temporibus adhibitum semper est, ut Sedis Apostolicae invasores reprobarentur.

Mox allatum Cypriani testimonium debet hic breviter explicari, ne existimetur, in Romani Pontificis electione veram suffragii ferendi potestatem iis temporibus populum obtinuisse, eo quod Cyprianus dicat, constare legitimam Cornelii electionem fuisse, qui factus esset Episcopus de clericorum pene omnium testimonio, et *de plebis, quae tunc adfuit, suffragio.*

Ipsa rei consideratio satis est, ut intelligi possit, ab omni verisimilitudine prorsus alienum esse, populo potestatem eiusmodi in Romani Pontificis electionem tributam fuisse. Etenim Pontificis Maximi electio ex illarum rerum genere est, quae sacrae natura sua sunt; immo inter eas praecipuum quendam locum obtinere iure dici debet. Cum vero certum sit, antiquos Ecclesiae Patres populum semper ab omni in res sacras potestate prohibuisse, haec etiam sola rei consideratio facit, ut incredibile omnino appareat, populo in ea re veri suffragii ferendi potestatem concessam umquam fuisse.

Quid ergo suffragii nomine Cyprianus intellexisse dicendus est, cum de plebis suffragio Cornelium Episcopum factum esse pronuntiavit? Illud profecto, ut cum Cornelius electus est, adfuerit etiam populi testificatio de eiusdem vitae integritate, et ad pontificatum assequendum merito, et populus ostenderit sibi gratam omnino esse Cornelii electionem. Licet enim populum numquam praeditum fuisse potestate veri suffragii ferendi in eiusmodi negotio dicamus; consuevisse tamen concedimus antiquioribus illis temporibus, ut populus rogaretur, num dignum existimaret, quem clerici eligendum esse censebant. Nam illa aetate Pontificis Romani electio eo ferme modo peragi solebat, quo reliquae peragebantur Episcoporum electiones, in quibus, ut certe constat, populi memorata testificatio fiebat. Id autem posset pluribus veterum Patrum testimoniis demonstrari, quibus illud unum ostenditur populo concessum esse, ut de eligendi Episcopi vitae integritate testificaretur, et gratam eiusdem electionem sibi futuram esse doceret, non autem ut iure electionis faciendae potitus suffragium ferret.

Quoniam vero Cypriani testimonium occasionem praebuit de ista re loquendi, in Cypriano tantum persistamus, atque eius auctoritate, quod diximus, confirmemus. Itaque ille epist. 68 haec habet: «Videmus de divina auctoritate descendere, ut sacerdos, plebe praesente, sub omnium oculis eligatur, et dignus atque idoneus publico iudicio ac testimonio comprobetur.» Haec certe nihil aliud, nisi testificationem de Episcopi eligendi virtute a populo petendam continent, et quid populi auctoritas in Episcopi electione valeret, perspicue ostendunt. Sed fortasse clarius demonstrat Cyprianus, quae ratio esset, ut coram populo electio fieret, et quid populus in electione valeret, verbis eiusdem epistolae, quae sequuntur: «Propter quod diligenter de traditione divina, et apostolica observatione observandum est, et tenendum . . . ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui praepositus ordinatur, Episcopus deligatur plebe praesente, quae singulorum vitam plenissime novit, et uniuscuiusque actum de eius conversatione perspexit.» Haec autem nisi demonstrent, Cypriani mentem fuisse, populi partes in Episcopi electione nullas alias esse, nisi ut de viri meritis, deque propria plebis benevolentia testificetur, nullo modo alia quaelibet Cypriani ipsius testimoniorum de ea re legitima explicatio posset afferri. Petrus Cou-

stantius tom. 1 coll. citatae pag. 163 in adnotatione ad illum Cypriani locum de Cornelii Pontificis electione alia Cypriani ipsius verba affert, quibus cleri iudicio electiones sacras fieri demonstrat.

CAPUT XXXII.

DE POENITENTIA CANONICA.

Cum de controversia loquuti sumus, quae ob hominum Christianorum in Decii Imperatoris persequutione lapsorum causam excitata est, significavimus, ante illud tempus obtinuisse in Ecclesia catholica, ut qui vel idololatriae, vel aliorum quorundam graviorum criminum rei evasissent, poenitentiam publicam agere deberent, antequam Ecclesiae communionem consequerentur. Obtinebat id certe Tertulliani aetate, qui in libro de poenitentia cap. 9 satis aperte ostendit, quibus rebus poenitentes operam dare deberent. Cyprianus vero ad finem libri *de lapsis* totam poenitentiae rationem temporibus suis usitatam luculenter describit.

Etenim Tertullianus ait loc. cit.: « Exomologesis prosternendi et humilificandi hominis disciplina est, conversationem iniungens misericordiae illicem, de ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum moeroribus deiicere, illa, quae peccavit, tristi tractatione mutare: ceterum pastum et potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animae causa, plerumque vero ieiuniis preces alere, ingemiscere, lacrimari, et mugire dies noctesque ad Dominum Deum suum, presbyteris advolvi, et caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suae iniungere. » Cyprianus vero in memorati libri exitu ait: « Orare oportet impensius et rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes et fletibus ducere, tempus omne lacrimosis lamentationibus occupare, stratos solo adhaerere cineri, in cilicio et sordibus volutari: post indumentum Christi perditum nullum hic iam velle vestitum; post diaboli cibum malle ieiunium; iustis operibus incumbere, quibus peccata purgantur, eleemosynis frequenter insistere, quibus a morte animae liberentur. »

Quae Tertullianus et Cyprianus adductis in locis, eadem Clerus Romanus, quod ad rei summam pertinet, significavit in epistola inter Cyprianicas 31 ad eundem Cyprianum scripta in causa de lapsis. Quae vero veteres isti scriptores habent, totum poenitentiae statum describunt, et satis indicant diversas poenitentium classes, quae post Novatianum errorem contra potestatem Ecclesiae circa peccata graviora dimittenda spargi coeptum distributae videntur. De ea autem re fuse agunt Ioannes Bona Cardinalis *rerum liturgicarum* lib. 1 cap. 17 §. 3, 4; Ioannes Morinus *de poenitentia* lib. 4 cap. 1; Gabriel Albaspinaeus *observat. de veteribus Ecclesiae ritibus* lib. 2 observ. 22; Natalis Alexander diss. 8 in saec. tertium; Ios. Binghamus *origin. sive antiquit. Eccles.* lib. 18 cap. 1, aliique.

Apud veteres ecclesiasticos scriptores non videtur Gregorio Neocaesareensi, sive Thaumaturgo, antiquior mentio reperiri quatuor graduum, in quos, veluti in singulares classes poenitentes distributi sunt, *flentium, audientium, prostratorum, consistentium.* Hoc autem testimonium continetur canone XI eiusdem S. Gregorii epistolae canonicae, quam ille scripsit de iis, qui in barbarorum incursione idolothyta comederant, et alia quaedam peccata commiserant. Ea autem barbarorum

incursio per Pontum circa annum 263 contigerat. De his eo tempore lapsis consultus Episcopus Neocaesareensis canonicam illam dedit epistolam, et in canonibus ea comprehensis de illorum hominum poenitentia pertractavit. Cum vero Novatianum schisma anno 251 in electione Cornelii ortum sit, et Novatiani posteriori tempore superius memoratum errorem propugnare coeperint, patet, mentionem etiam istam graduum poenitentium a Gregorio Neocaesareensi factam Novatianis esse posteriorem.

Canonem illum genuinam esse epistolae canonicae partem, non vero in epistolam illam aliena manu canonem esse illatum, Natalis Alexander dissertatione 18 in saec. tertium evincit. Ita vero habet ille canon: « Fletus est extra portam oratorii, ubi peccatorem stantem oportet fideles ingredientes orare, ut pro se precentur. Auditio est intra portam in Narthece, ubi oportet eum, qui peccavit, stare usque ad Catechumenos, et illinc egredi. Audiens enim, inquit, scripturas et doctrinam, eiiciatur, et precatione indignus censeatur. Substratio autem est, ut intra portam templi stans cum Catechumenis egrediatur. Consistentia est, ut cum fidelibus consistat, et cum Catechumenis non egrediatur. Postremo est participatio sacramentorum. » Post Gregorium Neocaesareensem disertius de poenitentibus scriptores ecclesiastici tractaverunt, ex. gr. canones concilii Illiberitani anno circiter 300 habiti, Basilius, Ambrosius aliique. Ostendunt etiam vetera monumenta usurpatam hanc in Ecclesia poenitentium graduum partitionem, prout inter cetera apparet inspicienti vetustum S. Clementis templum in urbe, quod illustravit accurate et erudite Ioannes Ciampinius in *veteribus monumentis* suis parte I, tom. I, cap. I.

In poenitentiae curriculo absolvendo praecipuum, et imprimis salutare erat, ut poenitentes absolutionem sacramentalem consequerentur. Disputant eruditi, quandonam poenitentes, et in quo poenitentiae gradu commorantes, absolutione sacramentali donarentur. Doctissimus quidem Dionysius Petavius Diatriba *De poenitentiae vetere in Ecclesia ratione* ad animadversiones in Epiphanium tomo 6 operum editionis venetae 1757 §. 6 sententiam illam sibi probabilem videri significat, qua statuitur, absolutionem tributam esse poenitentibus, cum a tertio *substratorum* ad quartum *consistentium* gradum transirent. Sed ita sermonem de ea re concludit, ut Cypriani praesertim auctoritate se dubitare debere demonstret, num potius absolutio in ipso totius poenitentiae exitu concederetur. Et sane, tum Cypriani epistola 10 ad clerum, atque alibi, tum aliorum scriptorum testimonia id videntur omnino docere, sub finem morae in *consistentiae* gradu, postremam illam manuum impositionem, qua sacramentalis absolutio continebatur, poenitentibus fuisse tributam. De ea autem ita agunt memorata testimonia, ut tum pax et reconciliatio tribui censeretur, et simul mysteriorum participandorum, atque Eucharistiae sumendae ius concederetur.

In opere mox citato doctissimus Petavius §. 5 agit de controversia: *Fueritne quondam publica peccatorum confessio Ecclesiae moribus recepta.* Ita vero de ea re sententiam suam ille probat, ut concludat, nulla umquam lege ab Ecclesia praeceptam esse publicam non modo occultorum, sed etiam publicorum criminum confessionem, siquidem Ecclesia numquam in agendi ratione sua fuerit aliena ab his, quae Concilium Tridentinum recentiori tempore sess. 14 cap. 5 declaravit, videlicet: « Etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum et sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiae offensae aedificationem delicta

sua publice confiteri possit; non est tamen hoc divino praecepto mandatum; nec satis consulte humana aliqua lege praeciperetur, ut delicta, praesertim secreta, publica essent confessione aperienda. »

Reprehendit Io. Georgius Walchius in hist. saeculi tertii cap. 3 sect. 3 Petavium ea ratione iudicantem, et una cum eo Valesium *in adnot. ad Socratem* lib. 5 hist. eccl. cap. 19, aliosque idem sentientes. Walchius autem affirmat, et sententiae suae participem esse etiam Io. Dallaeum commemorat *de sacramentali sive auriculari latinorum confessione* lib. 3 cap. 5, ex publica peccatorum confessione originem habuisse privatam seu secretam. « Nihil Origenes, nihil Cyprianus habet (ait Walchius), quod ad istam probandam valeat. Quae de confessione edisserunt, spectant ad consuetudinem delicta publice confitendi; et quando de exomologesi loquuntur, vocem hanc ita usurpant, ut per istam non solam confessionem peccatorum, sed omne poenitentiae publicae a lapsis peragendae exercitium significent.»

Non est huius loci pertractationem longam instituere ad ostendendum, quam vere Concilium Tridentinum citata superius sess. 14 cap. 5 affirmasset, « a sanctissimis et antiquissimis Patribus magno unanimique consensu secretam confessionem sacramentalem, qua ab initio Ecclesia sancta usa est, et modo etiam utitur, fuisse semper commendatam.» Illud tantum breviter ostendam, falsum esse, nihil Cyprianum, nihil Origenem habere, quod ad confessionem secretam iis temporibus usitatam probandam pertineat, et secretae confessionis originem ex publicae confessionis immutatione vel abrogatione deducendam esse. Afferam igitur tum Origenis, tum Cypriani aliquod testimonium, ex quo constet, eos exomologesis nomine confessionem aliquando intellexisse, et de usu secrete confitendi peccata loquutos esse.

Atque ad Origenem quidem quod spectat, ille in homilia 2 in psalmum 37 explicans verba: *amici mei, et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt*, de homine poenitente loquens, qui ob sui contemptum, et ad ultionem de peccato commisso sumendam, palam velit scelera sua confiteri, exomologesim confessionem vocat. « Si ergo, inquit, huiusmodi homo memor delicti sui confiteatur quae commisit, et humana confusione parvi pendat eos, qui exprobrant eum confitentem, et notant, vel irrident, ille autem intelligens per haec sibi veniam dari; . . . si ergo sit aliquis ita fidelis, ut si quid conscius sit sibi, procedat in medium, et ipse sui accusator exsistat . . . super his ergo consequenter dicit, qui exomologesin, id est, confessionem facit. » Hoc loco igitur Origenes declarat exomologesis nomine confessionem aliquando usurpatam esse, et *non omne peragendae poenitentiae exercitium* ea voce semper intellectum esse.

Ut autem appareat, Origene auctore confessionem secretam iis temporibus obtinuisse, et quandoque, si publica peccatorum confessio facta est, eam veluti rem in secreta confessione statutam Christianos fecisse; clarissima sunt quae sequuntur eiusdem scriptoris verba, qui poenitentes monet, ut quando publicam peccati confessionem facere vellent, post absolutam secretam confessionem sacerdoti, cui peccata confessi erant, rem considerandam proponerent, et secundum sacerdotis istius iudicium se gererent. « Tantummodo, inquit in eadem homilia Origenes, circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere . . . ut ita demum, si quid ille dixerit, qui se prius et eruditum medicum ostenderit, et misericordem, si quid consilii dederit, facias et sequaris. Si intellexerit et praeviderit, talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Eccle-

siae exponi debeat et curari, ex quo fortassis et ceteri aedificari poterunt, et tu ipse facile sanari, multa hoc deliberatione, et satis perito medici illius consilio procurandum est. » Haec profecto non modo probant, confessionem secretam ex immutatione publicae confessionis ortam non esse, sed universam publicae confessionis quandoque faciendae facultatem ex confessionis secretae ministerio pendere debuisse demonstrant.

Quod pertinet vero ad Cyprianum, certum est eum *exomologesis* nomine confessionem solam intellexisse aliquando, et de peccatorum secreta confessione, quae apud populum Christianum aetate sua frequentaretur, loquutum esse. Manifestum est testimonium Cypriani de ea re, cuius mentionem fecimus, cum de libellaticorum causa egimus. Is enim in libro *de lapsis* eos laudat, qui confessionem faciebant etiam *cogitatae* libellorum acquisitionis, ut persequutione saeviente, se a poenarum metu liberarent, licet revera nihil umquam ad libellos sibi comparandos egissent. « Quanto, inquit, et fide maiores, et timore meliores sunt, qui quamvis nullo sacrificii aut libelli crimine constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes, exomologesim conscientiae faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet et modicis vulneribus exquirunt, scientes scriptum esse: Deus non irridetur? » Haec Cypriani verba de occulta prorsus animi manifestatione agunt, et *exomologesis conscientiae* nomine intelligi certe non possunt publicae poenitentiae opera, quae externa requirebant, prout superius adductis Cypriani ipsius et Tertulliani testimoniis demonstratum est.

Quae de Cypriano et Origene diximus, ea possent etiam de aliis scriptoribus monumentisque veteribus confirmari, si universa confessionis secretae causa esset pertractanda. Ea vero non modo refellerent superius memoratum scriptorem, sed etiam refutarent Ioannem Valentinum Eybelium, qui Vindobonae anno 1784 librum edidit germanica lingua scriptum, cuius latina versio hanc inscriptionem habet: *quid continent documenta antiquitatis Christianae de auriculari confessione?* Contendebat autem, ea documenta continere, confessionem hanc antiquitati incognitam fuisse, et posterius humanum inventum esse existimandum. Librum illum Pius VI brevi apostolico die 28 Novembris anno 1784 promulgato condemnavit.

CAPUT XXXIII.

DE SACRORUM RITUUM INSTITUTIONE, ET DE TEMPLIS VETERUM CHRISTIANORUM.

Ecclesiam catholicam sanctitatem suam cum in ceteris rebus omnibus, tum in ritibus instituendis demonstrasse semper, ita manifestum esse debet, ut de ea re controversiam agere sit omnino supervacuum. Ipsa enim rituum ab Ecclesia adhibitorum ratio satis luculenter ita iudicandum esse demonstrat. Nam in ritibus instituendis Ecclesia proposuit sibi praesertim publicum religionis cultum. Cum vero in Ecclesia catholica religionis sanctitas vere reperiatur, et Deus, quem Ecclesia catholica veneratur, verus sit ipse sanctitatis totius fons et origo; non potuerunt ritus isti ab Ecclesia instituti sanctitate non praestare, quo idonei essent ad divinum cultum rite absolvendum. Praeterea ritus ab Ec-

clesia catholica adhibiti quamplures eo pertinent, ut sanctissima religionis dogmata significent. Non poterant ergo sanctitate non esse praediti, cum sanctarum rerum, et doctrinae divinitus traditae, pluribus in capitibus imaginem, ut ita dicam, referrent. Quemadmodum ergo Ecclesiae catholicae divina institutio, eiusque doctrinae sanctitas, ac disciplinae ab ea praeceptae integritas reliquarum omnium gentium cultum religiosum moresque sacros non dicam nobilitate superavit, sed abiiciendos et nihili ducendos esse demonstravit, ita ritibus ab Ecclesia receptis sanctitatem inditam esse credendum est.

Afferebant certe sanctitatis vitae notitiam conventus illi, quos ad cultum Christo adhibendum Christiani vetustissimis temporibus habere solebant. Plinius Iunior ep. 97 lib. 10 ad Traianum haec de illis conventibus habet: « Affirmabant autem, hanc fuisse summam vel culpae suae, vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem, seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati denegarent; quibus peractis, morem sibi discedendi fuisse, rursusque coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen et innocuum. »

Hoc Plinii testimonium, quanta servaretur in Christianorum coetibus peragendis sanctitas, ostendit, cum in iis non modo Christo quasi Deo preces funderentur, sed etiam ex conventibus occasione suscepta, invicem se adhortarentur Christiani, ut ab iis abstinerent, quae cum recta religiosi viri vivendi ratione componi non possent.

Veterum autem Christianorum sententia de Ecclesiasticorum rituum institutione ea erat, ut eos ex sanctissima traditione profectos esse arbitrarentur. Id Tertullianus in libro *de corona militis* aperte docet, ubi ritus quamplures recensens, qui aetate sua obtinebant, eos « sine dubio de traditione manasse » affirmat. Inter ceteros ritus vero, quos eo loco Tertullianus commemorat, hos tantum recensebo. « Die Dominico, inquit, ieiunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare: eadem immunitate a die Paschae in Pentecosten usque gaudemus. Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quaecumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. Harum, et aliarum eiusmodi disciplinarum, si legem expostules scripturarum, nullam invenies: traditio tibi praetenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, fides observatrix. » Quod si Tertulliani aetate haec tanto antea instituta esse intelligebantur, ut per traditionem ad ea tempora pervenisse cognoscerentur, apparet, horum rituum institutionem ad ipsam primam Ecclesiae aetatem referri oportere.

Basilius quoque ex vetustissima traditione, quae summa religione, et cum silentii observatione habita sit, deducit quamplures ritus aetate sua in Ecclesia servari solitos. Afferam eius testimonium ex libro de Spiritu sancto cap. 27, quod opportunum ideo etiam esse potest, ut intelligatur, quanta antiquitate commendentur ritus nonnulli, qui sunt celebriores. « Quod genus est, inquit, (ut eius, quod primum est et vulgatissimum, primo loco commemorem), ut signo crucis eos, qui spem collocarunt in Christum, signemus, quis scripto docuit? Ut ad Orientem versi precemur, quae nos docuit scriptura? Invocationis verba quum conficitur panis Eucharistiae et poculum benedictionis, quis sanctorum in scripto nobis reliquit? Nec enim his contenti sumus, quae commemorat Apostolus aut Evangelium, verum alia quoque et ante et post dicimus,

tamquam multum habentia momenti ad mysterium, quae ex traditione citra scriptum accepimus. Consecramus autem aquam baptismatis et oleum unctionis, praeterea ipsum, qui baptismum accipit, ex quibus scriptis? Nonne a tacita secretaque traditione? Ipsam porro olei unctionem quis sermo scripto proditus docuit? Iam ter immergi hominem, unde ex scriptura haustum? Reliqua item, quae fiunt in baptismo, veluti renuntiare satanae et angelis eius, ex qua scriptura habemus? Nonne ex minime publicata et arcana hac traditione? »

Quae attulimus testimonia, receptam apud Christianos de sacrorum rituum institutionis sanctitate et antiquitate sententiam confirmant. Sunt autem ritus instituti pro re nata, ut dici solet, vel ad doctrinae a Christo traditae peculiaria quaedam capita expresse significanda, vel ad publici erga Deum cultus adhibendi normam rationemque moderandam. Verum de sacrorum rituum gravitate et sanctitate multum mihi videtur inter ceteros detraxisse Ioannes Laurentius Moshemius in *institutionibus Historiae Ecclesiasticae antiquae et recentioris.* Plura loca possent ex eo opere afferri, quae id evincerent. Hic tamen commemorabo tantummodo quod in hist. saec. 3 p. 2 c. 4 habet. Recensuerat Moshemius causas, quibus generatim inductos et auctos Ecclesiae ritus contendit. Videlicet id factum esse affirmaverat, ut externo caeremoniarum apparatu iudaeos et ethnicos ad religionem Christianam Patres pertrahere possent; ut a Christianis calumniam averterent atheismi, cum ob rituum deficientiam Deum non colere viderentur; ut dignitati religionis ipsius consulerent, si quemadmodum apud Graecos et Orientales passim in honore erant *mysteria*, ita apud Christianos eiusmodi arcana dogmata, et ritus sacros atque arcanos iis respondentes servari constaret; ut denique aegyptios atque orientales imitarentur, qui dogmata sua exterioribus signis exprimenda, atque aliis inculcanda curabant.

Cum haec ille retulisset, aliam exponit causam citato superius loco, ex qua arbitratur, ritus ecclesiasticos incrementum accepisse. « Causis, inquit, quas supra enarravimus, philosophiae platonicae studium adiice, aut, si mavis, popularem Orientalium de daemonibus superstitionem, quam suam fecerant Platonici, et ab his doctores Christiani acceperant. Ex hac enim de geniorum natura et propensionibus opinione multorum rituum origenes repetendae sunt. Haec publicas excantationes, haec ieiuniorum frequentiam, haec coniugii fugam imperavit. Haec consuetudinem dissuasit cum illis, qui vel sacro fonte nondum lustrati, vel communione sacrorum exclusi erant, quia genii cuiusdam mali potestati subiecti videbantur esse. Haec, ne quid de aliis dicam, molestias et poenas auxit, quae peccatoribus dictari solebant. »

Quam ista a veritate abhorreant, non est difficile intelligere. Primum iure negari potest, instituendorum atque augendorum rituum illas causas fuisse, quas Moshemius statuit. Loquitur is memoratis in locis praesertim de primis Ecclesiae temporibus. Cum vero iis aetatibus latere quodammodo Christiani deberent, quando religionis operibus operam dabant, vel conventus suos habebant, non intelligitur, quomodo caeremoniarum apparatu iudaeos et ethnicos conarentur Ecclesiae patres ad religionem suscipiendam movere. Deinde in Christianae religionis institutis hoc perpetuo fuit, Deo Optimo Maximo non solum internum, sed externum quoque cultum adhibendum esse. Si ritus igitur, si caeremonias aliquas Christiana religio sui proprias induxit, id non ideo factum est, ut atheismi calumnia averteretur, sed quod natura sua publici cultus adhibendi ratio caeremonias ritusque aliquos postula-

bat. Ita, inquam, ut neque supposita atheismi calumnia, a ritibus instituendis Ecclesia abstinere non potuerit. Quod si ea tempora etiam recordari velimus, quae calumnia ista sunt antiquiora, in ipso apostolicorum actorum libro, atque in ipsis D. Paulli litteris reperiemus conventus a Christianis habitos, eucharistiam religiosissime sumptam, quae sine externi cultus significatione certe non eveniebant.

Minime vero necesse erat Graecos et Orientales imitari in *mysteriorum* suorum appellatione et celebritate, ut Religio Christiana mysteria continere demonstraretur. Erant apud illas gentes mysteria earundem consiliis excogitata, sed Religio Christiana habebat verissima doctrinae capita imprimis sublimia, humanae rationi impervia. In his autem adeo sublimibus doctrinae capitibus sanctissima dogmata de Deo et Christo continebantur. Ritus ergo illa doctrinae capita respicientes, natura sua sacri atque arcani ritus esse debebant, etiamsi nihil umquam de Graecorum atque Orientalium mysteriis Ecclesiae Patres audivissent. Denique est levissimum affirmare, ex Aegyptiorum atque Orientalium externis signis dogmata sua inculcantium imitatione Christianorum rituum institutionem deducendam esse, cum constet, natura sua omnes homines, quamcumque sententiam de religione sequantur, externis signis doctrinae suae capita frequentare.

Quod spectat vero ad cetera, quae ex Moshemio retulimus, ea quantopere cum rituum sacrorum originis gravitate et sanctitate pugnent, quis est, qui non videat? Quid enim necesse erat platonicae disciplinae placitis, ut Ecclesia caeremonias aliquas statueret, quae vel significandis Christianae doctrinae dogmatibus, vel regendis religiosi cultus officiis, vel vitae Christianorum sanctimoniae augendae inservirent? Quis sibi persuadeat, ex populari de daemonibus superstitione ritus esse profectos vel auctos, cum eam superstitionem Ecclesia semper detestata sit? Excantatio seu exorcismus non ex superstitione illa, sed ex virtute a Christo Ecclesiae tradita profecta est, qua uti voluit in expiandis iis, qui ante baptismum in peccati fuerant potestate. Ieiuniorum frequentiam, poenitentiae severitatem diligentius servandam Ecclesia curavit, cum homines improbi, singularem vitae austeritatem praeseferentes, Ecclesiae benignitatem reprehendebant, ut incautos deciperent. Etsi praeterea Ecclesiae semper sententia fuerit, statum coniugalem non esse anteponendum statui virginitatis vel caelibatus, immo existimaverit, rerum considerata ratione, melius esse manere in virginitate aut caelibatu, quam iungi matrimonio; eos tamen semper improbandos et condemnandos censuit, qui nuptias reprobarent. Agentes vero de arcani disciplina satis multa diximus, ut pateat quam gravibus de causis Ecclesia adducta sit, ut cum hominibus a fide Christiana alienis commune consortium non habendum, vel eos ad sacrarum rerum communicationem non adsciscendos esse existimaret. Minime vero id fiebat ex ea causa, *quia genii cuiusdam mali potestati subiecti esse viderentur.*

Neque si similitudo aliqua inter Ecclesiae ritus, et exterarum gentium observationes adesset, id probaret, Christianos ritus ex illis observationibus derivasse. Nolim ego alia ratione hic agere de Moshemii sententia loquens, quam ex eiusdem Moshemii auctoritate et testimonio. Is in *institutionibus Historiae Ecclesiasticae maioribus* saec. I. parte 2 §. 9 in adnotatione ei paragrapho subiecta reiecit sententiam a Campegio Vitringa propugnatam in libris tribus *de synagoga vetere,* qua statuitur, Christianos antiquos sacra sua et disciplinam ad synagogae iudaicae formam composuisse. Plura ibi Moshemius apposite animadvertit, ut hanc sententiam excludat, atque

ostendat, eos recte disputare de hoc rerum genere, qui non comparationibus institutis, sed monumentis gravitate praestantibus demonstrationem suam confirmant.

Iam vero nihil valere animadvertit Moshemius argumentum a similitudine petitum, ut Ecclesia Christiana ritus suos ex iudaeorum disciplina desumpsisse probetur. «Facile crediderim, inquit, Christianos multa constituisse, quae in iudaeorum conventibus quoque usitata fuerunt, neque temere idcirco dici, similem quodammodo Ecclesiam fuisse synagogae. Verum haec similitudo minime ostendit a iudaeis sumpsisse Christianos ea, quae ad formam cultus iudaici accedunt. Idem enim finis cum iudaeis in synagoga convenientibus fuerit propositus, qui Christianis religionis causa coeuntibus, fieri haud potuit, quin ipsa necessitas eadem Christianos facere iuberet interdum, quae apud iudaeos fiebant. Inter iudaeos synagogae propterea ubique exstructa erant, ut populus in illis non modo voluntatem Dei cognosceret, verum etiam supremum numen externis signis revereretur, quo ipsa religio conservaretur, atque pietatis semina mentibus hominum committerentur. Hoc consilium postulabat, ut lex divina publice praelegeretur et explanaretur, ut essent qui sermonibus et exhortationibus plebem excitarent et erudirent, ut hymni canerentur, precesque recitarentur. Nullus sane conventus religionis et cultus divini causa coactus hisce rebus carere potest. Quare Christianos, cum eandem propter causam statis diebus et temporibus congregarentur, eadem plane sancire, lectionemque librorum sacrorum, cultus publici ministros, hymnos, preces et cetera, quae cultum divinum vel ornant, vel perficiunt, introducere oportuit. Res ipsa flagitabat haec instituta, sine quibus religio consistere non poterat, non vero studium, quo accensi feruntur esse, iudaeos imitandi.»

Haec Moshemius habet, ut similitudinis argumentum nulla ratione valere ostendat ad rituum Christianorum ex iudaicis observationibus originem demonstrandam. Sed haec ipsa probant, ut arbitror, neque ex similitudine cum ritibus aliarum gentium desumi posse argumentum, ut rituum origo et derivatio monstretur. Argumentum enim in ea re ideo desumitur, ut idcirco concludatur, Christianos ex gentibus illis hausisse ritus suos, quod ritus isti apud illas gentes ante Christianam religionem propagatam reperiantur usurpati. Atqui, si quae sunt recitata perpendantur, haec minime ostendunt Christianorum rituum derivationem ex iudaicis observationibus. Quid est, quod idem de Christianorum rituum similitudine non sit affirmandum, si cum ceteris gentibus comparatio instituatur?

Legenti institutiones Historiae Ecclesiasticae Moshemii *antiquae et recentioris* apparet, nullum fortasse locum esse in eo opere, in quo magis de Ecclesiae Catholicae ritibus detrahat, quam caput 4 p. 2 hist. saeculi quarti. In eo affirmat: «instituta ac ritus, quibus antea Romani, Graeci, ceterique populi fictis numinibus pietatem suam et reverentiam testati sunt, Christiani Antistites leviter immutatos sacris Christianis inferebant ... et parum idcirco discriminis inter Graecorum et Romanorum, Christianorumque horum temporum publicam religionem interfuit.» Scilicet haec exaggerat ex similitudine facti. «Utrimque, inquit, vestimenta splendida, mitrae, tiarae, cerei, litui, supplicationes, lustrationes, vasa aurea et argentea, et infinita alia.:» Sed si similitudo rituum non probat rationem, ob quam ii inducti sunt, ubi de iudaeis agitur, quid est quod id valeat de ethnicis, cum, parta per Constantinum Ecclesiae pace, Christiani potuerunt liberius et splendidius ea statuere, quae in disciplina publica cultus divini erant adhiben-

da ? Immo vero, si hoc non valet cum sermo est de iudaicis ritibus, multo minus valere potest quando agitur de caeremoniarum usurpatione, quae apud ethnicos obtinebant. Etenim si agatur de iudaicis observationibus, Christiani moveri potuissent veteris testamenti auctoritate, in quo illae iubebantur. Sed ubi est sermo de Christianis ritibus, qui ethnicorum observationibus similes videri possunt, in iis originis auctoritas excitare Christianos nulla ratione poterat, ut eas retinendas, et cum Christianae religionis disciplina coniungendas esse statuerent.

Quae huc usque loquuti sumus, iam ferme demonstrant praecipuas rationes, propter quas reiicienda prorsus sententia est, qua generatim continetur, ritus Christianorum ex gentium exterarum imitatione originem habuisse. Valde eruditam de ea re doctissimus Petrus Lazerus scripsit dissertationem, cuius inscriptio est: *de falsa veterum Christianorum rituum a ritibus Ethnicorum origine,* quam Franciscus Antonius Zaccaria omnium primam retulit inter dissertationes plurium doctorum virorum, quibus opus A. Claudii Fleurii *disciplina populi Dei* inscriptum, quod latine fuerat redditum, locupletavit, prout constat consulentibus totum primum editionis secundae eius operis Venetiis factae anno 1782. In ea Lazerus scriptores recenset non haereticos modo veteres et recentiores, qui ex ritibus Ethnicorum multos Christianorum ritus profectos esse contenderunt, sed etiam catholicos, qui in eandem sententiam iverunt. Totius autem illius dissertationis summa in eo versatur, ut evincat, nullum argumentum grave afferri posse, quo haec Ecclesiae Christianae rituum origo ex ritibus Ethnicorum manasse probetur; nulla vetus ab Ecclesia catholica usurpata caeremonia reperiatur, cuius origo multo melius ac commodius, quam ex Ethnicorum rituum imitatione non explicetur: denique ex antiquorum patrum doctrina, et veteri Ecclesiae disciplina argumentum eruditissimus ille scriptor desumpsit, ut efficeret, eiusmodi originem veteres Christianorum ritus habere non potuisse.

Atque his quidem capitibus demonstratis, tota momoratae sententiae contrariae ratio evertitur. Quae enim afferuntur argumenta ad originem illam profanam probandam, ea maxime in aliquorum rituum et caeremoniarum cum Ethnicis similitudine continentur. Similitudinem vero hanc minime rem evincere significavimus, praesertim quod non pauca, quibus homines erga Deum observantiam suam, vel gratum animum, aut supremi numinis timorem significare volunt, ex natura ipsa nascantur, atque ex communi iudicandi ratione fluant. Multa praeterea in sacris ritibus reperiuntur, quae ad mysteriorum, et historiae evangelicae factorum recordationem, ac dogmatum fidei significationem statuta sunt. Denique talis fuit veterum patrum agendi ratio, talis cura, qua Christianis persuadere conabantur, cavere sibi ab Ethnicis studiose debere, ut id manifeste ostendat, eos numquam fuisse passuros, Ecclesiae ritus constitui ex Ethnicorum consuetudinis imitatione.

Fortasse nemo studiosius atque impensius sententiam illam de profana Christianorum rituum origine pertractavit, quam Conyers Middletonus. Atqui si legatur eius opus de hac re, quod ex anglicano sermone gallice redditum Amstelodami anno 1744 editum est, et inscribitur *conformités des céremonies modernes avec les anciennes,* sive eius *lettre écrite de Rome,* apparebit, eum veluti certum perpetuo ponere, originem rituum esse profanam, quia similitudo quaedam cum Ethnicorum caeremoniis ostendi potest. Quod vero spectat ad patrum diligentiam, ne Christiani quidquam cum Ethnicis in rerum sacrarum negotio commu-

nicarent; vel quod pertinet ad obvias explicationes, quae rituum Christianorum originem aliunde prorsus, quam ab Ethnicorum imitatione repetendam esse demonstrant; haec, quae certe sunt gravissima, ille ita negligit, veluti si ad contrariae sententiae defensionem neque in mentem cuiusquam aliquando venire potuerint.

Materiae, de qua agimus, affine est, ut aliquid hic recenseamus de notissima illa controversia, num ante saeculi tertii finem Christiani templa habuerint. Ad hoc autem explicandum necessario distingui debet, quid templorum nomine intelligi placeat. Nam si eo nomine intelligantur certa loca et aedes, ad quas Christiani sacrarum rerum peragendarum causa convenirent, magistratibus non invitis, et praesertim cum Ecclesia persequutionibus non perturbaretur, negari prorsus non potest, hac ratione intellecta templa Christianos ante illud tempus habuisse. Quis enim hoc inficiari potest, si Lampridium in Alexandri Severi imperatoris vita cap. 49 haec narrantem audiat? « Cum Christiani, inquit, quendam locum, qui fuerat publicus, occupassent, contra popinarii dicerent, sibi eum deberi, rescripsit, melius esse ut quomodocumque illic Deus colatur, quam popinariis dedatur. » Etenim haec ostendunt, notum fuisse Imperatori, eiusmodi loca a Christianis ad Deum colendum occupari. Id etiam manifeste probat Eusebii testimonium, lib. 7 H. E. c. 13 narrantis, loca ad Christianum cultum exercendum, quae Valerianus publicaverat, Christianis reddita fuisse a Gallieno, qui ab anno 260 ad 267 imperavit. Quae denique idem Eusebius habet H.E. lib. 8 cap. 1, scilicet, ante Diocletiani persequutionem factum esse, « ut Christiani priscis aedificiis iam non contenti, in singulis urbibus spatiosas ab ipsis fundamentis exstruerent ecclesias,» quae Diocletiani iussu eversae sunt, quae, inquam, hoc loco referuntur ab Eusebio, satis evincunt, multo ante Diocletiani tempora habuisse Christianos aedificia cultui divino exercendo destinata.

Quod si vero templorum nomine intelligantur talia aedificia, publica auctoritate constituta, rebus sacris peragendis religiosa quadam ratione consecrata, et Deo dicata, atque in formam sacrarum aedium exstructa, si agatur de temporibus Diocletianea persequutione antiquioribus, haec templa Christianos habuisse valde dubium existimandum est. Certe in dialogo, qui *Octavius* inscribitur, Caecilius apud Minucium Felicem, qui circa annum 220 floruit, obiiciebat Christianis, eos « nullas aras habere, nulla templa, nulla nota simulacra. » Celsus etiam apud Origenem lib. 8 opponebat, Christianos « ararum, statuarum templorumque dedicationes fugere. » Eandem accusationem ab ethnicis usurpatam commemorat Arnobius lib. 6 contra gentes. Huic autem ethnicorum obiectioni non respondebant Christiani falsitatis revincentes Ethnicos, argumento ex sacris aedibus iam exstantibus desumpto, sed affirmabant potius, id crimini Christianis verti non posse, cum religio doceat, homines ipsos Dei templa esse.

Omnium loco satis erit haec verba referre ex memorato superius dialogo; ita enim Octavius Caecilio respondet. « Putatis, inquit, nos occultare quod colimus, si delubra, si aras non habemus. Quod enim simulacrum Deo fingam, cum si recte existimes, sit Dei homo ipse simulacrum? Templum Dei ei exstruam, cum totus hic mundus eius opera fabricatus, eum capere non possit? Et cum homo latius maneam, intra unam aediculam vim tantae maiestatis includam? Nonne melius in nostra dedicandus est mente? In nostro immo consecrandus est pectore. » Verisimile certe non est, Ethnicos talia fuisse oppositurosos, Christianos vero hac ratione fuisse responsuros, si templa vere iis temporibus Christiani habuissent. Nonnulla quidem afferuntur veterum

scriptorum testimonia, quibus ostendi nonnulli contenderunt, templa antiquiori illa aetate apud Christianos fuisse. Sed ea testimonia explicari facile possunt de locis illis peculiaribus, in quae, prout diximus, Christiani religiosi cultus causa conveniebant. Agunt fuse de hac re Iosephus Medus de Ecclesiis primitivae Ecclesiae, Ios. Binghamus; origin. sive antiquit. Ecclesiasticar. tom. 3; Tillemontius tom. 3 H. E. art. 6 de persequutione Maximini; Cardinalis Bona Rerum Liturg. lib. I cap. 19; Lazerus in recensita superius dissertatione de veterum rituum Christianorum origine, aliique.

Obiecisse vidimus Ethnicos Christianis, eos non templa, non aras, non simulacra habere; defensores autem Christianorum, adversarios falsum affirmare non respondisse. Non est autem haec agendi ratio veterum Patrum ita intelligenda, ut inde quidpiam contra Ecclesiae Catholicae doctrinam, circa sacrarum imaginum cultum deduci possit. Nam distinguendum est inter sacrarum imaginum cultum, et earundem usum. Illarum cultum semper Ecclesia probavit; usus autem imaginum aliquando frequentior, aliquando rarior fuit, prout Ecclesiae tempora ferebant. Itaque si durante adhuc Ethnicae superstitionis potentia, si timore durante, ne Christiani vexationes gravissimas paterentur, fuit rarior imaginum sacrarum usus, id non probat, etiam iis temporibus eandem, quae nunc est, Ecclesiae Catholicae sententiam de cultu sacrarum imaginum non fuisse. Semper enim hunc cultum ad propagandam Christi, Beatissimae Virginis, Martyrum, ceterorumque Sanctorum memoriam, et excitandos ad pietatis constantiam illorum exemplo fideles utilem Ecclesia esse iudicavit.

Quae Eusebius in vitae Constantini Magni historia memoriae prodidit, ostendunt, eum novam urbem suam Constantinopolim, atque eius celebriora loca, ac potissimum imperatoriam aedem sacris imaginibus ornasse. Postquam vero Imperator Ecclesiam tranquillitate et pace donavit, usurpari liberius et frequentius imagines sacrae coeperunt. Haec autem usus diversitas in imaginibus populi Christiani cultui afferendis inde legitime profecta est, quod ea res disciplinam respiciat, quae pro temporum varietate diversa esse poterat. Quod ad cultum vero pertinet, nihil est umquam immutatum, ita ut temporibus antiquioribus Ecclesia Catholica eandem de sacrarum imaginum cultu sententiam habuerit, quam recentiori memoria Concilium Tridentinum exposuit sess. 25 decreto *de invocatione Sanctorum, et sacris imaginibus;* scilicet « imagines Christi, Deiparae Virginis, et aliorum Sanctorum, in templis praesertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam: non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendae, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, qui in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illa repraesentant, ita ut per imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus, et Sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur.» Ita autem explicata catholicae Ecclesiae doctrina de hac re, nullius superstitionis vel erroris accusari potest. Relativum enim, non vero absolutum, ut dici solet, Ecclesia semper docuit imaginibus sacris cultum adhibendum esse. Quam inique vero de hoc Catholicae Ecclesiae doctrinae capite haeretici in posterum detraxerint, suo loco videbimus, cum de antiquioribus et recentioribus huius cultus inimicis agemus. Nunc satis est animadvertisse, vetustis etiam temporibus de hoc doctrinae capite eandem, quae nunc est, Ecclesiae mentem fuisse.

EX SAECULO QUARTO

CAPUT XXXIV.

DE IMPERII ROMANI STATU SAECULO ECCLESIAE QUARTO INEUNTE.

Ad clariorem intelligentiam earum rerum, de quibus saeculi Ecclesiae quarti et proximorum temporum historiam tractaturi agere debemus, non leviter conferre posse putamus, quaedam antea tradere, ex quibus Imperii Romani status aut forma iis temporibus recepta cognoscatur. Perplura enim, quae ad Historiam Ecclesiasticam illius aetatis pertinent, cum imperii regiminis forma tunc inducta, adeo sunt coniuncta, ut ad illa explicanda, huius notitia necessario requiratur.

Itaque, Numeriano Imperatore interfecto anno 284, C. Val. Aurelius Diocletianus obscuro loco, anno circiter 233, in Dalmatia natus, ab exercitu, qui ex Perside revertebatur, die 17 Septembris Imperator electus est. Quo facto, cum is se mortis Numeriano illatae nulla ratione participem fuisse declarasset, Arrium Aprum sceleris istius reum manu sua interfecit. Cum vero videret magnam hostium copiam in orientalibus et occidentalibus provinciis adesse, quo posset adversus eos arma felicius gerere, Maximianum Herculeum, quem militiae socium habuerat, anno 286 imperii sui collegam constituit; ac praeterea anno 292 Caesares cum tribunitia potestate Constantium Chlorum et Galerium Maximianum designavit. Post haec de imperio dividendo Diocletianus consilium suscepit. Cuius hac ratione facta partitio est: scilicet Diocletianus provinciarum omnium ac regionum administrationem sibi reservavit, quae ultra mare aegaeum positae sunt; Thraciam et Illyricum Galerio tribuit; Italiam, Africam, earumque insulas Herculeo destinavit; et Constantio Chloro Gallias dedit, qui deinde in Hispaniis quoque et in Britannia potestate sua usus est.

His autem constitutis, Imperium Romanum tum primum in partes distinctum est. Nam licet antea duo simul Imperatores aliquando fuissent, prout ex. gr. mortuo Caro contigerat sub Carino et Numeriano eius filiis imperium tamen inter ipsos numquam divisum est. Nova haec regiminis imperii ratio iis, qui de ratione egerunt reipublicae bene administrandae, utilis ea de causa visa fuit, quod milites maiorem erga principes suos observantiam ostendere coeperint, quodque provinciae promptiori et studiosiori cura gubernatae ac propugnatae fuerint, quam sub praesidibus, qui vel nullo erga principem ferebantur amore, vel magistratus sibi collati potestate ad defectionem quandoque abutebantur.

Postquam Diocletianus anno 296 in Aegyptum cum exercitu se contulisset, Achilleumque tyrannum vicisset, et Thebaeos domuisset; quo istos viribus spoliaret, iuvenes ferme omnes Thebaeos militare iussit: atque ex iis tres legiones comparavit, quarum una Iovia Felix Thebaeorum, altera Maximiana Thebaeorum, tertia Diocletiana Thebaeorum appellata est.

Loquemur suo loco de crudelissima persequutione, quam, Galerio praesertim instigatore, Diocletianus in Christianos deinde commovit, quo etiam incitante, ille anno 305 imperio abdicavit. Miserrime autem anno 313 mortuus est.

Quod spectat ad Maximianum Herculeum, ille quidem obscuro genere Sirmii natus erat, et ignobilibus moribus suis propriam animi ferociam et pravitatem adiungebat. Neque

ulla re alia, quam armis valebat. Quamobrem a Diocletiano, postquam illum imperii sui collegam adlegit, ad subigendas eas gentes, quae in Gallia defecerant, missus est, atque ad eas barbarorum copias comprimendas, quae ex Germania in Galliam advenientes, motus ibi graves excitaverant. In his militaribus expeditionibus absolvendis, anno circiter 287, Maximiani Herculei iussu legionem Thebaeam totam Religionis Christianae causa trucidatam esse, memoriae proditum est, de qua re paullo post praecipua commemorabimus. Contulit praeterea se Herculeus in Africam, et nonnullas Lybiae civitates, quae defecerant, domuit. Denique cum imperium anno 305 dimisisset, atque illud deinde iterum suscepisset, atque abdicasset anno 308, convictus tandem conspirationis contra Constantini vitam anno 310 ignobili mortis genere, cuius eligendi copia ei facta fuerat, se ipsum Massiliae occidit.

Quae de legione Thebaea, Maximiani Herculei iussu, Religionis Christianae causa trucidata, litteris tradita sunt, ea sic habent: Herculeum, cum exercitum in Galliam duceret, prout superius significavimus, superatis Alpibus, atque ad partes Vallesiae profectum ad lacum Lemanum, omnes copias suas profanas quasdam caeremonias agere, et ad aras Deorum iurare decrevisse: in exercitu Herculei adfuisse unam ex legionibus Thebaeis, quas Diocletianum duxisse tradidimus: illam, quae Christianis tota constabat, et cuius dux Mauritius erat, Imperatoris mandato fortiter restitisse: Herculeum indignatione commotum, primum iussisse bis, decimum quemlibet ex ea legione militem interfici; tum universam legionem, quae minime horum militum caede frangebatur, atque Imperatoris mandato non obtemperabat, exercitu contra eam immisso, interemptam esse.

Antiquitate certe sua praestat cultus historia Martyribus legionis Thebaeae tributi.te Enim in *actis Sanctorum antuerpiensibus* tom. 4 februar. ad diem 28 refertur narratio vitae S. Romani Abbatis Iurensis in Burgundia, quae non multo post eiusdem mortem ab homine, qui cum Romano vixerat, scripta fuit. Mortuus autem Romanus est post medium saeculum quintum. Iam vero in historica illa narratione continetur, Romani aetate templum Agauni fuisse, quod in Mauritii legionis Thebaeae ducis honorem dicatum erat, atque ad illum templum religionis suae studio Romanum se contulisse. Templum autem illud multo prius, quam eo se Romanus conferret, consecratum esse in Mauritii Martyris, immo etiam et in memoratae legionis militum Martyrum honorem, dubitari non potest. Immo affirmari iure potest, ineunte circiter saeculo quinto, templum illud iam dicatum Mauritii et legionis Thebaeae Martyrum memoriae fuisse. Id autem in se ipso continet, ut antiquior prorsus esse credatur saeculo quinto cultus Martyribus illis adhibitus. Ita vero vitae S. Romani historiae scriptor de eo templo loquitur, ut universae legionis honori consecratum censeri debeat. Appellat enim templum, de quo sermo est, «Basilicam Sanctorum, immo castra Martyrum in Agauniensium loco,» in eo templo dicit Romanum «urnam S. Mauritii, id est legionis Thebaeorum Martyrum caput» veneratum esse. Mentionem denique scriptor ille facit *digestae passionis ipsorum relationis*. Quae quidem verba, antiquiora certe saeculo sexto acta martyrii legionis Thebaeae significant. Haec autem idcirco erant animadvertenda, ut iis responsum afferatur, qui *passionis Sanctorum Mauritii ac sociorum eius* inter cetera a Theodorico Ruinartio edita et adnotationibus illustrata in *actis Martyrum sinceris* pag. 237 et seqq. parvi faciunt.

Etenim licet ii contemnant haec acta, et duos Eucherios Lugdunen-

ses Episcopos distinguentes, quorum alter quinto, alter sexto saeculo floruerit, neque ab hoc postremo profecta esse illa acta contendant, sed potius a monacho quodam saeculi septimi imperito scriptore; certum tamen est, in vita S. Romani Abbatis superius memorata, et non multo post medium saeculum quintum scripta, mentionem esse «relationis digestae passionis Martyrum Agaunensium.» Avitus autem Viennensis Archiepiscopus ineunte saeculo sexto, cum templum illud Agaunense vetustate collapsum instauratum est, orationem de his Martyribus habuit, cuius orationis vel homiliae deperditae initium Iacobus Sirmondus reperiit, et tom. 2 operum edidit. Constat vero ex illo fragmento, homiliam in eo templo tunc innovato habitam vere esse ab Avito, et acta passionis eorum Martyrum «ex consuetudinis debito» lecta ibi fuisse. Qui universam controversiam de martyrio legionis Thebaeae excitatam habere cognitam velit, legat oportet librum Nanceii anno 1741 editum a Iosepho de l'Isle Abbate S. Leopoldi Nanceiensis, in quo Ioannis Dubordieu ex Protestantium genere dissertationem historicam et criticam ad eam historiam impugnandam anno 1705 Amstelodami editam confutare aggressus est. Dubordiei conatus prosequuti sunt Hottingerus, Boulacrius, Bochatius. Legenda denique sunt acta Sanctorum Bollandiana ad diem 22 Septembris, et eruditissimi Francisci Antonii Zaccaria dissertatio decima italica t. 2 Romae 1780: ab his autem doctissimis viris historia martyrii legionis Thebaeae, argumentis pluribus, magna eruditione propugnatur.

Nunc ut breviter cetera significemus, quae Imperii Romani status summam, ineunte saeculo quarto, respiciunt; Constantius Constantini Magni pater commemorandus est, Chlorus appellatus, vel a vultus sui pallore, vel, ut aliis placet, a vestium viridi colore, quo delectabatur. Natus est anno 250 Sirmii, et postquam Caesar anno 292 fuisset constitutus, Diocletiano, et Herculeo abdicanti anno 305 in imperio, una cum Galerio successit, sed neque lapsis quidem quindecim ab eo tempore mensibus, cum de gentibus nonnullis in Britannia tumultuantibus victoriam retulisset, Eboraci mortuus est. Illum non modo Christiani, sed et Ethnici scriptores laudaverunt. «Vir egregius, inquit Eutropius de illo loquens in historia sua, et praestantissimae utilitatis . . . adeo cultus modici, ut feriatis diebus, si cum amicis numerosioribus esset epulandum, privatorum eis argento ostiatim petito, triclinia sternerentur. Hic non modo amabilis, sed etiam venerabilis Gallis fuit, praecipue quod Diocletiani suspectam prudentiam, et Maximiani sanguinariam temeritatem imperio eius evaserunt.» Auctor vero libri *de mortibus persequutorum* n. 8 cum aliorum principum in Christianos saevitiam improbasset, «Constantium, inquit, praetereo, quoniam dissimilis ceterorum fuit, dignusque qui solus orbem teneret.» Eum Eusebius quoque in Historia Ecclesiastica, et in vita Constantini laudat, et uni Deo cultum a Constantio adhibitum fuisse commemorat. Ab Helena, genere quidem obscuriori nata muliere, sed legitima tamen uxore, Constantinum M. Constantius habuit.

Longe diversus a Constantio Chloro Galerius Maximinus, seu Maximianus fuit. Auctor libri *de mortibus persequutorum,* scriptor videlicet illius aetatis, ait, Galerium non solum Diocletiano et Maximiano Herculeo, sed *omnibus qui fuerunt malis peiorem* fuisse. «Inerat, inquit n. 9, huic bestiae naturalis barbaries, et feritas a Romano sanguine aliena . . . . Erat etiam corpus moribus congruens, statura celsus, caro ingens, et in horrendam magnitudinem diffusa et inflata. Denique et verbis, et actibus, et aspectu, terrori omnibus ac formidini fuit.» Natus is erat prope Sardicam ex *parenti-*

bus agrariis, ut ait Sextus Aurelius Victor in epitome, et *armentarius* appellatus est, eo quod pastor fuisset armentorum. Per varios militiae gradus ad praecipua munera in exercitu progressus, a Diocletiano Caesar factus, et ei imperium, una cum Herculeo, instigatione sua dimittenti successit, prout iam diximus, simul cum Constantio Chloro. Auctor ille praecipuus Christianorum persequutionis fuit, quae Diocletianea dicitur; et cum Caesares constituendos curasset Severum et Maximinum Daiam, seu Dazam, filios sororis suae, ac perpetuo conatus esset Constantinum ab imperio consequendo prohibere, quem etiam de medio tollendum curavit, tandem anno 311 teterrimo morbo confectus obiit. Scriptor libri *de mortibus persequutorum* describit quam miseram mortem is obierit, insanabili plaga confectus, et horrenda tabe consumptus, cui malo nulla ratione occurrere diu potuit; ita ut intelligi facile posset, haec contigisse, quod scelerum Galerii ultionem manifestam sumeret; atque ipse Galerius edicto promulgato, quo persequutioni finis imponebatur, quid praecipue Deus ulciscerentur, manifeste demonstravit.

Post hos, quando Imperium Romanum in unius principis potestatem reversus fuerit, commemorandum est. Scilicet supererant Severus et Daia, seu Daza Maximinus, qui Galerii opera Caesares anno 305 fuerant constituti. Severo quidem anno 306 Augusti nomen collatum est, et Italia atque Africa, sed sub Galerii auctoritate commissa fuit. Conatus ille est cum Maxentio bellum gerere anno 307; sed ob exercitus sui defectionem Ravennam petiit, ut saluti suae consuleret. Herculeus, qui eo tempore imperium suscipere iterum voluerat, eum Romam captivum venire coegit, ac non multo post ad Tres Tabernas perductus, vita privatus fuit.

Maximinus anno circiter 388 in Illyrico effecit, ut ab exercitu Imperator ipse diceretur. Quo facto, Galerius consilium suscipiendum putavit, ut una secum Augusti atque imperatores statuerentur Licinius, Maximinus et Constantinus, qui, Constantio Chloro mortuo, statim ab exercitu Augustus fuerat renunciatus. Maximinus praeterea acerbissimus Christianorum vexator, et eos in orientalibus provinciis incredibili crudelitate afflixit. Anno tandem 313 postquam a Licinio devictus esset, Tarsi miserrime mortuus est in summa desperatione ac gemitu, cum manifesta ratione profiteretur, se coram Christo constitutum poenas scelerum suorum dare debere.

Restat Licinius. Is obscuro genere in Dacia natus anno 263 Galerii consilio, prout significavimus, Augustus factus est anno circiter 308. Post Galerium mortuum iis provinciis potitus est, quarum Galerius in Europa imperium gerebat. Ut stabilius earum provinciarum imperium suum efficeret, foedus cum Constantino inivit, eiusque sororem Constantiam, quae postea Arianae haeresis erroribus addicta mortua est, anno 313 uxorem duxit. Deinde apertum bellum inter utrumque gestum fuit, in quo Licinius a Constantino anno 314 superatus, pacem ab eodem impetravit, Illyrico, et Graecia in Constantini potestatem dimissa. Numquam autem ex animo reconciliati fuisse videntur. Manifestas vero inimicitias Constantino demonstravit, cum anno circiter 318 Christianos vexare coepit, qui in Constantini patrocinio et clientela, ut ita dicam, tranquillitate fruebantur. Bellum igitur inter eos iterum gestum est, in quo bello anno 223 Licinius pluries victus, imperium suum omne dimisit, quo Constantinus potitus fuit. Cum haec evenissent, Licinius Thessalonicam relegatus est, deinde conspirationis accusatus anno 324 morte mulctatus fuit. Post haec universum imperium in unius Constantini potestatem reversum est; atque is rerum status ad eius mortem usque perduravit.

CAPUT XXXV.

DE DIOCLETIANEA PERSEQUUTIONE.

Quam gravem, quamque diuturnam Christiana Religio passa sit vexationem sub Diocletiano ceterisque illius temporis Romani Imperii principibus, docent perspicua eius aetatis monumenta. « Illud certum exploratumque est, apposite animadvertit Mamachius t. 1 orig. et antiq. Christ. lib. 2 c. 8 §. 11, et diuturnam, et saevam, et cruentam, et late longeque patentem, et multitudine incredibili Martyrum insignem vexationem fuisse, quod inimicus generis humani, omnes vires suas exserere curavit, antequam exsisteret Imperator, qui amplecti Christiana sacra, atque propagare per universum orbem romanum studeret. »

Essent hic referenda singillatim omnia, quae Cardinalis Baronii de ea re ecclesiastici annales habent, vel quae Mamachius loco citato commemorat, vel ea, quae Tillemontius tom. 5 Historiae Ecclesiasticae, aut in Historia Imperatorum tom. 4 aliique doctissimi viri recensent, ut universa tanti huius belli Ecclesiae Christianae illati narratio accurata tradi posset. Verum quae sumus pertractaturi, satis abunde persequutionis teterrimae naturam referent. Dum enim eos impugnabimus, qui huius vexationis acerbitatem diuturnamque durationem imminuere, vel hominum pro Christo caesorum numerum extenuare conati sunt, manifeste ostendemus summam, quam eo tempore Ecclesia passa est, calamitatem.

Etenim Henricus Dodwellus in XI sua dissertatione Cyprianica *de Martyrum paucitate,* quemadmodum de vexationibus sub Imperatoribus trium priorum Ecclesiae saeculorum excitatis vehementer mitigandis et extenuandis laboraverat, ita etiam hoc conatus est efficere de Diocletianea calamitate, quam neque valde crudelem fuisse, neque magnum Christianorum numerum sustulisse contendit. Christianae Religionis inimici, qui deinde, quanta potuerunt animi iniquitate, eam funditus evertere studuerunt, intelligentes, magnam vim ad religionis divinitatem defendendam illi argumento inesse, quod ex ingenti Martyrum numero desumitur pro ea interfectorum, imminuendam curarunt Martyrum copiam, qui in hac praesertim vexatione caesi fuerunt. Eiusmodi sunt, ut reliquos omittam, Voltairius c. 5 speciminis universae historiae, atque in opere, quod inscribitur *melanges;* eiusmodi Gibbonius in opere inscripto: *Histoire de la décadence, et de la chûte de l'empire Romain*, eo loco, ubi habet Christianae Religionis examen.

Facile est hos homines hac in re refutare, et ex indubiis historiae monumentis efficere, et gravissimam hanc fuisse persequutionem, et incredibilem Christianorum multitudinem, ea perdurante, deletam. Id vero demonstrari primo potest argumento generatim deprompto ex loquendi ratione, qua huius aetatis scriptores auctoritate praestantes usi sunt, cum describerent, quanta crudelitate in Religionem nostram fuerint animati huius temporis Imperatores ac Caesares. Nam nisi revera gravissima fuisset eorum contra Christianos adhibita crudelitas, incredibile prorsus est, ita homines aetate pares, et gravitate praeditos loqui de iisdem potuisse, quemadmodum loquutos eos esse, manifestum est.

Commemorandus est Eusebii locus lib. 1 de vita Constantini cap. 13. Verba enim faciens ibi de atroci vexationis genere, quo Imperatores et Caesares illius temporis in Christianos saevierant, « Illi quidem, inquit, Dei

cultorum, tam virorum, quam mulierum caedibus tamquam civili quodam bello provincias sibi subiectas polluerunt. » Ac sunt etiam illa graviora, quae Lactantius lib. 5 divin. Inst. cap. 9 et 11 de hac Imperatorum et Caesarum crudelitate habet. « Si adeo in victos victoribus saevire placuit, nihil plus in eos fit, quam ut occidantur, vel in servitutem deducantur. Hoc vero inenarrabile est, quod fit adversus eos, qui male facere nesciunt . . . Vexant ergo, et exquisitis poenarum generibus excruciant; parumque habent interficere quos oderant, nisi etiam crudelitas corporibus illudat . . . In eos totis carneficinae suae viribus, veluti si sanguinem sitiant, incumbunt . . . Nam quis Caucasus, quae India, quae Hircania, tam immanes, tam sanguinarias umquam bestias aluit?... Ista est vera bestia, cuius una iussione funditur ater ubique cruor: crudelis ubique luctus, ubique pavor, et plurima mortis imago. Nemo huius tantae belluae immanitatem potest pro merito describere, quae uno loco recubans, tamen per totum orbem dentibus ferreis saevit, et non tantum artus hominum dissipat, sed et ossa ipsa comminuit, et in cineres furit, ne quis exstet sepulturae locus. » Non est autem necesse, in his ipsis Eusebii et Lactantii locis explicandis immorari, ut ostendatur, ex iisdem argumentum iure desumi, sub iis hominibus, quorum tantam in Christianos crudelitatem fuisse narrant, magnam eorundem Christianorum cladem esse debuisse. Quae enim adducta sunt testimonia, utrumque luculenter demonstrant, et crudelissimos contra religionem nostram fuisse eos, qui tunc Romanae Reipublicae praeerant; et Christianos innumeros fuisse interfectos.

Praeter haec, quae generatim de Imperatorum et Caesarum huius aetatis crudelitate veteres hi scriptores litteris prodiderunt, nonnulla etiam loca commemoranda sunt, in quibus singillatim de plerorumque illorum in nostros nefariis conatibus sermo est, iique nominantur, quorum scelere tantam vexationem tum temporis Christiani pertulerunt. Ita enim intelligitur, in peculiaribus provinciis, in quas ii homines summa rerum potientes dominabantur, atrocissimam fuisse vexationem, quam Christiani diuturno eo tempore tolerarunt.

Atque ut de Diocletiano primum loquamur, haec de illo habet scriptor libri *de mortibus persequutorum* cap. 19: « Diocletianus vero, qui semper se videri volebat astutum et intelligentem, . . . ira inflammatus excarnificare omnes suos protinus coepit. Sedebat ipse, atque innocentes igne cremabat. Item iudices universi, omnes denique, qui erant in palatio magistri, data potestate torquebantur. Erant certantes, quis prior aliquid inveniret. » Quae autem proximo capite refert, atrociora sunt, et summae crudelitatis, qua Imperator in Christianos usus est, descriptionem perspicuam continent. Nam inquit eo loco illius libri auctor: « Furebat ergo Imperator iam non in domesticos tantum, sed in omnes, et primam omnium filiam Valeriam, coniugem Priscam sacrificio pollui coegit. Potentissimi quondam Eunuchi necati, per quos palatium, et ipse ante constabat: comprehensi presbyteri ac ministri, et sine ulla probatione ac confessione damnati cum omnibus suis deducebantur. Omnis sexus et aetatis homines ad exustionem rapti: nec singuli, quoniam tanta erat multitudo, sed gregatim circumdato igni comburebantur, domestici alligatis ad collum molaribus demergebantur. Nec minus in ceterum populum persequutio violenter incubuit. » Satis haec cuique explicant, quid a Diocletiano ipso factum sit, postquam Maximiani Galerii instigatione et iniquitate anno 303 Christianos vexare coepit, et Ecclesia, quae saeculo quarto ineunte tranquilla fuerat, in teterrimam incidit vexationem.

In iis vero regionibus, in quibus Maximianus Herculeus imperavit, certe non minus gravis persequutio fuit, quam Christiani passi sunt. Nam si Diocletianus, qui, sive natura, sive calliditate, abhorrere a caedibus videbatur, adeo crudeliter Christianos afflixit, multo facilius intelligitur, Maximianum Herculeum, qui a crudelitate alienus non erat, eadem saltem acerbitate in Christianos usum esse. Profecto auctor libri *de mortibus persequutorum,* cum narrasset, a Diocletiano et Galerio scriptas fuisse litteras ad Maximinum et Constantium Chlorum, quibus praecipiebatur, ut cum Christianis ita agerent, quemadmodum ab ipsis agebatur, haec de Maximiano Herculeo inquit cap. 20: « Et quidem senex Maximianus, libens paruit per Italiam, homo non adeo clemens.» Multa praeterea de Herculei sceleribus et crudelitate idem scriptor commemorat. Eusebius vero lib. 8 H. E. cap. 13 inter cetera, haec habet, quae hominis istius vitam, mortemque infamem satis ostendunt: « Primusque hic fuit, cuius, utpote impii ac sceleratissimi, imagines omnes et statuae, ceteraque id genus ornamenta, quae in honorem Imperatorum erigi solent, deiecta atque abolita sunt. »

Non est necesse multum immorari, ut idem de Maximiano Galerio Caesare, et Diocletiani genero evincatur. Constat enim, non modo ingenio valde feroci, omnis facultatis atque artis, praeter militarem, imperitum, valde superstitiosum, a Christiana Religione prorsus abhorrentem illum fuisse, verum etiam tantae huius calamitatis auctorem haberi iure posse. Is enim anno 303 Diocletianum Nicomediae commorantem, quanto potuit scelere, commovere contra Christianos conatus est; is ita apud illud egit, ut edictum reportarit, quo omnia Christianorum templa everti, Christianos civium iuribus privari, sacrarum scripturarum libros magistratibus ad comburendum tradi iubebatur. Is ad cetera edicta in Christianos omnes atrociora Diocletianum compulit, tum aliis artibus adhibitis, tum Christianis ipsis, veluti incendii auctoribus, quo bis Nicomediense Imperatorium palatium conflagravit, apud Diocletianum traductis. Iam vero, legi sine indignatione non possunt, quae auctor libri *de mortibus persequutorum* cap. 21 commemorat de eius adversus omne hominum genus crudelitate, quam tamen in omnes homines exercere ex consuetudine in Christianos saeviendi eum didicisse idem auctor testatur. « Quae igitur in Christianis excruciandis didicerat, consuetudine ipsa in omnes exercebat. » Et cap. 16 tum Diocletiani, tum Maximiani Herculei, tum Galerii crudelitatem complectens, « Vexabatur ergo, inquit, universa terra, et praeter Gallias, ab Oriente usque ad occasum tres acerbissimae bebestiae saeviebant. »

Constat praeterea, non inferiore crudelitate in Christianos fuisse Maximinum, qui, Galerio curante, Caesar factus est, et postea semetipsum Imperatorem appellari curavit. Eusebius l. 8 H. E. c. 14 exponit, quantis, et quam gravibus suppliciis ille Christianos affecerit. « Ignem, ac ferrum, clavorum infixiones, bestias, profundos maris gurgites, membrorum abscissiones, et perustiones, confixiones, et effossiones oculorum, totius denique corporis mutilationes, ad haec famem, metalla, vincula. » Excitavit tam privatos homines, quam magistratus, amplissimis praemiis propositis, ad Christianos affligendos. Acta quaedam Pilati, maledictis, conviciis, calumniis in Christianos referta, per omnes provincias spargi, ac a pueris in scholis memoriae mandari iussum est. Quaestiones de impuris mulieribus habitae, in acta publica, principis iussu relatae, quae fateri coactae fuerant in Christianorum conventibus flagitiorum et scelerum omne genus pastrari. Edicta denique Christiani-

iniquissima in mediis urbibus proposita, quae gratulationem ob Christianum nomen ubique deletum continebant, et utilitates iactabant, quae ex ea re profectae sint. Ex tanto hoc Maximini in Christianos odio facile est intelligere, qualis, quantaque fuerit magistratuum, et subiectorum in nostros crudelitas, qui, quo vehementius cupiditate ferebantur imperatoris gratiam adipiscendi, eo acerbius Christianos vexandos arbitrabantur. Plura possent hanc in rem adduci, sed satis erit, perspicuum huius facti argumentum recensere, quod nascitur ex iis, quae Eusebius l. 9 H. E. c. 3 narrat de Theotecni, qui Antiochiam procurabat, in Christianos saevitia, quorum plurimis mortis causa fuit, et ad quos in invidiam Antiochiensium vocandos, dolo etiam et fraude usus est.

De Christianorum etiam per Severum Caesarem, qui Italiam et Africam obtinebat, vexatione, vetera monumenta loquuntur. Optatus enim Milevitanus lib. 2 adversus Parmenianum auctor est, pacem Ecclesiae in Africa tum fuisse restitutam, cum Severus interemptus est. « Tempestas persequutionis peracta et definita est, iubente Deo, indulgentiam mittente Maxentio, Christianis libertas est restituta. »

Maxentius autem ipse, etsi aliquando favere Christianis visus sit, agendi tamen rationem deinde ita mutavit, ut Eusebius cap. 14 lib. 8 H. E. de crudelitate loquens ab eo in Christianos adhibita, Maxentium Maximino in cunctis simillimum appellaverit; et Lucifer Calaritanus lib. 1 pro S. Athanasio, eum cum Nerone coniungere non dubitarit. Quod si tanta fuit Imperatorum et Caesarum, quos commemoravimus, in Christianos iniquitas, manifestum esse debet, ingentem fuisse Martyrum numerum in tam gravi hac vexatione interfectorum, cum, exceptis Galliis, in Christianos in universo Imperio saevitum sit.

Est vero perspicuus Dodwelli error, cum contendit non in Galliis tantum, sed in Hispaniis quoque, et aliqua ex parte etiam in Africa, afflictos ea vexatione Christianos non fuisse. Nam Optatus Milevitanus, quem paullo ante appellavimus, et cui melius, quam Dodwello, explorata esse potuit Africae, calamitate ingruente, conditio, quod non modo in Africa natus sit, verum etiam non multo post infelicissima illa tempora vixerit, libro tertio adversus Parmenianum accurate exponit quantas vexationes Christiani in Africa tunc pertulerint. Is autem libro 1 narraverat, hac tempestate totam Africam fuisse perculsam. « Nam ferme ante annos sexaginta, inquit, et quod excurrit, per totam Africam persequutionis est devagata tempestas, quae alios fecit Martyres, alios Confessores, nonnullos funesta prostravit in morte. »

Quomodo autem ostendi aliqua probabili ratione potest, Africanos Christianos immunes ab ea vexatione fuisse, quae tam late, et exceptis Galliis, in universo Imperio Christianos perculit? Id enim alia de causa evenire non potuisset, nisi quod a Maximiano Herculeo in Africa promulgata fuerint edicta, quae diversa ab edictis essent, quorum vi in universo Imperio contra Christianos agebatur. Haec quidem sententia Dodwelli est, qui contendit, ibi Christianos non religionis causa vexatos esse, sed quod vel sacros conventus celebrassent, vel sacrarum scripturarum libros, qui a magistratibus ad comburendum deposcebantur, tradere recusassent. At illorum temporum monumentis ostendi potest, in Africa ex iisdem edictis agi consuevisse, ex quibus in ceteris Imperii provinciis Christiani tanta crudelitate affligebantur. Id patet ex iis ipsis actis S. Saturnini et Dattivi, quae Dodwellus commemorat. Nam in illis n. 5 refertur, missos fuisse ad Proconsulem a magistratibus Abitinensium Christianos,

« qui contra interdictum Imperatorum et Caesarum, collectam et Dominicum celebrassent.» Et n. 6 cum Saturninus acerbissimis poenis afficeretur, in iisdem actis narratur, Proconsulem haec verba fecisse: « Custodire te oportuit iussionem Imperatorum et Caesarum. »

Patet id etiam ex actis S. Felicis Episcopi Tibiuritani; nam ea acta hoc habent exordium: « Diocletiano octies, et Maximiano septies consulibus Augustis, exivit edictum Imperatorum et Caesarum super omnem faciem terrae, et propositum est per colonias et civitates principibus et magistratibus suo cuique loco, ut libros Deificos peterent de manu Episcoporum, et presbyterorum. » Iam vero nisi haec, quae attulimus, demonstrent, in Africa quoque ex iisdem edictis actum contra Christianos esse, ex quibus in reliquis Imperii partibus agebatur, nescio qua ratione ostendi aliquid in historia possit.

Neque ad Dodwelli sententiam confirmandam prodesse quacumque ratione potest, in Africa erga Christianos actum fuisse ex edictis, quae diversa essent ab iis, quorum auctoritate in ceteris Imperii provinciis Christiani ipsi vexabantur. Cum enim de caedis Christianis illatae gravitate disputemus, non vero de edictorum forma, cumque monumenta doceant, quanto numero Christiani in Africa necati sint, nihil adversarii sententiam iuvare potest, in Africa ea edicta fuisse promulgata, quae diversa ab edictis essent, quibus in reliquo Imperio Christiani vexabantur.

Falsum est praeterea, eos Christianos, qui peculiari Maximiani edicto poenis mulctati sunt, non ob Religionis Christianae confessionem afflictos esse, eo quod tantummodo punirentur, tum ob sacros conventus habitos, tum ob recusatam sacrorum librorum traditionem. Nam concedi Dodwello non potest, eos, qui memoratis temporibus ob has, quas recensuimus causas, necati sunt, religionis causa interfectos non esse. Refertur in actis S. Saturnini, iudicem, qui Felicem Saturnini socium interrogabat, ita eidem Felici respondisse, qui se Christianum esse confessus erat: « Non quaero utrum Christianus sis, sed an collectam feceris, vel scripturam aliquam habeas. » Iam vero illorum actorum auctor, qui aequalis aetate est temporibus, quibus haec vexatio contigit, ita hanc iudicis responsionem irridet: « O stulta iudicis, et ridenda interrogatio! Christianus, inquit, utrum sis, tace. Et addidit: si in collecta fuisti, responde. Quasi Christianus sine Dominico esse possit, aut Dominicum sine Christiano celebrari. An nescis, satanas, in Dominico Christianum, et in Christiano Dominicum constitutum, ut nec alterum sine altero valeat esse? » Haec vero illius scriptoris verba manifeste ostendunt, persuasum veteribus fuisse, Christianos vexare, eo quod sacris conventibus interfuissent, et sacrarum scripturarum libros magistratibus tradere noluissent, idem esse, ac eos religionis prorsus Christianae causa vexare. Quamobrem qui ab ethnicis necati fuerunt, quod alterutrum illud commisisse deprehenderentur, ii tamquam Martyres habiti sunt; contra vero qui sacras scripturas tradere ausi essent, ignominioso traditorum nomine appellabantur.

Plura possent Augustini loca afferri, ex quibus constaret, revera eos veluti Martyres habitos esse, qui vexati fuerint vel ob sacros conventus celebratos, vel ob librorum sacrorum traditionem magistratibus recusatam. Satis erit commemorare quae ille in breviculo collationis tertiae diei, et in epistola 152 hac de re habet. Itaque in breviculo collationis illius diei cap. 17 Martyres eos appellat, qui ingruente hac persequutione, sacris conventibus interfuissent, et ea de causa suppliciis interfecti essent. « Catholici, inquit,

respondebant, multo facilius duodecim homines in domum convenire potuisse eo tempore, quo etiam congregationes plebium fieri solebant, quamvis persequutione saeviente, sicut ipsis gestis Martyrum monstrabatur, qui confitebantur in passionibus suis, se collectam et Dominicum egisse. » Cap. 14 autem ita loquitur de iis, qui magistratibus libros sacros requirentibus tradere noluerant, ut eos veluti Martyres habitos fuisse, sua, et ceterorum sententia demonstret. Quae enim Secundus Tigisitanus Episcopus ad Mensurium Carthaginiensem rescripta dederat, Augustinus refert, in quibus Secundus narrabat, « in Numidia persequutores quae egerint, et qui comprehensi, et scripturas sanctas tradere nolentes, et multa mala passi, et gravissimis suppliciis excruciati, et occisi sunt. » In epist. vero 152 crimen traditionis appellat, magistratibus libros sacros deposcentibus facto assentiri, eosque traditores dicit, qui parere magistratibus id requirentibus ausi sunt. « Insuper etiam, ait, de criminibus traditionis nos episcopalia gesta protulimus, unde recitavimus, aliquos eorum Episcoporum, qui sententias in absentem dixerant Caecilianum, manifestissimos fuisse traditores. » Quod si veluti Martyres ii habiti sunt, qui supplicia pertulerunt quod Dominicum et collectam celebrassent, et tamquam religionis desertores ii sunt iudicati, qui parendum magistratibus librorum sacrorum traditionem imperantibus existimarunt, iure concludimus, concedi adversario etiam illud non posse, quod contendit, eos, qui in Africa his de causis necati sunt, Religionis Christianae nomine non fuisse necatos.

Illa etiam Dodwelli sententia probari nullo modo potest, qua statuit, Hispanos Christianos immunes ab ea calamitate fuisse. Ille quidem, ut id ostendat §. 75 memoratae superius dissertationis, conatur demonstrare, in Hispaniis, utpote Constantio Chloro subiectis, homini scilicet a Christianorum vexatione abhorrenti, nullam in Christianos persequutionem fuisse commotam; utitur autem ad hoc ostendendum argumento ex eo desumpto, quod Sextus Aurelius Victor in vitis Caesarum referens sortitionem provinciarum sub Diocletiano factam, Hispanias ceterorum vel Imperatorum, vel Caesarum ditioni non accenseat Verum quid inde sequatur, certe non intelligitur. Neque enim Victor, cum Hispanias ceteris summis imperantibus non accenset, illas Constantio Chloro in memorata provinciarum distributione tribuit. Praeterea cuius momenti est opponere, a Victore non referri, cui Hispaniae obtigerint, ut concludatur, eas Constantio subiectas persequutionem passas non esse, cum Auctor libri de mortibus persequutorum aperte doceat, tum temporis Maximianum Herculeum in iis imperasse, cumque constet, exceptis Galliis, Christianos ubique fuisse vexatos? Profecto memoratus scriptor libri de mortibus persequutorum cap. 13 ait: « Quid frater eius Maximianus qui est dictus Herculeus ... Nam cum ipsam Imperii sedem teneret Italiam, subiacerentque opulentissimae provinciae vel Africa, vel Hispania. » Cap. autem 21 « vexabatur universa terra, et praeter Gallias, ab Oriente usque ad Occidentem, tres acerbissimae bestiae saeviebant.

Denique Donatistae, quibus exploratum erat, quae regiones ea calamitate immunes fuissent, satis luculenter ostenderunt, veluti certum se habere, id de Galliis tantummodo affirmari posse. Nam Optatus Milevitanus lib. 1 contra Parmenianum refert supplicem libellum a Donatistis Constantino oblatum, quo illum rogarunt iudices e solis Galliis sibi dari. « Maiores vestri, Lucianus, Dignus, Massutius, Capito, Fidentius, et ceteri, Imperatorem Constantinum harum rerum adhuc ignarum his precibus rogarunt, quarum exemplum infrascriptum est: Roga-

mus te, o Constantine optime Imperator, quoniam de genere iusto es, cuius pater inter ceteros Imperatores persequutionem non exercuit, et ab hoc facinore immunis est Gallia; nam in Africa inter nos et ceteros Episcopos contentiones sunt, petimus ut de Gallia nobis iudices dari praecipiat pietas tua. » Hic autem supplex libellus aperte demonstrat, Donatistas, qui iudices requirebant, a quibus omnis traditionis suspicio abesset, idcirco eos e solis Galliis postulasse, quod eae tantum Traditorum suspicione carerent, in quibus dumtaxat a communi calamitate Christiani liberi fuissent.

Superiorum igitur temporum ab inferioribus facienda distinctio est, et ubi de Hispaniarum illius aetatis conditione sermo sit, alia ratione iudicandum est de temporibus, quae Diocletiani et Maximiani abdicationem illam subsequuta sunt. Nam iis annis, qui fluxerunt ante memoratam abdicationem, certe constat, in Hispaniis Maximianum Herculeum imperasse, et erga Christianos eam crudelitatem adhibuisse, quam in ceteris locis adhibebat. At tempore abdicatione illa posteriori, cum in Hispanias Constantius Chlorus imperare coepit, ea benignitate Christianos Hispanos amplexus est, qua erga Gallos utebatur, et Hispani idcirco tranquillitatem recuperarunt. Haec vero luculenter ostendunt, Hispanias a calamitate illa immunes fuisse, generatim dici non posse.

Post haec, quae hactenus exposuimus, apparet perspicue, sententiam nostram esse probatam. Neque enim post ea, quae diximus, dubium aliquod esse potest, num revera saevissima fuerit persequutio, quae Diocletianea dicitur, et num Christiani ea perdurante plurimi martyrium fecerint. Illud vero omitti prorsus non debet, quod huius calamitatis diuturnam durationem fuisse demonstrat, quodque valet etiam plurimum ad gravitatem persequutionis, et Martyrum copiam evincendam. Disputant inter se eruditi viri de anno, quo primum Diocletianea coeperit persequutio; atque ad huius controversiae rationes intelligendas legi potest Ruinartius in praef. ad acta Martyrum, Baronius, Pagius in adnot. ad eundem, Valesius, Tillemontius, Mamachius. Illa certe sententia verisimilior est, et veterum testimoniis magis consentanea, qua huius persequutionis exordium non protrahitur post annum 303. Iam vero persequutio penitus, et quocumque in loco finem non habuit ante annum 313; licet post Diocletiani et Maximini abdicationem occidentales Christiani magna ex parte tranquillitatem recuperaverint, atque hoc in orientalibus quoque provinciis factum sit, cum Galerius instante morte anno 311 edictum tulit, quo a Christianorum caede ac vexatione abstinendum imperavit.

Nam dubium esse potest, ante Diocletiani et Maximiani abdicationem in universo Imperio, exceptis Galliis, hanc persequutionem saevisse, deinde usque ad memoratum Galerii edictum, Severum in Italia, Galerium ipsum et Maximinum in provinciis orientalibus Christianos persequutos esse. Post edictum autem illud Galerii, non continuo ubique calamitas illa cessavit. Maximinus enim a Christianis vexandis non abstinuit antequam a Licinio superaretur, et Constantinus ac Licinius, postquam ille victus est, edictum proposuerunt, quo Christianis libertas concedebatur religionis suae colendae; atque ita, Maximino non multo post mortuo, pacem Ecclesia in omnibus Imperii provinciis consequuta est. Atqui haec, quae modo cursim attigimus, Constantino et Licinio tertium consulibus evenerunt. Tertium autem eorundem consulatum incidisse in annum 313, recepta apud eruditos sententia est. Ergo pax, quam Ecclesia 304 amiserat, ante an. 313 ubique adepta non est. Conatus enim Licinii posteriores praetereo, qui

non grave damnum Ecclesiae universae attulerunt. Haec autem aperte colligimus ex cap. 48 libri de mortibus persequutorum, cuius auctor, postquam de praeclara Licinii victoria verba fecisset, inquit: « Licinius vero accepta exercitus parte ac distributa, traiecit exercitum in Bythyniam, paucis post pugnam diebus, et Nicomediam ingressus, gratiam Deo, cuius auxilio vicerat, retulit, ac die Iduum Iuniarum, Constantino atque ipso ter consulibus, de restituenda Ecclesia huiusmodi litteras ad praesidem datas proponi iussit.... Sic ab eversa Ecclesia usque [illegible] restitutam fuerunt anni decem, menses, plus minus, quatuor. » Cum exposuisset denique miseram Maximini mortem, ita cap. 54 prosequitur: « Hoc modo Deus universos persequutores nominis sui debellavit, ut eorum nec stirps, nec radix ulla remaneret. » Omitto ceteros veteres scriptores, quorum etiam communis sententia est, decem annos hanc persequutionem perdurasse. Hanc notasse satis est, ut ex vexationis quoque diuturnitate confutari Dodwellum posse appareat.

CAPUT XXXVI.

DE IMPERATORIS IULIANI APOSTATAE CONATIBUS ADVERSUS CHRISTIANAM RELIGIONEM, ET DE TENTATA AB EO TEMPLI HIEROSOLYMITANI RESTITUTIONE.

Etsi temporum ordine servato, agendi ratio a Iuliano Imperatore contra Christianos adhibita aliquanto posterius esset exponenda; quia tamen optamus hic disputationes concludere, quae vexationes respiciunt a Christiana Religione Romanorum Principum voluntate toleratas, ea breviter hic attingemus, quae Imperator ille contra Ecclesiam, a qua defecerat, conatus est, ac praesertim de iniquo eius consilio loquemur templi Hierosolymitani restituendi.

Itaque inter gravissimas, quas Ecclesia Christiana calamitates passa est, illa certe est numeranda, quam Iuliani Imperatoris iniquitate pertulit. Nihil ille omisit, ut Religionem everteret, utque eam, quae late per imperium fuerat propagata, in extremum discrimen adduceret: atque ea persequutione durante, plures Christiani, Iuliano aut iubente, aut certe consentiente, interfecti sunt. Addidit veteribus persequendi Christianos modis dicteria, irrisiones, calumnias, intestinas discordias: ipsum D. N. Iesum Christum tamquam mentitorem traducere est ausus. Id inter cetera contigit, cum templum Hierosolymitanum restituendum curavit. Vidit enim, si id efficere potuisset, inania existimanda esse scripturarum et Christi testimonia, quae hanc restitutionem contingere posse denegabant. Sed divinitus factum est, ut impii Imperatoris conatus frangerentur. Igne enim erumpente, terraemotu, ignitis globis, aliisque miris signis disiecta sunt, quae ad novam templi aedificationem fuerant comparata. Quoniam vero huius facti veritas denegata a nonnullis est, omnino opportunum erit eam breviter vindicare, atque ostendere, adeo gravibus argumentis huius facti historiam inniti, ut si illud revocari possit in dubium, difficile sit aliam narrationem reperire, quae certa iudicari queat. Legenda praesertim est de ea re Warburtonii dissertatio, cuius Gallica versio Parisiis an. 1764 edita est. Ea dissertatione Warburtonius Basnagium refellit, qui in *historia iudaeorum* lib. 6 historiam istam falsitatis redarguit.

Est omnino tale Ammiani Marcellini testimonium lib. 23. c. 1, ubi de hac re ita loquitur: « Iulianus iam ter consul . . . licet accidentium

varietatem sollicita mente praecipiens, multiplicatos expeditionis apparatus flagranti studio perurgeret; diligentiam tamen ubique dividens, imperiique sui memoriam magnitudine operum gestiens propagare, ambitiosum quondam apud Hierosolymam templum, quod post multa et interneciva certamina obsidente Vespasiano, posteaque Tito, aegre est expugnatum, instaurare sumptibus cogitabat immodicis, negotiumque maturandum Alypio dederat Antiochensi, qui olim Britannias curaverat propraefectus. Cum itaque rei idem fortiter instaret Alypius, iuvaretque provinciae rector, metuendi globi flammarum prope fundamenta, crebris assultibus erumpentes, fecere locum exustis aliquoties operantibus inaccessum, hocque modo, elemento destinatius repellente, cessavit inceptum.» Quanti reputanda sit huius scriptoris auctoritas in hoc facto narrando, perspicuum est. Ethnicus Ammianus Marcellinus erat, atque idcirco ita comparatus, ut ad Christianorum causam iuvandam adeo honorificam Christianae Religioni historiam confingere minime potuerit. Iuliano subditus erat, aulicus, eidemque assentabatur: quare est incredibile, nisi certo intellexisset, ea contigisse, quae indicavimus, adeo luculentam eiusdem facti historiam litteris commendare voluisse, in qua Iuliani ipsius dedecus continebatur: aetate ipsa vivebat, qua rem contigisse narrabat. Res autem erat eiusmodi, ut magnitudine sua omnibus nota esse deberet. Quare si factum non certissimum fuisset, in discrimen levitatis gravissimum Ammianus Marcellinus nomen suum adduxisset. Est ergo exploratum, huius scriptoris testimonio, facti, de quo loquimur, veritatem invicte demonstrari.

Quid vero, quod habemus gravissimos scriptores Christianos, qui in recentissima rei memoria eadem referunt, quae Ammianum Marcellinum retulisse superius vidimus? De Cyrillo Hierosolymitano Episcopo, qui rei gestae quodammodo interfuisse dici potest, haec Socrates narrat H. E. l. 3 c. 20: «Quo quidem tempore Cyrillus Hierosolymorum Episcopus memor vaticinii Danielis Prophetae, quod Christus etiam in sacris evangeliis confirmavit, palam multis adstantibus praedixit, futurum brevi, ut in eo templo lapis super lapidem non maneret, sed Servatoris oraculum compleretur.» Idem de Cyrillo refert in historia Ecclesiastica Rufinus. Hoc Socratis et Rufini testimonium ad facti veritatem ostendendam est etiam opportunissimum, et evincit, Christianos, qui Hierosolymis morabantur, cum Iulianus consilium suscepit templi aedificandi, intellexisse perspicue, id inique conari Imperatorem, ut per templi aedificationem Religioni Christianae et divino eius auctori dedecus irrogaret. Ambrosius praeterea Mediolanensis Archiepiscopus ep. 11 ad Theodosium eum reprehendit, quod Christianos cogere vellet ad templum iterum construendum, quod ethnicorum fuerat; atque, ut Imperatorem ab hoc consilio deterreat, argumentum ex Iuliani facto desumit adeo confidenter, ut de eo a quoquam dubitari posse, Ambrosius ne suspicatus quidem esse videatur. «Non audisti, inquit, Imperator, quia cum iussisset Iulianus reparari templum Hierosolymis, quod divino, qui faciebant repagulum, igne flagrarunt? Non caves, ne etiam nunc faciat? Adeo a te non fuit iubendum, ut Iulianus hoc iusserit.»

Quae Ambrosius memorato in loco habet, ea consonant Io. Chrysostomi tom. 1 op. orat. adversus iudaeos et gentiles. Ibi enim brevi narrat, aetate sua Imperatorem Iulianum, qui omnes suo contra Evangelium odio superavit, non solum auctoritate iuvisse hostes Religionis Christianae, sed societatem cum iisdem inivisse, quo tempore Hierosolymitanum templum restituendum curavit. Addit

vero Chrysostomus, inceptum quidem opus fuisse, sed operarios progredi non potuisse, eo quod ignis e fundamentis erumpens fuderit eos, qui templum aedificare conabantur. Oratione vero 3 adversus iudaeos ex hoc ipso, de quo loquimur facto, argumentum depromit, quo singularem Dei erga Ecclesiam suam providentiam demonstret, qui inter atrocem saevamque tempestatem eius incolumitati perspicue prospexit, tam miro signo patrato, cuius indubia monumenta, hominum sermonibus celebrata, Hierosolymis aetate sua exstabant. « Quibus auditis, Iulianus Imperator, quamquam tanta vesania deditus erat illi negotio, veritus tamen, ne ultra progressus in suum ipsius caput ignem arcesseret, destitit inops consilii cum tota gente. Et nunc si redeas Hierosolymam, conspicies nuda fundamenta; quod si causam quaeras, non aliam, quam hanc audies. Huius rei nos omnes testes sumus; nostra enim aetate non ita pridem acciderunt: iam considera victoriam insignem. Non enim hoc accidit sub piis Caesaribus, ne qui dicere possent, quod Christiani confidenter supervenientes opus perfici potuerunt: sed tum cum res nostrae essent afflictae, cum omnis libertas esset sublata, cum floreret paganismus, cum fideles, alii quidem in aedibus suis latitabant, alii vero in solitudines demigrarant, foraque fugerant, tum demum haec acciderunt, ne quis reliquus fieret praetextus impudentiae.»

Possemus hic finem disputandi facere. Quid enim certius in universa historia esse potest eo facto, quod tam gravibus testimoniis demonstratur? An erit quidquam, quod iure non possit in historia falsum existimari, si narratio haec tantis confirmata testimoniis certa videri iure non potest? Quid universae valent artis criticae leges, si ad facti veritatem ostendendam, quod Iuliano Imperatore contigerit, Ambrosii, Chrysostomi, et Cyrilli Hierosolymitani per Socratem recensita non valet auctoritas? Est praeterea extra omnem veri similitudinem positum, Ambrosium Iuliani factum tamquam certissimum Theodosio opponere potuisse, nisi ea aetate nulla de facti ipsius veritate esset controversia. Chrysostomum vero iudaeos et ethnicos refellentem tanta confidentia factum illud obiecisse, quanta superius vidimus, nisi explorata esset et omnibus cognita rei illius gestae historia, prorsus incredibile est.

Quid habeat tamen Gregorius Nazianzenus de hac re considerandum est, qui inter aetate pares Ecclesiae Patres fusam facti huius narrationem litteris commendavit. Is autem contra Iulianum ipsum pro Christianae Religionis defensione scribebat, atque ut facti veritatem confirmaret, ad totius Imperii Romani testimonium provocavit. Nimis longum est testimonium, quod orat. 4 adversus Iulianum habet Gregorius Nazianzenus, ut hic referri totum non possit. Praecipua tamen, quae ibi de facto hoc scribit, commemorabimus. « Iudaeorum quoque nationem in nos Iulianus immisit. Tum veteri eorum levitate, tum inveterato nostri odio in ipsorum pectoribus flagrante, ad id, quod moliebatur, perficiendum, adiutoribus usus ipsis, nimirum in patriam redire, ac templum instaurare, patriorumque rituum vigorem renovare, ex ipsorum scilicet libris et arcanis fatale esse affirmans, ac benevolentiae larva commentum hoc occultans... Illud quidem narrant, qui eorum res admirantur, uxores quoque ipsorum non modo madronalem omnem apparatum et corporis ornamenta detraxisse, atque in operis structuram, laborantiumque opem contulisse, verum eo quoque animo fuisse, ut terram sinu offerentes, ac nec vestibus praeclaris et exquisitis, nec teneris membris parcentes, pietatis officio se fungi existimarent, omniaque hoc conatu inferiora ducerent. Ut vero, saevo

turbine ac repentino aestuantis terrae tremore compulsi, ad propinquum quoddam templum perrexerunt, partim orationis causa, partim ut in huiusmodi rebus accidere solet, ad periculi propulsationem, partim cum tumultu abrepti, ac cum currentibus simul illabentes. Sunt qui eos ne a templo quidem admissos fuisse commemorant, sed cum ad apertas fores accessissent, repente easdem clausas pessaloque obductas offendisse, potentia quadam invisibili, quae ad impiorum terrorem, ac piorum incolumitatem huiusmodi prodigia designat. Hoc autem uno iam ore omnes referunt, ac pro certo habent, quod eos summa vi atque contentione ingressum sibi aperire conantes, ignis e templo exsiliens inhibuit, eosque partim exussit et assumpsit, partim praecipuas corporis partes truncavit... Quod autem hoc etiam mirabilius clariusque fuit, lux in caelo stetit, crucem in orbem describens, ac nomen illud et figura, quae in terra prius impiis contemptui fuit, in caelo nunc omnibus ex aequo ostenditur.... Proferunt nunc quoque vestes suas, qui huius miraculi spectatores et conscii exstiterunt, illas, inquam, crucis notis tunc inustas et consignatas. Simul enim ac quispiam sive nostrorum, sive exterorum haec narrabat, aut narrantes audiebat, statim miraculum vel in seipso, vel in vicino suo perspiciebat, stellatus nimirum ipse, notisque distinctusetc. » Haec quae ex 4 Gregorii Nazianzeni contra Iulianum oratione attulimus luculenter confirmant quae ex Ammiani Marcellini, Ambrosii, Chrysostomi narratione accepimus. Ceteris enim omnibus praetermissis, quae diserte describit Gregorius Nazianzenus, certum est, quae de terraemotu, igne erumpente, cum templum instaurari coepit, quaeque a scriptoribus illis referuntur, a Gregorio Nazianzeno veluti certa et explorata narrari.

Possent post haec, Rufini, Socratis, Sozomeni, Theodoreti, aliorumque testimonia afferri, qui haec eadem de ratione, qua Iuliani conatus irriti fuerunt, memoriae posterorum prodiderunt. Verum cum gravissimam scriptorum, quorum loca superius attulimus, auctoritatem adhibuerimus, non est necesse, in re adeo perspicua etiam horum scriptorum testimonia recitare. In tanta vero testium adeo gravium copia, qui ad facti summam quod pertinet, unanimi consensione, praeclara illa portenta accidisse narrant, concludendum omnino est, actum prorsus esse de universa historia, si veritas huius narrationis dubia iudicari possit.

Breviter nunc praecipua illa attingamus, quae afferuntur ad narrationis eiusdem veritatem excludendam. Ea autem non eiusmodi esse, ut argumentorum ad illam confirmandam adductorum gravitatem extenuare possint, manifestum est. Basnagius in historia iudaeorum lib. 6 c. 18 et 19 plura habet contra narrationis huius veritatem. Videtur illi imprimis grave argumentum ex Cyrilli Hierosolymitani episcopi silentio desumptum. Putat enim omnino magni momenti esse ad historiam hanc in suspicionem falsitatis adducendam, animadvertere, Episcopum, qui tunc Hierosolymis erat, qui palam affirmaverat, certo futurum esse, ut Imperatoris conatus irriti evaderent, qui de Christiana Religione contra iudaeos defendenda imprimis sollicitus erat, prodigium litteris non commendasse, quod ad Religionem ipsam ornandam et propugnandam opportunissimum erat.

Verum etiamsi concederetur certum esse, Cyrillum Hierosolymitanum numquam testatum esse ea evenisse, quae diximus, cum templum iterum aedificari coepit, non inde sequeretur, certissima non esse, quae superius recensuimus. Negativum enim tantum argumentum illud est, quod ex Cyrilli silentio desumeretur. Negativum vero hoc argumentum nihil omnino valeret comparatum cum luculentissimis gravissimisque

testimoniis, quae ex Ammiani Marcellini, Ambrosii, Chrysostomi, Gregorii Nazianzeni operibus desumpta sunt. Deinde, ut aliqua vis argumento ex Cyrilli silentio desumpto inesset, ostendere Basnagius deberet, Cyrilli opera, quae nunc habemus, in lucem edita fuisse, postquam portenta illa evenerunt, quibus necesse fuit ab incepta desistere templi restitutione. Hoc vero quomodo ostendi possit nemo videt. Catecheses enim ad competentes, et catecheses mystagogicae Cyrilli referuntur ad annum 347, eiusque ad Constantium epistola scripta est anno 351, prout eruditi passim docent, ita ut posterius hoc Cyrilli Hierosolymita ni opus scriptum sit duodecim ferme ante annis, quam ea contigerint Hierosolymis, quibus initum a Iuliano consilium reiectum est. Praeterea illa omnino probanda videtur sententia, qua statuitur, Cyrillum, nullum opus scripsisse, quod posterius sit eo tempore, quo portentum illud patratum est. Profecto Hieronymus in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum de Cyrillo Hierosolymitano loquens, ea tantum opera commemorat, quae superius recensuimus. Diligentissime autem eo in opere Hieronymus scriptorum ecclesiasticorum scripta recenset: incredibile vero est, si alia etiam opera Cyrilli tunc exstitissent, Hieronymum ea praeterire voluisse. Quod si antea alia Cyrilli opera exstitissent, aetate, qua Hieronymus scribebat, eorundem recentissima memoria fuisset.

Posset etiam illud hoc loco animadverti, etiamsi Cyrillus aliquod opus post illud tempus edidisset, institutum tamen illius operis tale esse potuisse, ut nullam ei occasionem praebuerit de portento ad templi eversionem patrato verba faciendi. Valde etiam probabile est, Cyrillum post patrati illius portenti tempus concionem aliquam ad populum habuisse, in qua de eodem facto sermonem instituerit. Ex eo quod autem Cyrillus coram populo loquutus fortasse sit de ea re, quae apud omnes erat notissima, necesse non erat illam ab eo fuse describi, sed poterat tantum Cyrillus ex facti celebritate argumentum ad iudaeos et ethnicos impugnandos pro Christianae Religionis defensione desumere. Mirum vero non est, quemadmodum Basnagio mirum videtur, Socratem, Sozomenum, Theodoretum, Cyrilli mentionem non facere veluti hominis, qui prodigii historiam testatus sit. Ii enim scriptores necesse non habebant commemorare in facto describendo, Episcopum Hierosolymitanum ex portento illo argumentum pro Christiana Religione desumpsisse.

Est praeterea omnino levis momenti ea disputandi ratio, qua Basnagius utitur ad facti veritatem impugnandam, ut videlicet narrationem ipsam in falsitatis suspicionem adduci posse putet ob diversum modum, quo a Socrate, Theodoreto, Sozomeno res exposita est. Certum est enim diversitatem adiunctorum a pluribus scriptoribus de eadem re agentibus expositam, modo in facti summa referenda conveniant, non falsitatis, sed veritatis historiae argumentum suppeditare. Ita enim ostenditur scriptores illos se invicem non exscripsisse. Convenire autem in facti summa referenda scriptores gravissimos, quorum testimonia superius attulimus, perspicuum est, atque id de Theodoreto, Sozomeno, Socrate ostendit etiam fuse Warburtonius in dissertatione memorata. Cum igitur certum sit, scriptores, sive pares, sive suppares, portento, quod indicavimus, omnino tribuere, ut Iuliani consilia inania evaserint, id satis est ad facti, de quo disputamus, veritatem propugnandam.

Pugnat denique cum universis illorum temporum monumentis affirmare, idcirco consilium a Iuliano susceptum irritum esse potuisse, quod ille continuo post decretum de templo restituendo editum ad Persicum bellum profectus, non multo post mortuus fuerit, ac in poste-

rum potuerint Christiani praesertim sub Ioviano, Iudaeos a re incepta absolvenda impedire. Veteres enim scriptores, quos memoravimus, universum hoc factum portentis, quae indicavimus, tribuunt, et nihil habent, quod hanc Basnagii sententiam iuvare possit, quodque argumentum suppeditet templi non restituendi causam aliam, quam portenta illa fuisse. Immo vero addictum superius Io. Chrysostomi testimonium inde maxime huius facti celebritatem Religioni prodesse docet, quod ista contigerint non sub piis Caesaribus, sed cum floreret Paganismus, cum res Christianorum essent afflictae, cum libertas sublata, cum fideles pergraves calamitates Religionis causa perferre cogerentur.

CAPUT XXXVII.

DE SIGNO CRUCIS, QUOD IMPERATORI CONSTANTINO IN CAELO OBIECTUM EST.

Quae fuerit Christianae Religionis conditio tribus primis Ecclesiae saeculis, et nonnullis saeculi quarti annis, perspicue constat ex iis, quae de Martyrum multitudine pluribus in capitibus loquuti sumus. Etenim ea continent, gravissimis sibi invicem succedentibus vexationibus per ea tempora Christianam Religionem fere semper obiectam fuisse. Verum in Imperio Romano mutata Christianorum conditio est, postquam rerum Constantinus potitus fuit. Suscepit enim ipse Christianam Religionem, atque ita factum est, ut pacem Ecclesia consequuta sit, quam ab ipso sui exordio ad eam aetatem desideraverat. Initum hoc a Constantino consilium non modo cum amplissima Ecclesiae utilitate coniunctum fuit, sed etiam Romanae Reipublicae imprimis fuit salutaris.

Immo Constantinus novum, Religione Christiana suscepta, ornamentum Imperio addidit, ita ut contemni potius, quam refelli Potterius mereatur, cum tom. 1 cap. 7 operis *de de l'esprit de l'Eglise,* ex RR. Pontificum et Conciliorum generalium historia domonstrato, affirmare non dubitat, post susceptam ab Imperatore Christianam Religionem historiae Imperatores respicientis splendorem imminutum esse. Inique profecto de Religione Christiana eo in loco detrahit Potterius. Summos enim Reipublicae Principes Christiana sacra amplexos esse, numquam detrimentum aliquod attulisse historiae dignitati exploratum est. Praeterea instituta Religionis Christianae non ad Imperatorum gloriam extenuandam, sed ad eam augendam ornandamque opportunissima sunt. Denique historia rerum a Christianis principibus praeclare gestarum ostendit, quae Potterius memorato loco affirmat, apertam calumniam continere.

Est etiam falsum, quod Potterius eodem loco scribit, ut efficiat, Christianos Scriptores nimis Licinio fuisse infensos, de Constantino autem per summam assentationem loquutos esse, cum huius, non vero alterius facta celebrarunt. Nihil dico de agendi ratione, qua Licinius contra Christianos usus est. Commemorabo tantum collata a Constantino Christianae Religioni beneficia. Ea quidem cum Constantino accepta referri debere, extra omnem controversiam positum sit, apparet, iure potuisse Christianos Constantini facta amplissimis verbis laudare. Itaque Constantinus vehementer Christianam Religionem iuvit legibus ad eius incrementum pluribus latis, quibus factum est, ut Christianis liberum omnino esset Religionem suam colere, Ecclesiis et Martyrum filiis bona publicata restituerentur, Ecclesiae

ipsae et clerici privilegiis redditibusque augerentur, templa in Christi honorem aedificarentur, dies dominicus veluti festus ageretur, Deorum fana et delubra clauderentur, ac eorum religio intermitteretur. Constantino debetur exemplum praeclari in Religionem studii, quod ceteri eius aetatis Imperatores, Iuliano excepto, imitati sunt. His autem rebus factum est, ut Religio mirum in modum amplificaretur, et ethnica superstitio, quae in Imperio Romano primum dominabatur, auctoritatem suam amiserit, et in Senatu ipso Romano, saeculo 4 labente, magno numero essent Patres Conscripti, qui Christianam Religionem profitebantur.

Est hic locus opportunus breviter illius narrationis veritatem vindicandi, qua continetur quomodo Constantinus ad Christianam Religionem suscipiendam adductus sit. Exscribenda autem essent integra Eusebii Caesareensis libri I de vita Constantini capita 27, 28, 29 et 30, quibus huius facti narratio accurata posterorum memoriae tradita est. Scilicet Constantinum, cum bellum adversus Maxentium ad Urbem praesertim ab eius dominatu liberandam esset suscepturus, animo reputantem rei gerendae gravitatem, ac memoria repetentem, Constantium Chlorum patrem suum, qui unum Deum coluerat, felicem fuisse, infelices vero ceteros Imperatores, qui in plurium Deorum inanium superstitione vixissent, unum Deum a se colendum esse statuisse. « Huius ergo opem, ait Eusebius cap. 28, implorare coepit, orans atque obsecrans, ut se ipsi noscendum praeberet, ac praesentibus negotiis adiutricem manum porrigeret.»

Tunc vero accidit, ut Deus eius precibus exoratus, Imperatori Christianae Religionis divinitatem singulari portento ostenderet, oblato crucis signo in caelo, quod victoriam promittebat. Christus autem ipse noctu Constantino apparuit, qui Imperatori adhuc dubitanti naturam rei declaravit, ac praecepit, ut militare signum simile illi, quod viderat, construendum curaret. Imperator denique, dubitatione deposita, Religionis Christianae sacerdotes ad se vocavit, atque ab iis in Religionis doctrina eruditus, Christiana sacra amplexus est. «Haec precanti, inquit eo loco Eusebius, ac simpliciter postulanti Imperatori, admirabile quoddam signum a Deo missum apparuit. Quod siquidem ab alio quopiam diceretur, haud facile auditores fidem essent habituri. Verum cum ipse victor Augustus nobis, qui hanc historiam scribimus, longo post tempore, cum videlicet in eius notitiam et familiaritatem pervenimus, id retulerit, et sermonem sacramenti religione firmaverit, quis posthac fidem huic narrationi adhibere dubitaverit? praesertim cum id, quod subsequutum est tempus, sermonis huius veritatem testimonio suo confirmaverit. Horis diei meridianis, sole in occasum vergente, crucis trophaeum in caelo ex luce conflatum, soli superpositum ipsis oculis se vidisse affirmavit cum huiusmodi inscriptione: τουτῳ νικα, *hac vince.* Eo viso, et seipsum, et milites qui ipsum nescio quo iter facientem sequebantur, et qui spectatores miraculi fuerant, vehementer obstupefactos.» Haec non eo solum loco, sed aliis etiam Eusebius locis tanta confidentia commemorat, quanta possunt indubia omnibus cognita facta recenseri.

Miri huius facti historiam, quod Christianae Religioni imprimis fuit honorificum, praeter veteres quosdam Ethnicos, quos Gelasius Cyzicenus in historia Concilii Nicaeni l. 1 c. 4 commemoravit, plures recentiori memoria ex protestantium genere reiecerunt. Eos accurate numerat Duvoisinus doctor Sorbonicus in erudita dissertatione critica Parisiis anno 1774 edita *sur la vision de Constantin.* Praecipue, quod diximus, contra historiam ostendere conati

sunt Hoornbeeckius in commentario inscripto *examen Bullae Urbani VIII de cultu imaginum,* Ultraiect. 1653; Iacobus Oiselius in *thesauro numismatum antiquorum* Amstelod. 1667; Iacobus Tollius in adnotationibus ad *librum de mortibus persequutorum;* Christianus Thomasius in *observationibus Hallensibus* tom. 1; Ioannes Laurentius Moshemius in commentario *de rebus Christianorum ante Constantinum;* Chaffepieius auctor supplementi dictionarii Baylii, in dissertatione de ea re, quam dissertationem praesertim Duvoisinius confutavit: denique non est omittendus Voltairius, qui pro suo in Christianam Religionem odio, celeberrimam hanc et gravissimorum scriptorum testimonio probatam historiam non modo nihili faciendam, sed irridendam et fabulis accensendam esse existimavit in suo *Essai sur l'histoire génerale* chap. 5 *melanges* c. 62. Verum Duvoisinius in expositione dissertationi suae praevia scriptores quoque recenset, qui refellendos horum hominum conatus et facti, de quo loquimur veritatem asserendam curarunt.

Hanc autem veritatem satis abunde evincit Eusebii Caesareensis testimonium. Etenim Eusebius gravissima praestat auctoritate: ea ipsa aetate vixit, qua res gesta est, neque is erat, ut mentitoris infamiam se vitare posse putaret, si narrationem ipse excogitasset, praesertim cum rem, militibus inspectantibus, contigisse referret, et aetate, qua scripta eius historiam istam continentia in lucem edita sunt, viverent ii, qui eventus spectatores fuerant, vel qui spectatorum consortio usi erant. Adsunt nummi praeterea, Constantino vivente, cusi, in quibus facti huius significatio confirmata est. Et cum Eusebius libros de vita Constantini post mortem eius scripserit, non potest suspicio oriri, primum huius historiae auctorem Eusebium fuisse. Constantinum vero ipsum in publicis monumentis hoc factum veluti exploratum attulisse, si historia veritati non inniteretur, voluisse etiam iureiurando historiam falsam confirmare incredibile est, dummodo concedatur, non adeo ineptum hominem Imperatorem fuisse, ut certissimam mentitoris notam sibi instare non intelligeret.

Ad extenuandam argumenti vim, quod ex Eusebii testimonio, in Constantini vita ea scribentis, quae retulimus, iure depromitur, opponi praecipue solet, in historia Ecclesiastica Eusebium, ubi de victoria agit, quam Imperator de Maxentio reportavit, nihil de crucis signo, quod Constantino obiectum in caelo fuerit, retulisse. Silentium vero eiusmodi tale esse contendunt adversarii, ut vel falsam omnino narrationem esse ostendant, quae de cruce Constantino oblata in libris de eiusdem vita continetur, vel saltem valde gravem afferat falsitatis suspicionem.

Sed his responderi primo potest, minime verum esse, in historia Ecclesiastica, cum de victoria illa Eusebius agit, nihil eum habere, quod ad facti, de quo sermo est, veritatem confirmandam pertineat. Legenti enim caput 9 libri 9 historiae Ecclesiasticae, quo loco de Maxentio fugato et mortuo, ac de eius exercitu fuso Eusebius pertractavit, apparet prorsus, visionem crucis commemorari non eo quidem diserto modo, quo in libris de vita Constantini, sed ita tamen, ut factum perspicue significetur. Etenim ait, Imperatorem, « caelestis Dei numine, eiusque Filio ac Verbo omnium Servatore Iesu Christo in auxilium suppliciter invocato, cum universo exercitu progressum esse eo consilio, ut Romanis libertatem, quam a maioribus acceperant, interventu suo restitueret.» Tum adiungit, « Divino fretum auxilio Constantinum, primam, secundam, ac tertiam tyranni aciem aggressum, cunctas levi negotio fudisse ac fugasse.» Praeterea Maxentii interitum, eiusque exercitus rui-

nam cum miraculo comparat, quo Deus quondam in mari rubro populum hebraeum e Pharaonis tyrannide liberavit. Denique refert, Constantinum, cum gratias Deo ob victoriam retulisset, eiusque laudes celebrasset *victoriae auctoris*, triumphantem Romam ingressum esse; nihil ipsum populi plaudentis clamoribus esse commotum, sed «cum divinum sibi auxilium adfuisse probe intelligeret, statim iussit, ut Dominicae passionis trophaeum supra manum statuae sibi positae erigeretur. Cum Romani in celeberrimo urbis loco statuam ei dedicassent, quae dextera manu salutare crucis signum gestabat, huiusmodi inscriptionem latino sermone in basi iussit apponi: *Hoc salutari signo* etc. *urbem tyrannicae dominationis iugo liberatam servavi* etc.» Haec qui consideret, non poterit non fateri, in Historia etiam Ecclesiastica Eusebii talia esse testimonia, quae ad facti, de quo loquimur, veritatem evincendam perspicua sunt et opportunissima.

Legatur praeterea Eusebii oratio *de laudibus Constantini* in eius triennalibus habita, praesertim cap. 6 et 9: hoc est, legatur Eusebii opus anterius libris de vita Constantini, et apparebit, in eo opere disertis verbis de Cruce Constantino divinitus obiecta sermonem esse. Denique quis iure prohiberet, libros de vita Constantini quodammodo historiae Ecclesiasticae Eusebii persequutionem appellari posse? Si vero Eusebius ad fidem faciendam in Historia Ecclesiastica idoneus testis adversariis esset, cur non satis habet auctoritatis in libris de vita Constantini, etiamsi concedi tantisper placeret, in historia Ecclesiastica factum, de quo est sermo, fuisse praetermissum?

Eusebio possumus alios scriptores adiungere. Talis ex. gr. est auctor libri *de mortibus persequutorum* c. 44, quo loco agens de Maxentio devicto ait, «commonitum esse in quiete Constantinum, ut caeleste signum Dei notaret in scutis, atque ita praelium committeret.» Talis Optatianus Porphyrius poeta Christianus in carminibus de Constantino non multo post fusum Maxentium scriptis. Tales duo Ethnici panegyristae, quorum scripta reperiuntur in epistolarum Plinii edit. Parisiensi anno 1599; quorum alter anonymus, alter Nazarius celebris orator, auctor fuit. Tales denique Prudentius lib. 1 adversus Symmachum, Philostorgius lib. 1 H. E. c. 6; Socrates H. E. l. 1 c. 1; Sozomenus H. E. l. 1 c. 3; Theodoretus H. E. l. 1 c. 1, ubi conversionem Constantini divinitus de caelo factam esse ait; Gelasius Cyzicenus l. 1. hist. Concil. Nicaeni, aliique. Scriptores hi omnes, et monumenta publica, ac militaria signa, communi suffragio narrationis huius veritatem adeo clare demonstrant, ut si factum istud verum censeri non debeat, vix aliquid superesse in historia possit, de quo iure non liceat dubitare.

Quod si haec, quae attulimus, facile refellunt eos scriptores, qui Crucis a Constantino visae narrationem fabulis accensent, multo facilius certe eorum sententia evertitur, qui contenderunt, hoc ostentum in naturae phaenomenis numerari posse, et Imperatori nihil aliud in caelo obiectum esse, nisi crucem lucidam in Halone solari cum pareliis, quo ipse ludificatus sit, et rerum physicarum imperitus divinum prodigium iudicaverit, prout Ioanni Alberto Fabricio placuit tom. 6 biblioth. graecae l. 5 c. 3. De eo loquens eruditissimus Mamachius t. 1 orig. et antiq. Christ. pag. 393 apposite inquit: «Dissimilia sunt, quae ille de Halonibus solaribus et pareliis turbat. Quare adduci numquam potero ut rear, evenisse natura, ut crux appareret, ut litterae τουτῳ νικα adiungerentur, utque secundum quietem visus esset Imperatori Christus, qui labarum fieri iuberet. Haec enim omnia, si vi naturae contingere valerent, non equidem repugnarem iis, qui, iactis aliquod characterum formis,

exsistere inde versum posse defenderent, qui non aliud quidpiam, sed quod volumus, omnino significaret. »

Fabricius quidem, ut probare possit quod contendit, et se expediat ab Eusebii testimonii gravitate, et perspicua loquendi ratione (nam historiae veritatem non negat), qua naturale illud signum excluditur, ait, Constantinum narrasse Eusebio, se vidisse in caelo imaginem, victoriam indicantem, imaginem vero fuisse coronam, quae in Halone solari Imperatori obiecta fuerit. Ita argumentum etiam reiicit, quod ex verbis τουτῳ νικα desumitur, quae verba de Halone solari intelligi certe non possent. Verum haec expositio loci Eusebii abhorret a familiari et obvio loquendi modo, quo Constantinus rem narrasse Eusebio dicendus est. Pugnat cum facto ipso Constantini, qui labaro aliisque militaribus signis verba illa inscribenda iussit: aliena est a veteribus omnibus, gravibus scriptoribus, qui de hoc facto loquentes, non de Halone solari, neque de imagine quadam victoriam indicante, sed de cruce, cui inscripta erant verba *hac vince* perpetuo loquuti sunt. Nonnulla quidem exempla adducit I. A. Fabricius, Halonum, quibus signum aliquod crucis offerri visum sit astronomis. Sed nullum afferri potest exemplum eiusmodi, quod simile aliqua ratione videri possit ei crucis signo, quod Imperator vidisse se affirmavit, et quod deinde in militaribus signis impressum est. Denique narratio de viso signo crucis in caelo coniungenda omnino est cum iis, quae Eusebius refert de Christo, qui noctu Imperatori adfuerit. Iam hoc de naturali quodam portento explicari prorsus non posse perspicuum est. Quomodo igitur crucis in caelo oblatae narratio, naturalis tantum facti expositionem continere dici poterit? Praetereo cetera, quae ad I. A. Fabricii sententiam refellendam adduci possent, argumenta. Ea enim, quae attigimus, satis sunt, ut intelligatur, quanto in errore versentur qui factum, de quo loquuti sumus, humana ratione explicari posse censent. Legi potest cap. 7 additionum ad dissertationem Warburtonii de templi Hierosolymitani tentata restitutione. Continetur eo capite valde accurata Fabricii sententiae confutatio, ab homine scripta, qui Warburtonii dissertationem gallice reddidit. Legi quoque potest de ea re paragraphus 15 dissertationis Du Voisinii.

CAPUT XXXVIII.

DE CHRISTIANA RELIGIONE A CONSTANTINO SUSCEPTA.

Postquam crucis signum in caelo obiectum Constantino est, Christianam Religionem amplectendi consilium statim ille suscepit. In ea autem re adeo fortis propositi Imperator fuit, ut huic consilio ad exitum perducto, nova, ut ita dicam, Ecclesiae aera debeatur, pacis in universo imperio Christianae Religioni tributae. Necesse non est immorari in huius rei explicatione. Omissis enim ceteris omnibus, certum est, tum in Historia Ecclesiastica, tum in libris de Constantini vita, Eusebium longe fusam demonstrationem horum, quae dicimus, suppeditare.

Apposite Moshemius notat in comment. de rebus Christianorum ante Constantinum saeculo Ecclesiae IV §. 7 pag. 965 et seq. « Constantinum ad Religionem Christianam ex animo et vere accessisse, facta eius, leges, consilia, instituta, extra omnem ponunt dubitationem. Neque ullam omnis historiae, si sacram excipias, partem, maioribus uti, tam

rerum, quam verborum testimoniis arbitror.» Nam si is, qui et magnam vitae partem id potissimum egit, ut Religionem Christianam stabiliret et propagaret, qui oppositas ei religiones oppugnavit et profligavit, qui universam fere iurisprudentiam Christianae Religionis causa mutavit, qui dum anima spiravit sua, Christum laudavit, celebravit et pie religioseque coluit, qui liberos suos in Christi religione instituendos iussit, qui cives omnes et gentes imperio suo subiectas ad Christianam Religionem suscipiendam hortatus est et excitavit, qui proprios Religionis Christianae sacerdotes, pluribus, iisdemque amplissimis et perpetuo duraturis beneficiis cumulavit et auxit, pluraque alia gessit praeclare, quae ad Religionem amplificandam et ornandam, atque in Imperio Romano confirmandam, imprimis idonea erant, si is, inquam, num Christianus vere, et ex animo fuerit, quispiam dubitare potest, ignoro prorsus, quianam de Christiani cuiusquam indubii vera Religione dubitare non possimus.

Quam leve autem est, his gravibus argumentis opponere, quaedam esse in Constantini vita, quae a Christianae Religionis institutis abhorreant, Crispum filium, Faustam uxorem interfecisse, in Licinium affinem atque innocentem eius filium eadem crudelitate egisse, superbiae, vanitati, voluptati deditum vehementer illum fuisse? Etenim Christianus vere est, qui non modo Christo credit, sed etiam secundum sanctissima religionis instituta vitam suam moderatur. Sunt vero etiam ii Christiani Religionis professione, qui Religionem ipsam tamquam divinitus institutam venerantur, licet quandoque ab ea vitae sanctitate deflectant, quam Religionis praecepta demonstrant. Id nisi verum esset, magno numero essent homines, qui Christiani appellari non deberent. Ii etiam, qui adeo severi sunt in Constantini vita iudicanda, Christiani dici vix possent, cum vera Christiana Religio hoc postulet, ut omnia, quae Christus Ecclesiam suam docuit, vera esse credantur, non autem, secundum Novatorum placita, quid credendum sit, statuatur. Iam vero, praeter cetera, quae possent responderi, et ad Constantinum purgandum opportunissima sunt, illud certum est, licet Imperator non eam sequutus esset vivendi rationem, quae Christiani hominis propria esse debet, inde tamen non probari, eum revera Christianum ex animo non fuisse.

Sed quod ad Crispi filii et Faustae uxoris caedem spectat, non desunt in historia ad Constantinum defendendum peculiares responsiones. Crispus enim, quem ex Minervina Constantinus habuerat, extremo supplicio mulctatus est, quod fraude Faustae novercae, vis eidem Faustae pudori illatae, et insidiarum in Constantinum ipsum fuisset accusatus. Imperator vero filium suum idcirco interfectum, deinde plurimum deploravit. Fausta uxor ad filii sui Crispi mortem ulciscendam Constantini iussu occisa est. Quod ad Licinium spectat, quamquam fortasse non vere, tamen cum occisus est, apud Constantinum accusatus fuerat, veluti si imperium suscipere iterum moliretur.

Non est autem argumentum ad ostendendum, Imperatorem circa vitae finem dumtaxat consilium inivisse Christianae Religionis suscipiendae, id, quod ex Eusebii lib. 4 de vita Constantini cap. 61 et 62 desumitur; quo loco Eusebius ita loquitur, ut narrare videatur, Imperatorem paullo ante mortem catechumenum factum esse. Refert ibi Eusebius quemadmodum evenerit, ut Constantinus Baptismi susceptionem differendam diu putaverit: videlicet quod in Iordane flumine ad Christi exemplum baptizari sibi proposuerat, id autem exequi ad illud usque tempus non potuerat; cum autem intelligeret, mortem sibi imminere, et prope Nicomediam versaretur, decrevit diu-

tius non differre, et ibi revera baptizatus est. Quae memorato in loco de Constantini baptismo habet Eusebius, invictum afferunt monumentum, quo illorum hominum sententia reiicitur, qui arbitrati sunt, Impetorem in Urbe Roma anno 324 a Silvestro Pontifice fuisse baptizatum. Gravissima enim est ad hanc rem demonstrandam Eusebii auctoritas, tum ob eruditionem qua praestabat, tum ob aetatem qua vixit, quaque libros de Constantini vita edidit.

Accedunt Ambrosii, Hieronymi, Socratis, Sozomeni, Patrum Concilii Ariminensis, militum quorundam, qui sub Iuliano Apostata martyrium fecerunt, testimonia, quae omnia docent, Imperatorem prope Nicomediam, cum iam morti proximus esset, baptisma suscepisse. Haec vero sunt eiusmodi, ut cum argumentis comparata, quae a contrariae sententiae defensoribus afferuntur, evincant, Romanum Constantini baptismum denegari omnino oportere. Legendus doctissimus Thomas Maria Mamachius lib. 2 orig. et antiq. Christianarum pag. 232 in adnotatione ei paginae subiecta, ubi utriusque partis argumenta concinne et diligenter complexus est, ac non obscure ostendit, se partes eorum sequi, qui baptismum romanum Constantini denegant verum esse.

Haec paullo fusius notavimus, ut, occasione hac arrepta, quaestionem de Constantini baptismo non omitteremus. Nunc ad argumentum quod spectat ex eo depromptum, quod Eusebius dicat, Constantinum paullo ante baptismum «manuum impositionem cum solemni precatione primum meruisse accipere,» quibus verbis contineri contenditur, Imperatorem tum primum catechumenum factum esse, quemadmodum copiose disputat Henricus Valesius in adnotationibus ad lib. 4 Eusebii de vita Constantini pag. 251. Respondet vero his apposite Moshemius in comm. memorato pag. 964 et seqq. Eius autem responsionis haec summa est. Catechumenum fuisse Constantinum, quae de vita et rebus ab eo gestis Eusebius memoriae prodidit, extra controversiam ponunt. Omnibus enim Christiani hominis baptismo nondum donati, seu catechumeni, officiis constanter perfunctus est. Cultui divino interfuit, ieiuniis et precibus operam dedit, dies Dominicos Martyrum memoriae dicatos celebravit, in vigiliis etiam Paschae pernoctavit. Contra vero passus est, se excludi ab illis, ad quae Catechumeni non admittebantur. Haec cum ex Eusebii ipsius pluribus testimoniis sint certissima, apparet, allata verba non posse grave argumentum suppeditare, quo statuatur, Imperatorem paullo ante mortem, cum baptismum suscepturus erat, catechumenum evasisse.

Quare existimandum omnino est, ea verba aliud non continere, nisi Constantinum non solemni ritu, per manuum nimirum impositionem et preces, in ordinem Catechumenorum esse cooptatum. Quis vero mirari potest, cum tanto viro, quantus Constantinus erat, communi lege actum non fuisse? Cum omnia vero, quae catechumenorum propria erant, sancte Imperator servaret, quid opus erat, eum iis legibus subiicere, quae in cooptandis ex quolibet genere catechumenis adhibebantur? Haec per se satis sunt, ut concludatur, non posse demonstrari, factum esse catechumenum paullo ante mortem Constantinum ex eo, quod tum primum ei manus impositae fuissent. Verum his adiungi debet, quod non minus certum est, et pluribus veterum scriptorum testimoniis confirmatum, etiam illis, qui iamdudum Catechumeni fuerant, certis temporibus manus ab Episcopis impositas fuisse.

Legendus de ea re recensito in loco Moshemius, ubi de manuum impositione disputat, quae erga homines iam Catechumenos adhibebatur. Posset etiam illud responderi, ex Catechumenorum inferiori gradu ad

superiorem, per eam manuum impositionem, de qua Eusebius loquitur, Constantinum perductum fuisse. Haec autem omnia evincunt, falsum esse, ex eodem Eusebii loco demonstrari posse, Constantinum paullo ante mortem Christianam Religionem suscepisse.

Neque magis sunt gravia, quae ex Constantini vitae historia afferuntur, ut statuatur, Imperatorem in Ethnica superstitione perseverasse diu, postquam bellum cum Maxentio gesserat, atque ut concludatur etiam, Constantinum se Christianum post illud tempus simulasse, quod hoc opportunum esse putaret ad Christianorum animos sibi conciliandos, et ad persuadendam gentibus populi Romani imperio subiectis Christianae Religionis susceptionem, quam reipublicae feliciter gubernandae utilissimam, et hominibus in officio continendis imprimis opportunam esse intelligebat.

His vero accusationum capitibus continetur, Constantinum in Ethnica superstitione perseverasse, videlicet, quod aedem Concordiae vetustate collapsam restituendam curaverit, quod de auguribus consulendis, cum aedes aliqua publica de caelo tacta fuisset, decretum ediderit, quod denique Pontificatum Maximum perpetuo retinendum putaverit.

Verum quod pertinet ad aedis Concordiae restitutionem, tota haec accusatio concidet, si consideretur, concessa licet inscriptionis de ea re germana veritate, inde tamen sequi, S. P. Q. R. aedem illam restituisse, non Constantinum. Deinde ex diversa ratione, qua inscriptio illa refertur, satis apparet, de eiusdem sinceritate iure dubitari posse. Et Ioannes quidem de Marca Nova in epitaphiis Urbis duas distinctas affert inscriptiones, quarum una a S.P.Q.R. posita est Constantino, sed in ea nihil est, quod ad aedem Concordiae restitutam pertineat; altera vero, in qua de restitutione illa a S. P. Q. R. facta agitur, nihil affirmatur de Constantino. Non desunt, qui censuerint, imperiti alicuius hominis culpa factum esse, ut ex duabus istis inscriptionibus una composita fuerit ita, ut aedis Concordiae restitutionem, Constantino auctore, factam esse, per errorem putari possit.

Quod vero desumitur argumentum ex decreto de auguribus consulendis, ut ostendatur Imperatorem Ethnicae superstitioni addictum permansisse, levius omnino est. Nam cum Constantinus intelligeret, quae esset populi de auguribus opinio, et quam difficile esset hanc superstitionem de medio tollere, tolerandam constituit aruspicinam ea lege, quae anno 320 lata est, et habetur in codice Theodosiano l. 16 t. 10 n. 1. Quod si augurum responsa ad se referri iussit, hoc non ideo Imperator decrevit, quod eorum responsis quidquam tribueret, sed quod augures ipsos vellet in officio continere, quos Religionis causa sibi iratōs esse sciebat, quique auctoritate sua abuti potuissent ad rempublicam perturbandam, cum de aede aliqua icta fulmine rogati fuissent. Constat enim Ethnicorum sententiam fuisse, huiusmodi casus aliquid reipublicae et principi portendere. Ceterum, non modo ex verbis, quibus memorata lex descripta est, verum etiam ex aliis legibus multo ante annum 320 a Constantino latis apparet, aruspicinam ab eo tamquam superstitiosam consuetudinem iudicatam esse.

Denique quod respicit Pontificatum Maximum Ethnicae superstitionis, quem Constantinus retinuisse accusatur, commemorabo primum, ceteros etiam Imperatores, quos Christianos fuisse certum est, usque ad annum 375, quo Gratianus in occidentalibus provinciis solus imperare coepit, hanc appellationem retinuisse. Deinde animadvertam, Constantinum dictis et factis ostendisse, se Christianum vere esse, et numquam rem sacram, postquam Christianus evasit, Diis fecisse. Non est dubium autem, opus illud anaglypticum, quod

in Constantini Romano arcu est, et quo Imperator inter sacerdotes victimarios veluti sacrificaturus exhibetur, ex veteri praesertim Traiani arcu desumptum esse. Tandem certum est, Constantinum nullo Romano Pontifice aut Episcopo reclamante, appellationem illam retinuisse, non Ethnicae superstitionis studio a qua abhorrebat, sed ne Pontificis Maximi appellatio a se dimissa cuiquam conferretur, qui Pontificis Maximi auctoritate abuteretur ad incommoda reipublicae creanda, vel ad Ecclesiam quoque molestiis afficiendam.

CAPUT XXXIX.

DE SCHISMATE DONATISTARUM.

Inter graviora dissidia, quae diversis temporibus Ecclesiam perturbarunt, numerari certe schisma illud debet, quod Donatistarum dicitur, et quod amplitudine et duratione sua magnam Catholicae Religioni molestiam attulit. Tractant copiose de schismate Henricus Valesius in diss. *de schismate Donatistarum*, quae Eusebii historiae Ecclesiasticae ab ipso editae adiecta est; Thomas Ittigius in *historia Donatismi*, quae exstat in appendice libri *de haeresibus aevi apostolici*, et Henricus Card. Norisius in *historia Donatistarum* per fratres Ballerinios aucta tomo 4 eiusdem operum. Nos haec referemus, quae ad huius dissidii praecipua capita cognoscenda satis erunt.

Itaque schismatis huius origo anno 311 facta est, cum Episcopo Carthaginiensi Mensurio mortuo Caecilianus suffectus fuit. Electionem enim Caeciliani graviter tulerunt duo praesertim Carthaginiensis Ecclesiae presbyteri, Bostrus et Celeusius, qui vehementi ferebantur cupiditate Episcopatus illius adipiscendi. Coeperant igitur ii Caeciliano insidias moliri, animo propositum ostendentes, illum ab honore deiiciendi, quem legitime consequutus erat. Hos homines valde iuvit in inimicitia contra Caecilianum exercenda locuples quaedam femina, Lucilla nomine, quae Caeciliano erat irata, eo quod, cum ille Archidiaconus Ecclesiae Carthaginiensis esset, graviter eam reprehendisset in publica Ecclesia, ob cultum, quo Martyris cuiusdam ossa prosequebatur, quem veluti Martyrem colendum esse Ecclesia non pronuntiaverat. Denique adfuerunt huius in Caecilianum tumultus, tamquam praecipui instigatores, senes nonnulli Carthaginienses, qui, cum a Mensurio, antequam iter susciperet, in quo mortuus est, vasa sacra et pretiosa Ecclesiae ornamenta depositi loco accepissent, nolebant illa Caeciliano tradere, qui Mensurio suffectus ea sibi restituenda esse affirmabat. Factum ita est, ut qui de Donatistici schismatis origine tractaverunt, iure potuerint litteris tradere, illud, partim ambitione, partim iracundia, partim avaritia conflatum primitus fuisse.

Haec turbulentorum hominum factio in Caecilianum aperte coniuravit. Etenim rogatus est ab his hominibus Secundus Tigisitanus Episcopus, ut cum reliquis Numidiae Episcopis Carthaginem se conferret, quo de legitimo Carthaginiensi Episcopo eligendo agerent. Concilium idcirco ab ea factione habitum est Carthagine, cui tamen veluti illegitimo Caecilianus, populi Carthaginiensis consilio, non interfuit. Illius autem Concilii exitus fuit, ut Caeciliano per iniuriam Episcopatus Carthaginiensis abiudicaretur, et in eo episcopatu Maiorinus Lucillae familiaris constitueretur, quem Donatus a Casis Nigris Episcopum consecravit.

Caecilianus quidem legitime fuerat electus, et difficile erat electionem eius infirmare. Hoc igitur agendum factiosi homines statuerunt, quod publicam posset aestimationem de Caeciliani virtute iure conceptam imminuere. Itaque plures in Caecilianum accusationes spargere coeperunt, inter quas haec erant praecipuae, videlicet, illum a Felice Aptungitano Episcopoo rdinatum esse, quem in Diocletianea persequutione reum traditionis fuisse contendebant; praeterea Caecilianum in gravissima Ecclesiae calamitate se imprimis crudelem et inhumanum erga Martyres praebuisse, atque obstitisse, quominus iis in carcere detentis cibus afferretur. His accusationibus, quae calumniosae prorsus erant, Episcopi factiosi abusi sunt, ut Caecilianum et eos, qui illi studebant, damnarent et communione sua privandos esse decernerent. Adhibuerunt etiam homines scelesti alium decipiendi modum, litteris per universam Africam missis, quibus in suas partes incautos multos perducerent. Istius autem fraudis hunc fructum illi retulerunt, quod non parvam hominum copiam ex Episcopis, tum ex reliquis Christianorum ordinibus repererint, qui calumniis decepti Caecilianum desecuerint, et eos sequendos iudicaverint. Ea tamen res Caeciliani causae detrimento non erat. Is enim communione potiebatur cum catholicis ceteris Episcopis, et potissimum cum Romano Pontifice, qua communione se catholicum, adversarios autem suos schismaticos esse demonstrabat.

Dum haec eveniebant, Constantinus, devicto Maxentio, Italia et Africa potitus erat, et de dissidio certior factus, quod Carthagine in Episcopi electione obortum fuerat, Caeciliano, quem valde amabat, litteras eiusmodi scripsit, ut Donatistarum adversus eum conatus se detestari ostenderet. Nihil magis Donatistae timebant, quam Constantini indignationem. Quare Anulino Africae Proconsuli litteras tradiderunt ad Imperatorem scriptas, quibus Caecilianum de memoratis superius aliisque criminibus accusabant, et praeterea volebant, a Constantino ex Galliis iudices designari ad eam causam cognoscendam, quod Galliae sub Constantino Chloro persequutionem passae non essent, atque idcirco nullus metus adesset, ne iudices ex Galliis destinati faverent Caeciliano, quem querebantur ordinatum esse a Felice Aptungitano, quem dicebant reum fuisse traditionis.

Cum facile sentiret Constantinus, Episcopi causam ad Episcopos, et praecipue ad Romanum Pontificem pertinere, ad Melchiadem, qui tunc Pontifex Maximus erat, litteras dedit, ut ille de causa, de qua sermo est, cognosceret; atque ut una simul Donatistas importunos obtrectatores aliqua ratione leniret, rogavit Maternum Coloniae Agrippinae, Marinum Arelatensem et Rheticum Augustodunensem Episcopos, ut Romam ex Galliis peterent, atque ibi una cum Melchiade de causa ista iudicium ferrent.

Habitum est Romae Concilium ad eam causam iudicandam anno 313 in Lateranensi Faustae Augustae Constantini uxoris palatio. Illi Concilio Melchiades praefuit, et praeter tres Episcopos, quos, Constantino rogante, Romam ex Galliis venisse retulimus, interfuerunt quindecim alii Itali Episcopi, quos Melchiades iudicii participes esse voluit. Coepit Concilium illud die 12 Octobris, et tribus sessionibus habitis, Caeciliano et Donato auditis, accurate perpensa universa controversia est. Is autem fuit Concilii huius exitus. Videlicet Donatus Casensis Episcopus damnatus est, qui Caeciliano per iniuriam abrogato Episcopatu, Maiorinum ordinaverat: Caecilianus vero ipse tamquam innocens absolutus fuit. Sententiam, quam Melchiades in eo Concilio tulit, Augustinus epist. 43 al. 162 recenset, et amplissima laudatione prosequitur. « Et tamen, inquit, qualis ipsius B. Melchiadis

ultima est prolata sententia, quam innocens, quam integra, quam provida atque pacifica, qua neque collegas, in quibus nihil constiterat, de collegio suo ausus est removere, et Donato solo (Casensi, scilicet, ut Augustini testimoniis perspicue constat *ex breviculo collationis tertiae diei*), quem totius mali principem invenerat, maxime culpato, sanitatis recuperandae optionem liberam ceteris fecit, paratus communicatorias litteras mittere etiam iis, quos a Maiorino ordinatos esse constaret, ita, ut quibuscumque locis duo essent Episcopi, quos dissensio geminasset, eum confirmari vellet, qui fuisset ordinatus prior, alteri autem eorum plebs alia regenda provideretur. O virum optimum! O filium Christianae pacis, et patrem Christianae plebis!»

Etsi iustissima esset sententia, quam, praeside Melchiade, Concilium Romanum tulerat, et causa, de qua agebatur, in eo fuisset diligentissime cognita; Donatistae tamen vehementer de Concilio ipso, et de sententia ab eodem pronuntiata apud Imperatorem conquesti sunt. Et, quod ad auctoritatem Concilii spectat, ab iis obiectum est, nimis parvo numero interfuisse Episcopos; quod ad controversiam vero iactarunt, non accurate fuisse discussam; atque inter cetera, Felicis Aptungitani causam ibi non esse definitam. Constantinus quidem his querelis graviter est indignatus; sed deinde, ut Donatistarum clamoribus occurreret, iussit de Felicis Aptungitani causa in Africa diligenter cognosci. Cognitionis vero huius exitus fuit, ut Elianus, videlicet, Africae Proconsul, diligentissima de tota re investigatione instituta, Felicem illorum criminum omnium innocentem esse, anno 314 declaraverit, de quibus fuerat accusatus. Praeterea cum finis non fieret querelarum, Constantino petente, novum habitum est in Caeciliani causa Concilium.

Arelate in Gallia Synodus ista anno 314 die prima augusti celebrari coepit, cui per legatos suos Silvester I Romanus Pontifex praefuit, qui Melchiadi successerat, atque illa Synodus in permagna Episcoporum frequentia fuit habita; nam ex occidente toto Episcopi ad illam sunt vocati. Huius Concilii celebratione factum est, ut cum Donatistae parvum Concilii Romani Episcoporum numerum obiecissent, pati debuerint, communi frequentissimorum Episcoporum suffragio Caecilianum iterum innocentem absolvi et declarari. Ex eo, quod tanta frequentia ad Arelatense Concilium Episcopi convenerint, atque in octavo eiusdem Concilii Canone statutum sit, valere iudicandum esse baptismum, licet ab haereticis collatum, modo invocata Sanctissima Trinitate ministratum fuisset, ex hoc, inquam, factum est, ut eruditi viri nonnulli censuerint, Augustinum cum epistola 48 mentionem facit *plenarii* Concilii, in quo causa de non rebaptizandis haereticis dirempta sit, loquutum esse de Arelatensi Concilio. Id certe persuasionem ostendit, quae semper obtinuit, de magno Episcoporum numero, qui Arelatensi isti Synodo interfuerant, non efficit tamen, ab iis melius non iudicari, qui arbitrantur, Augustinum epistola 48 Plenarii Concilii nomine Nicaenum primum generale Concilium intellexisse.

Debuisset Arelatensis Concilii sententia Donatistarum pervicaciam frangere: sed, nonnullis exceptis, qui ad Ecclesiam Catholicam reversi sunt, reliqui non modo in perverso schismatis consilio permanserunt, sed multo etiam audaciores evaserunt. Etenim spernentes Ecclesiae sententiam, a Concilio Arelatensi ad Constantinum Imperatorem appellarunt. Fuisset vero Ecclesiae valde utile, si Imperator in indignatione illa perseverasset, quam ab initio ostenderat, cum Donatistarum arrogantiam manifeste detestatus est. Sed deinde passus est, se ab hominibus exorari, qui eo superbiores fiebant, quo humaniores adversarios

reperiebant. Ipse igitur Imperator Mediolani anno 316, exeunte circiter mense Octobri, iudicium de illa causa instituit. Caecilianum et eius inimicos audivit. Verum et ipse Concilii Romani et Arelatensis sequutus est sententiam; nam Caecilianum innocentem, eius adversarios autem calumniatores nefarios esse iudicavit.

Tum vero apparuit clarius, quam iniqui essent Donatistae. Nam, si excipiantur nonnulli, qui a schismate se receperunt, de ceteris generatim affirmari potest, eos obstinatiores factos esse, quantumvis solemni Ecclesiae iudicio pluries, et Imperatoris auctoritate, eorundem causa reiecta fuisset. Itaque, duce potissimum Donato Magno, quem Maiorino mortuo in Episcopatu Carthaginiensi suffecerant, acerbiori odio Caecilianum et Ecclesiam Catholicam, quae cum illo communicabat, prosequuti sunt. Tunc Constantinum poenituit quodammodo agendi rationis usque ad illud tempus erga Donatistas adhibitae; et nimia facilitate, qua usus erat, in severitatem mutata, leges gravissimas in eos tulit: quibus tamen Donatistarum scelus compressum minime est. Etenim illi saepenumero vi atque armis his legibus obstiterunt, et Imperator ipse ad facilitatem agendi reversus, primum legum contra eos promulgatarum severitatem imminuit, deinde eos passus est libere in secta sua perseverare.

Constantino mortuo, Constans Africa potitus est, atque durante eius in Africam potestate, primum felicior, deinde valde periculosa facta est Donatistarum conditio. Homines scelesti, et non Ecclesiae modo, sed Reipublicae quoque tranquillitatis perturbatores, non dubitarunt etiam ad caedem et vastationem afferendam devenire. Adhibebant praesertim ad hoc agendum *Circumcelliones,* videlicet certum quoddam inter eos hominum genus, qui furore perciti passim ad victum sibi comparandum, circa rusticorum cellas seu casas versabantur, et sua ac ceterorum caede valde delectari videbantur. Latronum more catholicos aggrediebantur, et in Donatistas quoque aliquando furebant caedem inferentes. Praetereo, istos homines nefarios contendisse, se Martyres futuros, si seipsos interficerent, atque idcirco praecipites se aliquando e rupibus egisse, in ignem aut flumina se iniecisse, vel violentam sibi mortem intulisse. Hoc satis est nunc animadvertere, Episcopos Donatistas Circumcellionibus usos esse, tum ut Imperatorum legibus contra se latis repugnarent, tum etiam ut in Catholicos saevirent.

Id egerunt cum Constans in Africa dominaretur; sed facti sui poenas tunc dederunt. Is quidem ab initio summam erga Donatistas benignitatem adhibendam esse iudicaverat, sperans, hac ratione dissidium exstinctum iri. Cum nihil vero proficeret, missis etiam in Africam duobus viris praeclaris, Paullo et Macario, qui eleemosynis, largitionibus, aliisque beneficiis conarentur schismaticos ad pacem et concordiam perferre: immo cum Donatistae, adhibitis Circumcellionibus, in eos ipsos adeo praestantes viros tumultum molirentur, rei facies aliquandiu immutata est. Nam praesidium militum Romanorum immissum ab eis est in Circumcelliones, qui fugati et caesi fuerunt. Cum haec vero contigissent, nonnulli Episcopi Donatistae fuga salutem petierunt, nonnulli in exilium pulsi sunt, qua poena Donatus Carthaginiensis etiam affectus fuit: reliqui Donatistae ad pacem cum Ecclesia Catholica reversi fuerunt. Is rerum status etiam sub Constantio Imperatore perduravit. Mortuo autem anno 350 Carthaginiensi Donato, Donatistae Parmenianum subrogarunt; Catholici vero Caeciliano anno 348 mortuo Gratum, et Grato Restitutum successorem destinarunt.

Longe diverso modo Iulianus apostata cum Donatistis egit, qui eos erexit et recreavit. Cum valde cuperet, dissensionibus inter Christianos acriter animatis, religioni perni-

ciem afferre, facile Episcopis Donatistis exilio mulctatis copiam fecit redeundi in Africam, et basilicas recuperandi, ex quibus fuerant eiecti. Illi vero cum in Africam reversi essent, non modo in basilicas plures catholicorum per vim invaserunt, sed etiam crudelissime cum catholicis egerunt.

Valentinianus I in posterum et Gratianus legum severitate eos comprimendos curarunt, sed Gildo, qui anno 397 Africam invaserat, iisdem concesserat, ut catholicos impune vexarent. Brevi tamen temporis spatio Donatistae huius hominis scelere abuti potuerunt. Sub Honorio enim Imperatore ab omni catholicorum caede et vexatione prohibiti fuerunt. Missus est praeterea ab Imperatore in Africam Marcellinus tribunus, vir integerrimus, qui anno 411 habuit Carthagine celeberrimam collationem, hoc est, conventum, in quo ex utraque parte Catholicorum simul et Donatistarum causa penitus pertractata et cognita est. Illius disputationis, quae triduo perduravit, acta memoriae posterorum prodidit S. Augustinus in *breviculo collationis*, qui et ipse conventus particeps fuit: Marcellinus deinde, re tota accurate perpensa, sententiam tulit pro catholicis, quae ab Honorio die 30 Ianuarii anno 412, lata lege, et gravissimis poenis indictis contra Donatistas sententiae repugnantes, confirmata fuit.

His rebus perterriti plures Donatistae, factione derelicta, parendum esse Imperatori censuerunt, sed multi tamen in suscepto schismatis proposito perseverarunt. Cum vero hi acerbissimo odio in Marcellinum ferrentur, quem schismatis eversorem quodammodo reputabant, nihil omiserunt, ut insidias in eum molirentur. Omni autem fraude adhibita et dolo malo consequuti sunt, ut vir egregius capitis poena a Marino Romani exercitus duce mulctaretur, cui persuadendum curaverant, eum Herculiani partibus studuisse, qui imperium invadere conatus fuerat. Honorius deinde, Donatistarum scelere detecto, Marcellinum innocentem declaravit; quae ille in collatione Carthaginiensi decreverat, sanxit, et gravissimas in Donatistas poenas proposuit. Virum gravem postea in Africam misit Dulcitium tribunum. Is intellexit, quae agendi ratio ad Donatistas coercendos esset opportuna, videlicet, in eos fortiter constanterque animadvertens, superbam atque audacissimam illam sectam vehementer perculit et prostravit.

Quamquam haec opportuna esset sectae huius comprimendae ratio, constat tamen, eam non modo Honorii et Theodosii iunioris aetate perdurasse, sed etiam ipsis Gregorii Magni pontificatus temporibus, ut eius epistolae ostendunt, multos Donatistas in Africa fuisse.

Quod spectat ad locorum amplitudinem, quam Donatistae occuparunt, iam satis multa de Africa diximus, in qua regione schisma ortum, conflatum, et tantopere auctum est, ut quandoque numero catholicos ibi superaverint. Praeter Africam vero dici vix potest, num alibi sectarios Donatistae repererint. Conati quidem sunt sectam suam statuere in urbe Roma, sed inani prorsus conatu; nam nullum ex populo Romano perfidiae suae socium facere potuerunt, nullum in urbe templum occupare. Miserunt etiam Romam Episcopum ex ea factione, qui domicilium ibi statueret. Ita enim fortasse sperabant incautos decipere, veluti si cum Romano Pontifice communione fruerentur. Sed eorum spes fallaces fuerunt. Notum enim erat omnibus, hunc Episcopum cum Romano Pontifice D. Petri successore nihil commune habere, et Donatistarum schisma Romae ita contemni, ut extra urbis moenia in montibus coetus suos habere deberent, ex quo *Montenses* in urbe Donatistae sunt appellati. Haec, quae mox significavi, Petrus Coustantius ostendit in adnot. ad epi-

stolam Siricii ad Afros col. 655, et ad epist. Innocentii I ad Victricium Rothomagensem pag. 752. Etenim, ut cetera omittam, Augustinus ait ep. 158 al. 165: «Ex Africa ordinatum miserunt, qui paucis praesidens Afris in urbe Roma, Montensium, seu Cutzupitanorum vocabulum propagavit.» Hieronymus idem de Montensium nominis origine docet in chronico ad annum 360, et Optatus Milevitanus lib. 2 adversus Parmenianum ait: «Locum, ubi se colligerent (Romae) non habebant, sic speluncam quandam, foris a civitate, gradibus sepserunt, ubi, ipso tempore, conventiculum habere potuissent: unde Montenses appellati sunt.»

Quod denique pertinet ad errores, quos Donatistae docuerunt, haec breviter significasse satis erit. Illi quidem ab initio etsi gravissimum schisma excitassent, nihil tamen docuisse videntur, quod Ecclesiae Catholicae doctrinae contrarium esset. Universa enim causa in electione Caeciliani reiiciendi, et in Maiorini electione propugnanda versata esse ab initio videtur. Sed deinde Donatistae fecerunt id, quod Schismatici solent, ut dissidio errores adiungerent. Contenderunt igitur, veram Christi Ecclesiam in sola parte Donati permansisse, defecisse vero penitus apud Christianos, qui Caeciliani communionis participes fuissent. Etenim affirmabant, communione cum improbis inita, Christianos a vera Christi Ecclesia excidere; et cum improbum Caecilianum fuisse dicerent omnes, qui illi adhaesissent, extra veram Christi Ecclesiam esse reiectos. Contendebant praeterea, eos tantum, qui in vera Christi Ecclesia essent, et vitae sanctitate commendarentur, posse sacramenta valide conferre. Cum ergo in parte Donati tantum veram Christi Ecclesiam permansisse affirmarent, non valere baptismum et cetera sacramenta iactabant, quae ab hominibus collata essent Donatisticae factioni minime adhaerentibus, et idcirco ad se venientes a Catholicis baptizatos nefarie rebaptizare non dubitabant. Erant hi errores res toti Donatisticae genti communes, licet inter Donatistas ipsos peculiares sectae exstiterint, inter quas sectas praecipue noti sunt ii, qui ex dissidii peculiaris origine *Rogatistae*, *Maximianistae*, *Primianistae* sunt appellati. Ii non cum catholicis modo, sed cum ceteris etiam Donatistis acriter quandoque certarunt.

CAPUT XL.

DE MELCHIADIS ROMANI PONTIFICIS IUDICIO IN CAUSA DONATISTARUM.

Donatistas a Constantino petiisse iudicium in causa Caeciliani et Maiorini de Episcopatus Carthaginiensis consequutione retulimus: Constantinum autem a Melchiade huius rei iudicium habendum esse significasse, narravimus. Quanta cum laude Melchiades cum Concilii Romani Episcopis de ista causa sententiam dixerit, si cetera monumenta deessent, satis ostenderet Augustinus, cuius testimonium de ea re a nobis superius adductum est. Nunc quae praecipue de Melchiadis iudicio in eo negotio disputationis causam attulerunt, breviter trademus.

Itaque vix arbitror necesse esse in ea re evincenda immorari, in qua quaeritur, num iure suo Melchiades Pontifex, an potius, veluti iudex in ea causa ab Imperatore delegatus, iudicium exercuerit. Ita quidem Samuel Basnagius in annalibus ad an. 313, et Io. Laur. Moshemius in inst. H. E. saec. 4 parte 2 cap. 5 existimarunt. Cum autem certo constet, Constantinum ipsum declarasse, se nullam habere auctoritatem de his

rebus iudicandi, apparet simul, incredibile esse, Melchiadem veluti iudicem ab Imperatore delegatum de ea causa cognovisse. Atqui hoc perspicuum est, si Constantini epistola ad Concilii Arelatensis patres tantisper perpendatur; nam in ea epistola ita Constantinus loquitur: «Quoties a me ipso improbissimis aditionibus suis sunt condigna responsione oppressi? Qui utique, si hoc ante oculos habere voluissent, minime hoc ipsum interposuissent. Meum iudicium expostulant, qui ipse iudicium Dei exspecto; dico enim, ut se veritas habet: sacerdotum iudicium ita debet haberi, ac si ipse Dominus residens iudicet . . . Perquirunt saecularia, relinquentes caelestia. O rabida furoris audacia! Sicut in causis gentium fieri solet, appellationem interposuerunt . . . Quid hi detrectatores legis, qui renuentes caeleste iudicium, meum putaverunt postulandum, sic sentire de Christo Salvatore?» Ostendunt haec Constantinum existimasse, ad se non pertinere de eiusmodi causis iudicare. Quare incredibile est, Constantini delegatione Melchiadem de ea causa iudicium instituisse.

Haec cum adeo sint clara, non oportet argumenta tractare, quibus evincitur, iure proprio gradus sui Melchiadem de memorata causa iudicavisse. Id demonstrat agendi ratio a Pontifice adhibita, qui, Constantino inconsulto, praeter tres Episcopos ex Gallia quindecim Italos Episcopos iudicii participes esse voluit. Id colligitur ex causae ipsius natura. Nam fuit hoc ab antiqua Ecclesiae aetate receptum, ut maiores causae Pontificis Romani iudicio reservatae crederentur. Talis autem erat Caeciliani causa, cum ex controversia dirimenda sequi deberet, num is Episcopatu Carthaginiensi privandus existimaretur, quem legitime fuerat consequutus. Spectabat denique peculiari iure ad Melchiadem illius causae iudicium, cum de Africano Episcopo ageretur, quae regio Romano Pontifici tamquam totius Occidentis patriarchae subiecta erat, et idcirco illius regionis ecclesiastica negotia hoc etiam nomine Pontificis Romani iudicio commissa erant.

Ex iis, quae superius tradidimus in Donatistarum schismatis historiae expositione, constat, post Concilium Romae a Melchiade habitum Donatistas de eo iudicio conquestos apud Imperatorem fuisse; Arelatense Concilium deinde in eadem causa fuisse celebratum, a quo, Donatistis ad Imperatorem appellantibus, factum est, ut de controversia illa Constantinus ipse Mediolani sententiam tulerit. Ita quidem rem gestam esse, et Donatistas a Melchiadis iudicio non appellasse, sed post Arelatense Concilium appellationem fecisse, Valesius et Cardinalis Norisius in operibus superius memoratis, et Sirmondus in notationibus ad Concilia Galliae ostenderunt.

Sane Augustinus, testis certe gravissimus in rebus praecipue Donatistarum historiam respicientibus, Augustinus, inquam, ita rem narrat lib. 2 contra litteras Petiliani cap. 92: «Si autem, quod verum est, petentibus maioribus vestris, Episcopale iudicium, dederat Constantinus, et apud Romam, et apud Arelatum, quorum primum apud eum accusatis, ab altero ad eum appellastis.» Praeterea appellationum ratio, iudiciorum forma non patitur, ut iidem in appellationis causa iudicent, a quorum sententia appellatum est. Cum vero constet ex epistola synodica atque ex actis Concilii Arelatensis, ei Concilio veluti iudices praeter Romanum Pontificem per legatos suos interfuisse eos ipsos, qui Romae iudicaverant, Marinum Arelatensem, Maternum Coloniensem, Augustodunensem, Meroclem Mediolanensem, et Proterium Capuensem Episcopos, apparet, in Arelatensi Concilio de causa appellationis a Romanae Synodi sententia non fuisse iudicatum.

Adversatur huic sententiae Optati Milevitani auctoritas, qui lib. 1 ad-

versus Parmenianum ita loquitur, ut aperte dicat, Donatistas a Romano Concilio ad imperatoris iudicium appellasse, quam appellationem Constantinus reiecerit exclamans: «O rabida furoris audacia! Sicut causis gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.» Sed deceptum Optatum in ea re esse, eruditi viri respondent afferentes testimonium clarissimum Augustini, et rei ipsius naturam considerantes, quae non patitur, ut ii in appellatione iudicent, ad quorum sententiam rescindendam appellatum fuerit. Deinde Optatus numquam Arelatensis Concilii in ea causa habiti mentionem facit, et satis perspicue significat se existimare, litteras superius a nobis commemoratas non ad Arelatensis Concilii patres, sed ad Episcopos, qui Romae iudicarunt, a Constantino scriptas esse. Atqui, ut cetera omnia omittantur, certum est, eas ad Arelatenses Episcopos scriptas fuisse, prout satis luculenter evincit Augustini testimonium in epist. 162. «Neque enim, inquit, ausus est Christianus Imperator sic eorum tumultuosas et fallaces querelas suscipere, ut de iudicio Episcoporum, qui Romae sederant, ipse iudicaret. Sed alios, ut dixi, Episcopos dedit, a quibus tamen illi ad ipsum rursum Imperatorem provocare maluerunt, qua in re illos quemadmodum detestetur, audistis.» Haec autem referuntur ad Imperatoris exclamationem superius adductam. Epistola igitur illa, in qua Imperator ita exclamavit, ad Arelatenses a Constantino scripta est.

Haec licet vera sint, tamen negari non potest, Donatistas Melchiadis iudicio observantiam debitam non adhibuisse. Sed non est mirum, Donatistas Melchiadis sententiae obtemperare noluisse. Neque eorum agendi ratio probare ullo modo potest, Melchiadis auctoritate Caeciliani causam definitivo decreto penitus absolutam existimari non debere. Quam sceleste enim Donatistae se gesserint, manifestum est, et eorum repugnantia ostendit tantum, auctoritatem quamlibet legitimam ab illis spretam fuisse.

Videtur tamen hic locus opportunus aliqua dicendi de iis, quae circa Donatistarum factum habet Cardinalis Luzernius in memorato opere *sur la déclaration de l'assemblée du clergé de France en 1682* Parisiis edito anno 1821. Nam parte 3 lib. 9 c. 10 contendit, Melchiadis iudicio controversiam illam definitive non fuisse peremptam. Adducto enim Augustini testimonio ex ep. 43 alias 162 ad Glorium Eleusium c. 7 n. 19, alia ratione de Melchiadis iudicio censendum esse contendit. «Ecce putemus, inquit Augustinus eo loco, omnes Episcopos, qui Romae iudicarunt, non bonos iudices fuisse. Restabat adhuc plenarium universae Ecclesiae Concilium, ubi etiam cum ipsis iudicibus causa posset agitari, ut si male iudicasse convicti essent, eorum sententiae solverentur. Quod utrum fecerint Donatistae, probent. Nos enim non factum esse facile probamus ex eo, quod totus orbis non eis communicat.» Hoc testimonio memoratus auctor demonstrari putat, Ecclesiae plenarium Concilium restare, quo R. Pontificis sententia solvi queat; et quamvis nullum eiusmodi Concilium Melchiadis iudicium resciderit, causam tamen Caeciliani non minori auctoritate definitam fuisse, eo quod Ecclesiae universae consensione illud iudicium probatum sit. Facile est intelligere, quamobrem ille contenderit, haec ex Augustini testimonio demonstrari: scilicet, ut efficeret, esse retractabilia Rom. Pontificum iudicia, antequam Ecclesiae consensu confirmata sint.

Cardinalis Iosephus Augustinus Orsius tom. 2 operis de irreformabili R. Pontificis iudicio in definiendis fidei controversiis l. 3 c. 10 Bossuetium confutaverat, ostendens, 1° Caeciliani causam Melchiadis et Romanae Synodi iudicio terminatam, non fuisse obnoxiam Synodi generalis retractationi; 2° eam retractari

non potuisse, nisi ex Romani Pontificis indulgentia, et in Synodo, cui vel ipse per se, vel per legatos suos praeesset; 3° causam Caeciliani, de qua Augustinus memorato in loco sermonem habet, non fuisse ex earum causarum numero, quae ad universam Ecclesiam pertinent. Ea, quae Cardinalis Orsius in eo loco pertractavit, Eminentissimus Luzernius refellenda suscepit in opere an. 1821 Parisiis edito de eadem Cleri Gallicani declaratione, in quo opere ille scriptor Orsium ita refutandum curavit, ut omnia, quae hic auctori defensionis declarationis memoratae Cleri Gallicani obiecit, infirma esse ostenderet, et minime extenuari posse concluderet, quae ad declarationem illam defendendam Bossuetius adduxerat.

Verum nescio, qua ratione ea possint revera infirmari, et ostendi, Melchiadis iudicium retractabile sine Romani Pontificis indulgentia fuisse, eo quod Augustinus in adducto superius loco affirmaverit, Donatistis post Romanum Melchiadis iudicium restare potuisse Concilii generalis auctoritatem. Primo enim loco illud extra controversiam positum est, Augustinum cum Donatistis disputantem humano modo agere voluisse, atque ea ratione, quae expeditior et certior videri poterat ad eos refutandos. Cum insisteret vero Augustinus huic agendi rationi, cumque Donatistarum schisma ab universa Ecclesia damnatum esse obiicere vellet, ut ita nulla iis respondendi probabilis, etiam specie tenus, ratio superesse posset, mirum esse non debet eum affirmasse, quae in adducto superius loco continentur.

Plura afferri possent Augustini loca, ex quibus pateret, eum contra Donatistas illam adhibuisse agendi rationem, ut obiecta scilicet iis, quantum posset, ampliori auctoritate illos invicte refelleret. Tale est, quod lib. 2 de bapt. cap. 4 habet: « Satis ostendit (Cyprianus) facile se correcturum fuisse sententiam suam . . . si iam illo tempore quaestionis huius veritas eliquata et declarata, per plenarium Concilium solidaretur. Si enim Petrum laudat et praedicat ab uno posteriore collega patienter concorditerque correctum, quanto citius ipse cum concilio provinciae suae universi orbis auctoritati, patefacta veritate, cessisset? » Tale etiam est, ut cetera omittam, quod lib. 3 de bapt. c. 4 continet, ubi Ecclesiae Donatistis contrariae auctoritatem opponit, ut inde patere ostendat, eos in errore versari. «Profecto issem, inquit, in eandem (Cypriani) sententiam, nisi me ad diligentiorem considerationem revocaret tanta auctoritas aliorum, quos vel pares gratia doctrinae, vel etiam fortasse doctiores, per tot gentes, latinas, graecas, barbaras, et ipsam hebraeam, Ecclesia toto orbe diffusa parere potuit, quae ipsum quoque pepererat. Qui mihi nullo modo videri potuerunt, frustra noluisse istam tenere sententiam, non quia fieri non potuit, ut in obscurissima quaestione verius pluribus unus paucive sentirent; sed quia non facile pro uno vel paucis adversus innumerabiles eiusdem religionis et unitatis viros, et magno ingenio et uberi doctrina praeditos, nisi pertractatis pro viribus atque perspectis rebus, ferenda sententia est.» Quod si haec Augustini agendi ratio fuit in pertractanda Donatistarum controversia, ut homines imprimis arrogantes coerceret, et, obiecta totius Ecclesiae auctoritate, erroris et defectionis reos esse ostenderet, argumentum ex testimonio adducto desumptum non probat, eum existimasse, retractabilia esse RR. Pontificum decreta, antequam Ecclesiae auctoritate confirmentur; sed ostendit tantum, eum demonstrare Donatistis voluisse, in Melchiadis iudicium universam etiam Ecclesiam convenisse.

Praeterea videamus, cuiusnam revera generis ea causa fuerit, de qua Augustinus censet eam ad universam Ecclesiam non pertinere. Is in brev.

in coll. 3 diei c. 11 ait: «Sic peracta est causa Ecclesiae, qua magnopere Catholici curaverant a Caeciliani causa distinguere, quae contra omnes humanas criminationes tot testimonia divina meruisset. Ex hoc coepit agi etiam causa Caeciliani.» Cap. autem 16 «Nam et ista collatione totum, quod egerant catholici, ut Ecclesiae causam a causa Caeciliani distinguerent, afferentes, in Ecclesia permistos malos non obesse bonis, nec eos suis maculare peccatis, hoc utique egerant, ut nec causa causae praeiudicaret, nec persona personae. Quod ab adversariis, dum aliud ageretur, voce apertissima confirmatum est.» Controversiam scilicet facti esse putavit Augustinus, ceterique catholici, qui collationi carthaginiensi aderant, eam, quae in causa Caeciliani Romae pertractata est, ut ea prorsus deberet ab universae Ecclesiae causa distincta considerari. Quod si haec Augustini, et catholicorum, qui cum Donatistis dimicabant, de Caeciliani causa sententia fuit, dubium esse non potest, ad Ecclesiam universam non pertinuisse, quae defendi contra haereticorum errores ineluctabili ratione poterat, quin indigeret, ut Caecilianus revera innocens fuisset. Ex iis, quae breviter de ordinatione Caeciliani, et de Maiorini electione diximus, facile patet, quid revera in tota illa controversia ad Caecilianum pertinente quaereretur. Quibus vero erroribus deinde Donatistae Ecclesiae universae causam offenderint, ex iis, quae recensuimus, manifestum est. Quare Augustinus suo et catholicorum omnium contra Donatistas pugnantium nomine in lib. ad Donatistas c. 4 post collationem iure affirmavit: «Hoc enim agebamus omnibus viribus, hoc instabamus, ut Caeciliani causa atque persona, qualiscumque ille fuerit, ad causam et personam Ecclesiae, quam Deus suis sanctis testimoniis roboravit, non pertinere ostenderetur.»

Etsi vero talem Caeciliani causam fuisse constat, non id tamen ea ratione accipiendum est, veluti si Augustini sententia fuerit, revera Romanorum Pontificum decreta per Concilium generale rescindi posse. Praetereo, quantopere hoc a veritate alienum appareat, si consideretur, Augustinum, qui summa erga Sedem Apostolicam observantia animatus erat, existimare potuisse, iudicium, quod a totius Ecclesiae principe in causa Africani Episcopi, atque in eiusmodi causa, quae peculiari iure Pontifici Maximo definienda reservata erat, esse retractabile: illud dicam, ex Augustini epistola 162 patere, quod ille ait de Concilio, quod post Romanum Melchiadis iudicium in causa Caeciliani haberi potuisset, in quo eadem causa iterum pertractaretur, pronuntiatum ab eo fuisse tantum ad Donatistarum audaciam comprimendam. Etenim referens, post Concilium Romanum Donatistas non acquievisse, sed de R. Pontificis iudicio conquestos esse, subdit: «Dedit ille (Constantinus) aliud Arelatense iudicium, aliorum scilicet Episcoporum, non quia necesse erat, sed eorum perversitatibus cedens, et omni modo cupiens tantam impudentiam cohibere.» Ad ostendendum tandem, quae Augustinus in loco adducto dicit, affirmari tantum ad Donatistarum pertinaciam frangendam, erit opportunum haec commemorasse, quae Optatus Milevitanus habet l. 1 de schismate Donatistarum n. 24 et seqq. Ita enim Optatus Milevitanus loquitur, ut demonstret, sibi inauditum videri, iudicium de Caeciliano a Melchiade latum retractari ac rescindi in alia Synodo posse. Caecilianum enim inquit eorum omnium, qui Concilio Melchiadis aderant, sententiis fuisse absolutum, atque ipsius etiam «Melchiadis sententia, qua iudicium clausum est.» Addit, duos in Africam Episcopos a R. Pontifice missos esse, Eunomium et Olympium, ut secundum Synodi Romanae decretum pronuntiarent, *ubi esset catholica;* eos au-

tem in Africam cum venissent, pronuntiasse, «Illam esse catholicam, quae esset in toto orbe diffusa, et sententiam decem et novem Episcoporum iamdudum latam dissolvi non posse; sic communicasse clero Caeciliani, et reversos esse.» Praetereo, quae ille scripsit, existimans Donatistas post Melchiadis decretum ad Constantinum appellasse; mirari enim se ostendit, cum Donatus tot sententiis percussus, et Caecilianus tanto iudicio purgatus esset, agi iterum de ea causa potuisse.

Atque hic omitti illud etiam non potest, quod Cardinalis Orsius loco superius citato contendit, scilicet, si plenarium Concilium, de quo Augustinus loquitur, habitum esset, illud, quod ad causam Caeciliani, futurum fuisse simile et affine Arelatensi Synodo in eadem causa celebratae. Videlicet, eiusmodi plenarium Concilium non fuisse, nisi consentiente, et per legatos suos Romano Pontifice praesidente, celebrandum. Quemadmodum vero Arelatense Concilium habitum est, non quia necessarium erat post Romanum iudicium, sed quia ad comprimendos Donatistarum clamores eius celebratio opportuna et utilis visa est; ita et plenarium Concilium nequaquam ad eam causam definiendam necessarium existimari debuisset. Arelatensem quidem Synodum, consentiente, et per legatos suos praesidente Silvestro, habitam esse, et de Caeciliani causa iterum egisse, manifestum est. Nam constat ex Arelatensium patrum ad Silvestrum epistola, quam Norisius refert, Pontificem non adfuisse synodo, «quoniam recedere a partibus illis non potuerat, in quibus apostoli quotidie sedent, et cruor ipsorum sine intermissione Dei gloriam testatur;» misisse autem Silvestrum legatos suos certum est Claudianum et Vitum presbyteros, ac Eugenium et Cyriacum diaconos, qui nomine suo Synodo praeessent. Iam vero, si consentiente et praesidente ipso Romano Pontifice, de aliqua causa a Sede Apostolica iam iudicata in Concilio plenario iterum agitur, tum profecto inde non potest argumentum aliquod grave desumi ad ostendendum, retractabilia esse Romani Pontificis per Concilium plenarium iudicia.

Post haec manifestum esse arbitror, memoratum scriptorem decipi, cum putat, testimonium, quod a Bossuetio primum adductum fuerat, ex ep. Augustini 152 omnino ostendere, S. Doctorem censuisse, R. Pontificis iudicium a Concilio generali rescindi posse. Quo enim sensu Augustinus loquutus sit, apparet. Neque in eo testimonio, prout idem scriptor existimat, Augustinus affirmavit, Donatistas ius habere, ut de Caeciliani causa iterum post Romanum Concilium cognosceretur, et potuisse ab eo Concilio appellare. Augustinus enim aliud eo in loco non dicit, nisi Romanum iudicium totius Ecclesiae consensu iustum existimatum fuisse, et, si in eadem re iudicanda Concilium plenarium habitum esset, intellecturos fuisse Donatistas, bonos iudices fuisse, qui Romae iudicaverunt.

Denique non erit abs re haec etiam adiicere. Cardinalis Norisius in hist. Donatistarum parte 1 cap. 9 notat, Calvinum cum asseclis suis ex eo, quod in Arelatensi Synodo iterum de causa institutum iudicium est, de qua Melchiades sententiam tulerat, argumenta urgere, ut contendat, Primam Sedem non esse supremae auctoritatis, cum in Synodo maiori eiusdem sententiae iterum definiendae propositae fuerint. Nonne vero placeret R. Pontificis auctoritatis inimicis, Augustinum affirmasse, appellationem a Melchiadis iudicio proprium fuisse Donatistarum ius? Et fratres Ballerinii ei Norisii loco sapientissime haec subiiciunt: Cum S. Doctor scripsit, restare Donatistis potuisse post Romanum iudicium plenarium Ecclesiae universae Concilium, quandoquidem hoc reliquum credidit ad schismaticorum impuden-

tiam compescendam, procul dubio male hinc adversarii argumentantur, Augustini mentem fuisse, Romani Pontificis sententiam in pleniori conventu iure posse retractari, et licere ab eadem appellare. Cum porro eodem testimonio Augustini, quod opponitur, dicatur, in plenario Ecclesiae universae Concilio, ubi etiam cum ipsis iudicibus causa posset agitari, si quam causae recognitionem, in quaestione tamen facti potuisse fieri hisce verbis Augustinus affirmavit, memorati doctissimi viri animadvertunt, tantum abesse, ut per haec veram appellationem approbaverit, quin potius eam omnino exploserit. Enim vero, inquiunt, ubi vera appellatio intercedit, patres, a quibus appellatum est, in sequiori iudicio, ad quod provocatur, sedere iudices nequeunt, quemadmodum et Norisius ipse docuit, ubi ostendit, a Romanae Synodi sententia ad Constantinum Donatistas non appellasse. Itaque si Augustinus in pleniori Synodo Romanos Patres reliquit iudices, quando dicit, cum ipsis iudicibus causam potuisse agitari, profecto veram appellationem expunxit, ac solum iudicavit, potuisse fieri, ut ex gratia Donatistis permitteretur examen, in quo plurium Episcoporum suffragiis ipsorum audacia aperiretur luculentius, et cohiberetur.

Illud etiam scriptori, de quo loquimur, concedi non potest, quod summa confidentia affirmat, ut neget, quae Cardinalis Orsius obiecerat Bossuetio, necessarium fuisse, scilicet, R. Pontificem assentiri, ut de iudicio Romae habito nova pertractatio institueretur. Hanc Orsii responsionem ille principii petitionem appellat. Atqui non principii petitio ista responsio est, sed haec respondendi ratio gravibus innititur rationibus. Concilium enim plenarium, consentiente et praesidente, per legatos saltem suos, Romano Pontifice, habitum esset. Quomodo vero sine Romani Pontificis consensu in eo plenario Concilio de Caeciliani causa a Melchiade iam iudicata pertractatio institui potuisset, cum Concilium illud ad causam commemoratam iterum pertractandam, consentiente et praesidente R. Pontifice haberi debuisset? Certum est praeterea, Concilii oecumenici decreta, ut auctoritatem veri Concilii generalis consequantur, a R. Pontifice debere confirmari. Si causae Caeciliani nova cognitio, non consentiente Pontifice Romano, instituta fuisset, atque in Concilii exitu Romanus Pontifex irritam eam causae novam cognitionem declarasset, fuissetne legitime illa nova causae in Concilio plenario instituta cognitio? Nam nos, cum dicimus, in Concilio plenario, de quo Augustinus loquitur, iterum de causa Caeciliani a Romano Pontifice iudicata iudicium institui non potuisse, nisi consentiente Pontifice Romano; cumque addimus, si Romanus Pontifex in exitu Concilii novam illam causae pertractationem improbasset ac reiecisset, non posse existimari legitimam eam causae cognitionem, de Concilio plenario loquimur, quod secundum leges habeatur, non autem de eo Concilio, in quo Ecclesiae instituta non serventur. Hoc autem loco manifestum est, quam difficile sit illam opinionem probare, qua statuitur, Concilia generalia Romano Pontifice auctoritate superiora esse. Quodnam enim verum generale Concilium afferri potest, quod Oecumenicum iure existimatum sit, et cuius decreta Romanus Pontifex non probaverit? Quomodo vero horum decretorum auctoritatem Pontificia potestate ampliorem esse demonstrabitur, cum veri Concilii Oecumenici ratio postulet Sedis Apostolicae confirmationem?

Neque sunt graviora, quae Card. Luzernius loco superius citato habet, cum ea refutanda curat, quae de Caeciliani causa obiecta sunt Bossuetio, argumentandi ratione desumpta ex eo, quod illa controversia tum, cum a Melchiade iudicata est, personam tantum respiceret et cau-

sam Caeciliani. Falsum est enim, in ea controversia anno 313 pertractata actum non esse de qualitatibus Caeciliani personam respicientibus; propriam enim Caeciliani personam respiciebant, quae Donatistae contendebant: hoc est, eum imprimis inhumaniter cum Martyribus egisse, persequutione saeviente, atque non dubitasse a Felice Aptungitano Episcopo consecrationem Episcopalem accipere, qui accusabatur criminis traditionis.

Quod si praeter haec Caeciliano obiecta crimina, actum est etiam coram Melchiade de eiusdem et Maiorini ordinatione, ac disputatum, cuiusnam ex utriusque legitima fuisset ordinatio, hoc etiam controversiae caput in peculiaribus facti adiunctis versabatur, neque idcirco controversia evadebat eiusmodi, ut in instituto Romae iudicio non de persona tantum et causa Caeciliani, sed de re pertractatum fuisse dicendum sit, quae causam illius generis constitueret, ut ad universam Ecclesiam pertineret. Neque controversiae naturam eo tempore, quo a Pontifice Melchiade iudicata est, immutabat eorum hominum copia et pertinacia, qui pro Donato contendebant; causae enim genus et natura non ex numero aut obstinatione eorum, qui alicui parti student, definienda est, sed ex re ipsa, quae causam constituit. Catholicos autem, qui cum Donatistis pugnarunt, existimasse omnino, illam controversiam a Melchiade iudicatam personam tantum et causam Caeciliani respexisse, superius ostendimus, adductis praesertim Augustini testimoniis.

Ad hoc ipsum vero probandum opportunum est, quod Natalis Alexander diss. 6 Hist. Eccl. saec. 4 ostendit, neque Catholicos qui cum Caeciliano communicabant, neque Donatistas qui ad Ecclesiae unitatem revertebantur, credere debuisse, Caecilianum criminum, quorum fuerat accusatus, purum fuisse, sed tantum non temere credere illum fuisse reum, et iudices, a quibus fuerat absolutus, male eum iudicasse. Hoc Cardinalis Orsius Bossuetio obiecerat, ut luculentius ostenderet, quaestionem a Melchiade definitam facti tantummodo quaestionem fuisse. Quod denique scriptor ille ait, si censendum sit, causam Caeciliani a Melchiade iudicatam peculiarem tantum Caeciliani personam respexisse, existimari tunc debere, mentem Augustini saltem fuisse, in eiusmodi causis a Pontifice Concilium generale posse provocari, non indiget responsione. Ex iis enim, quae de testimonio Augustini superius adduximus, manifestum est, quae vera fuerit Augustini sententia, et quantopere ab hac opinione aliena. Restat igitur, ut concludamus, ex allato Augustini testimonio argumentum nullum exsistere contra irretractabilem Pontificis Romani decretorum auctoritatem.

CAPUT XLI.

DE ARIANA HAERESI.

Haeresis Ariana, quae tamdiu et adeo graviter Ecclesiam Catholicam perturbavit, saeculo Ecclesiae quarto excitata est. Notum est, eius nomen esse ab Ario, qui natus est in Lybiae parte Aegypto proxima, atque Alexandrino Episcopo subdita. Erat is ingenio et eloquentia praeditus, simulandae pietatis arte pollens, novarum rerum, et Episcopatus praesertim consequendi cupidus. Cum Meletius Licopolitanus Episcopus contra Petrum Alexandrinum Episcopum schisma conflavit, Arius eius partes sequutus est, atque idcirco a Petro communione privatus fuit; sed ab Achilla Petri successore deinde receptus in communionem, et pre-

sbyter factus est. Achilla mortuo, summa indignatione commotus est Arius, quod in Alexandrino Episcopatu sibi Alexandrum praelatum esse vidisset, et gravissimum errorem spargere coepit.

Impugnabat enim Arius Ecclesiae catholicae doctrinam de Verbi divinitate. Etenim Filium Dei creaturam esse affirmabat, neque vere Deum natura; ac licet ante saecula exstitisse illum diceret, Patri tamen coaeternum esse negabat. Alexander, habito duplici Alexandriae Concilio anno 319 vel 320, Arium eiusque socios ab Ecclesia eiecit. In Palaestinam tunc Arius cum nonnullis sectatoribus suis se contulit, in qua regione plures Episcopos in suas partes conciliavit, qui Arium ipsum defendendum susceperunt. In eius autem defensione praecipuus fuit Eusebius Nicomediae in Bithynia Episcopus, qui pluribus epistolis ad Alexandrum scriptis conatus est eum adducere ad revocandam, quam tulerat adversus Arium sententiam, et, habita Synodo, illum in communionem recepit, ceterisque Episcopis auctor fuit, ut idem facerent. Alexander vero fortiter his restitit, et libro scripto Arii impiam doctrinam atque Eusebii fraudes detexit. Cum vero Arius in haeresi sua praedicanda audacius se gereret, et veterem Aegyptium poetam impurum, Sotadem imitatus, nefarium carmen edidisset, *Thaliam* appellavit, quodque erat ex eo carminum genere, quae ab infima plebe cani solent. Alexander ei carmini gravem epistolam religione plenam, ac fidei catholicae summam continentem opposuit, ne Arius apud plebem errores suos illius carminis usurpatione disseminaret.

Conatus est Eusebius Nicomediensis Constantino Imp. in animum inducere, doctrinam ab Ario praedicatam fidei summam non offendere, et quaestionem totam in subtili quadam rerum expositione versari. In qua re philosophis recentioribus de Catholica Religione male sentientibus Eusebius praelusit. Verum quam id absurdum impiumque sit, facile intelligitur. Nam Iesu Christi Domini Nostri divinitatem Arius denegabat, cum Verbum Patri consubstantiale esse inficiabatur: cum autem in ea fide, Religionis Christianae praecipuum fundamentum contineatur, Christus falsam religionem constituisse videretur, si dogma illud verum non esset existimandum. Hoc vero quam impium, quam nefarium sit affirmare, quis est, qui non videat? Praeterea si tres personae divinae, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, unum Deum vero et proprio prorsus sensu non constituunt, Christiana Religio eo modo considerata, quo concipitur in communione qualibet, quae ab Arianis et Socinianis distincta sit, polytheismi posset accusari, cum eundem supremum cultum singulis tribus personis exhibendum esse credat Christiana quaelibet societas. Quid vero magis absurdum et iniquum excogitari posset? Denique per summum scelus diceretur, Christum, qui homines docuit, quomodo Deus in spiritu et veritate sit adorandus, iniuste demonstrasse, Filio eundem cultum esse exhibendum, quo Pater colitur, modo concedi debeat, Filium cum Patre non eundem Deum constituere. Res ergo, de qua agebatur, non in subtili quadam expositione versabatur, sed talis erat, ut Christianae Religionis ipsam naturam in discrimen vocaret.

Constantinus, rei gravitate intellecta, praeter cetera, quae egit, ut Arii audaciam comprimeret, oecumenicum Concilium Silvestri I Romani Pontificis auctoritate celebrari voluit. Illud vero anno 325 Nicaeae in Bithynia habitum est, in quo Arius erroris convictus, anathemate mulctatus, et cum in impia doctrina sua praedicanda perseveraret, ab Imperatore in Illyricum relegatus est. Decretum autem Concilii Nicaeni aperte refellit Socinianos, cum ostendat, fidem de Christi divinitate

constantem et generalem ante illius Synodi celebrationem in Ecclesia fuisse, quoniam ea res ibi habita fuit velut veritas ab omni antiquitate cognita et explorata, et contraria sententia veluti blasphemia reiecta sit. Animadvertendum est etiam, a Concilio carmen illud Arii nequissimum, quod *Thalia* dicebatur, condemnatum fuisse, id quod exemplum affert iudicii de nefario scripto ab Ecclesia eo etiam tempore pronunciati.

Triennio post Constantinus deceptus fraudibus Ariani cuiusdam presbyteri, quem ei Constantia soror commendaverat, Arium ab exilio revocavit, qui subdolam fidei professionem, et magno artificio digestam ei obtulit. Reversus est igitur Arius Alexandriam, sed Athanasius, qui Alexandro successerat, eum in communionem non recepit. Adfuit deinde anno 335 Concilio Tyri habito, in quo professionem fidei fallacia plenam obtulit, eaque ibi probata est. Immo Episcopi ad Ecclesiam Alexandrinam pro Ario scripserunt. Alexandriam reversus, novarum turbarum occasio fuit, praesertim quod populus ab Athanasio in fide confirmatus noluerit eum recipere. Constantinopolim vocatus, decipiendi arte, qua plurimum valebat, Constantini gratiam ita sibi comparavit, ut eum catholicum esse existimaverit, et Alexandro Episcopo Constantinopolitano imperavit, ut illum in Ecclesiam acciperet. Id autem cum Alexander singulari animi fortitudine recusasset, Constantinus indignatus declaravit se prorsus velle, in Ecclesiae communione Arium postridie recipi. Atque hanc contumeliam catholici pati coacti essent, nisi sceleris sui poenam Deo Arius dedisset. Eo enim ipso die, dum inter suos cum plausu ad Ecclesiam deduceretur, disrupto ventre, viscera effudit, et miserrime mortuus est.

Neque vero Arii mors pacem Ecclesiae attulit, cum eiusdem sectatorum opera, haeresis, et dissidium ob eam excitatum diu perduraverit. Si huius loci institutum esset omnia singillatim persequi, quae haeresis istius historiam respiciunt, longa vehementer evaderet narratio; multa vero, quae ad hanc causam pertinent, tradentur a nobis, cum de Concilii Nicaeni generalis primi celebratione, de Concilio Sardicensi generali, de Liberio Pontifice, de Ariminensi Synodo agemus. Plurima vero Baronius, Pagius, Natalis Alexander, Prudentius Maranus in egregio opere suo *Divinitas D. N. I. C. manifesta in scripturis et traditione,* Petavius, aliique doctissimi viri tradidere, atque in Conciliorum collectionibus ea prostant, quae pertinent ad Synodos in ea causa habitas, sive ab iis, qui errores contra catholicam de Verbi divinitate doctrinam propugnarunt, sive a catholicis, qui haereticorum conatus refellendos, et veram Ecclesiae doctrinam defendendam curarunt.

Non omittenda tamen hic est illarum sectarum mentio, quae inter Arianos ortae sunt. Hoc enim ostendit communem hominum ab Ecclesia dissidentium morem, ut, certa auctoritate derelicta, quam sequantur, inter se scindantur atque ita debilitentur, ac penitus deinde eorum placita asseclaeque deficiant. Itaque tres praecipue illae sectae possunt commemorari.

Scilicet, primo numerandi sunt Anomoei, hac ratione appellati, quod Filium Patri ἀνόμοιον, hoc est dissimilem esse contenderent. Ii autem Arii ipsam blasphemiam propugnabant, et Filium nulla re Patri similem, non modo non aequalem dicebant. Huius sectae antesignanus Aëtius fuit, quem Eunomius, Euzoius Antiochenus, aliique sequuti sunt. Altera secta est eorum, qui Semiariani sunt appellati. Ii, etsi Filium Patri consubstantialem esse negarent, eum tamen ὁμοιούσιον Patri, hoc est, per omnia similem, etiam substantia affirmabant. Praecipue vero celebres in ea secta fuerunt Basilius

Ancyranus Episcopus, Georgius Laodicenus, Eusthatius Sebastenus. Tertiam denique sectam efformarunt ii, qui neque consubstantialem, neque substantia similem Patri Filium esse contenderunt, sed dumtaxat Patri similem Filium esse asserebant. Ea vero secta Acacianorum est appellata, quod eiusdem auctor fuisset Acacius Caesareae in Palaestina Episcopus. Homines huic sectae addicti verbo quidem, sed non re ab Anomaeis dissidebant, et Constantii Imperatoris praesertim metu abstinuerunt aliquando ab affirmanda diserte Filii a Patre dissimilitudine, a quo errore illum alienum esse sciebant. Rerum autem adiunctis immutatis, Acaciani ostenderunt, se eadem mente et impietate esse, qua erant Anomoei. Cum enim viderent, nihil iis timendum esse, qui Filium Patri dissimilem esse praedicarent, id summa audacia et impietate passim iactare coeperunt. Praetereo denique, quae contra Athanasium Alexandrinum Episcopum Arianae perfidiae sectatores moliti sunt. Cum enim intelligerent, sanctissimum huc doctissimumque virum catholicae fidei de Verbi divinitate acerrimum assertorem esse, nihil omiserunt, quo insidiis, calumniis, fraudibus illum opprimerent. Sed ille perpetuo invicta constantia restitit, et nulla umquam eorum vaferrima fraude deceptus est.

CAPUT XLII.

DE CONCILIO GENERALI NICAENO I.

Impium ac nefarium bellum catholicae fidei Arius eiusque sectatores indixerant, qui, prout exposuimus, gravissimis sparsis erroribus, illud praecipue scelestum perditumque consilium iniverant, catholicam de Verbi divinitate doctrinam funditus evertendi, cum Verbum, seu Dei Filium, non eiusdem esse cum Patre substantiae contenderent, sed creatum ex nihilo, cum antea non esset, mutabilem natura, et Patre dignitate minorem esse blasphemarent. Meletius praeterea Lycopolitanus Episcopus Ecclesiae Alexandrinae patriarchica privilegia ac iura perfregerat. Is, ut legitur in 2 Athanasii apologia, a S. Petro Alexandrino Episcopo synodaliter fuerat damnatus tum propter alia crimina, tum quod, Diocletiano in Christianos saeviente, in idololatriam lapsus esset; atque ea de causa gravissimum schisma in Alexandrino patriarchatu conflaverat. Neque tantum ab ea, quam exhibere debebat Alexandrino Episcopo, obedientia defecerat, sed etiam, ut Theodoretus habet lib. 1 c. 4, «contra Primatem Alexandrinum tyrannidem exercuerat;» Gelasius Cyzicenus ait: «contra praerogativas Sedis Alexandrinae se gesserat;» *ambitione* scilicet, inquit, Athanasius, *ut rebus praeesset*. Thebaidis, ac vicinas Aegypto provincias, atque omne illud ius patriarchicum ita invaserat, ut novum se illic patriarcham ostenderet. Ad comparandum denique impiis conatibus suis praesidium, coniurationem cum Arianis antea inimicis iniverat. Veteri etiam de die Paschatis celebrandi controversia Ecclesia perturbabatur, propter quam sub Victore I Romano Pontifice Asiae Minoris Episcopi magno animorum motu dimicaverunt, cum luna 14 mensis Nisan contra Ecclesiae Romanae ab Apostolis acceptam traditionem festum illud celebrandum esse contenderent.

Cum hisce malis Ecclesia graviter agitaretur, cumque satis perspicue appareret, quantopere necesse esset iis malis totius Ecclesiae auctoritate occurrere, Concilium primum generale Nicaeae habendum decretum est Silvestri I Romani Pontificis auctoritate, cuius summae in Ecclesiam

potestatis erat, Concilia generalia indicere. Constantinus de illo Nicaeae celebrando omnem operam impendit, et tam bene tum est de Ecclesia meritus, ut scriptores Historiae Ecclesiasticae illorum temporum affirmaverint, Concilium illud a Constantino fuisse congregatum. Scilicet Episcopos undique per litteras honoris plenas ad Concilium invitandos curavit; Nicaeam Bithyniae Urbem rei tantae gerendae commodissimam concessit; Episcopis, qui ad Synodum convenerant, annonam copiosam quotidie praeberi iussit; ipse denique Concilio adesse voluit, non modo ut praesentia sua sacer ille conventus illustraretur, verum ut etiam, se praesente, omnia rite atque ordine fierent. Haec ideo commemoranda duximus, ut appareat, ex eo, quod veteres ii scriptores a Constantino convocatum Concilium asserant, non sequi, revera eius auctoritate, non autem Rom. Pontificis Silvestri, convocatam Synodum fuisse.

Plura possent afferri ad ostendendum, ex hac loquendi ratione non demonstrari, Concilium Imperatoris auctoritate, non autem Romani Pontificis indictum esse. Ut exempli loco ponam aliqua, Synodi Sardicensis patres in epistola synodica asseruerunt, Synodum a religiosissimis principibus Constante et Constantio convocatum esse: Athanasius autem de ea Synodo in epist. ad solitarios ait, « scripsisse Iulium Romanum Pontificem oportere fieri Synodum. » In VIII Synodo oecumenica vicarii Sedium orientalium asseruerunt, Imperatorem Basilium, veteres Imperatores imitatum, universalem illam Synodum fecisse. At nihil tam est exploratum, quam Hadrianum II illam Synodum indixisse, cuius ad Imperatorem ipsum Basilium epistola act. 1 lecta est, in qua, praeter cetera, quae id ostendunt, aperte Pontifex pronuntiat: «Volumus ergo, per vestram pietatis industriam Constantinopoli numerosum celebrari Concilium.» Legati tandem R. Pontificis, qui illi Concilio praefuerunt, haec verba fecerunt: «Piissimus, Christianissimus Imperator, praedecessorum suorum sequutus exempla, transmisit legatos suos, nobilissimos viros, Romam, ut Synodum postularent. « Licet igitur veteres illi scriptores asserant, a Constantino Nicaenum primum Concilium convocatum esse; certum tamen habendum est, Imperatoris quidem fuisse praeclara in tam gravi negotio erga Ecclesiam merita, non eius tamen revera auctoritate, sed Silvestri Romani Pontificis iussu Concilium esse convocatum.

Habita est Synodus anno 325, et ad illam 318 Episcopi convenerunt, quorum plerique in Diocletianea persequutione omne cruciatuum genus pro Christiana Religione passi erant. Una cum Episcopis vero innumeri diaconi ac presbyteri Nicaeam venerunt, ac licet suffragium in Concilio non tulerint, quod eorum ordinis hoc proprium non esset; Episcopis tamen opera, consilio doctrinaque in controversiis pertractandis praesto fuerunt. In antiqua collectione Conciliorum Cresconii Africani Episcopi memoriae proditum est, durasse Concilium «a die XIII Kal. Iulii usque ad diem oct. Kalendas Septembris.»

Praefuit Concilio Silvester, non ipse quidem per se, cum senectutis causa ab itinere tam longo suscipiendo prohibitus sit, sed per legatos suos; iique fuere Hosius Cordubensis Episcopus, Vitus et Vincentius Romanae Ecclesiae presbyteri. Gelasius Cyzicenus ita habet l. 2 historiae Concilii Nicaeni c. 5, ubi ex 3 Eusebii lib. de vita Constantini cap. 7 haec se accepisse ait: «Ipse etiam Hosius ex Hispaniis, nominis et famae celebritate insignis, qui Silvestri Episcopi maximae Romae locum obtinebat, una cum Romanis presbyteris Vitone et Vincentio cum aliis multis in consessu illo adfuit.» Non leguntur quidem nunc in memorato Eusebii loco verba, quae di-

serte dicant, Hosium Silvestri locum obtinuisse: sed animadvertit eruditissimus Franciscus Antonius Zaccaria in Antifebronio parte 2 lib. 4 cap. 2, in eo Eusebii testimonio aliquid nunc desiderari. Alia vero non desunt monumenta, quae id aperte de Hosii legatione significant. Id apertis verbis continetur in vetusta Canonum collectione, Carolo Magno ab Hadriano I oblata an. 784; id Photius cod. 88 confessus est. Quod si omnia, quae Silvester scripsit aut gessit, nunc exstarent, id fortasse ipso etiam Pontificis testimonio confirmaretur.

Facile est autem Launoium confutare, qui in epistola ad Raymundum Formentinum contendit, Vitum ac Vincentium adfuisse tantum, at non praefuisse Concilio; Hosium autem praefuisse quidem generali illi totius Ecclesiae conventui, nominis tamen sui celebritate, atque ob sua in fidei catholicae defensionem merita, non vero Romani Pontificis loco atque auctoritate. Launoii mentem Febronius sequutus est. Facile est, inquam, ista refellere. Nam, ut de Vito primum ac Vincentio dicamus, idem est Concilio adesse Romani Pontificis nomine, eiusque vices gerere, ac conventui ipse praeesse. Qui enim Romani Pontificis praesentiam supplet, is illius munera implere intelligitur, cuius est toti Ecclesiae cum potestate praeesse. Praeclare id ostendit S. Leo in epistolae ad Synodum Chalcedonensem loco, quo Launoius abutitur. «Amplectendum ait Pontifex Clementissimi Principis plenum religione consilium, quo sanctam fraternitatem vestram, ad destruendas insidias diaboli, et ad reformandam Ecclesiasticam pacem voluit convenire, beatissimi Apostoli iure atque honore servato, adeo ut nos quoque suis ad hoc litteris invitaret, ut venerabili Synodo nostram praesentiam praeberemus; quod quidem nec necessitas temporis, nec ulla consuetudo poterat permittere: tamen in his fratribus Paschasino et Lucentio Episcopis, Bonifacio et Basilio presbyteris, qui ab Apostolica Sede directi sunt, me Synodo vestra fraternitas existimet praesidere.» Idem igitur est Romani Pontificis nomine Concilio adesse, ac propter eius summam in Ecclesiam potestatem Synodo praeesse. Neque id minus luculenter S. Leo tradit in epistola ad Marcianum Imperatorem. «Fratrem, inquit, et coëpiscopum meum Paschasinum de ea provincia, quae videretur esse securior, evocatum, qui vicem praesentiae meae possit implere, direxi; Bonifacio fratre nostro et compresbytero sociato, et his, quos antea miseramus, adiunctis, consortem illis fratrem quoque meum Iulianum addentes Episcopum . . . Quia vero quidam de fratribus contra turbines falsitatis non valuere catholicam tenere constantiam, praedictum fratrem et coëpiscopum meum vice mea Synodo convenit praesidere.» Quod si post tam perspicua adducta testimonia idem est Romani Pontificis vices supplere in Concilio, eiusque loco adesse, ac Synodo ipsi ob Romani Pontificis potestatem praeesse; apparet, Vitum et Vincentium non adfuisse tantum Synodo Nicaenae, sed etiam praefuisse, cum in ea Silvestri locum dignitatemque retulerint.

Quonam vero probabili argumento potest persuaderi, Hosium Cordubensem Episcopum Synodi generali Nicaenae primae non R. Pontificis auctoritate, sed ob nominis sui celebritatem, ac ob praeclara in fidei defensionem merita praefuisse? Erat Hosius non amplissimae alicuius sedis, sed Cordubensis Ecclesiae Episcopus: Hispalensis Episcopi provincialibus iuribus subiiciebatur. Eritne vero credibile, eum, nisi amplissimam omnium Romani Pontificis potestatem retulisset, eiusque locum supplesset, in Oriente, ante legatos Sedis Apostolicae, ante Alexandrinum et Antiochenum patriarcham, ante totius Africanae Ecclesiae Primatem, extra provinciam suam, in Con-

cilio generali, negotium publicum totius Ecclesiae gerentem, praeesse potuisse? Quid est vero, quod in Concilio Illiberitano, in satis parva Episcoporum frequentia habito, secundo tantum loco Hosius sederit, in Arelatensi autem inter primarios Episcopos, Cordubensis Episcopus non recenseatur?

Quid vero dicemus de Episcopis, qui Hosio infensi esse debebant, propterea quod catholicam fidem acriter defendisset, atque arianam haeresim impugnasset? Est enim prorsus manifestum, eos pati non voluisse, Hosium Synodo universae praeesse, nisi exploratum habuissent, non suo, sed Romani Pontificis nomine Concilio universo praesidere debere. Theognis Nicaenae Civitatis, in qua Synodus habebatur, Episcopus, Eusebius Nicomediensis, aliique plures, ambitiosi vehementer, Arianique erant. Quis est, qui sibi persuadeat, eos non fuisse intercessuros, Episcopo Cordubensi praesidentiam suscipiente, nisi intellexissent, eius auctoritatem a Sede Apostolica ob legationis munus collatum esse profectam? Quantopere id inverisimile sit, apparet inter cetera ex Concilii sexti generalis historia. In eo enim Metropolitae Antistites, qui Episcopo Constantinopolitano subiiciebantur, Fortunio Carthaginiensium Episcopo Africae totius Primati restiterunt, qui locum iis superiorem in Synodo obtinere volebat. Quod si vero Ariani, qui, Constantio Imperante et eorum rebus studente, omnia conati sunt, ut Nicaeni Concilii decretorum vim extenuarent, numquam tamen eo argumento ad eiusdem Concilii auctoritatem infringendam usi sunt, quod scilicet, non servato Ecclesiae more, Cordubensis Episcopus universali Synodo praefuisset, id manifeste etiam ostendit, apud neminem tunc vocari in controversiam potuisse, Hosium idcirco praefuisse Synodo, quod Romani Pontificis, qui ius praesidendi habet, locum obtineret. Concluditur ergo, Hosium ob Sedis suae rationem adeo valere in Concilio non potuisse, ut Synodo praeesset.

Neque ob merita, quibus praestabat, dici iure potest, Hosium omnibus in Synodo esse praelatum; nam praeter illum aderant in Concilio eiusmodi viri, qui meritis Hosio non erant inferiores. Talis erat Paphnutius, qui Maximiani iussu acerbissimos cruciatus passus fuerat; talis Potamon gravissima tormenta pro religione perpessus; talis Paullus Neocaesareae Euphratesiae Episcopus, qui in Licinii vexatione insignis fortitudinis ac constantiae testimonia praebuerat. Eorum autem merita Rufinus l. 1 c. 4; Epiphanius haeresi 69; Theodoretus l. 1 c. 7 recensent. Aderant autem et Episcopi prophetiae ac miraculorum fama praestantes, quemadmodum ex Rufino ipso ac Theodoreto colligimus de Spiridione Trimythuntis in Cypro, de Iacobo Nisibis in Mesopotamia, de Nicolao Myrae in Lycia Episcopis. Aderat denique, ut ceteros praeteream, Eusebius Caesareensis gratia et auctoritate apud Constantinum valde potens, doctrina et eruditione illustris. Aderat Eustathius Antiochenus Episcopus, Alexander Alexandrinus Patriarcha. Hunc vero Theodoretus l. 2 c. 26 amplissimis verbis laudat; illius eloquentiam Sozomenus l. 2 c. 10 vehementer commendat. Non sola igitur Hosii propria merita causam afferre potuerunt, ut is prae ceteris Synodo praeesset, sed ei tantum hunc honoris gradum ex Romani Pontificis legatione obvenisse concedendum est.

Concilium generale Nicaenum Filium Dei consubstantialem Patri esse definivit, atque idcirco illud omne proscripsit, quod doctrinae Ecclesiae Catholicae de Verbi divinitate non esset consentaneum. Ad veterem illam de die paschatis celebrandi controversiam quod spectat, Nicaeni Patres iusserunt, festum illud Romanae Ecclesiae more peragendum esse, Dominico die, scilicet, qui lunam XIV

post vernum aequinoctium proxime sequitur: atque ita quod Victor I cum Asianis Episcopis agens saeculo II statuerat, Concilii etiam generalis decreto praedicatum est.

Gelasius quidem Cyzicenus Caesareae in Palaestina Episcopus *de actis Nicaenae primae Synodi* historiam scripsit. Sed illi historiae, quae tempore Basilisci, hoc est posteriori nimis aetate, scripta est, repugnat Eusebius lib. 2 de *Vita Constantini* c. 14, ubi ait: «Porro ea, quae commune placuerant, scriptis mandata (a patribus Nicaenis), et singulorum subscriptione roborata sunt.» Atqui communi consilio convenit tantum de symbolo, ac de canonibus et de Epistola Synodica. Praeter ea igitur tamquam ab eo Concilio gestum nihil litteris traditum est. Neque haec cum Athanasii testimonio pugnant libro de *Synodis*, quem Baronius ad annum 325 n. 61 auctorem esse putat, acta Nicaena revera conscripta fuisse. Diligens enim Athanasii loci latina versio habet: «Quod si ad hanc rem usus Synodi desideratur, supersunt patrum scripta; nam neque hac in parte negligentes fuere, qui Nicaenae convenerunt, sed ita accurate scripserunt:» ea, videlicet, quae communi suffragio decreta sunt, quae ad symbolum, ad Canones, ad Epistolam Synodicam referuntur. Exsistit autem ex alio Athanasii loco, revera haec acta conscripta non esse. Etenim in epistola de *decretis Nicaenae Synodi* ita loquitur Athanasius: «Quandoquidem tua dilectio ea nosse desiderat, quae in Synodo gesta sunt, minime cunctatus sum, sed statim tibi significavi, quaecumque ibi acta sunt.» Nam si acta de rebus in Synodo gestis collecta atque edita fuissent, Athanasius necesse non habuisset ea narrare; quae haec omnia diserte continerent, provocare potuisset. Apparet ergo, quae auctoritas insit actis Nicaenae Synodi a Gelasio Cyziceno editis.

Viginti tantum numero fuere canones, qui in Nicaeno Concilio conditi sunt, quique ad nostram aetatem pervenerunt. Ostendunt id innumeri antiqui codices: ostendunt veteres scriptores, qui de canonibus agentes a Synodo Nicaena editis nonnisi viginti illos fuisse narrarunt. Theodoretus l. 1 c. 8 plures, quam viginti, Nicaenos canones non numerat, totidemque repertos esse ait in Alexandrinae, Antiochenae et Constantinopolitanae Ecclesiae tabulariis, cum magna diligentia ab Africanis Episcopis conquisiti saeculo Ecclesiae 5 fuere. Neque his opponitur Rufinus cum l. 1 c. 5 viginti duos recenset. Duo enim ex illis a Rufino in duas secti partes, ut passim eruditi viri notarunt, cum quatuor effecissent, 22 numerare potuit. Haec abunde refellunt P. Chrysostomum a S. Iosepho, qui in sua dissertatione de *Canonum Nicaenorum numero,* praeter hos 20, quos commemoravimus, alios plures canones a Synodo Nicaena editos esse contendit, qui appellationes ad Romanum Pontificem, bigamos, litteras formatas, sacrificia pomeridiana prohibenda, aliaque ad disciplinam Ecclesiasticorum pertinentia respicerent. Ex his etiam apparet, quam graviter deceptus sit Franciscus Turianus, qui ex antiquo quodam arabico exemplari 80 canones edidit, quos a Patribus Nicaenis profectos esse affirmavit. Abrahamus Echellensis Maronita etiam 84 Canones Nicaenos prodidit cum pluribus aliis, ut ipse putavit, eiusdem Synodi statutis, et Pater Chrysostomus a S. Iosepho Turiani sententiam regere conatus est. At canones ii omnes, qui Melchitis, Iacobitis, Nestorianis, Cophtis, Abyssinis, Armenis, Graecis ac Maronitis tamquam legitimi Nicaeni canones visi sunt, supposititii debent iudicari, propterea quod nonnulla habent, quae non modo cum omni antiquitate, verum etiam cum ipso Nicaeno Concilio pugnant. Ut ostendatur autem, eos canones, etiamsi antiquos, Concilio Chalcedonensi vetustiores non esse, satis erit

considerare, Patriarchae nomen saepenumero in iis legi, quod tamen ea primum aetate usurpari coeptum fuisse exploratum est.

Atque hic non erit inopportunum, nonnulla recensere de canone 6 Nicaeno. Canon ille habet: « Antiqua consuetudo servetur per Aegyptum, Lybiam et Pentapolim ita, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia et Urbis Romae Episcopi parilis mos est. » Nota est Rufini Aquileiensis huius canonis interpretatio, qui lib. de *haeresibus* c. 6 ita canonem hunc reddidit: « Ut apud Alexandrinum et in Urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut ille Aegyptum, vel hic Suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat. » Nota deinde, quae excitata est in hoc Nicaeni Concilii canone explicando apud eruditos controversia. Ad rem ipsam quod pertinet, nihil dicam de Eusebianis deque eorum Philippopolitano conventiculo, in quo existimatum est, hoc canone everti Romanae Cathedrae principatum ac totius Ecclesiae monarchiam, et induci regimen aristocraticum inter tres Patriarchas eadem potestate praeditos divisum. Nihil de ratione, qua Photius gravissimum hunc errorem munire conatus est, ut dissidii, quo Ecclesiam lacerravit, impium consilium defenderet. Est enim luculentissimum, Romani Pontificis Primatus in universam Ecclesiam iura hoc canone violata non esse, ac etiam post Synodum Nicaenam habitam communem Ecclesiae Catholicae sententiam fuisse, Romanum Pontificem in Patriarchas ipsos iurisdictionis principatum obtinere. Testis in Ephesina Synodo actione 4 Iuvenalis Episcopus Hierosolymitanus affirmans: « Mos est ex Apostolorum ordine atque traditione, ut Sedes Antiochena apud Romanam dirigatur et iudicetur. » Testis Synodus Chalcedonensis, quae in relatione ad Leonem Papam « Romano Episcopo, inquit, vineae custodia commissa est... Apostolicum radium usque ad Constantinopolitanorum Ecclesiam consuete gubernando spargentes saepius extenditis. » His adiungi potest Felix III, qui Synodali Epistola ad Bithyniae et Constantinopolis Presbyteros et Archimandritas ait: « Trecenti decem et octo Sancti Patres apud Nicaeam congregati considerationem rerum omnium atque auctoritatem Romanae Ecclesiae detulerunt. » Gelasius denique et Bonifacius I hoc ipsum luculenter ostendunt. Ille enim in epistola 8 ad Anastasium Augustum Nicaenos canones indicans asserit: « Apostolicae Sedis auctoritas, quod cunctis Sedibus Christianis et Ecclesiae praelata sit universae, et canonum serie paternorum, et multiplici traditione firmatur. » Alter vero in epistola 41 ad Thessaliae Episcopos « Nicaena Synodus, ait, supra Romanam Ecclesiam nihil ausa est constituere, quod omnia huic noverat Domini sermone concessa. »

Explicandum est potius, quaenam sit illius canonis sententia. Considerānda vero ea sunt, quae de Meletiano Schismate commemoravimus, Meletium scilicet Lycopolitanum Episcopum Alexandriae Ecclesiae iura patriarchica usurpasse. Graves de eius audacia atque arroganti agendi ratione Alexander Alexandrinus Episcopus querelas ad Synodum attulit. Itaque canon ille n. 6 conditus est, quo, licet iura praesertim ordinationum propria Patriarcharum contra Meletianam audaciam defenderentur; affirmari tamen potest, Patres Nicaenos, occasione desumpta ex usurpata per Meletium in patriarchatu Alexandrino ordinationum auctoritate, generatim prospexisse omni iuri patriarchico, ac statuisse, ne ulla Patriarcharum vel maiorum sedium iura quidquam detrimenti caperent. Nam patres ordinationis vocem praecise non adhibuerunt in canone, et Antiochenae ac ceterorum principalium sedium Episcoporum propria iura ac privilegia sarta tecta esse voluerunt, quorum tamen potestati

subiecta loca nihil cum Meletiano Schismate commune habuerunt: quare canonis huius sententia est, Episcopum Alexandrinum potestatem habere debere in provincias iuri suo patriarchico subiectas, Aegyptum, Lybiam atque Pentapolim, quemadmodum Romani Pontificis iuri patriarchico omnes Occidentis provinciae subiiciuntur. Neque alia certe, quam haec, esse potest probabilis Rufini sententia loco superius citato, qui paraphrasim potius, quam versionem canonis Nicaeni continet, ut Valesius notat in *observationibus ad novam Historiae Socratis et Sozomeni versionem c. 1 de canone 6 Nicaeno.* Itaque, qui eam explicationem accipiendam arbitretur, neque potius cum Leone Allatio lib. 1 de *consensione Orientalis et Occidentalis Ecclesiae* c. 12 n. 4 rogare, «Quid hic Urbicaria et Suburbicaria somniamus, de quibus ne vestigium quidem in verbis Concilii?» is, inquam, affirmare deberet, Rufinum per Suburbicarias totius Occidentis Ecclesias patriarchico iure sub Urbis Episcopi potestate constitutas intellexisse. Neque hic opponi potest, Suburbicarias provincias aut regiones secundum communem de iis loquendi rationem acceptas tam late patere non posse. Etenim «quam multa sunt (ait Iacobus Sirmondus dissertatione 2 de Suburbicariis) eiusmodi vocabula, quae pro rei adiunctae modo significationem variant? Iidemne sunt fines ac termini Orientis, cum Comitem Orientis audivimus, et cum Praefectum Praetorio Orientis? Eademne Asiae, cum Proconsul Asiae nominatur, et cum Vicarius Dioecesis Asianae? Eademne Italiae, quae a Vicario Italiae regitur, et quae a Praefecto Praetorii Italiae administratur? Quod iis ergo aliisque sexcentis usus tulit, cur in Suburbicariis, quae dicuntur, idem non faciat, ut quemadmodum Suburbicariae regiones tua quidem sententia (Salmasii videlicet, quem refellit) eae dictae sunt, quae Praefecto Urbis; ut ego interpretor, quae Vicario parebant; ita Suburbicariae Ecclesiae rite nominentur omnes, quae in Urbis Episcopi sint dioecesi ac potestate?» Legendus praeter scriptores, quos iam citavimus, Emmanuel Schelestratius in *antiquitate Ecclesiae monumentis demonstrata tom. 2 dissertatione 6.*

CAPUT XLIII.

DE SYNODO SARDICENSI GENERALI.

Synodus Sardicensis anno 347 habita est. Eam Iulius I Romanus Pontifex habendam decrevit, cum videret, Eusebianorum audaciam coerceri non posse, atque a Constante et Constantio Imperatoribus obtinuit, ut illa in Urbe Sardica Daciae Mediterraneae Metropoli celebraretur. Iulius ipse per se Synodo non praefuit. Etenim «honestam et necessariam dedit absentiae excusationem» ut habet I Synodalis epistola: loco suo tamen praeesse Synodo voluit Hosium Cordubensem Episcopum, Archidamum et Philozenum Romanae Ecclesiae presbyteros, ac Leonem eiusdem Ecclesiae Diaconum. Ea, quae superius attulimus, cum de R. Pontificis legatis egimus, qui Synodo Nicaenae praefuerunt, ostendunt, eos etiam, qui Iulii loco Concilio Sardicensi interfuerunt, revera Synodo praefuisse. Habemus vero ex tertia synodali epistola, ex singulorum pene canonum contextu, atque ex Episcoporum Synodi subscriptione, perspicua, Hosii praesertim, huic Synodo praesidentiae argumenta. Ut vero cetera praeteream, Synodi Chalcedonensis relatio ad Marcianum Augustum habet: «Illis, qui apud Sardicam contra

reliquias Arii convenerunt, Hosius ad proferendam sententiam praefuit.»

Fuisse oecumenicam Synodum Sardaciensem, in controversiam vocari non potest. Nam cum certum sit, ex universo orbe Episcopos ad illam habendam fuisse invitatos, et revera convenisse; cumque ii una cum Romani Pontificis legatis decreta ediderint, Ecclesiae Concilium generale constituerunt. Neque Episcopi Arianis rebus studentes, qui, Sardica relicta, Philippopolim fugerunt, de huius Concilii auctoritate detrahere potuerunt. Quare a veteribus scriptoribus Magnum Concilium Sardicense appellatum est, et Synodus ex toto orbe collecta.

Concilii huius decreta recepta sunt non solum ab Occidentalibus, sed ab Orientalibus etiam labente saeculo 4, quo Nicaenae Synodi decretis allegata fuere. Utar autem verbis Petri ac Hieronymi Ballerinii de *antiquis collectionibus et collectoribus canonum ad Gratianum usque parte prima* c. 7 n. 6, ut ostendam, quare inter Oecumenica Concilia proprio suo nomine Sardicense Concilium appellatum non sit. Scilicet aiunt: «Quod si posteriori aetate apud ipsos Romanos inter quatuor Concilia oecumenica relatum non fuit, id eam ob causam evenit, sive quia in Nicaeno Concilio Sardicense eidem adnexum complectebantur, sive potius quia recensentes, quae tamquam Evangelia suscipienda erant, ea sola Concilia memoranda putarunt, quae, ut sartam tectam custodirent catholicam fidem, peculiarem aliquam haeresim condemnarunt. Ita laudata quidem est Nicaena Synodus, quae Arii; Constantinopolitana, quae Macedonii; Ephesina, quae Nestorii; et Chalcedonensis, quae Eutychis errores proscripsit. Sardicensis autem Synodus, cum in Arii reliquias sese exserens nullam distinctam haeresim protriverit, veluti Nicaenae appendix habita distincte recensenda non fuit, ut ne tamen idcirco inter oecumenica Concilia habita non fuisse credatur.

Quod spectat ad numerum Episcoporum, qui ad Sardicense Concilium convenerunt, gravissimis argumentis adductis eruditi viri ostendunt, eos fuisse, ex Eusebianis orientalibus n. 76, ex catholicis vero n. 97. Id autem maxime consonat Athanasii testimonio in historia Arianorum. «Conveniunt, inquit, cum ex Oriente, tum ex Occidente in Sardica Urbe Episcopi, plus minus centum septuaginta.»

Ad canones quod pertinet Concilio Sardicensi editos, ii numero vel 20 vel 21 fuere. Inter istos autem celeberrimi sunt illi in quibus de *appellationibus* agitur, a quolibet Episcoporum iudicio, ad Romanum Pontificem deferendis. His canonibus originem assignarunt iuris, quo Romanus Pontifex potitur appellationum a quocumque Episcoporum iudicio accipiendarum, Petrus de Marca de *concordia Sacerdotii et Imperii l. 7*, Quesnellus dissertatione 5 in *opera S. Leonis*, Dupinus de *antiqua Ecclesiae disciplina dissertatione 2*, ac Febronius. Eos autem doctissime confutarunt Natalis Alexander dissert. 28 in Hist. Ecclesiasticam saeculi 4; doctissimi Ballerinii t. 2 *operum S. Leonis, observationum c. 6 et 7 in primam partem dissertationis 5 Quesnelli*, Franciscus Antonius Zaccaria in *Antifebronio l. 3 part. 2 c. 3*. Facile est autem ostendere, hanc potestatem appellationum recipiendarum, non ex ullo canonum decreto, sed ex ipsa primatus institutione, RR. Pontificum propriam esse. Nam cum Romani Pontifices primatum divinitus institutum honoris et potestatis in Universam Ecclesiam habeant, inde natura sua, eorum ius manat, ut omnes in iudiciis Ecclesiasticis appellationes ex Universa Ecclesia recipiant. Summa enim haec in Ecclesiam potestas, divinitus accepta facit, ut iure potiantur appellationum in Ecclesiae causis, atque ut omnium, qui ab inferiorum iudi-

cum sententiis provocant, appellationes recipere, ad Romanum Pontificem pertineat, qui iudicum omnium Ecclesiasticorum summus superior est.

Ad demonstrandum iuris huius novitatem per Sardicensis Synodi decreta inductam esse, Febronius putat argumentum depromi posse ex his canonis tertii verbis: « Si aliquis Episcoporum iudicatus fuerit in aliqua causa, et putat se bonam causam habere, ut iterum Concilium renovaretur, *si vobis placet, S. Petri Apostoli memoriam honoremus,* ut scribatur ab his, qui causam examinarunt, Iulio Romano Episcopo, et si iudicaverit renovandum esse iudicium, renovetur, et det iudices. Si autem probaverit talem causam esse, ut non refricentur ea, quae acta sunt, quae decreverit, confirmata erunt. Si hoc omnibus placet? Synodus respondit: placet. In hunc enim locum ita Febronius disputat cap. 5 § 5 n. 1: « Primum (id est novum quid, et ante insuetum) hic introduci, satis apparet ex verbis Hosii proponentis: *Si vestrae,* inquit, *dilectioni videtur, Petri memoriam honoremus:* nimirum dum proponit, an non placeat patribus, in hoc B. Petri memoriam honorare, cupit hunc honorem Romano Pontifici deferri, non ius aliquod praeexsistens Romanae Sedi conservari. Addit: *si vestrae dilectioni videtur:* id est, si vobis propositio et consilium meum arrideat, Petri memoriam honoremus. Haec verba ad ipsum Petri primatum, aut ius aliquod ei per se cohaerens, referri non possunt, quippe quae a Synodi arbitrio minime dependebant; proindeque necessario ad separatum aliquod privilegium spectant, quod Patres Successori Petri ex causa mox recensenda (videlicet ad coercendam haereticorum audaciam, et ne eorum artibus ac dolo iudicia ecclesiastica paterent) adiicere meditabantur. »

Verum haec, quae Febronius disputat, ut novum appellationum recipiendarum ius R. Pontifici per canones Sardicenses tributum esse demonstret, nulla ratione, quod is contendit, efficiunt. Immo vero tota haec Febronii argumentatio ex verbis deprompta *si vobis placet, S. Petri memoriam honoremus,* ut apposite inquit eruditissimus Zaccaria loco superius citato, falso laborat supposito, cum in canone illo 3 de mera novi iudicii petitione agatur, sine appellatione ad Romanum Pontificem; non autem de appellatione proprie dicta, quae neque expresse nominatur in eo canone, et in quo iudices ad Romanum Pontificem, non autem eum, qui condemnatus fuerit, scribere debere decernitur.

Praeterea certum est, hoc tantum canone 3 adhibitam fuisse a Patribus formulam *S. Petri Apostoli memoriam honoremus.* Ubi enim non intercedit expresse ad Romanam Sedem appellatio, novum, quod petebatur iudicium, ex finitimis Episcopis dari solebat, ut ex canone XIV Antiocheno, aliisque testimoniis liquet. Neque in hoc Apostolica auctoritas necessaria erat. Cum igitur Sardicenses Patres, non ex iure quod cogeret, sed ex observantia in Sedem Apostolicam, hanc methodum servari praeceperint, ut hac ratione eiusdem Sedis auctoritatem et honorem promoverent, cui Eusebiani detrahere conati fuerant, ea formula usi videntur. In hoc autem Pontificis Primatus ratio habita fuit. Neque enim hunc honorem Romanae Sedi iidem Patres detulerunt, quasi putarent nullum ipsi ius in appellationibus competere, quod sequentibus canonibus satis declararunt, sed quia, eo quoque casu, quo iudices ex finitimis provinciis darentur, potius ab ea Sede dandos crederent, quae ratione primatus in omnes Ecclesiae provincias iurisdictionem habebat, quam a Metropolitano Episcopo, qui per se in provinciae finitimae Episcopos nihil iuris habebat.

Ceterum hac formula abstinuerunt in canonibus sequentibus, cum

de appellatione proprie dicta ad Summum Pontificem sermo fuit, quia hic non de honore tantum agebatur, sed ius proprium Sedis Apostolicae propugnaverunt. Verba autem laudati canonis *si vobis placet*, non trepidantium et dubitantium sunt, sed communis fuit formula, ut liquet ex aliis eiusdem Concilii canonibus, qui cum certas ac iustissimas leges fixerint, nullam trepidationem ac formidinem recipiebant. Haec, quae observationum c. 6 in memoratam Quesnelli dissertationem fratres Ballerinii notarunt, luculenter etiam ostendunt, quam inepte fecerit Febronius, cum ex verbis in canone 3 adhibitis argumentum desumi posse arbitratus est ad evincendum, per canones Sardicenses novum Romano Pontifici ius tributum esse appellationum recipiendarum.

Canones Sardicenses, in quibus vere proprieque de appellatione agitur ad Romanum Pontificem deferenda, sunt 4 et 7 in collectione latina, seu 4 et 5 in graeca. Quare Zosimus Romanus Pontifex in *commonitorio,* quod legatis ad Africanos in Apiarii causa an. 418 dedit, cum appellationem proprie dictam a Sardicensi Concilio confirmatam probare voluit, non tertium huius Synodi canonem, sed septimum, vel quintum inseruit.

Quartus autem ille Canon ita habet: «Gaudentius Episcopus dixit: Addendum, si placet, huic sententiae, quam plenam sanctitate protulisti, ut cum aliquis Episcopus depositus fuerit, eorum Episcoporum iudicio, qui in vicinis locis commorantur, et proclamaverit agendum sibi negotium in Urbe Roma, alter Episcopus in eius cathedra post appellationem eius, qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in iudicio Episcopi Romani determinata.» Hoc canone, ut apparet, decretum est, neminem posse in Episcopi locum subrogari, qui, cum ab Episcopis provinciae suae condemnatus esset, ac deinde vidisset, depositionem ab Episcopis finitimis, quos Romanus Pontifex iudices dedisset, fuisse confirmatam, ad Romanum ipsum Pontificem provocasset, et postulasset negotium suum Sedis Apostolicae iudicio definiri. Atque haec quidem statuta sunt de appellationibus, quae post primi ac secundi iudicii sententiam ad Romanum Pontificem fierent.

Ea vero, quae canone 7 vel 5 fuere decreta, appellationes respiciunt, quae fiunt ad Romanum Pontificem post primum dumtaxat Episcoporum iudicium. «Hosius Episcopus dixit: Placet autem, ut si Episcopi regionis ipsius, et de gradu suo eum deiecerint, si appellaverit, qui deiectus est, et confugerit ad Episcopum Romanae Ecclesiae, et voluerit se audiri; si iustum putaverit, ut renovetur iudicium, vel disceptationis examen, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima et propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia perquirant, et iuxta veritatis fidem definiant. Quod si is, qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua moverit Episcopum Romanum, ut de latere suo mittat Presbyterum; erit in potestate Episcopi, quid velit, et quid aestimet. Et si decreverit mittendos esse, qui praesentes cum Episcopis iudicent, habentes eius auctoritatem, a quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si vero crediderit, Episcopos sufficere, ut negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio suo iudicaverit.» Legenti autem canonem hunc, continuo occurrit nihil aliud in eo contineri, neque alia de re Patres Sardicenses in illo condendo egisse, nisi de modo quodam designando in appellationibus, post primum iudicium recipiendis, ita tamen, ut rem omnem in Romani Pontificis arbitrio reliquerint.

Nihil igitur in alterutro canone est, quod iuris novitatem vel leviter ostendat, cum in 4 non tribuatur appellationum interponendarum aut accipiendarum facultas, sed certa

praesumatur; in 7 vero, et aperte tradatur Pontificis Romani potestatis proprium esse, ac ius nativum, appellationes accipere, et de ratione tantum designanda sermo sit, quae in iisdem accipiendis opportuna quidem Patribus videbatur, sed a Romani Pontificis beneplacito pendere deberet. Quare Febronius ceterique, qui canonibus Sardicensibus novum hoc ius Romani Pontificis tributum esse contenderunt, ipsa horum canonum expositione, erroris ac falsitatis apertissime revincuntur. Ostendi autem illud etiam posset, Romanos Pontifices temporibus Concilio Sardicensi antiquioribus, atque a prima Ecclesiae aetate, iure primatus sui proprio usos esse, recipiendarum appellationum, vel de Synodorum sententiis in urbe iudicandi.

Eadem vero horum canonum expositio facit, ut manifeste etiam illud pateat, quantopere a veritate abhorreat de Marca, Febronius, ceterique, cum arbitrantur, his canonibus agi tantum de Romani Pontificis potestate decernendi recognitionem iudicii, non de iure Pontificis Maximi proprio, cognoscendi per se de quibuslibet ecclesiasticis iudiciis, in quibus ad eum fuerit appellatum. De Marca quidem lib. 7 de *concordia Sacerdotii et imperii c. 3* ait, memoratis canonibus statutum esse tantum, ut Romanus Pontifex decernere possit causae retractationem. Nam Synodum statuere contendit, si Episcopus damnatus Romanum Pontificem appellaverit, in potestate eius esse debere, appellationem reiicere, eoque facto, Episcoporum provinciae sententiam confirmari, vel eam accipere; id autem si contigerit, Romanum Pontificem iudicium integrum Episcopis provinciae finitimae remittere debere, ut ii causae cognitionem suscipiant, praesente Pontificis legato, quando is legatum mittendum esse censuerit. Huic similem Quesnelli sententiam Ballerinii confutarunt, in superius citata ad eius 5 dissertationem observatione.

Febronius vero c. 5 §. 5 ait, his canonibus «non concedi similiter provocationem ad Romanum Pontificem, nec potestatem ei fieri, definitive iudicandi de causa Episcopi in provincia damnati, sed tantum quandam decernendae revisionis auctoritatem ipsi tribui . . . adeo autem verum est, Summum Pontificem non habuisse, nec per canones Sardicenses obtinuisse ius causae Romae definiendae, ut ad summum illi concedatur facultas mittendi legatum ad secundum iudicium in provincia agendum . . . huic revisorio iudicio eosdem Episcopos provinciae, qui primitus iudicaverunt, iterum intervenire observavit Hincmarus.»

Quaecumque vero ii disputent, ipsa canonum expositio facit, ut intelligatur, quantopere ii decipiantur. Etenim certum primo loco est, can. 7 vel 5 sermonem non esse, nisi de Episcopis finitimae provinciae, qui iudicium exercuerint, cum primum Episcopus, de cuius causa agitur, condemnatus fuerit. Canone 4 res tota est de Episcopis finitimae provinciae, deque sententia in eorum iudicio contra Episcopum aliquem lata. Canon denique 3 habet, Romanum Pontificem iudices dare debere, id quod de Episcopis, qui in iudicio primitus habito sententiam tulerunt, intelligi non potest, atque a Synodi instituto alienum est, cum Patres Sardicenses sibi proposuerint, iudicibus innovatis, cuique iniuriae prospicere, quam Episcopus depositus in primo iudicio passus esset. Haec vero per se ostendunt, falsum esse, novi iudicii participes per canones Sardicenses eos Episcopos esse debuisse, qui primitus iudicassent.

Praeterea, neque minus cum Sardicensis Concilii canonibus pugnat, iisdem canonibus Romano Pontifici non tribui, nisi potestatem decernendi novum in provincia iudicium. Nam canone 3 in quo vere proprieque de appellatione non agitur, certe statuitur, novos iudices a Romano Pontifice ad secundum iudicium instituen-

dum dandos videri, si, consideratis adiunctis, rem iterum iudicandam esse arbitratus fuerit: verum eodem canone decretum est, si ex accurata rei consideratione censuerit, iudicium innovandum non esse, *quae decreverit confirmata erunt,* ita, ut Synodi provincialis sententia, Apostolicae Sedis auctoritate tenere ac valere debeat; scilicet, ea ratione, qua Leo Magnus deinde ad Episcopos provinciae Viennensis scripsit, epistola 10 tom. 1 eiusdem operum, curantibus Balleriniis, editorum: «Nobiscum itaque vestra fraternitas recognoscat, Apostolicam Sedem, pro sui reverentia, a vestrae etiam provinciae sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam, et per diversarum, quemadmodum vetus consuetudo poscebat, appellationem causarum, aut retractata, aut confirmata fuisse iudicia.»

Nihil autem esse potest luculentius, quam ex canonis 7 aut 5 expositione, atque ex canonis 4 Sardicensis verbis, in quorum utroque vere de appellatione sermo est, apparere, falsum esse, illud Concilium denegasse Romani Pontificis ius, per se Romae de causis iudicandi, in quibus ad eum appellatio interposita fuerit, et tantummodo decrevisse, ei potestatem esse impetrandi, ut novum in provincia iudicium instituatur. Ut enim apposite notarunt Ballerinii loco superius citato, canone illo 5 vel 7 dumtaxat diversus modus designatur appellationum recipiendarum a Pontificis beneplacito dependens, atque ille canon, dum profitetur, delegatos apostolicos, si a Pontifice mittantur, *habere auctoritatem eius, a quo destinati sunt,* ius utique in iis causis Pontifici competens satis declarat. Canonis 4 vero institutum diserte est de Episcopo, qui secundo etiam finitimae provinciae iudicio depositus *proclamaverit, agendum sibi negotium in Urbe Roma.* Decernitur vero, ut nullus in eius cathedra subrogetur Episcopus, *nisi causa fuerit in iudicio Romani Episcopi determinata.* Nisi vero horum verborum sententia sit, Patres Sardicenses asseruisse, Romano Pontifici ius esse per se ipsum in Urbe Roma iudicandi de causis, in quibus ad eum provocatum fuerit, non intelligo, quandonam perspicua, et ad veram scriptorum mentem explicandam aptissima, adhibita verba, scriptorum eorundem sententiam significare certo possint.

CAPUT XLIV.

DE LIBERII ROMANI PONTIFICIS EXILIO, ET AD URBEM REDITU.

In opere pluries a nobis memorato *sur la déclaration de l'assemblée du clergé de France en 1682* Cardinalis Luzernius part. 3 c. 6 de Liberio Romano Pontifice loquens affirmat, omnium communem esse sententiam, Pontificem illum gravem errorem commisisse formulae subscriptione, quam ei Ariani proposuerint, et controversiam nunc esse tantum quamnam formulam ille subscripserit, se tamen contendere, eum haeresis reum fuisse, etiamsi concedatur primam sirmiensem formulam ab eo subscriptam esse. Haec satis sunt, ut appareat, instituti nostri rationem postulare, ut quaeramus, num, quae scriptor ille affirmavit, vera sint. Apparebit autem, ut arbitror, eum, ceterosque omnes deceptos esse, qui affirmaverunt, certam esse et communem de Liberii errore sententiam, et praeterea constabit, falsum esse, haeresi Arianae illum quomodocumque adhaesisse.

Post Iulium Pontificem demortuum die 22 Maii anno 352 creatus est Romanus Pontifex Liberius, isque obiit anno 366 die 23 aut 24 Septembris: quamobrem Ecclesiam guberna-

vit annos 14 et menses paullo plus quatuor. Plures a Liberio scriptae sunt epistolae, quae a Petro Coustantio pariter referuntur inter Romanorum Pontificum epistolas. Illorum temporum Historiam Ecclesiasticam consideranti statim occurrit, quam difficile esse debuerit, iis annis, quibus Liberius Pontifex fuit, Pontificium munus recte integreque gerere. Arianorum turbae graviter Ecclesiam afficiebant; Athanasius Alexandrinus Episcopus persequutionem ab iis iniquissimam patiebatur; atque ea prorsus de causa, quod ille in fide catholica contra Arianos errores propugnanda, summa constantia laboraret, et eo res adductae erant, ut catholicae causae defensio cum Athanasii defensione coniuncta iudicaretur. Constantius interea Imperator Constantini filius, vehementer Arianis erat addictus, et catholicos insectabatur. Intelligens Liberius, quae muneris sui partes essent, et Pontificis Maximi dignitatem omnino requirere, ut, cuiusvis periculi metu posthabito, religionis causam propugnare debeat, eosque tueri, qui pro fide catholica, haereticorum fraudibus et nequitia vexantur, defensionem Fidei Catholicae contra Arianos constantissime gessit, et nihil omnino omisit, quod ad Athanasium protegendum iuvandumque conferre posse arbitratus est. Athanasius, Constantii metu et iniquis Arianorum artibus, in Concilio Arelatensi anno 354 fuerat damnatus, consentiente ipso Vincentio Capuano Episcopo Liberii Legato. Facile est intelligere, quam graviter hoc Liberius tulerit, et quantopere doluerit hanc Episcoporum, et maxime legati sui in eo negotio imbecillitatem. Impetravit igitur a Constantio, ut novum Concilium Mediolani haberetur. Verum in eo quoque Concilio ita res pertractatae sunt, ut omnia vi acta viderentur, et Arelatensis Concilii decreta contra Athanasium confirmarentur. Tunc Liberius litteras scripsit, iisque Concilii acta improbavit, eorumque Episcoporum animi fortitudinem commendavit, qui, potius quam sententiam in Athanasium dicerent, cuicumque rerum discrimini se obiicere voluerant.

Hanc fortissimo viro, et Romano Pontifice dignam agendi rationem, Constantii eiusque aulicorum indignationem comparare Liberio debuisse manifestum est. Vocavit igitur Liberium Constantius Mediolanum anno 355, eumque Athanasium damnare, et communionem cum Arianis habere iussit. Utrumque negavit Liberius, et ostendit, se ea constantia praeditum esse, qua pro Ecclesiae defensione posset ipsius Imperatoris iussa contemnere, et poenas gravissimas absque ulla animi perturbatione tollerare. Itaque Berrhoeam in Thracia relegatus, exilii poenam usque ad ineuntem annum 358 perferre coactus est, quo tandem aliquando Constantius Romam veniens, nobilium urbis matronarum et populi Romani precibus exorari se passus est, et Liberii Romam reditum iis obsecrantibus concessit.

Vetus de Liberii Pontificis lapsu querela ex hoc eius in urbem reditu occasionem nacta est: perinde quasi Liberius, iniquis conditionibus obsequutus, a Constantio copiam adeptus sit ad urbem redeundi. Protestantes, et praecipue Blondellus *de Primatu Papae*, ac Basnagius de *eversa Ecclesiae unitate, visibilitate et auctoritate*, Ianseniani, Potterius in opere *l'ésprit de l'Eglise* etc. tom. 1 c. 10 aliique Apostolicae Sedis inimici, ut de Romano Pontifice et de Ecclesia catholica detrahant, Liberii ad Urbem reditum eius imbecillitati acceptum referri oportere contendunt, qua exilii aerumnis diutius ferendis impar, ea gesserit, in quibus recusandis animi sui fortitudinem antea ostenderat, ac secundae ex iis fidei formulis subscripserit, quae Sirmii conditae sunt, et haeresim Arianam manifeste luculenterque tradebat. Ut suas de Romano Pontifice opiniones defende-

rent Bossuetius, aliique, in eiusmodi de Liberii lapsu sententiam descenderunt, ut eo facto excludatur Romanorum Pontificum infallibilitas, inter quos, prout diximus, Cardinalis Luzernius in memorato opere anno 1821 Parisiis edito *sur la declaration de l'assemblée du Clergé de France en 1682* part. 3 c. 6 contendit fuse demonstrare, revera in haeresim illum Pontificem incidisse.

Alia vero sententia placuit hominibus, qui benignius de Liberio loquuntur, etiamsi illum non omni prorsus culpa absolvant, iique Liberium non ob haeresim Arianam probatam reprehendunt, a qua perpetuo vehementer illum abhorruisse fatentur, sed tantummodo ob Athanasii damnationem, ob initam cum Eusebianis communionem, ob primae Sirmiensis formulae subscriptionem, in qua nihil erat dogmati contrarium de Verbi Divini doctrina, sed omittebatur tamen vox homousion, quam veluti catholicae sententiae tesseram contra Arianos adhibere catholici debebant. Hanc sententiam defenderunt Petrus Coustantius monachus congregationis S. Mauri in notis ad opera Hilarii Pictaviensis, Alexius Symmachus Mazochius in notis ad calendarium Neapolitanum, P. Hieronymus de Prato in Sulpicii Severi editione t. 2 p. 214, et P. Hermannus Scolliner ord. S. Benedicti de non commentitio, eoque genuino, sed excusato lapsu Liberii.

At inventi sunt etiam, qui Liberium non a gravi tantum illo lapsu, sed etiam ab omni prorsus crimine purgaverint, ac demonstrandum susceperint, nihil eorum a Liberio fuisse commissum, quorum causa iamdiu accusatur. Canonicus Suesionensis Corgneus Parisiis anno 1726 dissertationem edidit, cui titulus est: *Dissertation critique, et historique sur le Pape Libére, dans la quelle on fait voir, qu'il n'est jamais tombé,* in qua dissertatione cuiuscumque criminis Liberio adscripti exclusionem affert. Corgneum vero imitatus est Cardinalis Orsius in Hist. Eccl. t. 6 l. 14 n. 72; Petrus Ballerinus de vi et ratione primatus Romanorum Pontificum c. 15 §. 8; P. Ioannes Stiltingius in actis Sanctorum Bollandianis t. 6 mensis Septembris, ad diem eius mensis 23; et denique Franciscus Antonius Zaccaria in diss. de commentitio Liberii lapsu.

Neque his quidem gravia argumenta defuerunt, quare hanc Liberii defendendi rationem ineundam putaverint, cum veteres scriptores ita de Liberii ad Urbem reditu loquuti sint, ut eius lapsum ignorasse videantur. Nam Sulpicius Severus Historiae sacrae l. 2 cap. 49 «Liberius quoque, inquit, urbis Romae, et Hilarius Pictavorum Episcopus dantur exilio . . . Sed Liberius paullo post urbi redditur ob seditiones romanas.» Socrates vero Hist. Eccl. lib. 2 c. 37 «Ceterum, inquit, Liberius haud multo post ab exilio revocatus sedem suam recepit, cum populus Romanus, seditione facta, Felicem expulisset, et Imperator, licet invitus, assensum illi praebuisset.» Theodoretus autem Hist. Eccl. lib. 2 c. 17 cum retulisset, quantopere Matronae Romanae pro Liberio revocando apud Constantium laboraverint, earum precibus, non autem culpae alicui a Liberio ad libertatem recuperandam commissae, eiusdem reditum adscribit, atque ea commemorat, ut populo Romano persuasum fuisse ostendat, Liberium ipsum nihil peccasse. «Flexus igitur, inquit, Imperator, egregium illum, omnique laude dignissimum (Liberium) ab exilio redire iussit, ambos vero (eum scilicet, et Felicem) in commune Ecclesiam administrare. Haec imperatoris epistola cum in circo recitata esset, populus exclamavit, aequam esse Imperatoris sententiam. Spectatores enim divisos esse in factiones duas ex coloribus suis cognominatas. Alterum igitur Episcopum huic factioni, alterum illi praeesse oportere. Hac ratione cum Imperatoris epistolam explosissent, omnes una voce

clamaverunt: Unus Deus, Unus Christus, Unus Episcopus . . . post has christianissimae plebis acclamationes, pietate ac iustitia plenas, reversus est admirandus ille Liberius.» Haec vero, quae Theodoretus memoriae prodidit de Liberii ad Urbem reditu, Cassiodorus lib. 5 historiae tripartitae c. 18 retulit. Iam vero manifestum est, horum hominum testimonium, grave argumentum afferre potuisse, ut ea, qua indicavimus, ratione Liberium memorati scriptores defenderint.

Nam extra omnem veri similitudinem positum esse iure videtur, si iis vetustissimis, et historiae saeculi quarti peritissimis scriptoribus constitisset, Liberium, ob assensum aliqua in re Constantio exhibitum, ab exilio revocatum esse, de eius reditu ita illos loqui voluisse, ut nihil illum de veteri sua constantia remisisse censeatur. Atqui si summus ille Pontifex urbi redditus ab Imperatore est ob seditiones Romanas, si Imperator, licet invitus, redeundi facultatem Liberio concessit, si denique, quemadmodum Theodoretus et Cassiodorus faciunt, Liberius non modo ad exilium proficiscens, verum etiam ab exilio revertens amplissimis nominibus, et Catholicae Fidei adsertore tantummodo dignis appellatur, hoc idem est ac memoriae prodere, eum nulla in re peccasse, cum exilii poena liberatus est. Sequitur igitur, eos scriptores, quos commemoravimus, quique ita de Liberio loquuti sunt, prout in adductis superius testimoniis vidimus, existimasse, Pontificem Maximum, servata sua animi fortitudine, fuisse Romanis restitutum.

Hoc argumentum, quod ex Sulpicii Severi, Socratis, Theodoreti, Cassiodori testimonio desumitur ad Liberium defendendum, gravius evadit, si historia illorum temporum consideretur, quae Liberii eiusdem reditum consequuta sunt. Doctissimus Stiltingius ad memoratam diem 23 Septembris §. 9 n. 163 « Quod ad propositum nostrum spectat, inquit, illud est, potuisse eodem modo (quo Hosii lapsum) Arianos, Liberii auctoritatem obiicere, si ipsis consenserat, aut Semiarianos, si horum placitis assensum praebuerat. At numquam id fecisse leguntur Ariani, numquam Semiariani . . . Non attingit lapsum Liberii, sive illum asserendo, sive solum ut obiectum memorando, sive sequutam post lapsum emendationem referendo, ullus patrum Graecorum, aut Latinorum, qui tanto numero fuerunt post Liberium saeculo quarto, quinto et sequentibus. Tacent de illo omnes historici alicuius nominis, qui eodem et proxime sequentibus saeculis floruerunt, immo Graeci etiam posteriores, ut omnia videantur a medii aevi Latinis hausta, ex monumentis supposititiis, Arianorumque et Luciferianorum calumniis.»

Profecto si Liberius Athanasium damnavit, si communionem cum Arianis inivit, sique formulae cuiquam ab iis propositae subscripsit, haec deinde omnia revocasse censendus esset, atque, sive apud veterem aliquem scriptorem, saltem ex iis, qui res Arianas fuse pertractant, sive in aliqua Liberii epistola sincera, vel ecclesiastico aliquo ad fidem faciendam idoneo monumento, contineri deberet eius retractationis ac resipiscientiae significatio. Atqui nemo veterum id memoriae tradidit, nullusque afferri potest commentarius, aut epistola, in qua, Liberium retractasse quae gesserat, exponatur.

Quae egit vero Liberius cum Concilium Ariminense habitum est, et illius Concilii Patres fidei confessionem ab Arianis allatam admiserunt, haec, quae ad illum defendendum adducuntur, luculenter confirmant. S. Damasus Liberii successor de eo Concilio in epist. apud Theodoretum l. 2 c. 22 ait: « Neque enim praeiudicium aliquod nasci potuit ex numero eorum, qui apud Ariminum convenerunt, cum constet, neque Romanum Episcopum, cuius ante omnes

fuit expetenda sententia, neque Vincentium (Capuanum), qui tot annos sacerdotium illibate servavit, neque alios huiusmodi statutis consensum aliquem commodasse.»

Constat autem ex his, Liberium rebus in eo Concilio gestis assensum minime praebuisse; certum est vero, eundem Pontificem iis Episcopis, qui in Ariminensi Concilio lapsi erant, errati veniam ea conditione dandam iudicasse, si, damnata Ariminensi formula, Nicaenam fidei professionem edidissent, et omnem cum Arianis communionem reliquissent. Socrates l. 4 c. 12 refert Liberii epistolam ad Orientales, in qua plura sunt, quae id ostendunt, quod indicavimus: satis erit haec illius epistolae verba afferre: «Etenim omnes propemodum illi, qui tunc apud Ariminum collecti, partim illecebris, partim dolo decepti fuerant, nunc ad sanam mentem reversi, formulam fidei ab Ariminensi Concilio editam anathemate damnarunt, et catholicae atque Apostolicae Fidei, olim apud Nicaeam promulgatae, subscripserunt; et nobiscum inita communione, adversus Arii doctrinam, eiusque discipulos, graviori indignatione commoventur.» Si verb Liberius lapsus fuisset, et culpam suam deinde non damnasset, incredibile esset, ita cum Ariminensibus eum agere potuisse, qui eodem modo, vel levius etiam fortasse, quam ipse, peccassent.

Neque vero ratio afferri posset explicandi, quomodo contingere potuerit, ut Clerus et Populus Romanus tam insignia erga Liberium redeuntem amoris argumenta praebuerint, quanta eidem exhibita fuisse a veteribus memoriae proditum est, si ille ad reditum in patriam impetrandum, Athanasium damnasset, et fidem Nicaenam prodidisset, saltem subscripta formula, in qua vox homousion praetermitteretur. Nam Clerus et Populus Romanus Nicaenae fidei, et Athanasii eius adsertoris, erat studiosissimus, ab Arianis autem prorsus abhorrebat.

Docet Sozomenus Hist. Eccl. l. 4 c. 15 causam, quare tantopere Liberio Romani studuerint. «Liberium, inquit, utpote virum undequaque egregium, et qui pro religione Imperatori fortiter restitisset, Populus Romanus impense diligebat.» Theodoretus lib. 2 Hist. Eccl. c. 27 ostendit, Romanorum erga Arianos odium fuisse causam, quare Romani ipsi a Felice abhorrerent, qui Liberio in exilium pulso ab Arianis fuerat suffectus. «Qui, inquit, formulam fidei a Nicaenis PP. expositam, integram quidem atque inviolatam servabat. Cum iis tamen, qui eam labefactabant, libere communicabat, atque ob hanc causam nemo ex civibus Romanis in Ecclesiam ingressus est, dum ille intus esset.»

Haec vero cum ita sint, non apparet, quae probabilis afferri ratio possit laetitiae illius singularis, qua Liberius exceptus a Romanis est, si ille lapsus revera esset. Nam omnis Romanorum in eundem amor exstingui prorsus debuisset, si id contigisset, atque eandem Romani de Liberio opinionem concipere debuissent, quam iamdiu de Felice conceperant. Atqui incredibilem erga Liberium amorem etiam tunc Romani ostenderunt, et veteris cum Felice inimicitiae luculentissima argumenta dederunt, quem bis Roma eiecerunt, quemque omnem spem de dignitate, ad quam obrepserat, recuperanda abiicere coegerunt. Ratio igitur, qua Liberius ab exilio revertens, a Romanis exceptus est, afferre argumentum grave potest, eum ad reditum in patriam impetrandum, Imperatori nulla in re assensum praebuisse, idque Romanis exploratum esse debuisse. Ex his, quae recensuimus, atque ex pluribus aliis, quae brevitatis gratia omittimus, facile est intelligere, graves certe rationes non defuisse iis auctoribus, quos commemoravimus, ut Liberii quemcumque lapsum denegarent.

Neque vero, quod Hilarius Pictaviensis num. 11 libri contra Con-

stantium affirmaverit, « se nescire utrum maiore impietate Imperator Liberium relegaverit, quam remiserit; » inde ostenditur, Hilarium iudicasse, Pontificem redeundi copiam impetrasse postquam iniquis Constantii conditionibus assensus esset. Responderi enim potest, prout eruditissimus Zaccaria facit in memorata dissertatione cap. 5 §. 1: « Namque potuit huiusmodi dubio, quod sane emphaticum est atque oratorium, esse locus, quin ad subscribendum haereticae formulae ipse Liberium cogeret. Quid enim? Nonne impietas, eaque summa fuit, in Liberium ante saevire, quam Romam remitteretur? Saeviit in eum Constantius. Nonne admodum impius dici debuit, qui Romam remiserit Liberium, sparso falso rumore ab Arianis de illius consensu in haeresim? » Sic eum remisit Constantius, ut ex Sozomeno et Nicephoro discimus. Sed quod gravissimum est, ea lege Liberio reditum concedere voluisse Constantium scimus, ut ipse cum Felice in commune Ecclesiam administraret. Infandum sane scelus, *quod Sedes Petri dehonestaretur,* ut loquitur Sozomenus lib. 4 c. 15 a Nicephoro ferme exscriptus, *a duobus praesulibus gubernata, quod discordiae signum, et ab Ecclesiasticis legibus alienum est.*

Affert praeterea doctissimus ille scriptor cap. 6 §. 3 et seqq. summam responsionum, quae adducuntur, ut Liberii defensioni minime officiant loca illa desumpta ex chronicò, et ex libro de scriptoribus ecclesiasticis D. Hieronymi: in eo enim refertur, « Liberium taedio victum exilii, subscribentem in haereticam pravitatem, Romam quasi victorem intrasse. » In isto autem: « Fortunatianum Afrum, Aquileiensem Episcopum, in hoc haberi detestabilem, quod Liberium Romanae urbis Episcopum, pro fide ad exilium pergentem, primum sollicitarit, ac fregerit, et ad subscriptionem haereseos compulerit. »

Ut autem brevi ea responsionum capita significem, dicam 1° loctionem ipsam duorum testimonium ostendere, pugnantia inter se ibi referri; 2° chronicum Hieronymi multis locis fuisse corruptum; 3° gravem suspicandi rationem, falsarii manu inductum esse in chronicum locum illum, qui est de Liberii lapsu. Quod spectat vero ad testimonium depromptum ex libro *de scriptoribus Ecclesiasticis,* illud quoque manifestae falsitatis arguitur, cum certissimis monumentis constet, Fortunatianum Liberio ad exilium proficiscenti incitamentum nullum praebere potuisse, ut haeresi adhaereret, a qua ipse abhorrebat.

Denique adiungi possent exempla, quae scriptor superius memoratus affert, ut ostendat, nihil vetare « in re historica a Doctore Maximo reverenter recedere, atque eum falsis rumoribus deceptum dicere, » praesertim cum utrumque opus, chronicon scilicet, et lib. de scriptoribus Ecclesiasticis, in Oriente Hieronymus scripserit, ubi ex Sozomeni testimonio accepimus, Arianos falsos rumores de Pontificis errore sparsisse.

CAPUT XLV.

DE LIBERII ROMANI PONTIFICIS CONSTANTIA IN CATHOLICA FIDE.

Est nunc ostendendum, Liberium Pontificem in Fide Catholica perpetuo constantem fuisse. Itaque omnino verum haberi debet, quidquid tandem contigerit, cum Liberio facultas concessa est ad urbem redeundi, eum in Arianam haeresim numquam lapsum esse. Etiamsi concedi vellet, Liberium Athanasium damnasse, nullum inde argumentum desumi pos-

set, ad demonstrandum, eum in Arianam haeresim incidisse. Nam Ariani incredibili quidem ardebant in Athanasium odio, atque ea omnino de causa, quod ille contra sectae suae errores, fidem catholicam summa constantia atque animi fortitudine defenderet. At gravissimas simul in eum calumnias sparserunt, quibus, dissimulata huius odii vera causa, Athanasium accusarunt et damnarunt, perinde ac ob fidei causam eum non odissent. Huic damnationi assentiri, iniustitia quidem erat manifesta, sed non erat crimen eiusmodi, ut qui illius reus evasisset, idcirco haereticus continuo posset existimari.

Neque, etiam si concederetur Liberium cum Eusebianis communionem inivisse, ex eo capite argumentum desumi posset, ad evincendum, eum in haeresim Arianam incidisse. Ad id enim ostendendum necesse esset efficere, eum Arianam doctrinam aliqua in re suscepisse, et Fidem Catholicam aliqua ratione violasse. Ex inita autem eiusmodi communione non exsisteret, eum Arianos errores suscepisse, aut a fide catholica aliqua in re defecisse. Nam sequeretur tantummodo ex hac cum Eusebianis communione, Liberium communicasse cum hominibus, partim catholicis, partim haereticis quidem, sed quorum errores minime erant manifesti. Ostendit enim doctissimus Maranus cap. 32 l. 4 *Divinitas D. N. I. C. etc.* Orientalium, sive Semiarianorum duplex fuisse genus: et eorum alios, licet vocem homousion reiicerent, rectam tamen et catholicam de Verbo sententiam habuisse; alios autem etsi vocem, et catholicam illius vocis significationem repudiarent, per ea tamen tempora, catholicos se esse, callide simulasse.

Neque Liberium in haeresim Arianam lapsum esse demonstrari posset, etiamsi alicui Sirmiensi formulae eum subscripsisse concederetur. Nam licet id vellemus de Liberio concedere, eum alicui formulae subscripsisse ex iis tribus, quae Sirmii compositae sunt, et quarum altera anno 351 contra Photinum edita est, altera anno 357 in lucem prodiit, tertia demum anno 359, excludi semper tertia, ac secunda formula deberet, quarum neutram a Liberio subscriptam esse perspicua argumenta docent. Valesius in adnotationibus ad Sozomenum Hist. Eccl. l. 4 c. 15 tertiae formulae Liberium subscripsisse affirmavit; et Pagius ad annum 357 n. 12 et 13 hanc ipsam sententiam amplectitur. Ut vero ostendatur, quam perspicue constet, huic formulae certe Liberium non subscripsisse, referendum primo loco est, quod ipse Valesius habet in adnotationibus ad Sozomenum l. 2 Hist. Eccl. c. 30. « Tertia celebrata est (Synodus Sirmiensis) Eusebio et Hypatio consulibus, anno Christi 359, in qua conscripta est fides illa, quam Marcus Arethusius dictavit. » Cui Petavius consonat in animadversionibus ad haeres. 73 Epiphanii, Semiarianorum. « Anno demum 359 tertia illa Sirmiensis formula a Marco Arethusio, consentientibus Semiarianis, edita est.»

Iam vero formula, cui subscripsisset Liberius, si id concedendum est, ea est, de qua in fragmento 6, quod Hilario tribuitur, ita scribitur: « Perfidiam autem apud Sirmium descriptam, quam dicit Liberius catholicam, a Demophilo sibi expositam, hi sunt qui conscripserunt, Narcisus, Theodorus, Basilius, Eudoxius, Demophilus, Cecropius, Silvanus, Ursacius, Valens, Evagrius, Hyrenius, Exuperius, Terentianus, Bassus, Gaudentius, Macedonius, Marthus, Acticus, Iulius, Surinus, Simplicius, et Iunior . . . omnes haeretici. » Habemus ex his, quomodo facili negotio colligamus, Liberium tertiae Sirmiensi formulae non subscripsisse.

Nam illam formulam, ab uno Marco Arethusio compositam veteres memoriae prodiderunt, illa vero de qua fragmento Hilario tributo sermo est,

quamque subscripsisse dicitur Liberius, a pluribus Episcopis conscripta fertur. Praeterca hanc ipsam tertiam Sirmiensem formulam an. 359 in lucem prodiisse superius notavimus: Liberius autem, qui, si alicui Sirmiensi formulae subscripsit, id fecit antequam ad urbem rediret, non potuit certe formulae subscribere anno 359 primum editae, cum anno saltem 358 Romam redierit. Reliquum est igitur, ut extra controversiam esse debeat, eum, si cui formulae subscripsit, tertiae prorsus non subscripsisse, cui ceteroquin, etiamsi subscripsisset, «nequaquam haeresi adstipulatus esset, ut verbis utar Baronii ad annum 357 n. 53, cum in illa praedicaretur Filii Dei una cum Patre omnimoda, et in omnibus perfecta similitudo.»

Neque minus perspicue ostendi potest, Liberium, si cui formulae Sirmiensi subscripsit, secundae non subscripsisse, quae tam apertam Arianae haeresis professionem continebat, ut nulla ratione aut arte ab haeresis crimine purgari possit. Conati quidem sunt Ariani in vulgus per calumniam spargere, Liberium ad eorum partes tandem aliquando transiisse. «Cum Eudoxius, ait Sozomenus l. 4 c. 15, et qui cum illo opinioni Aëtii favebant, Antiochiae Hosii (post lapsum) epistolam accepissent, sparsis rumoribus divulgaverant, Liberium quoque Consubstantialis vocabulum condemnasse, et Filium Patri dissimilem confiteri.» At exploratum omnino est, haec falso ab iisdem fuisse divulgata, et numquam Liberium huic formulae subscripsisse, qua haeresis diserte continebatur.

Grave illud argumentum est, quo Stiltingius utitur ad hoc probandum loco citato §. 170, quodque ex Hilarii auctoritate desumitur, qui in libro de Synodis non modo saepe commemorat, Hosium secundam formulam Sirmiensem recepisse, nulla uspiam facta mentione de Liberio, verum etiam n. 87 luculenter ostendit, solum ex iis, qui Ariani non erant, fuisse Hosium, qui formulam istam receperat, sive consenserat, ut non solum vox ὁμοούσιος consubstantialis, sed etiam ὁμοιούσιος similis substantiae de Filio Dei omitteretur, quod primum in ea formula tentatum ab Arianis est. «Oro vos, inquit. Hilarius, ne quisquam alius ex his, praeter senem Hosium, et ipsum illum, nimium sui sepulcri amantem, reperiatur, qui tacendum existimaret de utroque.»

Est etiam rei demonstrandae grave argumentum, quod memorato in loco Stiltingius desumit ex Arianorum facto, qui solius Hosii auctoritatem catholicis obiiciebant, non Liberii Romani Pontificis, ut intelligitur ex S. Phaebadii contra Arianos opusculo, qui obiicientibus illis Hosii lapsum respondet: «Non potest eius auctoritate praescribi, quae aut nunc errat, aut semper erravit: nam si nonaginta fere annis male credidit, post nonaginta illum recte sentire non credam.»

Verum praeter haec, res ipsa per se ostendit, si formulae cuiquam Liberius subscripsit, eam secundam Sirmiensem formulam non fuisse. Profecto in superius adducto, quod Hilario tribuitur, fragmento formula, quam Liberius subscripsisse fertur, ab Orientalibus Episcopis, qui ad 22 recensentur, conscripta fuisse narratur. At formula, quae ab Orientalibus condita est, diversa certe fuit a secunda Sirmiensi formula, quae ab Occidentalibus, et latine exarata est, quemadmodum praeter Athanasium et Socratem, Hilarius testatur in lib. de Synodis, qui n. 11 eandem formulam exhibet. Recensentur praeterea, ut superius vidimus, inter formulae, quam Liberius subscripserit, auctores, Theodorus Heracleensis, Basilius Ancyranus, Silvanus Tarsensis. At horum hominum nomina indicant, formulam, quam Liberius subscripsisse dicitur, non fuisse Sirmiensem secundam. Nam Theodoretus Hist. Eccl. l. 2 c. 16 refert, Theo-

dorum iam ab anno 355 obiisse; quare cum secunda Sirmiensis formula anno 357 edita sit, non potest existimari, hanc formulam fuisse eam, cuius particeps Theodorus fuerit, qui tanto antequam ipsa ederetur, vita functus erat; Basilius vero et Silvanus, qui vel catholici, vel Semiariani tantum erant, non potuerunt in ea secunda formula exaranda operam suam conferre, cum ab Anomaeorum erroribus vehementer abhorrerent, qui in eadem formula luculenter traduntur.

His addendum est, secundam Sirmiensem formulam, quemadmodum ab exemplo constat per Hilarium allato, conscriptam fuisse ab Hosio et Potamio, consentientibus Valente, Ursacio et Germinio; in formula vero Liberio tributa, neque Hosii, neque Potamii mentionem fieri; et in monumentis, quibus Liberium Sirmiensem aliquam formulam recepisse traditur, Orientalium fidem, non autem Hosii, Potamii etc. eum recepisse narrari.

Restat prima Sirmiensis formula anno 351 edita, quam quidem si Liberius probavit, de haeresi accusari certe non potest. Ita enim illa erat conscripta, ut licet vocem homousion praetermitteret, nihil tamen continere videretur, quod catholicae Ecclesiae de Verbi divinitate dogmatibus repugnaret. Opportunissima sunt huic rei explicandae S. Athanasii verba lib. de Synodis n. 41. « Viros autem, qui alia quidem omnia Nicaeae scripta recipiunt, de solo autem Consubstantialis vocabulo ambigunt, non ut inimicos spectari par est. Neque enim velut Ariomanitas, aut patrum adversarios homines aggrediemur, sed disputamus veluti fratres cum fratribus, qui eadem, qua nos, sunt sententia, solo nomine in controversiam adducto. Cum enim confiteantur, ex substantia Patris, et non ex alia substantia esse Filium, nec creaturam, vel opificium illum esse, sed genuinam, naturalemque prolem, et ab aeterno, una cum Patre Verbum, et sapientiam exsistere, non longe absunt a recipienda Consubstantialis voce. Talis est Basilius Ancyrae, qui de fide scripsit. » Nemo profecto clariorem Athanasio vocis homousion propugnatorem desiderabit, ac nemo in controversiam adducet, haec verba ab homine esse profecta catholicae doctrinae de Verbi divinitate addictissimo. Atqui eius in allato testimonio perspicua sententia est, non continuo aetate sua veluti haereticos fuisse habitos, qui Consubstantialis vocem non reciperent, modo catholicam de Verbi divinitate doctrinam omnem profiterentur.

Praetermissio quidem vocis homousion toleranda non erat, quod vox a Nicaena Synodo, tamquam catholicae fidei propugnaculum decreta esset, omnemque Arianorum errorem funditus everteret, atque idcirco Ecclesiae Patres eorum factum improbarunt, qui vocem illam non adhibebant, quin tamen idcirco eorundem fidem veluti haereticam traducerent. Atque ea quidem agendi ratione usus est etiam Hilarius, qui in lib. de Synodis, quem vel desinente anno 358 vel ineunte anno 359 edidit, postquam vehementer laboravit, ut ostenderet vocem homousion admittendam esse, declarare tamen non omisit vocem alteram homousion omni suspicione carere posse. « Caret igitur, ait n. 76, fratres, similitudo naturae contumelia suspicione, nec potest videri Filius idcirco in proprietate paternae naturae non esse, quia similis est, cum similitudo nulla sit nisi ex aequalitate naturae. Aequalitas autem naturae non potest esse, nisi una sit, una vero non personae unitate, sed generis. Haec fides pia est, haec conscientia religiosa, hic salutaris sermo est, unam substantiam Patris et Filii idcirco non negare, quia similis est. Similem vero ob id praedicare, quia unum sunt. » Atque ad formulam ipsam Sirmiensem primam quod attinet, Hilarius in memorata

lib. de Synodis non modo eam retulit, sed explicandam etiam illam, et catholicam saltem verbo tenus demonstrandam suscepit, ac post illam ita explicatam haec n. 77 scripsit: « Reliquus mihi sermo ad sanctos viros Orientales Episcopos dirigendus est: ut quia iam de fide nostra nihil inter nos suspicionis relictum est, ea, quae adhuc in suspicionem ex verbis veniunt, purgentur, et dabunt veniam ex communis conscientiae fide secum liberius loquuturo. » Apparet igitur luculenter, Liberium, si primam Sirmiensem formulam subscripsisse censendus sit, eum ob ubsc riptionem suam, haeresis accusarisnon posse.

Neque intelligo quomodo Card. Luzernius, ut ceteros omnes praeteream, qui Liberium in haeresim lapsum revera esse contenderunt, propugnare potuerit, eundem Pontificem, etiamsi Sirmiensi primae tantum formulae subscripserit (nam alicui formulae subscripsisse extra controversiam esse arbitratur), vere haereticum evasisse. Ille quidem, ut ostendat, Liberium haeretico sensu eam formulam probasse, contendit argumento ad hoc demonstrandum, esse debere agendi rationem, qua in posterum illum usum esse exploratum habet. Atque adducit praesertim epistolam Liberio tributam in fragmento 6 Hilarii, quaeque incipit: *Pro Deifico timore:* « Ego Athanasium non defendo. Sed quia susceperat illum beatae memoriae Iulius Episcopus decessor meus; verebar, ne forte ab aliquo praevaricator iudicarer. At ubi cognovi, quando Deo placuit, iuste vos illum condemnasse, mox consensum meum accommodavi sententiis vestris ad haec, quae super nomine eius, id est de damnatione ipsius, per fratrem nostrum Fortunatianum dedi perferendas ad Imperatorem nostrum Constantium. Itaque, amoto Athanasio, super quo statuta omnium vestrum a me cum Sede Apostolica suscipienda sunt, dico, me cum omnibus vobis, et cum universis Episcopis Orientalibus, seu per universas provincias, pacem et unitatem habere. Nam, ut verius sciatis, me veram fidem per hanc epistolam perloqui, Dominus meus, et frater communis Demophilus, qui dignatus est pro sua benevolentia, fidem vestram et catholicam exponere, quae Sirmii ab universis fratribus et coepiscopis nostris tractata, exposita et suscepta est, hanc ego libenti animo suscepi in nullo contradicens. »

Post hanc epistolam, ceteras etiam tres, quae Liberio tribuuntur in fragmentis Hilarii, epistolas Cardinalis Luzernius appellat, quorum altera incipit *studens paci,* altera *quia scio vos,* postrema denique *non doceo, sed admoneo;* atque ex earundem etiam contextu patere arbitratur, argumentum desumi posse ad ostendendum, Liberium haeretico sensu primae Sirmiensi formulae subscripsisse. At quid ista valeant ad Liberium, haereticum factum esse demonstrandum, facile est intelligere, modo considerentur ea, quae de epistolis illis, praeter ceteros, citato commentario §. 3 fuse tradit Stiltingius, scilicet omnes veluti apocryphas esse repudiandas.

Sane, ut plura praeteream, quae ad quamlibet ex iis epistolam falsitatis evincendam adducuntur argumenta, illud exploratum habendum est, unum eundemque omnium illarum epistolarum auctorem fuisse, existimari debere; quare si unam tantum ex his confictam esse appareat, omnes apocryphas iudicandas esse. Atqui in epistolis *studens paci,* et *quia scio vos,* apertissimum invenitur falsitatis argumentum. In duabus enim illis epistolis traducitur Liberius, veluti narrans, se vel ab initio Pontificatus sui Athanasium damnasse. At hoc manifeste pugnat cum eiusdem pontificatus et cum universa Arianorum historia, in qua nihil disertius traditum est, quam Liberium, non modo in ipso Pontificatus sui initio, sed etiam diu-

turno post tempore, dimicasse pro Athanasio, et summam animi fortitudinem in eo defendendo ostendisse.

Id praeter cetera demonstrant praeclara Liberii cum Eusebio Constantii Eunucho certamina, qui anno 355 Romam ab Imperatore missus est, ut Pontificem ad Athanasium damnandum adduceret. S. Athanasius ipse in historia Arianorum ad monachos n. 35 refert, qua ratione Liberius Eunucho responderit: «Profectus Romam Spado, Athanasius ait, principio auctor erat Liberio, ut contra Athanasium subscriberet, cum Arianisque communicaret; illud, aiens, Imperator exoptat, hoc te facere iubet. Hinc ostensis muneribus hortabatur, manusque Liberii contrectans, aiebat: Imperatori obtempera, et haec accipe. Episcopus contra monebat, hisque verbis docebat hominem. Qui quaeso, adversum Athanasium id agatur? Nam, quem non una solum, sed altera Synodus ex toto orbe coacta, purum, innoxiumque iure declaravit, quem Romana Synodus cum pace dimisit, quo pacto damnare possumus? Quis nos probaturus est, si quem praesentem amanter excepimus, ad communionemque admisimus, absentem aversemur? Non ecclesiastici canonis illud est, nec talem umquam a patribus accepimus traditionem: quas videlicet traditiones ipsi a Beato et Magno Apostolo Petro accepere.»

Quod si de epistolis Liberio tributis ita iudicandum est, non est necesse argumentando efficere, quam difficile sit ex epistolis ipsis ostendere, qua agendi ratione post subscriptionem usus sit Liberius. Per se enim manifestum est, ex epistolis, contra quarum veritatem gravia adducuntur argumenta, Liberii agendi rationem erui certo non posse.

Quamquam, quid est in adducta superius epistola *Pro Deifico timore,* ex quo colligi possit, Pontificem haeretico sensu subscripsisse? Num, quod ibi Liberius tradatur, Athanasii damnationem probasse? At de hac ipsa Athanasii damnatione superius agentes, vidimus, ex eo iniustitiae, et imbecillitatis Liberium accusari posse, si revera illius damnationem ratam habuit, non autem de fide catholica violata hoc argumentum esse, cum Ariani calumnias plures ad Athanasium damnandum sparserint, quibus crimina contra eundem confingebantur, quae a fidei causa erant seiuncta. Num ad efficiendum, Liberium haeretico sensu subscripsisse, afferri placet, in memorata epistola haberi, Liberium cum Eusebianis communionem inivisse? Id vero quemadmodum iam indicavimus, huic rei demonstrandae argumentum non suppeditat, cum ex eo facto sequeretur tantum, Pontificem inivisse communionem cum hominibus partim catholicis, partim haereticis quidem, sed quorum errores tunc non erant manifesti. Quod denique spectat ad fidem Orientalium, quae in epistola illa a Liberio recepta dicitur, neque id probabit, eum haeretico sensu illam accepisse, cum de ea fidei expositione, superius ostenderimus, Hilarii, et Athanasii ipsius testimonio, etiamsi vocis Consubstantialis omissio facta fuisset, tamen modo catholica de Verbi divinitate universa doctrina reciperetur, non continuo veluti haereticos illos haberi debuisse, qui formulae subscripsissent, in qua vox illa fuisset praetermissa.

Ceterum ipsa Liberii agendi ratio, ut ex illorum temporum historicis monumentis doceri posset, Pontifici defendendo potius quam accusando inservire potest. Vidimus enim, tanta laetitia Liberium redeuntem, exceptum a Romano Populo, et Clero fuisse, quanta ille solum excipi poterat, de quo publica opinione constaret, eum Arianis erroribus assensum numquam esse. Vidimus nullam afferri posse, editam ab eo facti sui retractionem. Vidimus denique, summa constantia, et Pontifice digna, qui ab Arianismi fraudibus omnibus abhorreret, eum usum esse, cum Concilium Ariminense habitum est.

Itaque apparet, quam leve sit ad Liberium haeresis accusandum, ea ratione argumentari, quae superius relata est.

Praeter haec, ut Liberii in haeresim lapsum confirmet, memorati operis auctor, appellat Hilarii auctoritatem, atque ex anathematismis, qui illi in fragmentis tribuuntur, contra Liberium pronunciatis, patere etiam contendit, Pontificem haeresis accusari oportere. Nam in frag. 6 ita Hilarius loquutus fertur: «Anathema tibi a me dictum, Liberi, et sociis tuis;» et paullo post: «Iterum tibi anathema, et tertio, praevaricator Liberi:» frag. autem 8. «Praevaricatori anathema una cum Arianis a me dictum. «His addemus num. 4 frag. 6 haec ab Hilario pronunciata referri. «Post haec, omnia quae vel gesserat vel promiserat Liberius, missus in exilium, universa in irritum deduxit; scribens praevaricatoribus haereticis Arianis qui in S. Athanasium orthodoxum Episcopum iniustam tulere sententiam.»

Sed ita quoque, quae afferuntur, tamquam ab Hilario profecta contra Liberium, non efficiunt, eum haeresis accusari posse. Nam, etiam apud Liberii accusatores, veluti certum habetur, multa in his fragmentis esse apocrypha, et ab Arianis corrupta. Quae vero ex iisdem fragmentis, adversus Liberium obiiciuntur, inter ea collocanda esse, quae falso in Hilarii fragmenta illata sunt, ostendi primo potest Sulpicii Severi agendi ratione. Constat enim, eum ex hoc libro, cuius fragmenta tantum nunc circumferuntur, ea hausisse, quae de Arianis rebus memoriae prodidit. Cum vero de Liberii ad urbem reditu agens referat tantum, ob seditiones Romanas illum urbi fuisse restitutum, satis perspicue declarare videtur, se in Hilarii illo opere ea non legisse, quae superius, tamquam ab Hilario profecta retulimus. Non enim verisimile est, si illa legisset, fuisse relaturum, ob seditiones Romanas Liberium esse revocatum, cum in eiusdem lapsu, causam praecipuam invenire debuisset, ut suum ad urbem reditum Pontifex impetraret.

Praeterea, si ab Hilario anathematismi illi fuere pronuntiati quos recensuimus, dicendus esset Hilarius, eos pronuntiasse multo post lapsum Liberii, cum opus illud historicum scribebat, et cum Liberius iam catholicam fidem strenue propugnabat. At hoc est prorsus incredibile, ab Hilario tum temporis eos anathematismos contra Pontificem latos esse, cum ille acriter pro Ecclesia certaret. Quod si existimari velit, adeo inconsiderate se gessisse Hilarium, ut statim post sparsos rumores de lapsu Liberii, et post accepta litterarum, quae nomine Pontificis circumferebantur, exemplaria, anathematismos iisdem inseruerit, «an saltem non erat prudentiae, et aequitatis ipsius, ait Stiltingius §. 2 n. 27, inserta anathemata quamprimum delere, audita constantia Liberii in tuenda fide catholica contra praevaricationem Ariminensem?»

Illud etiam adiungi debet, ad ostendendum iure eruditos de fragmentis his dubitare, esse in iis nonnulla quae cum certis S. Hilarii scriptis pugnant. Nam verba, quae fragm. 6 habentur «perfidiam autem apud Sirmium conscriptam, quam dicit Liberius catholicam etc., «quibus fragmenti auctor primam Sirmiensem formulam indicavit, non possunt cum iis componi, quae Hilarius scripsit in libro de Synodis. In eo enim libro, non modo memorata formula, perfidia non appellatur, sed eadem copiose laudatur, nihilque in ea esse traditur, quod a fide catholica alienum sit.

Itaque Hilarius eos alloquens n.78, qui formulam illam propugnabant, «studiosi, inquit, tandem Apostolicae, atque Evangelicae doctrinae viri;» et n. 88. «Unum, atque idem pie sapimus, rogo, ut unum, atque idem pium inter nos esse velimus.» Si vero ab Hilario verba illa *perfidiam autem* etc. profecta essent, et de for-

mula Sirmiensi prima ita loquutus hoc in loco fuisset, inconstantiae ac levitatis reprehendi Hilarius posset, qui formulam a se laudatam, et catholico sensu explicatam, perfidiam appellaverit.

Denique, ut cetera omittam, ea verba, quae fragm. 6 leguntur «post haec autem omnia, quae vel gesserat, vel promiserat Liberius, etc.,» apocrypha esse, tum pluribus aliis indiciis, tum ex verbis illis, *in S. Athanasium* deprehenditur, cum ab huius aetatis, praecipue vero ab Hilarii more abhorreat, Athanasium, qui adhuc vivebat, ita nominare, ut eius nomini, Sancti appellatio adiungeretur. Iam vero manifestum cuique esse potest, difficile imprimis esse, ex fragmentis, quae commemoravimus, persuadere, non modo in haeresim Liberium lapsum esse, sed eundem Pontificem, alicuius, etiam eo crimine levioris culpae reum certo evasisse.

Quod si velimus etiam, omissis tantisper argumentis, quae contra fragmentorum veritatem adducuntur, ea considerare, quae in anathematismis de Liberio continentur, apparebit, ex iis non demonstrari, Pontificem in haeresim prorsus lapsum esse. Nam praetereo anathematismos insertos esse epistolae *pro Deifico timore,* et ab interpolatore pronuntiatos ob ea, quae in ipsa epistola narrat a se facta esse Liberius. Vidimus autem superius, ex rebus, de quibus sermo est in ea epistola, etiamsi aliquis Liberii lapsus concedi vellet, numquam tamen inde probari posse, eum haereticum evasisse. Illud dico, si quid ex memoratis anathematismis argumentari contra Liberium placeat, affirmari tantummodo posse, hominem qui illos pronuntiavit, vel existimasse, vel ostendere ceteris voluisse, sibi persuasum esse, Pontificem, Athanasium damnasse, communionem cum Orientalibus inivisse, et formulae primae Sirmiensi subscripsisse, atque ob has causas veluti praevaricatorem habendum esse. Non sequitur autem ex eo, quod aliquis tamquam praevaricator iudicatus sit, praevaricatorem fuisse iudicatum ob verum in haeresim lapsum, cum praevaricatio etiam extra fidei causam esse possit.

Memorati operis auctor praeter anathematismos, qui Hilario tribuuntur, ad Liberii in haeresim lapsum confirmandum, adducit etiam testimonia Adonis Viennensis, qui saeculo 9 vixit, Auxilii, qui saeculo 10 quorum uterque ita de Liberio loquitur, ut ostendat, se habere veluti persuasum, Liberium haereticum evasisse. Post ea vero, quae attulimus ad Liberium defendendum, non est necesse in iis refellendis immorari, cum duo iidem scriptores nimis sint ab aetate Liberii remoti, atque quae de Liberio scripserunt, ex apocryphis de eius pontificatu agentibus monumentis, desumpsisse eos constet. Alterum enim ex spuriis S. Eusebii presbyteri actis, alterum ex pontificali, quod Anastasio falso adscribitur, in his rebus narrandis profecisse certum est.

Restaret nunc refellendum id, quod memoratus scriptor habet de vexatione post Liberii reditum Romae excitata contra eos, qui Nicaenam fidem defendebant, ex qua concludere putat se posse, talem fuisse Pontificis agendi rationem, ut ex ea ostendi queat, haeretico sensu ab illo Sirmiensem formulam acceptam esse. Ut rem autem concludam brevi, dicam tantum quod superius iam indicatum est, veteres scriptores ita de Liberio ad urbem reverso loquutos fuisse, ut perpetuo illum Arianis contrarium fuisse doceant. Hinc fuit, quod tantas laetitiae, et benevolentiae significationes Populus Romanus ei redeunti dederit: quae gesta sunt vero a Pontifice in Ariminensium Patrum facto, luculenter docent, quantopere ille abhorruerit ab Arianis, atque ab iis, qui eorum partibus studebant.

Quidquid igitur evenerit Romae post Liberii reditum contra Nicae-

nae fidei defensores, certissimum est Pontificem reversum ad urbem, fidei Nicaenae propugnatorem fuisse. Quare nihil ille commisit, ut ex eo conciudi possit, haeretico sensu Sirmiensem formulam acceptam ab eo esse. Itaque de Liberio haec satis sint. Reliqua enim, quae ad eiusdem Pontificis lapsum evincendum afferuntur argumenta, apud doctissimos viros, quos in huius disputationis initio appellavimus, confutata reperiuntur.

CAPUT XLVI.

DE CONCILIO ARIMINENSI.

Anno 359 Arimini in Aemilia habitum est Concilium, cui quatercenti Episcopi interfuerunt. De concordia ineunda, ita volente Constantio Imperatore, agi in eo Concilio debebat, et ratio constitui, qua controversiae Arianorum causa excitatae finem haberent. In Seleucensi quoque Synodo de ea re statui debuerat; sed nihil profectum erat. In Ariminensi Synodo Arianos de catholicis victoriam reportasse vetus querela est, et Ariminenses Episcopos formulae cuiusdam subscriptione, Arianae haeresi adhaesisse. Verum id falsum omnino esse ostendi facile potest.

Audiendus est Hieronymus in dialogo adversus Luciferianos. Eius autem testimonio, aliisque argumentis patebit, Patres Ariminenses a fide catholica non defecisse. « Nam superficies expositionis (id est formulae a PP. Ariminensibus acceptae), cui subscripserant, nihil sacrilegum praeseferebat, ait Hieronymus. Sonabant verba pietatem, et inter tanta illa praeconia, nemo venenum insertum putabat. De Usiae vero nomine abiiciendo verisimilis ratio praebebatur. Quia in scripturis, aiebant, non invenitur, et multos simpliciores novitate sua scandalizat. Non erat curae Episcopis de vocabulo, cum sensus esset in tuto. » Deinde quis fidem eis deroget, Maranus inquit, l. 2 c. 6 op. Divinitas D. N. I. C. manifesta in scripturis, et traditione: quis fidem eis deroget, qui confessoribus reddita pace, ad Ecclesias redeuntibus occurrentes, contestabantur corpus Domini, ut prosequitur Hieronymus « et quidquid in Ecclesia sanctum est, se nihil mali in sua fide suspicatos. Putavimus, aiebant, sensum congruere cum verbis; nec in Ecclesia Dei ubi simplicitas, ubi pura confessio est, aliud in corde clausum esse, illud in verbis proferri timuimus. Decepit nos bona de malis existimatio.» Quae igitur culpae PP. Ariminensibus tributa sunt, ea fraudibus potius, et dolo malo inimicorum tribui debent, quam eorundem in fide inconstantiae.

Quae Patrum Ariminensium agendi ratio fuerit videndum est; ut concludatur eos nihil umquam a fide deflexisse. Formulae ipsius ab iisdem acceptae summa est consideranda, quo intelligatur, fecerintne quidquam, ut iure in fidei negotio errasse dici queant. Atqui utrumque illud indubium affert argumentum, quo ostenditur PP. Ariminenses numquam a fide catholica defecisse.

Neque hoc hominum testimonio confirmari potest, qui longe a re gesta vixerunt, sed eorum, qui ad fidem faciendam sunt imprimis opportuni. Hieronymus in dialogo superius memorato, cum retulisset quaenam illa formula esset, quae Patribus Ariminensibus subscribenda proposita est, atque ex formulae expositione ostendisset, nihil in ea esse, quod a fide alienum videretur, cumque narrasset quanam de causa adducti sint Episcopi, ut fraudis metum deponerent, et rem bona fide agi arbitrarentur, haec subiicit: « Quod si quis a nobis fictum putat, scrinia publica scrutetur: plenae sunt

adhuc Ecclesiarum arcae, et recens adhuc rei memoria est. Supersunt homines, qui illi Synodo interfuerunt, et quod veritatem firmat, ipsi Ariani, haec, ita ut diximus, gesta non denegant. . . . . Quae si plenius quis discere cupit, in Ariminensis Concilii actis reperiet, unde et nos ista libavimus.»

Iam vero formula, quam a Patribus Ariminensibus subscriptam affert Hieronymus, ita erat comparata, ut eius obvius, et externus sensus, plane orthodoxus, et catholicus appareret. Vocis homousion ibi erat omissio, sed iis de causis fieri dicebatur, quemadmodum superius indicatum est, quae non ostenderent mentem eorum, qui formulam proponebant, illam esse, in doctrinam de Verbi divinitate violarent. Alio autem in loco iam a nobis demonstratum est, adductis S. Hilarii Pictaviensis, et S. Athanasii testimoniis, licet ea vox non posset omitti, quod a Patribus Nicaenis, tamquam fidei catholicae tessera contra Arianos errores statuta fuisset, tamen non continuo illos habitos fuisse veluti haereticos, qui vocem eandem non usurpassent, modo catholicam omnem de Verbi divinitate doctrinam profiterentur. Quare manifestum est, PP. Ariminenses, omittentes vocem homousion, ob id solum, haeresis criminis reos evasisse, dici non posse, neque a fide catholica defecisse: cum professionem fidei ratam habuerunt, quae, licet interius virus Arianum lateret, orthodoxam tamen doctrinam in obvio, atque externo sensu suo afferre videbatur.

Agendi autem ratio, quam PP. Ariminenses adhibuerunt, eo luculentius demonstrat, eosdem numquam a fide catholica deflexisse. Sibi enim omnino nihil timendum esse ab Arianorum fraudibus, Episcopi putaverunt, et rem bona fide agi, sibi persuaserunt: cum Valentem, et Ursacium ea ratione loquentes audierunt, qua illos loquutos esse Sulpicius Severus narrat l. 2 Historiae Sacrae: «Valens, et Ursacius affirmantes, praesentem fidem catholica ratione conceptam ab Orientalibus, Imperatore auctore prolatam, cum piaculo repudiari, ut quis discordiarum finis foret, si quae Orientalibus placuisset, Occidentalibus displiceret. Postremo, si quid minus plene, praesenti fide editum videretur; ipsi adderent quae addenda putarent: praebituros se in his, quae essent adiecta, consensum: favorabilis promissio pronis omnium animis excepta.»

Tunc, quemadmodum Hieronymus narrat, in dialogo iam memorato, Valens, praesente Tauro Praetorii praefecto, qui Synodo aderat, professus est, se Arianum non esse, et prorsus ab eorundem blasphemiis abhorrere. Cum haec ita gesta fuissent, ut neque vulgi clamores contra Valentem excitati sedarentur, neque metus fraudis, qui per civitatem obtineret, tolli posse videretur, initum est consilium, in publica Ecclesia anathematismos pronuntiandi communi suffragio, ut fides catholica perspicue explicata censeri posset: Legente Claudio Episcopo provinciae Picaenae blasphemias, quae Valentis propriae esse dicebantur, Valens palam suas non esse exclamavit. Tunc anathematismi sunt pronuntiati, quibus errores omnes Arianorum proscriptos esse putabatur, et omnis ablata ratio iis existimabatur, fraudes suas occultandi.

Nam secundum ea, quae Hieronymus refert, haec est summa eorum, quae his anathematismis statuta, et praedicata fuerunt: Christum Deum esse, Dei filium, ante saecula ex Patre genitum, Filium similem Patri esse secundum scripturas, aeternum cum Patre; anathema ei, qui dixerit Filium Dei esse creaturam, ut sunt ceterae creaturae; item ei, qui de nullis extantibus Filium, et non ex Deo Patre, etiam ei, qui dixerit, erat tempus quando non erat Filius. Denique, ut eo vel magis Valentem bene sentire ostenderetur, additum est anathema ei, qui dixerit, Filium

Dei esse quidem ante omnia saecula, sed non ante omne omnino tempus, ut aliquid ei anteferat. Haec ubi facta, et in publico adeo frequenti conventu pronunciata fuissent, cum multa etiam alia, quae suspiciosa videbantur, Valens condemnasset, existimatum est fraudi locum esse non posse. « Sed diu scelera non latent, subdit Hieronymus..... Coeperunt post Valens et Ursacius, ceterique nequitiae eorum socii, egregii videlicet sacerdotes Christi, palmas suas iactitare dicentes, se Filium creaturum non negasse, sed similem ceteris creaturis. »

Videlicet, ut doctissimus Petavius notat theologicorum dogmatum de Trinitate l. I. c. 7. n. 9. damnatus est Arius, totaque eius perfidia, ceterum non etiam Patri aequalis et sine initio, sine tempore Dei Filius pronuntiatur; suggerente porro Valente, Filium Dei non esse creaturam, sicut ceteras creaturas, huic assensi sunt catholici, non intelligentes, his verbis, quibus similis esse ceteris creaturis Filius negabatur, creaturam tamen, sed potiorem ceteris affirmari. Seu, ut luculentius fortasse Arianorum fraudem explicat idem doctissimus auctor lib. I. cap. 12. n. 1: Hic est cardo Arianae perfidiae, in quo arcana illorum doctrina vetabatur, qua catholicis minus attentis, et perspicacibus illudebant; quod in Ariminensi praesertim Synodo fecerunt, in qua, subdola et ambigua professione, simpliciores, et illorum fuci, atque artis ignaros Episcopos fefellerunt. Etenim Filium a Patre productum, et fabricatum esse dicebant; ante cetera omnia, adeoque ante saeculum, ac tempus omne. Hinc audacter negabant fuisse tempus aliquod, ac saeculum, quo Filius non existeret, nec fateri verebantur interdum, aeternum eundem esse, hoc est, saecula, temporaque omnia praecessisse, sed non illa, ut coaeternum illum Patri dicerent.

Nam Patrem non solum dignitate, substantia, et essentia, perfectioneque maiorem esse, at anteriorem etiam asserebant, qui sponte sua, ac nulla naturae necessitate, suum sibi instrumentum, hoc est, Verbum genuisset, Filiumque esse voluisset. Hunc praeterea, creaturam non esse, uti reliquae creaturae sunt, callide iactabant. Nam creaturam id proprie nominari, quod per aliud, tamquam instrumentum, molitus sit Deus. Ad haec, divinum splendorem, perfectionem, ac gloriam, quam pro suo cuique modulo, rebus creatis omnibus supremus Pater communicavit, uberius ceteris, ac largius hausisse Filium, ut qui de ipso fonte, hoc est Patre, illam acceperit, cum reliquae res creatae proxime a Filio, ac per Filium habuerint.

His artibus, hac fraude adhibita, consequuti sunt Ariani, ut Episcopi, qui Ariminum convenerant, deciperentur. Subdola sua agendi ratione iactarunt, acceptam eam professionem fidei Arimini esse, qua non negaretur Filium creaturam esse, sed negaretur tantum, similem esse ceteris creaturis. Verum Episcopi, qui Arimini concilium habuerunt, quique putarunt, non ad eos decipiendos, sed ad veritatem manifestandam, anathematismos esse pronuntiatos, omnemque Arianam perfidiam esse condemnatam, si inconsiderate egisse dicendi sunt, numquam certe iure dicentur crimen commisisse, ut de fide, aliqua in re violata, reprehendi possint. Talis ergo fuit Ariminensium agendi ratio, ut luculentissimum, gravissimumque argumentum afferat, quod eos ab omni erroris in fidei negotio commissi, suspicione liberat, quodque in sententia catholica, constantissimos illos fuisse demonstrat.

Deinde, ad rem luculentius evincendam, est opportunum eo argumento uti, quod Suessionensis canonicus Corgneus, inter ceteros adhibet in *dissertatione critica, et theologica de Concilio Ariminensi* quaest. 3, scilicet considerandum est, quae veterum scriptorum sententia fuerit de rebus in Ariminensi Synodo ge-

stis. Quid Hieronymus de toto hoc negotio iudicaverit satis abunde colligitur ex iis, quae superius attulimus, deprompta ex eius dialogo adversus Luciferianos. Eadem Sulpicii Severi sententia fuit, qui de formula Ariminum allata agens l. 2. historiae sacrae affirmat, eam fuisse « fidem ab improbis conscriptam, verbis fallentibus involutam, quae catholicam disciplinam, perfidia latente, loqueretur. »

Liberius vero Pontifex in epistola ad Italiae Episcopos, ubi condemnandos esse decernit auctores fraudis, qua Ariminenses Patres decepti sunt, perspicue ostendit sibi esse persuasum, professionem fidei iisdem Patribus oblatam, errorem nullum in proprio sensu suo habuisse; licet Ariani, iniqua interpretatione, sensu haeretico illam explicarent. « Auctores vero, inquit Liberius, esse damnandos, qui obliqua, et maligna subtilitate, et caligine, offenderunt innocentium sensus, per quae velamen obducerent veritati; tenebras lucem, et lucem tenebras venditantes. » Hoc idem Episcopi Italiae in epistola ad Episcopos Illyrici apud Hilarium fragmento 12 affirmant, cum aiunt « Ariminensis Concilii statuta, quorundam tergiversatione corrupta, consensu omnium provinciarum iure rescindimus; » hoc est statuta illa, quae, prout extabant, a fide aliena minime reperiebantur, Arianorum iniquitate, haeretico sensu fuisse explicata.

Haec autem cum ita sint, iam est indubiis argumentis demonstratum, fidei catholicae causam contra Arianos, nihil detrimenti ex hoc Ariminensium facto accepisse, et iniuria Arianos de consensu ab iisdem sibi exhibito gloriatos esse.

Plura sunt, quae afferuntur ab iis qui ex Ariminensium Patrum facto occasionem desumpserunt, de Ecclesia Catholica detrahendi, plura, inquam, sunt, quae afferuntur, ut ostendant, eos Episcopos in fidei negotio defecisse. Nos praecipua attingemus. Celeberrima sunt illa Hieronymi verba in dialogo adversus Luciferianos. « Tunc Usiae nomen abolitum est: tunc fidei Nicaenae damnatio conclamata est: tunc ingemuit orbis, et Arianum se esse miratus est.» Non est necesse verbis exponere, quomodo ex hoc testimonio ad demonstrandam Patrum Ariminensium lapsus gravitatem, homines ii argumentum efficiant; per se enim manifestum est.

Verum quis est, qui non intelligat, exaggeratam, et emphaticam esse hanc loquendi rationem? Cui potest in mentem venire, existimasse Hieronymum, vere ex quolibet Ariminensium lapsu accidisse, ut orbis terrarum Arianus evaserit? Profecto, quae superius, adductis perspicuis Hieronymi locis indicavimus, extra controversiam ponunt, Doctorem Maximum pro certo habuisse, neque Ariminenses Patres Arianae haeresi umquam assensos esse. Ita Natalis Alexander apposite animadvertit diss. 33. in saec. 4. Ita illum iudicasse de Ariminensibus Patribus, ostenditur ex eo, quod ipse referat, Arianam perfidiam in ea Synodo condemnatam, et anathematismos illos pronuntiatos esse, de quibus superius mentionem fecimus, et qui omnium Arianorum errorum condemnationem continere existimati sunt; denique Hieronymum censuisse affirmandum est, qui professionem Arimini acceptam, nihil sacrilegum in se habuisse arbitratus est, et ideo Patres adductos esse, ut illam acciperent, quamquam Consubstantialis vox omitteretur, quod non essst iis cura de vocabulo, cum sensus esset in tuto.

Deinde nonne apparet, Hieronymum hyperbolice lucutum esse, ex eo, quod sciamus, acta Concilii Ariminensis, a Sede Apostolica statim fuisse rescissa? Id praeter cetera evincitur testimonio desumpto ex epistola Siricii ad Himerium Terraconensem Episcopum, in qua a Liberio Pontifice ea acta rescissa esse narrat. Cum haec Hieronymus certo sciret,

dicine potest, eum vere iudicasse, orbem universum, Arianum ea de causa fuisse factum? In epistola ad Episcopos Illyrici Synodica Damasi Pontificis apud Theodoretum Hist. Eccl. lib. 2 c. 22 habemus, ex numero eorum, qui apud Ariminum convenerunt, nullum praeiudicium nasci posse, quod constet, neque Romanum Episcopum, neque Vincentium Capuanum, neque alios, huiusmodi statutis assensum aliquem commodasse. Iam vero Hieronymus quotidie Damaso aderat, et apud illum erat occupatus, ut Orientis, et Occidentis consultationibus responderet. Poteratne vere putare, Ariminensium talem fuisse lapsum, ut universus orbis se Arianum esse mirari deberet?

Est praeterea opportunus Athanasii locus in epist. ad Iovianum Imperatorem scripta anno 363, ubi ait: « universas totius orbis Ecclesias, suffragio suo comprobare Nicaenam fidem; nec, tametsi pauci quidam huic fidei adversentur, praeiudicium facere posse, cum orbis universus apostolicam fidem retineat.» Ostendit vero longa pertractatione Corgneus in memorata superius dissertatione, generalibus, et peculiaribus perspicuis allatis argumentis, Episcoporum numerum, qui ad Synodum Ariminensem venerunt, non posse comparari cum longe maiori numero Episcoporum, qui eo se non contulerunt, et qui lapsus Ariminensium Patrum nulla ratione participes fuerunt.

Haec autem omnia luce clarius esse demonstrant, Hieronymum, cum affirmavit orbem ingemuisse, et se Arianum esse miratum esse, non id affirmare potuisse tamquam si persuasum haberet, orbem terrarum universum Arianum esse factum, sed hyperbolica prorsus loquendi ratione illum usum fuisse. Posset etiam illud adiungi, verba Hieronymi aliud non indicare, nisi summam admirationem illam, qua affici debuerunt Patres Ariminenses, qui Arianorum gratulationes, et laetitiae significationes intellexerunt inde proficisci, quod dolo malo egissent in Ariminensi Synodo. Etenim cum fidei causam propugnatam omnino esse Arimini, ii Episcopi arbitrarentur, cumque bona fide errores omnes Arianos ibi condemnatos fuisse putarent, non potuerunt non vehementer mirari, ubi viderunt, quanta fraude Ariani usi essent, et quam iniquo sensu ea explicarent, quae Arimini praedicaverant, ut omnem a se haeresis suspicionem averterent.

Haec, quae recensuimus satis perspicue evincunt, Hieronymum nonnisi hyperbolice eo in loco fuisse loquutum, et numquam illum existimare potuisse, ob formulae, quam indicavimus, factam a Patribus Ariminensibus subscriptionem, orbem terrarum Arianum aliqua ratione evasisse. Neque his opponi potest tantam fuisse indignationem, quam Ecclesia ostendit ob memoratam formulam ab Ariminensibus ratam habitam, atque ita deinde ab Episcopis illam fuisse reiectam, ut in se ipsa continere erroris gravitatem existimari posset: nam Ecclesia quidem formulam ab Ariminensibus probatam, deinde reiecit, non quod illam putaverit errorem Arianum in se continere, sed aliis, iisque gravissimis de causis.

Eam reiecit, cum vidisset, quantopere illa abuterentur Ariani, qui illam inique interpretabantur, sensu prorsus ab eo diverso, quem formula praeseferebat, et in quo diserte a Patribus concilii fuerat accepta. Eam Ecclesia reiecit, quod illam non satis esse intellexerit ad Arianorum fraudem excludendam. Eam denique reiecit, quod communi sententia statutum erat, vocem Consubstantialis esse adhibendam, quae in illa formula non continebatur. Nam post Concilium Ariminense habitum, omnibus exploratum fuit id, quod Patres Nicaeni senserant, loquendi rationes quaslibet, etiamsi clariores, non sufficere ad Arianorum calliditatem profligandam, sed necesse esse, ea voce uti, quae totius Arianae

perfidiae condemnationem, sublata prorsus omni perversae explicationis ratione, contineret.

Quae hic notavimus, afferunt certissimam respondendi rationem iis veterum Patrum locis, qui dum testes sunt indignationis in Ecclesia excitatae ob Ariminensium Episcoporum lapsum, de Ariminensibus ipsis Patribus loquentes, eos insectari ita videntur, quasi crimen aliquod commisissent, cuius causa violatae fidei rei facti essent. Hac graviori, et severiori contra Patres Ariminenses scribendi ratione usus est Hilarius fragmento 8, Basilius ep. 69. ad Athanasium, Ambrosius in expositione cap. 4. D. Lucae, Augustinus ep. 185, alias 50, Facundus Hermianensis, aliique.

Horum autem Patrum loca explicari debent, non de lapsu eiusmodi, ut Ariminenses Episcopi a fide defecisse putari possint, sed de tota re Arimini gesta, tanta Arianorum fraude, ut illi occasionem inde capere potuerint orbem clamoribus implendi, de victoria a se relata, deque erroribus suis, etiam Ariminensium consensu confirmatis. Manifestum enim est ex iis omnibus. quae superius tradidimus, ut ostenderemus, quid revera actum sit in Ariminensi Synodo, et quomodo Episcopi adduci potuerint ad assensum Ursacio praesertim, et Valenti adhibendum. Scilicet, etsi Ariminenses catholicam fidem non eiuraverint, animadvertit Maranus memorato superius loco, merito tamen instar piaculi habitum esse, quod vocem, sanctissimae Synodi auctoritate, et Ecclesiae usu consecratam silentio passi sunt sepeliri; et dum hoc veritatis propugnaculum haereticis tradunt, eorum furori bonos omnes, calumniis, et conviciis universam Ecclesiam exposuerint. Atque hic perspici potest, quantum Ecclesia a pravis novitatibus abhorreret, cum unius vocis silentium, tanta infamia flagraverit; quam non interruperit catholicae fidei perpetuitatem error Arianus, cum triumphare sibi visi sunt, si partim vi, et impressione, partim astu, et dolo, silentium unius vocis impetraverint.

Denique, etsi in anathematismis Arimini pronuntiatis, condemnati sunt ii, qui Filium Dei dicerent creaturam, ut sunt ceterae creaturae, non inde tamen sequitur, Ariminenses Patres pronuntiasse, Filium creaturam esse. Inspiciendus enim est totus ordo rei gestae, et quid Ariminenses ex universali Arianorum condemnatione, sponte sua sequi putaverint, considerandum est. Neque haereticorum perfidia, quae deinde fraudem detexit, tanti esse debet, ut erroris nota in fidei negotio Patribus Ariminensibus inuratur. Nam, prout idem Maranus apposite notat, vituperanda etiam esset illa prima formula, quam Nicaeni Patres primo proposuerunt, siquidem illam Ariani ad usus suos aptissimam iudicaverunt. Haereticorum autem iniqua agendi ratio, qua censuerunt, secundum sententiam suam, professiones a catholicis expositas perverse explicare, non sufficit ad errorem manifestum evincendum.

Iam vero rei totius gestae ordo hoc postulat, ut si Arimini anathema dictum est universae Arianae perfidiae, iam etiam illud damnatum intelligi deberet, Filium quacumque ratione creaturam esse, aut Patri non esse substantia, et essentia aequalem. Ad excusandos generatim hac in re Episcopos argumentum grave ex Gregorii Nazianzeni orat. 19. desumi quoque potest. Narrat Gregorius in ea oratione, ob similem factam a Patre suo formulae subscriptionem, seditionem a ferventiore Ecclesiae parte excitatam esse. Id autem de pluribus etiam aliis Ecclesiis narrat Tillemontius t. 8. art. 95. Sed ipse Nazianzenus eadem oratione Patrem excusat, et eius animi consilium ab hominum querelis, et obtrectationibus vindicat, licet factum minime probaverit. Id autem ostendit, eum existimasse, Episcopos memo-

rata ratione ad subscribendum adductos, errorem Arianum amplexos non fuisse.

Concludam cum Marano: Qui formulis ab Aula allatis subscribebant, non modo suam quisque Ecclesiam assentientem non habuere, sed etiam multi valde repugnantem. Cuius rei testis esse potest Basilius ep. 51, qui narrat, se gravissimo moerore affectum esse cum multis aliis in patria sua timentibus Deum, eo quod Dianaeus fidei Constantinopoli allatae subscripsisset; nec ante ad eius communionem accessisse, quam ipse, cum in morbum, ex quo mortuus est, incidisset, advocato Basilio declarasset, teste Domino invocato, se in simplicitate cordis scripto Constantinopoli allato assensum esse, nec quidquam cogitasse, quod ad fidei Nicaenae abrogationem spectaret. Habent post haec veteres haeretici, habent recentiores Ecclesiae catholicae inimici, Ariminensium Patrum factum nullum argumentum suppeditare posse, ut de Ecclesia ipsa detrahere valeant.

CAPUT XLVII.

DE FELICIS II. PONTIFICATU.

Cum multa de Liberio Pontifice tractavimus, rerum ad Pontificis illius causam pertinentium ratio quodammodo requirit, ut de Felice II. nonnulla dicamus, qui Liberio in exilium eiecto suffectus fuit, et eiusdem exilio perdurante, se tamquam Pontificem gessit. Quaeri autem de eo solet, num legitimus Pontifex debeat existimari. Si vero veterum scriptorum testimonia perpendantur, et quomodo res evenerit, ac gesta sit, consideretur, apparet continuo eum veluti legitimum Pontificem haberi non posse.

Itaque veteres gravissimi scriptores perspicue docent, quibus auctoribus, Felix ad Pontificatum pervenerit, quamdiu illum retinuerit, et qua ratione omne illius gerendi consilium deponere coactus sit. Athanasium appellabo Alexandrinum Episcopum, qui iis temporibus vivebat, quibus gesta res est, quique in hist. Arian. n. 40. haec memoriae prodiderit de ratione, qua Felix Liberio in urbe suffectus est, et de hominibus, quorum opera Felix illum gradum consequi potuit: « Hoc itaque usus ministro (Epicteto Neophyto adolescente audacissimo) rem plane stupendam Romae perpetravit (Constantius) Imperator, quae revera Antichristi malignitatem praeseferat. Adornato namque in Ecclesiae locum palatio, cum, populorum vice, tres sibi castratos adesse iussisset, demum tres catascopos, id est exploratores (haud enim Episcopi nominandi), adegit, ut Felicem quendam, ipsorum moribus dignum hominem, Episcopum ordinarent in palatio. Populi enim, animadversa haereticorum praevaricatione, non concesserunt, ut Ecclesias illi ingrederentur, sed procul illis abscesserunt. » Haec eadem Rufini sententia est H. E. l. 10. c. 22. « In eius locum (hoc est Liberii) Felix Diaconus suus ab haereticis subrogatur; et non tam sectae diversitate, quam communionis, et ordinationis convenientia maculatur. »

Ut ab adducendis vero ceteris de ea re veterum locis, brevitatis causa abstineam, haec eorum locorum summa est, Felicem, Arianorum artibus Liberio exulanti suffectum fuisse, quamdiu Liberius in exilio fuit, se veluti Pontificem gessisse, conatum esse Constantium, tum cum Liberio redeundi copiam fecit, Felicem tamquam collegam Liberio in gerendo Pontificatu adiungere, populi clamoribus compulsum esse Imperatorem ut ab hoc consilio desisteret, reversum esse Romam Liberium in maxi-

ma urbis laetitia, quae, paene convulsa sedibus suis, Pontificem Maximum amplecti visa sit, ac Felicis denique conatus, quibus primo studuit pontificia dignitate non excidere, inanes evasisse, eum denique Pontificatu retinendo amplius non cogitantem, privatam vitam inivisse, in eoque vitae genere mortuum esse. Haec, quae brevi perstrinximus, habenda prae oculis sunt, ut de controversia illa iudicari possit, quam indicavimus, fuerit ne Felix iustus Pontifex umquam, an habendus omnino sit veluti Antipapa.

Cardinales Ballarminus de R. Pontifice l. 4. c. 9, Baronius ad 357, Schelestratius, P. Sollerius Bollandianus t. 7. Iulii ad diem 29. eiusdem mensis, P. Paulus Antonius Pauli in diss. de S. Felice II. Papa, et Martyre, Romae edita anno 1790. existimarunt, Felicem hunc, aliquando saltem, legitimum Pontificem fuisse, atque idcirco iure in RR. Pontificum serie eum Felicis II. nomine appellari. Valde amice etiam cum Felice egerunt Papebrochius in Propylaeo mensis maii diss. 9. n. 6, Marangonius in animadversionibus ad Chronologiam RR. Pontificum c. 4, qui eum aliquo modo iustum Pontificem appellari posse arbitrantur, quod illum Liberii exulis, ea conditione vicarium fuisse existiment, ut deinde Liberio ipsi succedere deberet, atque hanc opinionem amplexus est doctissimus Fr. Ant. Zaccaria in dissertatione de commentitio Liberii lapsu iterum edita 1781. inter dissertationes latinas ad Hist. Eccl. spectantes. Fuerunt, qui hac ipsa de re dubii haeserint, neque certo pronunciandum iudicaverint, fuerit ne legitimus Pontifex Felix, an Antipapa. Eiusmodi fuit eruditissimus Petrus Lazzari in dissertatione de duobus catalogis RR. Pontificum, atque Michael Iosephus Maceda in lib. inscripto Hosius vere Hosius. Verum alia Christiani Lupi, Dupinii, Natalis Alexandri, Tillemontii, Cardinalis Orsii, aliorumque plurium sententia est, iique arbitrantur Felicem inter non legitimos Pontifices referendum omnino esse.

Profecto veteres scriptores, qui Liberio, ac Felici ipsi aetate aequales fuerunt, Felicem praetereunt, cum RR. Pontificum seriem texunt, ac Liberio Damasum proxime suffectum esse tradunt. Pontificatum gerebat Siricius, qui Damaso proxime successit, tum, cum Optatus Milevitanus opus suum adversus Parmenianum edidit. Iam vero in tam recenti rei memoria, ita is affert RR. Pontificum catalogum lib. 2. «Cathedra unica, quae est prior de dotibus, in qua sedit prior Petrus, cui successit Linus...Marco Iulius, Iulio Liberius, Liberio Damasus, Damaso Siricius, hodie qui noster est socius, cum quo nobis totus orbis in commercio formatarum, in una communionis societate concordat.» Augustinus vero ep. 53 t. 2 edit. Antuerpiensis, quae epistola anno fere 400. scripta ab eo fuit, ut etiam valde proxima Liberii pontificatui sit, inquit: «Petro successit Linus...Marco Iulius, Iulio Liberius, Liberio Damasus, Damaso Siricius, Siricio Anastasius.»

His, quae a memoratis duobus gravissimis scriptoribus referuntur, adiungi quoque potest, quod in chronico Hieronymi legitur, Liberium, scilicet, trigesimum quartum, Damasum vero trigesimum quintum Pontificem Romanum fuisse, ut etiam hoc in loco, Felicem praetermissum fuisse appareat. Ex hoc vero scriptorum, aetate, doctrina, rerum Ecclesiasticarum peritia praestantium, facto evertitur tota Felicis Pontificatus legitimi defendendi ratio, cum, nisi Optato, et Augustino constitisset, eum legitimum Pontificem numquam fuisse, altum de eo silentium non servassent, neque silentio etiam praetermissus esset in loco, qui in chronico Hieronymi legitur. Agitur enim in allatis testimoniis, de Pontificibus omnibus recensendis, ac incredibile prorsus est, alia qualibet de causa praetermitti ab iis scripto-

ribus Felicem potuisse, nisi quod exploratum haberent, illum inter Pontifices legitimos numerari nullo modo posse.

Quamquam explicari etiam illud deberet, quanam ratione contingere potuerit, ut Felix legitimus Pontifex evaderet. Nihil enim dico de ea sententia, qua Felicem Liberii Vicarium fuisse defenditur. Nam ex allatis superius testimoniis, atque ex tota huius facti summa constat, Felicem non a Liberio, vel saltem a Clero Romano, ad gerendas Pontificis vices fuisse electum, sed ab Arianis fuisse ipsi Pontifici subrogatum; Clerum, Populumque Romanum perpetuo Felicem odio habuisse, atque ab huius communione abhorruisse; Arianos praeterea, ac praecipue Constantium conatos esse, ut Felix, eundem cum Liberio honoris, et dignitatis gradum obtineret; Felicem denique de Pontificatu retinendo pertinaciter certantem, Liberio ad Urbem revocato, fuisse semel, et iterum Roma pulsum. Haec vero omnia, nisi ostendant, incredibile etiam illud esse, Felicem, saltem Liberii vice sacra in Urbe functum esse, nescio quomodo facti alicuius, sive veritas, sive falsitas ostendi veterum monumentorum auctoritate possit.

Sed ut videamus, num aliqua ratione evenire potuerit, ut Felix legitimus Pontifex esset, certum esse debet, nisi Liberius vel abdicasset, vel excidisset Pontificatu, in eius locum suffici Felicem non potuisse: atqui neutrum ex his affirmari potest. Pugnat enim non modo cum Liberii Pontificatu, sed etiam cum universa illorum temporum historia, Liberium Pontificatu abdicasse: eundem vero Pontificem excidisse Pontificatu falsum omnino esse manifestum est. Neque etiam ad defendendum Felicis legitimum Pontificatum quidquam proficeret, qui Liberium Pontificatu abdicasse contenderet, nisi etiam ostenderet, Felicem legitima ratione ei successisse. Atqui id omnino evertitur veterum testimoniis, qui eum ad Pontificatum Arianorum, et Constantii opera obvenisse tradunt, atque illo prorsus tempore, quo Liberius summa constantia fidem catholicam defendebat, atque ea de causa exilii poena mulctatus fuerat.

Neque ea, quae adducuntur ad Felicis Pontificatus legitimi defensionem, sunt eiusmodi, ut hanc sententiam possint rem accurate considerantibus persuadere. Etenim ex eo, quod Felix inter Sanctos numeretur, quemadmodum P. Sollerius Bollandianus in com. de s. Felice t. 7. mensis Iulii, id ab omni antiquitate obtinuisse ostendit, argumentum inde desumitur ad efficiendum, eum legitimum Pontificem fuisse, cum componi haec inter se non posse videantur, Felicem Pontificatus invasorem fuisse, et inter Sanctos habendum esse. Praeterea huic rei demonstrandae argumentum suppeditare affirmatur, in pariete nunc diruto Ecclesiae Ostiensis s. Pauli Apostoli, Felicis huius imaginem inter RR. Pontificum imagines depictam esse; in urbis templo ss. Cosmae, et Damiani anno 1582. repertam fuisse inscriptionem Felicis sepulcro impositam his verbis « Corpus S. Felicis Papae, et Martyris, qui damnavit Constantium » qua adductus Baronius est ad Felicis nomen in martyrologio retinendum, eiusque nomini, Pontificis titulum addendum. Existimavit denique P. Pauli ex inscriptione, anno 1785. via Salaria non longe ab urbe reperta, argumentum afferri ad Felicis Pontificatum defendendum, ex voce *Felix*, et *Papas*, quae in eadem inscriptione legitur.

At haec, quae indicavimus, non invenio quomodo possint in Felicis legitimi Pontificatus defensionem afferri. Nam si Sancti honores Ecclesia Felici adhibet, id minime demonstrat, eum fuisse legitimum Pontificem. Quis enim contendit, Felicem post Liberii reditum, consilium non deposuisse umquam Pontificatus retinendi, quem Arianorum opera consequutus erat? Immo vero quis ne-

gat, eum, mente mutata, privatam vitam ultimis annis gessisse, quin umquam veterem Pontificiam dignitatem capessere conatus sit? Philostorgius quidem H. E. l. 4. n. 5. ait: « ad sua se recepit, Episcopi quidem dignitatem (characterem scilicet, atque ordinem) retinens, nulli tamen praesidens Ecclesiae. » Iam vero, si ille consilium gerendi Pontificatus reliquit, si nihil molitus est in posterum, quo Ecclesiae unitatem violaret, si ita ultimos vitae suae annos egit, ut omne sanctitatis institutum sequutus sit, si denique ob fidei catholicae defensionem, aerumnis ab Arianis ita confectus obiit, ut Martyris honores ei habendos Ecclesia censuerit; quid est, quod Felix tamquam sanctus coli non queat, nisi etiam legitimus Pontifex fuisse iudicetur?

Inter imagines quidem RR. Pontificum, quae, antequam iniquissimo incendio Basilica Ostiensis conflagraret, in eiusdem Basilicae pariete depictae extabant, imago Felicis reperiebatur. At hoc non ostendit aliud, nisi catalogi illius auctorem existimasse, Felicem inter RR. Pontifices constituendum esse. Quaestio vero nostra non est, nisi de legitimo Felicis Pontificatu, et ad id demonstrandum non potest grave aliquod argumentum desumi ex catalogo, de quo sermo est. Nam ea res evincenda est testimoniis scriptorum Felici aetati parium vel qui non longe ab eius aetate vixerint. At superius retulimus, quid veteres ii scriptores memoriae prodiderint de ratione, qua Felix Liberio subrogatus fuit, et qua, perdurante Pontificis huius legitimi exilio, tamquam Pontificem se gessit. Ostendimus, Optatum Milevitanum, Augustinum, referentes RR. Pontificum seriem, Felicem, prorsus omittere, in chronico autem Hieronymi, Liberio Damasum successorem fuisse narrari. Horum autem scriptorum auctoritas, etiamsi habita tantum aetatis ratione argumentari velimus, multo gravior est auctore catalogi Ostiensis, cum hic catalogus, quantumvis vetustus, Leonis tamen Magni aetate antiquior non sit, qui anno 461. adhuc Pontificatum gerebat, cumque eius auctor in priscis Romanis Pontificibus recensendis, non raro deceptus fuerit. Nihil igitur Ostiensis catalogus eorum causam iuvat, qui legitimum Pontificem Felicem fuisse contendunt.

Neque inscriptio illa, quae in templo ss. Cosmae, et Damiani reperta est, hoc idem potest aliqua ratione demonstrare. Primo enim, cum decimo, vel undecimo saeculo illa exarata sit, licet in ea Felix, Papa appelletur, non id certe efficiet, eum legitimum Pontificem fuisse contra gravissimorum scriptorum, Felici aetate parium testimonia, quae superius allata sunt. Apposite autem Papebrochius in conatu chronico historico ad catalogum RR. Pontificum diss. 10. n. 7. ait: « Titulus iste haud dubie acceptus est ex catalogo Pontificali, qualem iam inde a saeculi 6. initio cum istis figmentorum laciniis descriptum fatemur; quemadmodum ex eodem, bona similiter fide, accepit Usuardus hoc elogium: « Romae via Aurelia, Natalis B. Felicis Papae, qui a Constantio Augusto ob catholicae fidei defensionem, a Sede sua deiectus, et gladio necatus gloriose occubuit... » Constituto autem firmiter mortis istius anno (id est non ante annum 365.), ruit omnis verisimilitudo martyrii (cruenti scilicet) undecumque et quantacumque facta. Regnante enim Valentiniano, nulla excogitari potest honesta causa mortis, quae martyrem fecisset. » De hac ipsa autem cruenti martyrii falsitate ut, Constantii iussu, capite damnatus Felix sit, plura, eadem dissertatione disputat Papebrochius, inter quae illud est referendum argumentum, quod n. 4. adducit: « Vides Constantio, quem constat vita functum Iuliano IV. et Sallustio Consulibus, anno 363. imputari martyrium Felicis usque annum 364. superstitis, iuxta irrefragabile testimonium

scriptorum coaevorum, et quidem RR. Presbyterorum ad Romanos Imperatores scribentium. » Quis post haec non intelligat, nihil ad Felicis, sive Pontificatum, sive aliam quamlibet rem ab eo gestam demonstrandam, ex ea inscriptione erui certo posse, cuius auctorem, ex apocryphis monumentis Felicem ipsum respicientibus, profecisse appareat?

Quid est denique, quod desumi possit ad hoc ipsum evincendum ex inscriptione anno 1785. via Salaria reperta, in qua contineri Felicis II. legitimi Pontificatus perspicuum testimonium P. Pauli arbitratus est? Illa enim inscriptio sic habet:

« Perpetuam sedem nutritor possides ipse
Hic meritus finem magnis defuncte periclis,
Hic requiem Felix sumis cogentibus annis,
Hic positus Papasantimio, qui vixit annos LXX.
Depositus Domino Nostro Arcadio II, et Flavio
Rufino VV. CC. SS. nonas novemb. »

Tantum abest, ut hac inscriptione de Felice II. sermo sit, quantum differt vocis *Felix* significatio cum adiectivum est, a voce *Felix,* cum nomen hominis alicuius indicat; eo enim sensu felicitatem exprimit, quam quis consequutus sit, altero autem sensu explicat, qua ratione homo quis appelletur. Atqui in hac inscriptione priori sensu ea vox usurpata est, ut scilicet Papasantimio dicatur felix ob felicitatis consequutionem.

Papas Antimio sum, quem bonus ille Paullus,
Felicem dixit nomine Pontificem.

Ita Caietanus Marinius lapidi subscripserat, cum in Museum Vaticanum translatus fuisset. Apparet igitur nihil in ea inscriptione esse, non solum, quod ad Pontificatum Felicis II, sed etiam quod ad Felicem ipsum quacumque ratione pertineat.

Respicit profecto ea inscriptio nutricium quendam, qui Antimius, seu Antimio dicebatur, isque Papas appellatur, ut solebant nutritores vocari. Consulatus denique II. Arcadii Imperatoris, qui incidit in an. 392, quo anno depositus hic Nutritor, Felix, Papas Antimio in inscriptione refertur, satis indicat, de Felicis II. morte in ea non agi, qui anno 365. vita functus erat. P. Pauli sententiam erudite et ingeniose irriserunt, ne dicam confutarunt, Hieronymus Tiraboschius, et paullo ante memoratus Marinius, in epistolis, quas de ea re scripserunt.

CAPUT XLVIII.

DE CONCILIO CONSTANTINOPOLITANO GENERALI II.

Praeter memoratas superius turbas, quibus, saeculo quarto, Arianorum, et Semiarianorum causa, Ecclesia afflicta est, errores alii quampiures sparsi fuerant, qui non modo fidei detrimentum afferre, sed etiam tranquillitatem perturbare graviter poterant. Inter eos, mentio facienda hic est errorum, qui Macedonianorum, et Apollinaristarum proprii fuerunt. Macedonianorum secta nomen ducebat a Macedonio quondam Episcopo Constantinopolitano, qui primum Arianus, tum Semiarianus, denique in Spiritum sanctum blasphemus evasit, quem Deum denegavit. Apollinaristae vero nomen habuerunt ab Apollinari Laodiceno Episcopo, qui initio docuit, Christum corpus ex Maria sumpsisse, verum sine anima, denique sumpsisse quidem animam sed mente carentem, ac Verbum Divinum, ei mentis, atque intellectus loco fuisse.

De Macedoniana haeresi loquens Augustinus, ait, eos minime credere Spiritum sanctum eiusdem esse substantiae, et essentiae cum Patre, et Filio, atque a nonnullis perhiberi, illos « non Deum, sed Deitatem Patris, et Filii, dicere Spiritum sanctum, et nullam propriam habere

substantiam. » De Apollinaristis vero haec idem Augustinus ait: « Apollinaristas Apollinaris instituit, qui de anima Christi a catholicis dissenserunt, dicentes, sicut Ariani Deum, Christum carnem sine anima suscepisse. In quaestione, evangelicis testimoniis victi, mentem, qua rationalis est anima hominis, non fuisse in anima Christi, sed pro hac ipsum Verbum, in ea fuisse dixerunt. De ipsa vero eius carne, sic a recta fide dissensisse perhibentur, ut dicerent, carnem illam, et Verbum unius eiusdem substantiae, constantissime asseverantes, Verbum carnem factum esse, hoc est, Verbi aliquid in carnem fuisse conversum, atque mutatum, non autem carnem de Mariae carne susceptam. »

Neque errores tantummodo, quos haeretici sparserant, sed etiam vexationes, quas catholici passi fuerant praesertim sub Constantio, Iuliano, et Valente Imperatoribus, magnum detrimentum catholicae religioni attulerant. Huius rei demonstratio est id, quod Constantinopoli, Gregorii Nazianzeni virtute evenit. Missus enim a Concilio Antiocheno anno 379. habito Gregorius Constantinopolim, ut religioni succurreret, eam valde periclitantem, immo penitus prostratam repererat: verum brevi religionem excitavit, et in pristinum statum asseruit. Petierant in posterum catholici Constantinopolitani, cum Theodosius Magnus rerum summa potitus est, ut Gregorius, Demophilo Ariano deiecto, in Episcopatu Constantinopolitano sufficeretur: sed Maximi Cynici Alexandrini ambitu, qui Constantinopolitanam Sedem invadere conatus est, grave dissidium Constantinopoli idcirco commotum fuit. Praeterea Antiochena Ecclesia, partium studiis agitabatur ob Paulini Episcopi electionem.

Cum hic esset rerum status, et Theodosius Magnus studiosissime cuperet religioni opem ferre, ac perturbationi, qua Ecclesia affligebatur, finem imponere, consilium suscepit, Episcopos Imperii sui ad Synodum Constantinopoli habendam convocandi. Sperabat enim futurum, ut ea ratione de Ecclesiae negotiis omnibus in illa Synodo ageretur, qua pristina tranquillitas posset recuperari. Habita autem Synodus anno 381, cum mense Maio coepisset, usque ad extremum mensem Iulium perduravit. Primum Meletius Antiochenus Patriarcha Synodo praefuit, sed durante concilio mortuus est, tum Gregorius Nazianzenus, post Episcopatum Constantinopolitanum ei confirmatum, praefuit; praeterea Timotheus Alexandrinus, cum Gregorius Episcopatu abdicasset, ac tandem Nectarius qui fuit Gregorio Nazianzeno suffectus. Interfuerunt autem Synodo centum quinquaginta Orientales Episcopi.

Actum est in ea de Macedonianis, et Apollinaristis, atque ab Episcopis in Synodo collectis eorum errores condemnati sunt. Iidem vero Episcopi amplificaverunt Symbolum a Nicaeno Concilio editum, ut ita, utraque illa haeresis luculenter everteretur, quod Symbolum in sacris peragendis Ecclesia Latina, et Graeca recitat. Praeter haec, tres canones de rebus ad disciplinam pertinentibus a Synodo conditi sunt.

Concilium hoc Constantinopolitanum, oecumenici concilii auctoritatem ab initio certe non habuit, cum neque Romani Pontificis decreto indictum fuerit, neque universae Ecclesiae Episcopi ad illud fuerint invitati. Oecumenicae vero Synodi auctoritatem in posterum consequuta est ea Synodus, cum a Sede Apostolica confirmata, et inter oecumenica concilia relata est. Legi potest inter cetera, de ea re, tractatus *de antiquis, tum editis, tum ineditis collectionibus, et collectoribus canonum ad Gratianum usque* parte 2. c. 1. §. 2, quo loco eruditissimi Ballerinii fratres evincunt, symbolum, et haeresis damnationem in concilio Constantinopolitano I. editam, non multo post Gelasii Pontificatum, canones

vero in eo conditos, prout explorata res est, multo posterius ab Ecclesia occidentali receptos esse. Certe Gregorius Magnus epist. 14. l. 7. ait: « Romana Ecclesia eosdem canones, vel gesta Synodi illius, hactenus non habet, nec accepit: in hoc autem eandem Synodum accepit, quod est per eam contra Macedonium definitum. »

Canon tertius illius concilii peculiarem mentionem requirit. Eo canone Concilii Constantinopolitani I, statutum primum est, ut Episcopus Regiae Urbis Constantinopolitanae, secundum post Romanum Pontificem locum obtineret. Nam usque ad illa tempora, hoc fuerat semper in Ecclesia custoditum, ut Episcopi primarum Sedium, qui deinde Patriarchae sunt appellati, hoc ordine censerentur, videlicet Romanus primum locum, Alexandrinus secundum, Antiochenus tertium haberet. Byzantina civitas, usque ad tempus, quo a Constantino Magno amplificata, et splendore imperialis residentiae donata est, suum habuerat Episcopum, sed talem habuerat, ut nullo praeeminentiae gradu potiretur, atque Heracleensis Episcopi iuribus esset obnoxius. Cum vero a Constantino, illa civitas tanto honore, et amplitudine aucta fuisset, et sedes Imperii evasisset, factum est, ut, Constantinopolis, nova Roma coeperit appellari, et digna idcirco videretur, quae in ecclesiastico etiam regimine ornamentum acciperet, quod eam, antiquae Romae, in imperii administratione suffectam esse demonstraret. Ut id consequerentur Episcopi in Concilio Constantinopolitano I collecti canonem n.° 3 condiderunt, quo in haec verba decreverunt: « Constantinopolitanae civitatis Episcopum habere oportet primatus honorem post Romanum Episcopum, propterea quod sit nova Roma. »

Quod in isto canone a Concilio Constantinopolitano decretum est, Sedis Alexandrinae, atque Antiochenae dignitati detrimentum afferebat, et vetustissima illarum Sedium iura perturbabat. Episcopi enim, Alexandrinus, et Antiochenus ex secundo, ac tertio honoris gradu, ad tertium et quartum redigebantur. Conquesti sunt de hac innovatione Episcopi, quorum intererat iura sua propugnare: Romani Pontifices vero, id, quod eo canone statutum fuerat, per diuturnum tempus constanter improbarunt.

Satis est ea recensere, quae ad Rufinum Thessalonicensem scripsit in epistola sua Bonifacius I Pontifex, qui anno 418 Pontificatum susceperat. Refellebat scilicet Atticum Constantinopolitanum Episcopum, qui se, veluti Episcopo Alexandrino, gradu praestantiorem gerebat. « Melius, inquit, fraternitati vestrae intelligendum relinquo, quis humilitatis, quis superbiae sit magister. Sed absit hoc a Domini sacerdotibus, ut in hunc aliquis eorum cadat reatum, ut nova quadam usurpatione tentando, inimica sibi faciat exempla maiorum...Quoniam si locus exigit, si placet recensere canonum sanctiones, reperietis, quae sit post Romanam Ecclesiam secunda Sedes, quaeve tertia. Servent Ecclesiae magnae praedictae per canones dignitates, Alexandrina, et Antiochena habentes ecclesiastici iuris notitiam. » Non minus perspicua sunt, quae ad Episcopos Illyrici, ne Episcopo Constantinopolitano parerent, scripsit Xistus III, qui anno 432 Pontifex factus fuerat. « Nec his vos, inquit, fratres carissimi constitutis, quae praeter nostra praecepta, Orientalis Synodus decernere voluit, credatis teneri, praeter id, quod de fide, nobis consentientibus, iudicavit. »

Leo Magnus praeterea, ut de ceteris taceam, quantopere restiterit huic Episcoporum Constantinopolitanorum decreto, exploratum est ex iis, quae post Chalcedonensem synodum scripsit, ac gessit. Etenim, absolutis iis omnibus, quae ad Eutychianam, ac Nestorianam haeresim evertendam spectabant, edita professione, post Alexandrinorum et Ephe-

sinorum, immo post maximae partis Episcoporum Chalcedone discessum, Legatis Leonis Magni frustra intercedentibus, et e concilio egressis, canon tertius Constantinopolitani I concilii confirmatus fuit, ac deinde Pontica, Asiana, et Thracica regio, Episcopo Constantinopolitano tamquam Patriarchae subdita declarata est.

Opposuerunt se legati Pontificis, atque, ut quae decreta fuerant, revocarentur, flagitarunt. Verum non modo, quod petebant, non impetrarunt, sed etiam a Leone Magno, Episcopi, qui canonis promulgandi participes fuerant, postularunt, ut canonem auctoritate sua firmaret. Marcianus quoque Imperator, ad id agendum Pontificem precatus est. Constant haec ex epistola synodali, atque ex epistola sacra Marciani et Valentiniani III nomine, ad Leonem Magnum per Lucianum Episcopum, et Basilium Diaconum ab Imperatore missa. Tanta tamen fuit Leonis sapientia, tanta in ecclesiasticis vetustis institutionibus defendendis constantia, ut canonem Chalcedonensem perpetuo reiecerit, atque effecerit, ut minime valeret. Haec abunde demonstrantur ex epistolis ad Marcianum, ad Pulcheriam Augustam, ad Episcopos, qui Chalcedonem convenerant, ad Anatolium Episcopum Constantinopolitanum, ad Maximum Antiochenum, ad Proterium Alexandrinum a Leone Magno scriptis.

Diuturnum tempus haec Apostolicae Sedis repugnantia perduravit, et sub Innocentio III tandem in Concilio Lateranensi quarto, anno 1215 habito, Apostolicae Sedis auctoritate primum canon editus est, quo Constantinopolitano Patriarchae secundus post Romanum Pontificem locus tribuitur. Legendus est de hac re inter ceteros, praesertim eruditissimus Pater Michael Le Quienius Ord. Patrum Praedicatorum in opere doctissimo *Oriens Christianus* tomo I, ubi agit de Patriarchatus Constantinopolitani primordiis, institutione, incremento, ac regiminis forma. Nemo sapientius hanc historiae Ecclesiasticae partem illustravit.

CAPUT XLIX.

DE NECTARIO EPISCOPO CONSTANTINOPOLITANO.

Significavimus superius Gregorio Nazianzeno Episcopatum Constantinopolitanum in concilio Constantinopolitano Generali II. confirmatum fuisse. Verum tanta erat Gregorii virtus, ut non pateretur Ecclesiae tranquillitatem imminui ob invidiam, in quam licet iniuste, ipse inciderat plurium Episcoporum. Quare sponte Episcopatu abdicavit. Id autem cum evenisset, Sedes Constantinopolitana praeclarum Ecclesiae lumen, atque strenuum Religionis Catholicae propugnatorem amisit. Gregorio Nazianzeno Nectarius suffectus est. De eo Le Quienius in opere mox citato t. 1 p. 113 haec habet.

« Post dimissos anno 281 Constantinopolitanae Synodi Patres, Diodorus Tarsensis Meletio Antiocheno, qui in urbe remanserat, auctor fuit, uti Nectarius civitatis Tarsensis senator, eorum, qui urbis regiae sacerdotio idonei putabantur, ultimus in scheda scriberetur, huncque Theodosius Augustus pontificem renunciavit. Quia vero nonnisi catechumenus erat, sacro baptismo initiatus, ea a Cyriaco Adanorum in Cilicia praesule episcopalia munia edoctus, regressis Constantinopolim Episcopis in generali Synodo consecratus antistes fuit. Quocirca, quia Maximus Cynius Byzantinum Episcopatum sibi arrogabat, definitum est, eum non esse prorsus, nec umquam fuisse Episcopum. Nonnullae Synodi ab eo habitae sunt, tum ad revocandos ad

Ecclesiam Arianos, Macedonianos, et Novatianos, tum in causa Agapii, et Bagadii, qui de Bostrorum in Arabia Episcopatu litigabant. Nicephorus Nectario annos pontificatus sexdecim, et menses tres assignat.»

Notissima historia est, a Nectario Episcopo munus poenitentiarii presbyteri abrogatum Constantinopoli esse. Huius muneris abrogatione abusi sunt Calvinus, ceterique, qui divinam sacramentalis confessionis institutionem impugnandam susceperunt. Quid autem in ea re catholica doctrina habeat, Concil. Tridentinum sess. 14 de poenitentia c. 5 tradidit, videlicet: «Ex institutione Sacramenti poenitentiae iam explicata, universa Ecclesia semper intellexit institutam etiam a Domino integram peccatorum confessionem, et omnibus post baptismum lapsis iure divino necessariam existere.» Praeterea subdit: « Cum a sanctissimis, et antiquissimis patribus, magno, unanimique consensu secreta confessio sacramentalis, qua ab initio Ecclesia sancta usa est, et modo etiam utitur, fuerit semper commendata, manifeste refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a divino mandato alienam, et inventum humanum esse docere non verentur.»

Verum, qui Nectarii factum, poenitentiarii Presbyteri munus abrogantis obiecerunt, ea ratione moti sunt, ut illud de confessione explicantes, quam ad peccatorum veniam consequendam Ecclesia Catholica necessariam esse docet, ostendere se posse iactitarent, confessionem istam, humanam quandam institutionem esse, et hominum auctoritate usurpari coeptam, hominum decreto fuisse sublatam. Haec autem, quam stulte obiiciantur, facile est demonstrare.

Socrates l.5 hist. eccl. c.19. rem ita narrat, prout Valesius latine reddidit: « Sub idem tempus, Presbyteros Ecclesiarum, qui poenitentiae praeerant placuit aboleri, idque ob huiusmodi causam. Postquam Novatiani se ab Ecclesia seiunxissent, eo quod cum illis, qui in persequutione Deciana lapsi fuerant, communicare noluissent, ex illo tempore, Episcopi poenitentiarium Presbyterum albo ecclesiastico adiecerunt, ut, qui post baptismum lapsi essent, coram presbytero ad eam rem constituto, delicta confiterentur....Cum hoc institutum diu retinuissent, tandem Nectarii Episcopi temporibus, abrogarunt ob facinus quoddam, quod in Ecclesia commissum fuerat. Mulier quaedam nobilis ad poenitentiarium presbyterum accedens, delicta post baptismum a se perpetrata singillatim confessa erat. Presbyter vero praecepit mulieri, ut ieiuniis, et orationibus continuis vacaret, quo, scilicet, una cum delictorum confessione, opus etiam poenitentiae conveniens ostenderet. Progressu temporis mulier aliud facinus confessa est, Ecclesiae videlicet Diaconum cum ipsa stupri consuetudinem habuisse. Id cum dixisset, Diaconus quidem ab Ecclesia eiectus est, populus vero graviter commoveri coepit. Neque enim solum ob scelus, quod patratum fuerat, indignabatur, verum etiam, eo quod labes haud mediocris, atque infamia, hoc facto, aspersa videretur ecclesiae. Cum igitur ob eam causam Ecclesiastici homines dicteriis appeterentur, Eudaemon quidam Ecclesiae presbyter, Alexandria oriundus, Episcopo Nectario suasit, ut poenitentiarium quidem presbyterum expungeret, unumquemque vero pro arbitrio, et pro animi sui conscientia, ad sacramentorum communionem sineret accedere.» Haec facti ipsius narrationem continent. Refert vero Socrates, quid ipse de consilio a Nectario suscepto abrogandi presbyteri poenitentiarii, sentiret, et sermonem se de ea re cum Eudaemone habuisse, qui abrogationem fieri oportere Nectario suaserat. Ita vero Socrates Eudaemonem alloquutus est: « Consilium tuum, o Presbyter, utrum Ecclesiae profuerit, an non, Deus viderit. Ceterum ansam ex eo singulis datam esse vi-

deo, ut delicta sua invicem amplius non coarguant, nec observent praeceptum illud Apostoli, quod ita se habet: Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, sed potius redarguite.»

Quae Socrates habet, etiam narrat Sozomenus l. 7 c. 16, qui praeterea animadvertit: «Cum in petenda venia peccatorum, necessario confiteri oporteat, grave ac molestum ab initio, iure merito visum est sacerdotibus, tamquam in theatro, circumstante totius Ecclesiae multitudine, crimina sua evulgare. Itaque ex presbyteris aliquem, qui vitae integritate spectatissimus esset, et taciturnitate, ac prudentia polleret, huic officio praefecerunt, ad quem accedentes ii, qui deliquerant, actus suos confitebantur. Ille vero, pro cuiusque delicto, quid aut facere singulos, aut luere oporteret, poenae loco indicens, absolvebat confitentes, a se ipsis poenas criminum exacturos.»

Arbitror ipsam facti expositionem per se sufficere, ut haereticorum argumentum ex abrogatione poenitentiarii desumptum ad confessionis necessitatem reiiciendam refellatur. Quis enim Socratis testimonium perpendens, non plane videt, ibi sermonem minime esse de re, quam haeretici conantur evincere? Quis non videt, sacramentalis confessionis iure divino praeceptam necessitatem in suo robore permanere, posito etiam Nectarii, atque alio quolibet eiusmodi facto?

Hoc autem ut appareat, primo animadvertendum est, quodnam esset Poenitentiarii officium, quod abrogandum iussit Nectarius. Munus illud Novatiani tempore institutum esse narrat Socrates, eo scilicet tempore, quo Ecclesia ad haereticos comprimendos, qui nimiam catholicorum erga lapsos facilitatem accusabant, hominum, qui crimina commiserant poenitentiae canonicae obnoxia, quatuor classes distinxit, et sacerdotem quendam virtute praestantem praeesse voluit toti publicae poenitentiae regimini. De hoc tantum presbyteri officio agitur in memorata superius facti narratione. Non est igitur ibi sermo de re, quam haeretici conantur evincere, cum Socrati neque in mentem quidem venisse appareat, Novatiani tempore institutam esse sacramentalem confessionem, ut ex eius narratione sequi possit, Nectarium, quando presbyterum poenitentiarium abrogavit, sacramentalis confessionis abrogationem fecisse. Neque Poenitentiarius, de quo sermo est, ita poenitentiae publicae praeerat, ut una simul poenitentiae sacramentalis minister non esset. Manifeste enim contrarium constat ex allato superius Sozomeni testimonio. Ex quo concluditur, si Nectarii decreto sublatum est officium publici Poenitentiarii, decretum hoc non impediisse, quominus presbyter in privata poenitentia ministranda perseveraverit.

Praeterea, ut ea breviter consideremus, quae in facti, de quo loquimur, narratione continentur, facile est ex ea intelligere, illud unum sublatum a Nectario fuisse quod scandalo, et turbis in Ecclesia Constantinopolitana occasionem attulerat. Iam vero, quid est, quod scandalo, et turbis, et querelae contra Ecclesiasticum coetum excitatae occasionem attulerat? Minime quidem sacerdotis factum, qui criminis a muliere patrati notitiam in vulgus sparserit. Hoc enim, neque adversarii contendunt, neque Socratis narratio patitur, neque ea adhiberi solita diligentia, qua fiebat, ut teste Sozomeno, poenitentiarii munus committeretur presbytero, «qui vitae integritate spectatissimus esset, et *taciturnitate, et prudentia* polleret.» Factum igitur mulieris occasionem scandalo, et querelae dedit, quae crimen cum diacono a se patratum palam pronuntiavit. Quid ergo Nectarius, suadente Eudaemone, abrogandum censuit? Morem videlicet tantummodo, qui obtinuerat, ut peccata quaedam poenitentiae canonicae obnoxia, publica confessione manifestarentur, quando

sacramenti poenitentiae minister, in sacramentali confessione, hoc faciendum esse affirmasset, id quod etiam a nobis demonstratum est eo loco, quo de poenitentia canonica pertractavimus.

Ita rem intelligi tantummodo, et explicari posse, Ioannes Morinus in *commentario historico de sacramento poenitentiae* lib.2 cap. 9. animadvertit. Videlicet, inquit, ponitentiarium illum, more ecclesiastico, certa peccata publice exhortatum enuntiare; mulierem autem illam plura peccata, quam admonita fuerat, imprudenter enuntiasse, scelus cum diacono perpetratum, ex quo scandalum ortum est. Unde enim fieri potuit, ut mulier illa, omnibus audientibus, et nemine prohibente, ita sese dedecoraret, nisi ex consuetudine ecclesiastica, peccata sua publice confitendi? Ponamus enim consuetudinem, qualis nunc est, peccata secreta numquam evulgandi. Tum si qua mulier in publico Ecclesiae consessu id facere aggrederetur, statim ab omnibus tam insolens facinus prohiberetur: tantum abest, ut diu evulgatio, et sui infamatio in persona praesertim nobili permitteretur, ut ibi factum est. Deinde nisi haec consuetudo ut vulgata in Ecclesia tum viguisset, nemo mulieri fidem adhibuisset; cum, secundum leges ecclesiasticas, accusanti alium de crimine, cuius reus est, fides, nisi id probet, non adhibeatur. Mulieri autem hoc scelus fatenti, fides statim contra leges adhibita est, eo quod poenitentes, peccata sua in omnium conspectu enuntiare solerent. Praeterea, quae causa poenitentiarium illum abrogandi, cum criminis auctor non esset, praeter evulgandorum certorum peccatorum consuetudinem, ex qua evulgatione imprudenter edita, ortum erat scandalum? Nam si secreta tantum confessio fuit, nullum inde potuit oriri scandalum, ut nullum nunc oriri videmus. Haec quae Morinus apposite, sapienterque animadvertit, idcirco retulimus, quia perstringunt perspicuam Socratis narrationis declarationem. Eadem Iacobi Sirmondi sententia est in *historia poenitentiae publicae* cap. 8.

His adiungi ista possunt, 1 ex ratione, qua Socrates Eudaemonem alloquutus est, aperte patere consuetudinem hanc peccata nonnulla palam enuntiandi, a Nectario sublatam esse. Socrates enim, prout ex verbis superius allatis constat, idcirco Eudaemoni, qui abrogationem illam suaserat, dixit, se timere, ne id detrimentum morum severitati afferret, quia animadvertebat, ita « ansam dari, ut alter alterius peccata minime coarguat; » 2. Sozomenum l. 7 c. 16 quando de poenitentiario loquitur, sacramenti poenitentiae administrationem clare distinguere a publica peccatorum confessione. Nam de sacramentali arcana confessione agens ait: « Ille vero pro cuiusque delicto, quid aut facere singulos, aut luere oporteret, poenae loco indicens absolvebat poenitentes; » 3. non obstante facta a Nectario abrogatione, secretam peccatorum confessionem, perpetuo apud Graecos obtinuisse, et nunc vigere, id quod ostendit, Nectarii decreto, de sacramentali confessione actum non esse. Ioannes Chrysostomus vero immediatus Nectarii successor de hac consuetudine sublata palam peccata nonnulla confitendi loquutus est, cum homilia 5. *de incomprehensibili,* et alibi, ait: « Non te in theatrum conservorum tuorum duco, non hominibus peccata tua detegere cogo etc. »

Satis ista sunt, ut luculenter ostendant, quam absurde Calvinus, et reliqui post eundem haeretici, ex Nectarii facto argumentum desumpserint ad sacramentalis confessionis necessitatem iure divino praeceptam denegandam. Non omittam tamen Natalis Alexandri, et Dionysii Petavii peculiarem sententiam de huius facti explicatione commemorare. Hoc enim multo magis confirmat, absurde prorsus ab haereticis, Nectarii decretum adductum esse ad

confessionem sacramentalem reiiciendam.

Itaque Natalis Alexander diss. 14, sacc. 13. *de sacramenti confessione,* qua dissertatione quatuor libros Ioannis Dallaei Calviniani contra Catholicam hanc veritatem refellit, §. 28. ea omnia fere pertractat, quae Nectarii factum respiciunt. Iam vero, inter cetera sapienter animadvertit, et ostendit, Socratis narrationem significare, publicam a muliere illa nobili confessionem secretam apud presbyterum poenitentiarium esse factam; in prima quidem, de peccatis poenitentiae canonicae obnoxiis actum non esse, ac presbyterum in confessionis illius exitu, quin aliquid de confessione publica facienda hortatus sit, « praecepisse mulieri, ut ieiuniis, et orationibus continuis vacaret: » in secunda autem secreta confessione, de crimine cum diacono a se patrato mulierem egisse, et post hanc secretam confessionem, in qua sermo fuerat de peccato poenitentiae canonicae subiecto, ea evenisse, quae abrogationi a Nectario decernendae occasionem attulerunt. Haec Natalis Alexandri sententia multo clarius evincit, per Nectarii decretum confessionem sacramentalem non esse sublatam, immo perspicue ostendit, ipsam Socratis narrationem inservire posse ad sacramentalis confessionis persistentiam confirmandam, posita etiam abrogatione per Nectarium decreta, de qua in ea narratione agitur.

Dionysius Petavius vero in *diatriba de poenitentiae vetere in Ecclesia ratione* §. 3. de Nectarii facto agit. Cum vero doctissimus vir in eo opere sententiam propugnarit, publicam peccatorum confessionem in Ecclesia numquam fuisse receptam, de muliere nobili loquens, cuius crimen cum diacono narrat Socrates, ait: « Cum in obeunda poenitentia, in oratione, ieiunio, frequentanda Ecclesia longius procederet, alterum nefas interim commisit, et subinde declaravit; non utique propalam, nec in publico conventu, sed privatim et coram poenitentiario sacerdote, apud quem identidem peccata deponere solebat, aut etiam citra sacramentum, cum eo, aut alio colloquens. Quidquid denique potius, quam ut publicam ad confessionem adactam dixerimus, aut mulierem istam, aut ullum omnino mortalium. Hoc igitur, a sacordote, ab antistite, a paucis denique, flagitio comperto, depositus est ille diaconus, ex quo paulatim percrebrescente fama, rem subodoratus est populus.» Difficile est hanc sententiam Petavii persuadere quam memorati superius eruditissimi viri, et Bellarminius, praeterea Baronius, aliique, factum Nectarii accurate perpendentes nullo modo obviam viderunt. Verum negari tamen non potest, ita Petavio, homini certe eruditione praestantissimo, visum esse factum illud explicari posse. Si autem haec Petavii sententia placeret, nonne multo luculentius constaret, abrogationem poenitentiarii a Nectario decretam, stulte obiectam ab haereticis esse ad confessionis sacramentalis necessitatem, divino iure praeceptam, denegandam?

Ceterum per se patet, quae sit verborum illorum sententia, quibus narrationem suam concludit Socrates, decreta scilicet per Nectarium abrogatione factum esse, ut « unusquisque pro arbitrio, et pro animi sui conscientia ad sacramentorum communionem accederet.» Nam ista non significant factum esse, ut potuerint omnes in posterum ad Eucharistiae sacramentum accedere, non suscepta primum sacramentali absolutione in secreta peccatorum confessione; de qua re ibi sermo nulla ratione est: sed ea verba ostendunt, per Nectarii abrogationem evenisse ut antequam ad sacramentorum communionem catholici accederent, neque peccata sua palam proferrent, neque canonicam poenitentiam eorundem causa obirent. Restat igitur, ut omnes fateantur, etiam hic apparere, qua fide usi sint haeretici, cum catholicae religionis dogmata impugnanda curarunt.

EX SAECULO QUINTO

CAPUT L.

DE S. IOANNIS CHRYSOSTOMI AD S. INNOCENTIUM I. PONTIFICEM MAXIMUM APPELLATIONE.

Inter praeclara Episcoporum ad Apostolicam Sedem appellationum exempla, magnam habet celebritatem s. Ioannis Chrysostomi factum, ex concilii contra se habiti sententia ad s. Innocentium I. Pontificem Maximum appellantis, qua appellatione suscepta, Innocentius, quae adversus Chrysostomum fuerant decreta, rescidit. Etenim factum hoc, insigne continet summae Pontificis Romani in universam Ecclesiam potestatis monumentum. Nam, qui Sedis Apostolicae auctoritatem imploravit, praeter eximiam in omni virtutis, ac doctrinae genere praestantiam, Episcopus erat urbis Constantinopolitanae, hoc est illius urbis, quae iam tum coeperat superiorem Alexandrino Episcopo gradum postulare. In illo autem concilio, cuius sententiam Innocentius rescidit, ac sprevit, Episcopi Alexandrini praesertim nutu omnia gesta fuerant. Quare in uno, eodemque facto, hinc habemus Episcopum Sedis Patriarchalis, auctoritatem Pontificis Romani requirentis, ut sibi opem ferret, et iurium suorum incolumitati prospiceret, illinc vero praesto est alius Episcopus Sedis Alexandrinae, cuius iudicium Romani Pontificis responsione, inane, et auctoritate vacuum efficitur. Tale igitur est appellationis Chrysostomi factum, ut splendidum afferat Apostolicae Sedis in universam Ecclesiam potestatis testimonium.

Quomodo evenerit, ut Chrysostomus inique iudicio Episcoporum condemnatus, necesse sibi esse putaverit ad Pontificem Romanum appellare, breviter significandum est, id quod faciemus praecipua perstringendo, quae de eius vita, rebusque gestis memoriae prodita sunt.

Itaque Ioannes ob auream eloquentiam Chrysostomus appellatus, Antiochiae anno 344. natus est. Diaconus a Magno Meletio Episcopo factus, cum aliquot annos in solitudine vixisset, anno 385. a Flaviano Meletii successore presbyteratu donatus fuit, ac deinde, Arcadio Imperatore ita volente, Cleri, et Populi Constantinopolitani petitione, Nectario anno 397. mortuo suffectus est, et die 16. Februarii anno 398. a Theophilo Episcopo Alexandrino Episcopalem consecrationem accepit, qui tamen omnibus, quibus potuerat, artibus, conatus erat Chrysostomi promotionem impedire. In eo dignitatis gradu Chrysostomus constitutus, ita munere suo functus est, ut dum Ecclesiae ornamento, bonis omnibus utilitati, ac laetitiae erat, hominum non bene animatorum invidiam in se commoverit.

Neque Ioannis sollicitudo in dioecesi tantummodo Byzantina se continuit, sed alias etiam regiones, prout religionis causa requirebat, complexa est. Itaque anno 401. in Asiam se contulit, ubi Episcopatu privavit sex Episcopos simoniace electos ab Antonio Ephesi Episcopo, qui anno 400. mortuus erat. Ipsi provinciae illius Episcopi Chrysostomum, sanctitatis ac sapientiae fama celebrem petierant, ut Ecclesiae necessitati in illa regione prospiceret. Hoc a Chrysostomo non ambitione factum fuisse, sed extraordinario iure, tum alii scriptores, tum Le Quienius ostendit, tomo 1. operis citati cap. 4. de Patriarchatus Constantinopolitani primordiis.

Eodem anno 401 in Ioannem Chrysostomum Theophili Alexandrini Episcopi inimicitia acerbior evasit, eo

quod is monachos aegyptios ab Theophilo vexatos, et praesertim Longos Fratres humaniter Constantinopoli excepisset: graves praeterea Chrysostomi orationes contra superbam, iniustamque potentiam hominum vitam; eius cura, ac sollicitudo circa ecclesiasticam disciplinam custodiendam, et clericos in officio continendos; ac singulare studium in haereticis ad catholicam fidem revocandis, magnam ei inimicorum copiam comparaverant. Ex eo numero erat Eunuchus Eutropius Imperatoris administer, et Gainas ex praecipuis exercitus ducibus. Praeter haec, cum in quadam concione Chrysostomus contra feminas luxui, et aviditati deditas fuisset invectus, Eudoxiam Augustam reprehendere voluisse traductus, veluti gravissimi criminis reus Eudoxiae descriptus est, quae ultionem de sanctissimo viro suscipiendam constituit.

Quare anno 403 mense iunio, in suburbio prope Chalcedonem, *ad Quercum*, Theophilus Eudoxiae potentia animatus, cum quadraginta quinque Episcopis Chrysostomi inimicis, contra eundem absentem iudicium instituit, et pluribus accusationibus falso allatis, illum Episcopatu Constantinopolitano spoliare ausus est: Imperator vero exilii poena eum mulctavit. Verum gravi tumultu a populo, ob tantum scelus, et Episcopi sui desiderium, excitato, terraemotu praeterea, quo Constantinopolis vehementer perculsa est, Eudoxia perterrita, Chrysostomum sine mora libertati restituendum curavit, qui in summa urbis gratulatione reversus, Episcopatus sui munia iterum obire, nullo resistente, potuit.

Octo circiter post menses Eudoxiae statua posita est prope senatorium palatium, et templum S. Sophiae. In huius autem statuae dedicatione, ludi, et clamores eiusmodi fuerunt, ut cum Episcopus divinum cultum in templo turbari videret, acriter eos pro concione sit insectatus, qui vel ludorum participes fuissent, vel illorum habendorum potestatem fecissent. Post haec, pristinum odium in Chrysostomum novas vires accepit. Alterum igitur habitum est concilium, in quo iterum Episcopatu spoliatus est, et die 10. iunii anno 404. Cucusum in Armenia minori ad montem Taurum perductus fuit. Ei suffectus praeterea est die 27. iunii Arsacius. Magna contra Chrysostomi amicos est commota vexatio; et tales artes in Chrysostomo accusando, eius inimici adhibuerunt, ut praeclaros etiam viros in eorum partes pertraxerint, quemadmodum Epiphanius, et Hieronymus fuerunt ab iisdem decepti.

Verum etsi conati sint Chrysostomi hostes etiam Innocentium I. Pontificem Maximum decipere, et apud Apostolicam Sedem eum graviter accusare, quo iudicium defendere possent, quod in illum iniuste exercere voluerunt, Innocentius tamen eorum fraudibus captus minime est. Appellationem, quam ad apostolicam Sedem Chrysostomus fecerat, ratam habuit, sententiam in eum latam auctoritate sua rescidit, in communione cum illo constanter perseveravit, adduxit denique Honorium, qui in Occidente imperabat, ut ad Archadium fratrem Constantinopoli regnantem pro Chrysostomo scriberet, eique patrocinaretur. Interea tamen ad Chrysostomum prorsus perdendum eius hostes conspiraverant. Itaque postquam diu multa passus esset Cucusi, deserto videlicet loco, ubi rerum etiam ad vitam tolerandam necessariarum copiam non habebat, translatus est Arabissum, deinde Pityuntem in Ponto Euxino, quo cum pergeret, vexatus a militibus, in itinere aerumnis fractus obiit Comanis die 14 septembris anno 407, aetatis suae anno 63, postquam tres annos exilii poenam tulisset, et decimo anno, ex quo Episcopus Constantinopolitanus factus fuerat. Quantum doctrinae lumen Chrysostomus esset, ostendit praeclara eius operum editio 13. tomis in fol. a. 1718. Pa-

risiis facta a P. Bernardo Montfauconio ordinis s. Benedicti Congregationis Maurinae, qui tomo 13. praeter vitam s. Ioannis Chrysostomi ab eiusdem amico Palladio Helenopolis Episcopo scriptam, ipse quoque s. Doctoris vitam, ex eius operibus, aliisque scriptoribus eruditissime concinnatam adiecit, quae historia, ad accuratam rerum a sanctissimo viro gestarum notitiam, est opportunissima.

Haec, quae ex s. Ioannis Chrysostomi vita perstrinximus, satis explicant rerum statum, quo factum est ut s. Doctor implorandam Pontificis Romani auctoritatem necessario censuerit. Eum ad s. Innocentium I. vere appellasse ex iniqua sententia contra se lata, res manifesta est, licet id Petro de Marca de concord. l. 8. c. 9, Dupinio ad antiq. eccl. discipl. diss. 2. c. 2. §. 2, Basnagio in annalibus, Petro Iannoni, Febronio c. 5. §. 8. aliisque non placuerit, prout contra Natalis Alexander diss. 28. in saec. 4. prop. 3, Pagius ad annum Baronii 404. n. 16, Christianus Lupus diss. 1. de appellationibus, Ioannes Antonius Bianchius ex ordine Minorum s. Francisci observantium tom. 5. parte 2. lib. 3. cap. 5. §. 7, Franciscus Antonius Zaccaria in Antifebronio lib. 2. c. 4. demonstraverunt.

Apparet id ex scribendi ratione, qua Chrysostomus in sua ad Innocentium epistola, non multo post secundam depositionem scripta, usus est. « Ne igitur tanta confusio (ita in editione Petri Coustantii t. 1. p. 786. Innocentium Ioannes precatur) in omnem, quae sub caelo est, terram, invadat rogo, ut per epistolam denuntietis, ea, quae tam inique acta sunt ab una parte, nobis absentibus, nec iudicium detrectantibus, nullum habere robur, sicut ex natura sua nullum habent; et ut ii, qui talia contra leges moliti sunt, legum ecclesiasticarum poenis subiiciantur: Nos vero, qui nec convicti, nec reprehensi sumus, nec rei demonstrati, vestris litteris, quamp rimum frui date, nec non charitate, ac ceteris omnibus, ut antea. » Narrat Ioannes Innocentio quae contra se gesta fuerant: super his Pontificis auctoritatem postulat, ut decernat *robur nullum habere,* quae hostes sui statuerant, requirit, inquam, Ioannes in causa sua, ut Sedes Apostolica sibi succurrat, eo modo, quo Sardicenses canones significant, Episcopos iudicio aliquo condemnatos confugere ad Romanum Pontificem posse, atque ab eo contra sententiam in se latam opem implorare. Canonibus autem illis, de vera, proprieque dicta agitur appellatione. Quid est igitur, quod iure obiici possit, ut statuatur, Ioannem Chrysostomum ea ratione scribentem ad Innocentium, vere proprieque non appellasse?

Videamus nunc, quid vetera monumenta ad eam rem pertinentia habeant, ut appareat, quae Innocentius Pontifex egerit post acceptam Ioannis appellationem. Profecto Palladius in vita Chrysostomi secundum Bigotii versionem, ait: «Innocentium iudicium a Theophilo actum improbasse.» Hanc tamen adhibitam a Bigotio vocem improbationis iudicii, scriptores superius memorati sensum habere abrogationis, cassationis, erudite significant. Ambrosius vero Camaldulensis monachus, ita Palladium circa responsum ab Innocentio datum interpretatus est: « Ad haec rescripsit Beatissimus Papa Innocentius, communioneque utriusque partis admissa, Theophili iudicium cassum, atque irritum esse decrevit. »

Praeterea confidenter veteres scriptores affirmarunt a s. Innocentio Ioannem fuisse prorsus absolutum: « Sanctae memoriae Ioannem Constantinopolitanum (ait Gelasius in epistola ad Episcopos Dardaniae) Synodus etiam catholicorum praesulum certe damnaverat, quem simili modo Sedes Apostolica, etiam sola, quia non consensit, absolvit. » Eo modo, quo Gelasius loquutus est de Ioannis Chrysostomi absolutione, Vigilius

etiam in *constituto,* Facundus Hermianensis lib. 6 aliique scripserunt.

Hanc vere Innocentii sententiam fuisse, confirmat id, quod Pontifex Theophilo respondit apud Coustantium col. 787, qui petierat, Pontificem cum Ioanne non communicare, seu, quod idem est, iudicium contra ipsum latum, ratum babere: « Rursum tibi eadem scribimus, ait Innocentius, et quotiescumque ad nos rescripseris, fieri scilicet non posse, ut nisi congruum iudicium subsequatur super his, quae per ludibrium gesta sunt, sine ratione a Ioannis communione discedamus. » His adiungi potest Sozomeni testimonium l. 8 c. 26: « Porro, inquit, Innocentius, cognitis iis, quae adversus Ioannem gesta fuerant, vehementer commotus est, et ea quidem damnavit.» Denique Innocentius in commonitorio, quod legatis suis dederat pro concilii Thessalonicae habendi celebratione, in quo concilio de Ioanne Chrysostomo legitimum iudicium institui debebat, in commonitorio ita statuerat, prout Palladius refert: « Commonitorium autem continebat, Ioannem iudicium ingredi non debere, nisi ipsi prius restituta fuisset et Ecclesia, et communio. » Haec autem statuere Innocentius non potuisset, nisi iudicium, de quo Chrysostomus ad eum appellaverat, irritum esse decrevisset, cum eo iudicio, Ioannes Sede Constantinopolitana deiectus, et communione iniquissime fuisset privatus.

Neque his opponi potest, Innocentium ipsum in epistola ad Clerum, et Populum Constantinopolitanum, apud Coustantium col. 789 haec de Ioannis Chrysostomi causa affirmasse: « Sed quid adversus ista in praesenti faciamus? Necessaria est cognitio Synodi, quam et iam pridem congregandam esse diximus. Ea enim sola est, quae huiusmodi tempestatum motus sedare possit.» Haec enim minime ostendunt, Ioannis Chrysostomi causam in *possessorio,* ut aiunt, ab Innocentio non fuisse iudicatam et sententiam abrogatam, quam Theophili factio tulerat. Prudentissime vero statuerat Pontifex de rebus causam ipsam respicientibus, cum tantae essent turbae idcirco excitatae, et cum Imperatoria aula quoque, tantopere Chrysostomo esset infensa, *in petitorio,* ut dici solet, opportunum esse in synodo agi, quam ex orientalibus, et occidentalibus, auctoritate sua, Thessalonicae habendam esse deinde statutum est. Neque Ioannes Chrysostomus in sua ad Innocentium epistola aliud petierat, quam ut, quae, se absente, a iudicibus illegitimis, auctoritatem in se non habentibus, defensione sua audita, fuerant decreta, abrogarentur. Ceterum Chrysostomus se paratum esse ostendebat ad causam dicendam, neque publicam, legitimamque causae pertractationem detrectabat.

Est etiam levissimum, quod ad excludendum vere Chrysostomum ad Innocentium Pontificem appellasse, obiicitur ex verbis quibus in nonnullis codicibus, epistola eius claditur: « Haec ipsa etiam scripta est ad Venerium Episcopum Mediolani, et ad Cromatium Aquileiae Episcopum. Vale in Domino. » Primum enim animadverto, legi posse, quae Bianchius, et Zaccaria respondent, quaeque Coustantius ipse habet in adnotationibus ad hanc epistolam pag. 787, ut appareat, minime certum esse, ea verba Chrysostomi ipsius esse, qui affirmaverit se eadem ratione, vel unico, ut duci solet, exemplo, ad Innocentium, ad Venerium, ad Cromatium scripsisse. Deinde cum Episcopi Mediolanensis, et Aquileiensis, ex praecipuis Italiae Episcopis essent, quibuscum, in concilio RR. Pontifices, consulti de gravioribus negotiis solebant agere; quid mirum, Ioannem Chrysostomum eos, missa epistola, quam Pontifici scripserat, de tota re certiores facere voluisse, ut de causa pertractaturi, plenam haberent rerum gestarum notitiam? Id temporibus fieri consuevit, quin inde quisquam iure potuerit conclu-

dere, non ad Pontificem vere appellatum esse, vel non eius solummodo auctoritatem in talibus rebus definiendis fuisse requisitam. Etiamsi igitur concedatur, eandem, quam ad Innocentium scripserat, epistolam, Chrysostomum ad Mediolanensem, et Aquileiensem episcopos misisse, id non ostendit, veram proprieque dictam, ad solum Innocentium non fuisse ab eo factam appellationem, vel putasse Chrysostomum, in sua causa, Innocentii auctoritatem, superiorem non esse illa, qua Venerius, et Cromatius praestabant.

Non pertinet proprie ad hanc controversiam ostendere, quomodo res gestae fuerint post Chrysostomi mortem. Itaque abstineo ab iis omnibus referendis, quae Sedis Apostolicae constantiam demonstrant in propugnando Innocentii responso, ut numquam cum Apostolica Sede pacem impetrare potuerint ii, qui Chrysostomi nomen in sacra diptycha non retulissent, vel ceteris conditionibus non obtemperassent, quas circa negotium hoc Romani Pontifices servari oportere decreverunt.

CAPUT LI.

DE HAERESI PELAGIANA.

Cum Innocentius I. Pontifex esset, excitata est haeresis Pelagiana, cuius praecipua dogmata erant, falsum esse, homines peccato originali obnoxios nasci; quare dicebant Pelagiani, mortem, libidinem, concupiscentiam, conditiones esse humanae naturae ingenitas, naturam humanam non vitiatam esse, atque ideo viribus suis, sine ullo gratiae auxilio, nullas cupiditatum illecebras pati, et omnia vitare peccata posse, et negabant propterea divinam gratiam voluntati necessariam esse ad opera meritoria perficienda; baptismum infantibus esse conferendum inficiabantur, ut vitam aeternam consequi possint. Quod si aliquando gratiam admisisse Pelagiani dicendi sunt, illam ad facilius recte operandum, non autem absolute ad bonum agendum necessariam admiserunt, affirmantes tamen eam non gratuito, sed pro hominum meritis tribui solere.

Pelagius natione Britannus, ut passim scriptores veteres tradunt s. Prosper, Augustinus, Orosius, Beda, professione monachus, sed nullo ecclesiastico ordine praeditus, huius haeresis auctor fuit circa annum 405. Differt Pelagius hic ab alio Pelagio, de quo Chrysostomus in epistola anno 405. apud Arabissum in Armenia scriptam loquitur, et cuius, veluti viri sanctitate praestantis, lapsum deplorat. Sed Pelagium haeresiarcham valde diversum fuisse ostendit Orosius vir coaetaneus in apologetico, quem *ministrum mensarum balneis epulisque nutritum,* dixit, *latos humeros gestantem, robustamque cervicem, praeferentem etiam in fronte pinguedinem.*

Praecipuus eius discipulus fuit Caelestius Scotus, ut Hieronymus innuit in prooemio l. 3. in Ieremiam: Marius Mercator in commonitorio ad Pintam contra Iulianum ait, Caelestium nobilem natu, et auditorialem scholasticum fuisse: Gennadius capite 44. de scriptoribus ecclesiasticis, ait eum adolescentem fuisse monachum valde pium, ut ex eius libellis constabat: Augustinus lib. 2. ad Bonifacium de Caelestio agens ait fuisse illum *hominem acerrimi ingenii, qui si corrigeretur, plurimis profuisset.*

Pluribus in locis habet Augustinus, Pelagium diu in Urbe moratum esse, et antequam haeresis auctor agnosceretur assuetum fuisse ita loqui, ut errorem suum insinuaret, quem postea praedicavit. Cum ali-

quando, quendam insignem Episcopum Romae audisset recitantem illam D. Augustini precationem: *Da Domine quod iubes, et iube quod vis,* inquit Augustinus lib. de dono perseverantiae c. 20: «paene cum eo, qui illa commemoravit, litigavit.» Caelestius Pelagio adhaesit, atque ex eius familiaritate, praecipuus eiusdem errorum assertor evasit.

Venerunt deinde Pelagius, et Caelestius in Africam: Pelagius brevi ibi mansit eo tempore, quo Carthagine habebatur collatio de Donatistis anno 411. « Eius faciem, ait Augustinus, Carthagine, quantum recolo, semel, vel iterum vidi » lib. de gestis Pelagii. Deinde in Asiam se contulit, et Hierosolymis constitit. Caelestius Carthagine mansit, ibique dogmata Pelagiana praedicare coepit. Quare a Paulino D. Ambrosii diacono accusatus apud Aurelium Episcopum Carthaginiensem, ecclesiastica communione privatus est. Tum se Ephesum contulit, ibique ad presbyteratum obrepsit. Augustinus interea rogatus ab Aurelio, ut fidei Carthaginiensium prospiceret, in basilica maiori SS. Perpetuae, et Felicitatis, orationem ad populum habuit, in qua errores Pelagianos palam refutavit.

Postea Pelagius, ut sententiam suam tueretur, librum scripsit, in quo confutare conatus est quae Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem contra ipsum scripserat, et errores suos etiam propugnandos suscepit. Hunc librum Augustinus habuit a duobus adolescentibus honestissime natis, quos Pelagius deceperat, Timasio, et Iacobo: Augustinus ei libro statim opposuit librum *de natura et gratia,* quo factum est, ut adolescentes ii Pelagium deseruerint. Id anno 414. evenit.

Auditus est interea a Ioanne Episcopo Hierosolymitano in consessu Pelagius anno 415: Episcopis Latinis eius causa remissa est. Eodem anno 415. circiter exeunte habita est Liddae, quae Diospolis dicebatur Synodus Diospolitana. Duo Episcopi Gallicani, Eros, et Lazarus, quorum depositionem Sedes Apostolica probaverat, in Orientem venerant, et erroribus pelagianis compertis, libellum contra Pelagium, et Caelestium Eulogio Caesareensi Palaestinae Primati dederant, a quo habitum est concilium 14. Episcoporum, quos memorat Augustinus lib. 1. contra Iulianum cap. 5. Pelagius cum accusatores non adessent in concilio, ita loquutus est, ut condemnationem evaserit; Innocentius I. Papa in epistola ad Africanos, ait de eo synodo: « Obiecta (Pelagius) partim vitando suppressit, partim, multa in se verba retorquendo, tota obscuritate confudit, aliqua magis falsis argumentis, quam vera ratione, ut ad tempus poterat videri, purgavit negando, alia falsa interpretatione vertendo. « Plures epistolas ab Episcopis acceptas, et ipsius Augustini unam attulit in medium Pelagius, ut se amari a catholicis, et in honore esse doceret. Post haec tumidus victoria, sibi, suisque gratulatus est, et Hieronymum praesertim acriter est insectatus.

Paulus Orosius cum S. Stephani reliquiis in Africam ex Oriente veniens, res ibi gestas narravit, et eas praesertim cum Augustino communicavit. Arelius Carthaginiensis habuit Carthagine concilium 68. Episcoporum anno 416. Errorem Pelagianum damnandum censuerunt Episcopi, sed ad Innocentium Pontificem de sententia in concilio suscepta scripserunt. Eodem anno Milevitanum concilium 61. Episcoporum habitum est sub Silvano, Numidiae primate. Errorem damnandum Episcopi etiam in ea synodo iudicarunt, et synodica epistola ad Innocentium scripta, Pelagium, ac Caelestium accusarunt.

Augustinus quoque de tota re ad Innocentium litteras dedit, a pluribus etiam Episcopis subscriptas. Innocentius die 27. ianuarii 417. sententiam tulit contra Pelagium, et Caelestium, *quos ecclesiastica com-*

munione privari, ovili Dominico non recipi iubet, nisi resipuerint. De hoc Innocentii decreto Augustinus agens serm. 2. de verbis Apostoli, ait: « Iam enim de hac causa duo concilia ad Sedem Apostolicam missa sunt. Inde etiam rescripta venerunt: causa finita est. Utinam aliquando finiatur error. »

Non multo post haec Innocentius mortuus est, eique Zosimus die 18. Martii anno 417. suffectus fuit. Ut praeteream quae Pelagius Innocentio scribenda curavit, cum se et Caelestium damnatum esse comperit, et quibus artibus conatus est se defendere, perstringam potius ea, quae statim post Zosimi electionem evenerunt. Scilicet ubi primum ad eos nuntius pervenit, Zosimum Innocentio successisse, occasionem se nactos esse putaverunt opportunam ad causae conditionem meliorem efficiendam. Caelestius igitur praepropere Romam venit, ut Zosimo illuderet. Atque ad eos statim se convertit, quos gratia, et auctoritate valere, et sibi rebusque suis amicos esse putabat, praesertim vero apud Xistum Romanae Ecclesiae presbyterum (qui deinde Xistus III. fuit), quem magnum causae suae patronum esse Pelagiani iactabant, nihil omisit, ut eum benevolum habere in negotii sui pertractatione posset.

Conquestus est, nimis praecipiti iudicio, in Africa, et Romae, de sententia Pelagii, et sua actum fuisse, se inauditos damnatos esse, Episcopos duos Gallicanos sibi infensos ad se Pelagiumque perdendum plurimum contulisse, de doctrina autem Pelagii, et sua, ita loquebatur, ut dum callide errores tegere conabatur, catholicum interea se esse cuperet persuadere; multa de rebus, ad fidem catholicam pertinentibus de quibus is non accusabatur, se credere affirmans; ea vero quae ad causam pertinebant, subdole vix attingebat. De ea re Augustinus ait de pecc. orig. c. 23: « Cum in libello, quem Romae dedit, cum fidem suam a Trinitate unius Deitatis, usque ad resurrectionem qualis futura est mortuorum, de quibus eum nullus interrogaverat, et unde nulla quaestio movebatur, quantum dicere libuit, explicasset, etc. » Praeterea asseverabat, se illa damnaturum quae Sedes Apostolica damnasset, Innocentii sententiam se suscipere, optare se, ut in quibus erraverat, corrigeretur.

Cum Innocentius ipse scripsisset, Pelagium, Caelestiumque si emendassent quae senserant, posse veniam impetrare, mirum esse non debet, Zosimum Caelestio ita loquenti se benignum exhibuisse, et putasse, hominem ita agentem haereticae sententiae non adhaerere. Postquam igitur in Basilica s. Clementis Caelestium Zosimus audivisset, litteras ad Episcopos Africanos scripsit, in quibus nihil quidem immutabat de iis, quae Innocentius iudicaverat, sed cum existimaret Caelestium vere, non callide, loqui secundum allatas ab eo querelas, explicabat mentem suam Zosimus, atque iubebat, Romam intra duorum mensium spatium mitti ab Episcopis Africanis debere « qui praesentem redarguant aliter sentire, quam libellis, et confessione contexit, aut nihil post haec tam aperta, et manifesta, quae protulit, dubii Sanctitas Vestra resedisse cognoscat. »

Alias etiam, easque graviores de eadem re ad Africanos Episcopos Zosimus litteras misit, postquam epistolam accepit a Pelagio scriptam cum Innocentii decretum audivisset: Pelagii autem epistola, et professio fidei eidem adiecta, in eandem sententiam scripta erat, qua Caelestius Romae de iudicio in Pelagiana causa facto conquestus fuerat. Epistolae praeterea Pelagii Praylus Hierosolymitanus Episcopus Ioannis successor litteras adiunxerat, quibus Pelagium, quem Catholicum esse credebat, Pontifici plurimum commendavit. Zosimus igitur Pelagii, et Prayli epistola commotus, gravius ad Africanos scripsit, et vehementius agen-

di rationem reprehendit, qua in Africa, Pelagii, et Caelesti causa pertractata fuit.

Africani Episcopi haec valde moleste tulerunt: Zosimo igitur primum scripserunt, eum precantes ne quid novi in Pelagiana causa statueret, antequam ad eum Synodi Africanae tunc habendae relatio mitteretur, quae Synodus anno 418. habita est, et ex qua litterae eiusmodi ad Zosimum missae sunt, ut penitus omnes Caelestii, et Pelagii fraudes detegere potuerit. His autem litteris acceptus, cum Caelestium ad *audientiam pleniorem* Zosimus vocasset, is vero intellexisset, Africanorum Episcoporum litteris, omnia, quae falso conatus erat Pontifici persuadere, esse detecta, Roma fugit. Vidit Zosimus negotium non esse ad aliud tempus differendum, quare cum perspiceret, homines fraudulentos se decipere molitos esse, Caelestium, Palagiumque, omnemque eorum doctrinam, in Africanis Synodis, et ab Innocentio proscriptam, damnavit, missa etiam ad universos totius orbis Episcopos epistola, quam Marius Mercator *tractoriam*, seu *tractatoriam* appellavit.

Tunc vero omnibus apparuit quam falso Pelagiani Xisto Romano presbytero, veluti causae praecipuo patrono gloriarentur. Ut enim a se infamiam propulsaret, coram frequentissimo populo, primus in Pelagium, ac Caelestium anathema pronuntiavit. Hoc autem Xisti facto Africani gratulati ita sunt, ut eiusdem litteras, quibus de ea re Aurelium certiorem faciebat passim illi exscribendas, vel sibi ab amicis legendas curarent. « Quid enim gratius legi, vel audiri potest, quam gratiae Dei tam pulchra defensio adversus inimicos eius, ex ore eius, qui eorundem inimicorum patronus ante iactabatur? » ait Augustinus ep. 104. Episcopi Africani interea, accepto nuntio condemnationis Pelagianorum Romae factae, et Zosimi litteris de sententia in illos pronuntiata, concilium totius Africae plenarium habentes in secretario Basilicae Fausti, die prima maii anno 418 haeresim Pelagianam iterum damnaverunt: et Pontificis Zosimi sollicitudinem apostolicam vehementer laudaverunt. Concilio autem interfuerunt ducenti quatuordecim Episcopi, ut Prosper scribit contra Collatorem cap. 10.

Abusi sunt Zosimi Pontificis facto, cum Caelestio nimia facilitate Romae pertractantis, ii, qui occasionem quamlibet libenter amplexi sunt de Pontificibus Romanis detrahendi, itemque ii, qui denegarunt, Pontificem Romanum infallibilitate praeditum esse cum ex cathedra de rebus ad fidem, moresque spectantibus definitionem aliquam facit, prout constat legenti defensionem declarationis Cleri Gallicani anni 1682 l. 9 cap. 35, quo loco de Zosimo agitur, veluti de Pontifice, qui in fidei negotio manifeste graviter deceptus sit, eo quod in suis duabus primis ad Africanos Episcopos epistolis, Caelestium, eiusque libellum sibi oblatum, catholicum appellaverit. Haec autem quam iniuria de Zosimo Pontifice scripta sint, tum historiae ipsius consideratio ostendit, tum doctissimi viri demonstraverunt, qui Pontificum Romanorum defensionem in ea re susceperunt, prout fecit Cardinalis Orsius in opere *de irreformabili Romani Pontificis in definiendis fidei controversiis iudicio* t. 2 p. 132 et seqq.

Neque id certe difficile est persuadere, Zosimum in fidei negotio graviter deceptum dici non posse, ob ea, quae cum Caelestio gessit. Primum quidem, etiamsi concedere aliquis vellet, id quod falsum est, eum, cum Caelestium catholicum appellavit, in fidei negotio errorem commisisse, ad causam tamen propugnandam eorum, qui inficiantur Romanos Pontifices infallibilitate, seu firmitate in fidei controversiis dirimendis praestare, ad causam, inquam, istam, propugnandam, necessario requireretur hanc Zo-

simi scribendi rationem ad Episcopos Africanos, numerari debere inter definitiones eas, quae ex *Cathedra* factae dicuntur. De his enim tantummodo quaestionem illi instituunt. Verum id non potest ullo modo probari, si duae illae epistolae considerentur, quas Pontifex ad Africanos scripsit.

Etenim nihil ille de Innocentii sententia immutavit, nihil novi definivit, sed Caelestium non legitime condemnatum existimans, et catholicum etiam esse animo suo reputans, petiit ab Africanis in prima sua epistola ut intra duos menses Romam mitterent, qui coram agerent, et ostenderent illum subdole, ac falso retulisse quae retulerat. Altera vero epistola haec Zosimus affirmavit: « Idcirco noverit fraternitas vestra, nihil nos post illas, quas superius litteras vestras accepimus, immutasse, sed in eodem cuncta reliquisse statu, in quo dudum fuerunt, cum hoc nostris litteris vestrae indicavimus sanctitati, ut illa, quae a vobis ad nos missa erat, obtestatio remaneret, quia numquam temere quae diu sunt tractata, sinuntur, nec sine magna deliberatione statuendum est, quod summo debet disceptari iudicio.» Est igitur perspicuum non modo definitionem ex cathedra, sed nullam prorsus definitionem his litteris Zosimi contineri. Id autem aperte demonstrat, quam leve fuerit, ex Zosimi isto facto argumentum desumere ad ostendendum, Romanos Pontifices infallibiles minime esse, cum de controversiis ad fidem spectantibus ex cathedra decernunt.

Sed hac omissa animadversione, patet omnino Zosimum accusari iure non posse veluti in fidei negotio errorem aliquem commiserit, cum se benevolum Caelestio demonstravit. Itaque certum errasse, quod, cum Caelestius animo haereticus esset, ille tamen permotus eiusdem loquendi, et agendi ratione Romam adhibita, putaverit haereticum eum non esse. Hic autem Zosimi error aliud non continet, nisi eum in praeconcepta opinione de interna Caelestii sententia personali deceptum esse. Quid vero hoc commune habet cum infallibilitate, qua Romanos Pontifices praeditos esse propugnamus, cum ea non de opinione circa personalem aliquam internam qualitatem, sed de decretis dogmaticis, a Pontificibus ex cathedra editis intelligatur? Neque vero existimandum est, temere, et sine iusta ratione Zosimum eam opinionem de interna Caelestii sententia suscepisse, ut illum, eiusque libellum catholicum appellare potuerit.

Etenim de Caelestio potuit habere prae oculis id, quod ad statuendum, num aliquis haereticus existimari debeat, plurimum valet, scilicet, non errorem contra Ecclesiae doctrinam tantummodo, sed erroris adversus Ecclesiae doctrinam defendendi pertinaciam praecipue haereticum constituere. Iam vero Caelestius affirmaverat, se paratum ea corrigere, quae in se emendatione digna reperta fuissent. Praeterea se damnare errores omnes dixerat, quos Innocentius I damnaturum esse promiserat, et quaecumque Sedes Apostolica damnasset. Si haec ex animo pronuntiasset Caelestius, quemadmodum vere illum haec affirmare Zosimus arbitratus est, internam certe haereticam sententiam tunc eum habere, existimari non poterat. Si ergo his adductus Zosimus, eum catholicum appellavit, perspicuum est, Pontificem non temere, et sine iusta causa id fecisse.

Confirmantur haec D. Augustini testimonio lib. 2 ad Bonifacium c. 3. Inquit enim: « Cum hoc (scilicet errorem circa peccatum originale) Caelestius in suo libello posuisset inter illa dumtaxat, de quibus se adhuc dubitare, et instrui velle confessus est, in homine acerrimi ingenii, qui profecto si corrigeretur, plurimis profuisset, voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est; et propterea libellus eius catholicus

dictus est, quia et hoc catholicae mentis est, si qua forte aliter sapit, quam veritas exigit, non ea certissime definire, sed detecta, et demonstrata respuere. Hoc in illo factum esse probabatur, quando se litteris beatae memoriae Papae Innocentii, quibus de hac re dubitatio tota sublata est, consentire respondit.»

Longe diversus fuisset Zosimi error, si quemadmodum Caelestius in suo libello affirmaverat, primi parentis peccatum in posteros non propagari pronunciasset. Nam ita nefariam haeresim ille certe docuisset, eiusque error ad fidei materiam prorsus pertineret. Verum negare omnino possumus haec umquam probata, aut pronuntiata a Zosimo fuisse: nullum enim est monumentum, quo id ostendi queat: Augustinus vero, neque voce, neque scripto id umquam affirmatum a Pontifice fuisse memorato c. 3 lib. 2 ad Bonifacium confidenter testatus est. « Quaenam, inquit, tandem epistola venerandae memoriae Papae Zosimi, quae interloquutio reperitur, ubi praeceperit credi oportere, sine ullo vitio peccati originalis hominem nasci? Nusquam prorsus haec dixit, numquam omnino conscripsit. »

Non modo autem nullum adest monumentum, quo ostendatur, Zosimum in hunc errorem incidisse, sed etiam perspicuo eiusdem Pontificis facto evincere possumus, eum errorem quo peccatum originale in homines propagari denegatur, improbasse etiam tunc, cum adeo benevole Caelestium alloquebatur. Constat enim ex historia quaestionis, quam de Caelestii fide Zosimus instituit, atque Augustini testimonio lib. de peccato originali c. 6 et 7, Zosimum voluisse a Caelestio probari quae Innocentius in epistola ad Africanos docuerat, atque illa damnari, quae Caelestio obiecerat de his erroribus Paulinus Ambrosii diaconus: notum vero omnibus est, Innocentium in sua illa epistola, catholicam de peccati primi hominis in universum humanum genus propagatione sententiam docuisse; Paulinus autem in Synodo Carthaginiensi, Caelestio obiecerat, eum peccatum originale veluti commentitium reiicere: Caelestius ea omnia libenter se accipere respondit, quae Innocentius decreverat, et damnare se quaecumque Sedes Apostolica damnasset. Ostendit igitur Zosimus quae mens sua esset de peccato originali, ita, ut insigni facto docuerit se ab illo errore penitus alienum esse. Quanam ergo ratione accusari Zosimus potest veluti si nefarium errorem de peccato originali minime in homines propagato amplexus fuisset?

Quod si facile ostendimus Zosimum in errorem illum, quem diximus, non incidisse, non est difficilius probare. Pontificem neque illum errorem commisisse, ut eas propositiones, quibus Caelestius originale peccatum denegaverat, catholicas esse declaraverit, si eo sensu acceptae fuissent, quem eius verba, atque totius eius sententiae, ac libelli ratio, vel contextus requirebat. Hoc enim si commisisset Zosimus, accusari posset de errore patrato in facto dogmatico iudicando. Ut autem ostendamus neque hac ratione Zosimum errasse, argumentum afferemus, quo manifeste patebit, Pontificem libelli Caelestii sensum obvium, ac naturalem prorsus reiecisse, et petiisse a Caelestio, ut ipse quoque illum sensum improbaret.

Quisnam esset obvius, ac naturalis libelli Caelestii sensus circa peccatum originale, Augustinus tradit c. 6 *de peccato originali*, atque id ex Caelestii libello deprompsit. Haec autem erat de ea re libelli sententia: « In remissionem autem peccatorum baptizandos infantes non idcirco dicimus, ut peccatum ex traduce firmare videamur: quod longe a catholico sensu alienum est, quia peccatum non cum homine nascitur, quod postmodum exercetur ab homine, quia non naturae delictum, sed voluntatis esse demonstratur. »

Quanam vero ratione constet, Pontificem Zosimum petiisse a Caelestio, ut improbum hunc, nefariumque sensum propositionis suae reiiceret, habetur ex eo, quod voluerit, Caelestium ea omnia probare, quae Innocentius Pontifex decreverat. Atqui Innocentium catholicam de peccato originali doctrinam tradidisse explorata res est. Praeterea voluit Zosimus ea damnari a Caelestio, quae Paulinus Diaconus illi concilio Carthaginiensi obiecerat. Quid vero inter accusationes suas Paulinus attulerat? Scilicet, quemadmodum Augustinus habet de *gestis Pelagii* cap. 11, illum accusavit, quod doceret « quoniam peccatum Adae ipsum solum laeserit, et non genus humanum.... quoniam infantes nuper nati in illo statu sunt, in quo Adam fuit ante praevaricationem. »

Scio quidem Caelestium nihil curasse ea, quae Paulinus obiecerat, et in eo tantum perstitisse, ut affirmaret, se penitus Innocentii sententiae adhaerere, et se obtemperare, atque obtemperaturum iis quae Sedes Apostolica statuisset. Quod si de Paulino nihil habet Caelestius, ipse tamen Pontifex quam diverso sensu a Caelestii mente acciperet quae ad eius propositiones propugnandas is scripserat, manifestum omnino est. Ostendit enim id, mentem Zosimi fuisse, obvium ac naturalem Caelestii libelli sensum improbare. Quamquam enim nihil de Paulino curaverit, constat tamen Paulini accusationem veritati consonam a Zosimo repertam esse, atque idcirco, sic Caelestium dimisit, ut videretur omnino, impium de illius doctrina contextum reiecisse. Haec autem satis per se sunt, ut ostendant, nefario Caelestii sensui se Zosimum opposuisse. Quomodo igitur affirmari potest, Pontificem Caelestii errori se consentaneum demonstrasse?

His adiungendum est, Zosimum deinde, solemniori decreto, eoque ad totius orbis Episcopos misso, Pelagium, Caelestiumque, omnesque eorundem haeresis errores damnasse. Hoc autem ille fecit, ubi primum intellexit, Caelestium falso explicasse quae in libello suo exposuerat. Ergo Zosimus idcirco Caelestium haereticum tunc putavit, quod ille proprio sensu, quem verba praeseferebant, contextum libelli explicaret. Quare obvium istum, ac naturalem sensum a Zosimo reiectum esse dicendum est.

Haec, quae attulimus, ad Zosimum defendendum satis sunt. Quod spectat vero ad reliqua, quae in Pelagiana causa, post ea quae diximus evenerunt, haec cursim significabimus. Videlicet, volente Zosimo, Episcopos omnes Ecclesiae, eius tractoriae, vel tractatoriae, epistolae de Pelagianae haeresis condemnatione subscripsisse, exceptis Episcopis decem et octo, quorum princeps obstinatione, et pervicacia Iulianus Episcopus Aeclanensis fuit, qui Episcopatu spoliati, et exsilio affecti idcirco fuerant; ab Honorio Imperatore Pelagium, et Caelestium ex universo imperio Romano pulsos esse; iactatam a Pelagianis appellationem ad concilium Generale, omnium suffragio fuisse contemptam, et audaciae, ac veluti temeritatis plenam ab omnibus esse reiectam; Concilium Ephesinum ipsum oecumenicum, cum eo Iulianus, nonnullique alii Pelagiani venissent, illos, et eorum errores duobus canonibus editis condemnasse. Denique eorum sectam, praeter Augustini Hipponensis singulares labores, auctoritate Pontificum Romanorum, Caelestini I, Xisti III, Leonis Magni, Gelasii I fuisse repressam.

Non sunt tamen hic penitus praetereundi Semipelagiani, hac ratione appellati, quia, licet pleraque Pelagianorum placita non docerent, in eo tamen, inter ceteros errores suos, praecipue peccabant, quod divinam interiorem gratiam, necessariam negarent vel ad primos illos voluntatis conatus, a quibus obtinendae salutis studium exorditur. Vetera omnia

monumenta de hac causa demonstrant, hoc prorsus sensisse Semipelagianos, atque idcirco Innocentius X inter Iansensii Yprensis propositiones illam num. 4 damnavit uti falsam, et haereticam, in qua statuitur: « Semipelagianos admisisse interioris gratiae necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; et in hoc fuisse haereticos, quod vellent, eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare. » Cassianus, quondam Ioannis Chrysostomi auditor, et ab eo diaconus ordinatus, Massiliae Semipelagianorum auctor fuit, qui cum magno numero ibi deinde fuerint, *Massilienses* quoque sunt appellati. Ex opere, quod *collationes Patrum* Cassianus inscripsit, errores Semipelagiani tum Massiliae, tum apud monachos in Insula Lerina, tum in Arelatensi, ac Lugdunensi dioecesi disseminati sunt. Augustinus eos etiam invicte confutavit: Caelestinus I autem Pontifex, scripta celeberrima ad Galliae Episcopos epistola, Augustini obtrectatores graviter reprehendit, et multa de Augustini laudibus pronuntiavit. Semipelagianis vero in posterum haeresis nota inusta est. Postquam enim Gelasius, et Hormisdas Cassiani, et Fausti Reiensis libros damnassent, anno 529 synodus Arausicana II habita est, in qua, ex Apostolicae Sedis auctoritate 25 canonibus editis, Semipelagiani errores damnati sunt. Mortuo autem Felice IV Pontifice, a quo canonum istorum confirmatio postulata fuerat, Bonifacius II qui illi anno 530 suffectus est, pontificiam confirmationem iis decretis adiecit. Praeter ceteros Historiae Ecclesiasticae scriptores, legi debet de memorato superius haereticorum genere, eruditissimi Cardinalis Henrici Norisii *Historia Pelagiana,* ut quae ad illam pertinent, fuse, ac certe cognoscantur.

CAPUT LII.

DE APIARII PRESBYTERI DIOECESIS SICCENSIS IN AFRICA AD ZOSIMUM PONTIFICEM APPELLATIONE.

Inter ea, quae, Zosimo Pontificatum gerente, contigerunt, celebris imprimis est controversia, quae de appellationibus cum Africanis Episcopis pertractata fuit, et de qua sub Bonifacio, et Caelestino I Zosimi successoribus actum etiam est. Apiarius Siccensis Ecclesiae in Africa presbyter, ab Urbano Episcopo suo depositus, et Ecclesiae communione privatus fuerat. Ab Episcopi sententia Apiarius ad Romani Pontificis iudicium provocavit, et Romam se contulit, ut ibi appellationis negotium prosequeretur. Zosimus autem accipiendam Apiarii appellationem existimavit, licet Episcopi Africani contenderent morem Africae proprium esse, ut presbyteris, ceterisque clericis inferioribus, qui ab Episcopis suis damnati fuissent, ad Romanum Pontificem appellare non liceret. Rem veluti novam, et Africanae Ecclesiae disciplinae contrariam existimarunt Episcopi Africani, eamque ita graviter tulerunt, ut quod numquam antea fecerant, in Synodo anno 418 canonem ediderint, quo eiusmodi appellationes prohibebantur.

Zosimus, qui iura potestatis suae servanda esse intelligebat, rem autem de qua controversia excitata fuerat cupiebat prudenter, et quanta poterat tranquillitate tractari, causam Apiarii Romae definiendam non censuit, sed legatos in Africam misit, qui una cum episcopis finitimis in Apiarii causam inquirerent. Id officii contulit Faustino Potentiae Episcopo, Philippo, et Asello Romanae Ecclesiae presbyteris: in ipso

concilio, anno 418 in Africa habito statutum fuerat, « placere ut Presbyteri, Diaconi, vel ceteri inferioris ordinis clerici in causis, quas habuerint, si de iudiciis Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos audiant. » Quare ut de Apiarii causa a finitimis Episcopis cognosceretur, non poterat ab Africanis Episcopis graviter ferri, cum id apud eos veluti commune esse deberet.

Quod vero Africanis molestum erat, contineri tantummodo poterat in Apostolica Delegatione, quam in Apiarii causa decreverat Zosimus. Ut autem hac etiam in re moderationem suam Zosimus exhiberet, canonem 5 seu 7 Sardicensem, ac 17 in commonitorio allegavit, eorundem vero canonum usum, non per scripturam tantum, hac in re Africanis Episcopis Legati exponere debebant, sed etiam verbis explicare. Itaque Faustinus in concilio anno 419 Carthagine habito ait: « Iniuncta nobis sunt a Sede Apostolica, aliqua per scripturam, aliqua etiam in mandatis. . . . sicut in gestis superioribus meminimus.» Praeterea Zosimum sibi praecepisse ait Faustinus, ut de canonibus illis agens, « conserventur, et constituta eorum et consuetudo; quia et aliquo ordine, et canone tenentur, aliqua consuetudine firmata sunt. »

Canones vero Sardicenses, in commonitorio adducti, licet canones essent in concilio Sardicensi editi, Nicaeni tamen canones a Zosimo sunt appellati, quemadmodum in Romanae Ecclesiae codicibus inscripti reperiebantur. Cum legati canones, quos memoravimus, attulissent, Episcopi Africani, tamquam Nicaenos illos appellari mirati sunt, cum in Nicaenorum canonum exemplaribus, eos non reperirent: miserunt igitur Constantinopolim, Alexandriam, et Antiochiam legatos, qui ab earundem Ecclesiarum Episcopis peterent ut fieret Nicaenorum canonum inquisitio, ac appareret, utrum in exemplaribus, quae Alexandriae, Antiochiae, et Constantinopoli erant, invenirentur canones, quos veluti Nicaenos Zosimus appellabat. Interea ut ostenderent suam erga Romanum Pontificem observantiam Apiario pristinum gradum, et communionem restituerunt, qui tamen ab Ecclesia Siccensi discedens, in dioecesim Tabracenam translatus est.

Diligentissima facta est inquisitio in tabulariis Alexandrino, Antiocheno, et Constantinopolitano, at in eorum nullo canones illi Nicaeni reperti fuerunt. Quare ad Bonifacium I Romanum Pontificem, qui Zosimo suffectus fuerat, Episcopi Africani scripserunt, eundemque certiorem fecerunt, Zosimum quidem nonnullos canones Nicaenos in Apiarii causa adduxisse, eos tamen inter Nicaenos prorsus non recenseri.

Anno 426 cum Caelestinus I Pontificatum gereret, iterum de Apiario Romanum Pontificem inter, et Episcopos actum est. Nam Apiarius novorum criminum reus, iterum depositus fuerat, et ab Ecclesia Tabracena communione privatus. Contulerat vero se Romam, ut suam coram Caelestino causam ageret, et Caelestinus Apiarii fraudibus circumventus, eum veluti innoxium habuerat, ac communioni restituerat. Deinde cum Faustino Potentino Episcopo eundem in Africam misit: Aurelius Carthaginiensis Episcopus, concilium totius Africae Episcoporum Carthagine habuit, in quo Apiarius scelerum suorum conscientia, et gravitate compulsus, coram Episcopis, se illorum criminum reum esse confessus est, quorum causa ab Ecclesia Tabracena fuerat condemnatus. Tum Aurelius, ac plures Africani Episcopi occasionem opportunissimam se nactos esse intellexerunt ad Romanum Pontificem de tota re scribendi, idque ita fecerunt, ut non modo conati sint ostendere, Africanis Presbyteris, et ceteris clericis inferioribus fas non esse, ab Episcoporum

iudicio ad Romani Pontificis sententiam appellare, verum etiam nonnulla posuerint, quae eorum anxietatem circa Episcoporum quoque appellationes ostendebant. His tamen minime moti sunt Romani Pontifices, qui usi sunt in posterum passim iure primatus sui proprio, ut ex Africa allatas Episcoporum, et Presbyterorum appellationes reciperent.

Istae, quas recensuimus, controversiae Zosimum inter, et Africanos Episcopos excitatae, et ad Bonifacii, ac Caelestini I Pontificatus tempora productae, historiae summam continent. Ea autem expositio tota desumitur ex actis Concilii Plenarii Carthaginiensis ab Aurelio anno 419 habiti, ex epistolis, quas Africani Episcopi ad Bonifacium, et Caelestinum Romanos Pontifices scripserunt; quae omnia Dionysius Exiguus in sua canonum collectione retulit, quam in rei memoria valde recenti, scilicet vel saeculo 5 desinente, vel 6 incipiente edidit Romae, ubi exploratum omnibus esse poterat, verane, an supposititia illa essent, quae ad huius facti historiam pertinent. Postquam vero illa monumenta edidit Dionysius, qui integritate, et historicarum rerum peritia praestabat, Latini simul, et Graeci, tot saeculis, verissima ea esse iudicarunt. Quare, cum multa graviora simus pertractaturi, necesse non esse putamus, disputationem instituere ad ea refutanda, quae Ioannes Nepomucenus Alberius, Ordinis matris Dei Scholarum Piarum, in Pestiensi Universitate Archaeolog. Bibl. Professor tom. I dissertationum *in selecta Historiae Ecclesiasticae argumenta* dissertatione 7 de canonibus concilii Nicaeni §. 4 attulit, ut historiam istam totam, veram non esse ostenderet. Nihil enim dico de Marco Antonio Cappellio Ordinis S. Francisci Conventualium, qui primitus in sua dissertatione de Africanae Ecclesiae appellationibus, factum illud Apiarii ad Sedem Apostolicam appellantis denegaverat, in altera tamen dissertationis illius editione Romae facta anno 1722, responsionibus victus, sententiam de ea re mutavit.

CAPUT LIII.

DE AFRICANORUM EPISCOPORUM SENTENTIA ET AGENDI RATIONE IN APIARII PRESBYTERI CAUSA.

Ex iis, quae Apiarii Presbyteri appellationis historiam recensentes attulimus, apparet Africanos Episcopos conquestos esse de eiusmodi appellationibus; ad Romanum Pontificem de ea re scripsisse, et in tali negotio decrevisse nonnulla, quae iis appellationibus impediendis necessaria putaverunt. Est nunc quaerendum quae vera fuerit de illo negotio Africanorum Episcoporum sententia, et quid de eorundem agendi ratione in tali controversia statui debeat.

Itaque eruditissimi Ballerinii t. 2 operum s. Leonis c. 6 observationum in primam partem dissertationis 5 Quesnelli, ostenderunt, sive acta synodi Carthaginiensis anno 419 habitae, sive epistolae Africanorum ad Bonifacium, et Caelestinum I scriptae legantur, nihil in iis inveniri, quo revera Episcopi denegarint, Sedi Apostolicae ius inesse appellationum a clericis recipiendarum. Rationum enim momenta omnia quae attulerunt, ut Romanum Pontificem adducerent ad eiusmodi appellationes non accipiendas, vel desumpta sunt ex locorum longinquitate, in qua difficile sit, omnia rerum adiuncta ad causam, in qua appella-

tio interposita esset, accurate cognoscendam, vel in dilationum, ac fraudum periculo continentur, vel in improborum hominum consilio, qui appellatione abuti possent ad scelerum suorum poenas declinandas, aut retardandas. Ipsa autem Apiarii causa exemplum huius rei perspicuum afferebat. Etsi enim iure fuisset condemnatus, et ob crimina Africanis explorata, de gradu fuisset iustissime deiectus, appellationis tamen effugio sese defenderat, et Faustinum legatum ita circumiverat, ut eius patronus potius, quam iudex videretur; id autem adeo luculenter Apiarius intellexerat, ut Faustini patrocinio fretus, licet criminum suorum conscientia convictus, tamen non ante trium dierum disceptationem, ad sceleris sui confessionem adductus sit.

Est autem perspicuum, Africanos, etiamsi his de causis, ab appellationibus clericorum recipiendis R. Pontificem deterrere conarentur, Sedis tamen Apostolicae ius in iisdem accipiendis in dubium non revocasse. Ea autem agendi ratio, qua Africani ipsi usi sunt, non modo cum prima, verum etiam cum altera legatio in Apiarii causa decreta est, debitam erga Sedem Apostolicam observantiam ostendit. Nam ubi primum Faustinus legatus in Africam missus est, licet Episcopi in Nicaeni Concilii exemplaribus canones non invenirent, quos tamquam Nicaenos Zosimus in commonitorio appellabat, tamen Apiarius in gradum pristinum est restitutus; et accepta est altera Faustini delegatio, etsi eo tempore Africani inquisitione facta intellexissent eos canones inter Nicaenos prorsus non reperiri.

Neque certe poterant Africani contra hoc proprium Romani Pontificis ius dimicare, qui vel ob primatum divinitus a Christo acceptum, in omnibus Ecclesiae causis poterat appellationes accipere, vel etiam ea de causa id poterat in Africa, ob patriarchicam dignitatem, qua in omnes Occidentis provincias, atque idcirco etiam in Africam pollet. Nemo enim potest in controversiam vocare, Romanum Pontificem, ob acceptum divinitus in universam Ecclesiam principatum, in omnes, sive Episcoporum sive ceterorum causas inquirere posse, iudicis potestatem exercere, appellationes accipere. Etenim hoc cum ipsius primatus natura coniunctum est. Legendus est autem Petrus de Marca l. 1 de concordia Sacerdotii, et Imperii c. 3, Emmanuelis Schelestratii dissertatio 6 c. 36, Henricus Valesius in Socratem cap. 7, Leo Allatius lib. 1 de consensione Orientalis, et Occidentalis Ecclesiae c. 5, Iacobus Sirmondus dissertatione 2 de Ecclesiis suburbicariis, Christianus Lupus in scholiis ad can. 6 Nicaenum, aliique, qui Salmasium, et Launoium de patriarchatus Romani finibus impugnarunt. Profecto quemadmodum non erit dubium, Romanum Pontificem, ab Apostolica aetate in omnes provincias occidentales, atque in Africam idcirco, potestatem patriarchicam obtinuisse, ita etiam erit exploratum, hoc iure patriarchico potuisse Romanum Pontificem omnium Africanorum appellationes excipere, etiamsi Episcopali dignitate non fulgerent ii, quorum negotium ageretur.

In Concilio Carthaginiensi anno 419 habito, canone 28 statutum est: « Item placuit, ut presbyteri, diaconi, vel ceteri inferiores clerici, in causis, quas habuerint, si de iudiciis suorum Episcoporum questi fuerint, vicini Episcopi eos cum consensu sui Episcopi audiant, et inter eos, quidquid causae fuerit, definiant adhibiti ab eo Episcopi. Quod si et ab eis provocandum putaverint, non provocent ad transmarina iudicia, sed ad Primates suarum provinciarum, aut ad universale concilium, sicut et de Episcopis saepius constitutum est. Ad transmarina autem qui putaverit appellandum, a nullo intra eandem provinciam, in communionem suscipiatur. »

Verbis iis, *sicut et de Episcopis*

saepius constitutum est, intelligi etiam Episcoporum appellationes ad Romanum Pontificem prohibitas fuisse, existimarunt qui ex hoc Africanorum facto argumentum susceperunt contra Sedis Apostolicae ius appellationum recipiendarum. Verum falsa est eorum sententia. Praetereo illud responsionis genus, quo ii uti possunt, qui censent memorata verba, canoni, de quo sermo est, perperam fuisse addita. Nam Ballerinii loco citato n. 27. perspicue ostendunt ea retineri oportere. Neque hac respondendi ratione opus est, ut demonstremus falsum esse, Africanos etiam Episcoporum appellationes impedire voluisse. Primo enim loco monumentis certissimis constat, Africanos, etiamsi appellationes ad Sedem Apostolicam Presbyterorum, et inferioris ordinis clericorum tamquam ab Africanae Ecclesiae disciplina alienas existimarent, ita tamen de Episcoporum appellationibus non iudicasse. Nam exploratum est, horum appellationes Africanam Ecclesiam non habuisse veluti a disciplina sua abhorrentes, cum dubium esse non possit, Episcopos ad Romanum Pontificem, ex ea Ecclesia, collegiis suis non repugnantibus, appellare consuevisse.

Satis erit ad hanc rem demonstrandam Augustini testimonium ex epistola 162 ad quosdam Donatistas Episcopos recitare, qui de Caeciliano Episcopo Carthaginiensi verba faciens quem Donatistae exauctoraverant: « Posset, inquit, non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cum se videret, et Romanae Ecclesiae, in qua semper Apostolicae cathedrae viguit principatus, et ceteris terris, unde ipsum Evangelium in Africam venit, per communicatorias litteras esse coniunctum, ubi paratus esset causam dicere, si adversarii eius ab eo illas Ecclesias alienare conarentur.... Neque enim de Presbyteris, aut Diaconis, aut inferioris ordinis clericis, sed de collegiis agebatur, qui possent aliorum collegarum, praesertim Apostolicarum Ecclesiarum iudicio causam suam integram reservare... cum sibi praesertim videret, apud Ecclesiam transmarinam, a privatis inimicitiis, et ab utraque parte dissensionis alienam, incorruptum, et integrum causae suae examen remanere. » Nisi vero Augustinus hoc in loco doceat, exploratum in Africa, usitatumque fuisse, et aetate sua esse, Episcopos posse omnino ad Romanum Pontificem appellare, nescio utrum quidquam certum ex perspicua veterum scribendi ratione demonstrari possit.

Praeterea ea verba quae notavimus, non referuntur ad primam canonis partem *non provocent ad transmarina iudicia,* sed ad alteram, hoc est, ad canonis locum, ubi dicitur *ad Primates suarum provinciarum, aut ad universale concilium;* ut, scilicet, intelligi debeat, ibi decretum esse, Presbyteros, ceterosque inferiores clericos, appellare debere non ad Sedem Apostolicam, sed ad Primatem, ac concilium universale Africae, quod de Episcopis statutum fuerat, qui tamen poterant et ad Romanum Pontificem appellare. Etenim ante illud tempus presbyteris, post Episcopi sui iudicium, provocatio patebat tantum ad vicinos sex Episcopos, qui eorundem causam definiebant, quemadmodum Augustinus epistola 65 anno 402 scripsit: « Sex Episcopis causam Presbyteri terminari, Concilio statutum est, » Hipponensi videlicet anno 393 et Carthaginiensi anno 397 habito. Post Apiarii autem appellationem, novo iure inductum est, ut qua ratione Episcopi ad Primatem, et ad concilium universale Africae appellare possent, quin iis vetitum esset ad Romani Pontificis auctoritatem confugere, ita etiam Presbyteri, ceterique clerici possent ad Primatem, et Concilium Africae universale provocare. Hinc Episcopi Africani in epistola ad Caelestinum, ut ob novum hoc ius ostenderent, necessariam non esse clericorum appellatio-

nem ad transmarina: «Maxime quia, inquiunt, unicuique concessum est, si iudicio offensus fuerit cognitorum, ad concilia suae provinciae, vel universale provocare. »

Tandem qua ratione constat, nullum apud Africanos umquam inveniri potuisse decretum, quo Episcopis prohiberetur appellatio ad transmarina, ita etiam certum est, saepius Episcopis constitutos fuisse Iudices, vel Primates, vel concilium universale Africae, prout apparet ex Concilii Hipponensis anno 393, Carthaginiensis anno 397 habiti, aliorumque Conciliorum decretis. Ille igitur memorati canonis locus, *sicut et de Episcopis saepius constitutum est*, ad Primates quidem provinciarum, vel ad Concilium universale Africae, non autem ad transmarina iudicia, seu ad appellationes Romanas referendus est.

Neque ex eo, quod Africani Episcopi in epistola ad Caelestinum, non modo de presbyterorum, reliquorumque inferiorum clericorum appellationibus, verum etiam de Episcoporum ad Apostolicam Sedem provocationibus loquantur, sequitur, eos utriusque generis appellationes habuisse veluti ab Africanae Ecclesiae disciplina alienas. Nam alia ratione de Presbyterorum, ac ceterorum clericorum appellationibus, alia de Episcoporum provocationibus, in ea epistola sermo fit. «Presbyterorum, inquiunt n. 3, et sequentium clericorum improba effugia, sicut te dignum est, repellat Sanctitas tua, quia et nulla Patrum definitione, hoc Ecclesiae derogatum est Africanae. » De appellationibus vero Episcoporum ad Sedem Apostolicam aiunt n. 2: «Deprecamur, ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non facilius admittatis, nec a nobis excommunicatos in communionem ultra velitis excipere. » Post allatum autem Nicaeni Concilii decretum: « Nam etsi, inquiunt, de inferioribus clericis, vel laicis videtur ibi praecaveri, quanto magis hoc de Episcopis voluit observari, ne in sua provincia a communione suspensi, a tua Sanctitate praepropere, vel indebite videantur communioni restituti? » Nihil vero tam facile cuique haec illius epistolae loca occurrit, quam Episcopos Africanos, presbyterorum, ac reliquorum clericorum inferioris ordinis appellationibus restitisse, contendentes, eas ab Ecclesiae suae moribus, ac disciplina abhorrere, de Episcoporum autem appellationibus, Pontificem rogasse tantummodo, ut aliquanto rariores eae fierent, utque iis abusibus prospiceretur, qui ex appellationum frequentia, atque in illis accipiendis facilitate oriri poterant.

Haec autem Africanorum agendi ratio manifeste eorundem sententiam prodit, Episcoporum appellationes ad Romanum Pontificem in Africa usitatas esse, ac impediri non posse. Qui enim precatur tantummodo ut aliquid adeo frequenter non fiat, et impediantur abusus, qui in eius generis negotio locum habere possent, si absque opportuna prudentia tractetur, is certe rei usum, non modo non impugnat, verum etiam tamquam certum, et extra controversiam positum esse demonstrat.

Reliquum est ut illud etiam consideretur, quomodo scilicet contigerit, ut a Zosimo canones commonitorio adhibiti sint, qui de Episcoporum appellationibus agunt. Nam inde argumentum desumi posset, ut ostendatur, etiam de persuadendis Episcoporum appellationibus ad S. Sedem Zosimum agere debuisse. At verba Faustini superius allata explicant, quamobrem in Presbyteri causa, canones adducti sint de Episcoporum appellationibus pertractantes. Scilicet, inquit Faustinus in Concilio anno 419 habito, de Nicaenis canonibus conservanda esse constituta eorum, et consuetudinem, quod aliqua *ordine, et canone* teneantur, aliqua *consuetudine* firmata sint. Profecto haec canonis, et consuetudinis distinctio, idcirco a Faustino facta est,

ut diceret recte potuisse eos canones in Presbyteri causa referri. Canone enim constabat, probatam esse delegationem apostolicam in appellationibus, consuetudo autem ostendere poterat, delegationem in Episcoporum appellationibus probatam, usu etiam receptam esse in provocationibus Presbyterorum, ceterorumque inferioris ordinis clericorum.

Hac vero agendi ratione Faustinus consequebatur, ut Africani Episcopi non obniterentur, si quod de primi generis appellationibus decretum fuerat, id in Apiarii Presbyteri appellatione recipiendum esse statueretur, cum praesertim legati Sedis Apostolicae, ea de causa in Africam missi, non soli sed cum finitimis Episcopis, secundum Africanam disciplinam iudicare deberent. Intelligitur ergo quomodo potuerint canones de Episcopis agentes, in Presbyteri causa a Zosimo adduci, et apparet, hos canones non ideo fuisse adductos, quod Episcoporum etiam ad Sedem Apostolicam appellationes in controversiam tunc vocarentur. Atque haec satis sunt ad huius controversiae statum intelligendum, atque ad evincendum quemadmodum tota res pertractata fuerit.

Esset hic locus de iis loquendi, quae Card. Luzernius ex instituto operis sui disputans, in defendenda declaratione conventionis Cleri Gallicani anni 1682 contendit, ut ad propugnandas opiniones suas ex controversia ista argumentum desumat. Verum necesse non est haec fuse pertractare. Quae enim hactenus attulimus, satis luculenter ostendunt, observantiam omnem Sedi Apostolicae Episcopos Africanos demonstrasse, cum Presbyterum, qui appellaverat, communioni restituerunt, antequam canones Nicaeni a Zosimo citati reperirentur. Postulasse vero horum canonum notitiam memoratos Episcopos, Pontificem autem Romanum ad ius suum confirmandum canones Sardicenses attulisse, minime potest explicari veluti si illud ius canonibus tantummodo inniteretur. Satis enim perspicuum est ex canonum ipsorum Sardicensium contextu, illud ius accipiendi appellationes, ex lege ecclesiastica profectum non fuisse.

CAPUT LIV.

DE HAERESI NESTORIANA, DEQUE CONCILII EPHESINI GENERALIS CELEBRATIONE IN EA CAUSA.

Nestorius Germanicia in Syria oriundus, antea monachus, tum presbyter Antiochenus, demum, volente Theodosio II a. 418 Sisinnio Episcopo Constantinopolitano suffectus, primo Episcopatus sui anno impiam haeresim induxit, quae catholicam de Verbi Divini incarnationis mysterio doctrinam funditus evertebat. Duas enim in Christo naturas non hypostatice, sed moraliter coniunctas esse contendit, et propterea duas in Christo personas, et Sanctissimam Virginem non Θεοτόκον, sed Χριστοτόκον esse iactavit. Blasphemiarum praecones habuit Dorotheum quendam Episcopum, et Anastasium Presbyterum, qui anathema in eos dixerunt, qui B. Virginem Deiparam appellassent, Nestorio in templo sedente, atque haec impia probante. Cum populus haec audiens horresceret, Eusebius causarum patronus, deinde Episcopus Dorylaei, palam contra blasphemias, catholicorum nomine protestatus est. Nestorius in errore perseverans, conatus est statim illum per Aegyptum spargere, atque idcirco impia scripta sua in Aegyptum misit, quae causa fuit, ut Cyrillus Alexandrinus continuo catholici dogmatis defensionem contra Nestorium susceperit.

Caelestinus Pontifex de his rebus

certior factus, Nestorii audaciam comprimendam curavit, et, habito Romae Concilio anno 430, oppugnavit. Nam in eo Concilio summa haec impietas, et blasphemia condemnata est, damnatus Nestorius, iussumque, eum, nisi vellet depositionis poena mulctari, intra decimum a denunciatione diem Alexandrinae catholicae confessioni subscribere. Perspicuum vero afferunt Caelestini prudentiae, ac studii, ut Ecclesiae causa felicem exitum haberet, testimonium illae epistolae, quas e Synodo scripsit, ad Cyrillum scilicet Alexandrinum Episcopum, qui tamquam Sedis Apostolicae Vicarius negotii huius curam gerere deberet, ad Nestorium ut resipisceret, et gravissimorum scelerum, quorum reus evaserat, poenitentiam ageret, ad Clerum Constantinopolitanum, ut suam in fide catholica retinenda constantiam ostenderet, ad Ioannem Antiochenum, Rufum Thessalonicensem, Iuvenalem Hierosolymitanum, Flavium Philippensem Episcopos, ut cum maiores Orientis Ecclesias regerent, fidei causam strenue agerent, ac tuerentur. Cyrillus officio suo egregie functus est, et duodecim anathematismos Nestorio subscribendos edidit, quos ille ad se missos sprevit, quibusque totidem suos opposuit anathematismos, quorum singuli blasphemiam continebant. Theodosium vero Imperatorem in Cyrillum commovit, ipsius anathematismos de Apollinaristarum haeresi suspectos affirmans.

Tum, Caelestino postulante, ac iubente, Theodosius Oecumenicam Synodum Ephesi die Pentecostes anno 431 habendam indixit, quod ceteroquin non contigit, cum die 22 Iunii eiusdem anni Concilio initium factum sit. Celebratum est autem partim in Memnonis Ephesini Episcopi aedibus. Episcoporum vero numerum, qui Synodo interfuerunt, ducentos decem et octo non superasse ostendunt eruditi viri. Caelestinus Concilio praefuit per suos legatos Cyrillum, videlicet Alexandrinum, Arcadium, ac Proiectum Occidentales Episcopos, et Philippum Romanae Ecclesiae Presbyterum, qui tres postremi, ob itineris difficultatem, Ephesum pervenerunt, cum Concilium iam haberi coepisset.

Ephesum contenderat Nestorius, sed ter invitatus Concilio adesse, detrectaverat. Quamobrem, lectis, quae eius causam continebant, Scripturarum, Patrumque testimoniis recitatis, praecedentium Conciliorum prolatis symbolis, confirmatis Cyrilli adversus Nestorium anathematismis, eius errores, quos indicavimus, damnati sunt. Unam in Christo esse personam Divinam, Mariam Virginem vere dici, et esse Θεοτόκον Deiparam praedicatum est, damnatus ipse Nestorius, et de sede sua Episcopali Costantinopolitana deiectus, et confirmatae denique sunt sententiae, quas Romani Pontifices tulerant in Pelagianos. Haec vero omnia Caelestinus deinde probavit, quemadmodum eius ad Ephesinam Synodum litterae demonstrant. Septem actionibus, seu sessionibus habitis Concilium absolutum est, quod cum coepisset die 22 Iunii, usque ad exeuntem Septembrem, vel ineuntem Octobrem perduravit.

Cum Synodus Ephesina haberetur, magna rerum perturbatio facta est, eaque maxime contigit Ioannis Antiocheni Episcopi opera qui Nestorio vehementer studebat. De industria in itinere moram trahens, Ephesum venit die 27 Iunii, cum iam quinque dies lapsi essent, ex quo Nestorius fuerat condemnatus. Eam ob causam indignatus, conciliabulum eo ipso die habuit 43 Episcoporum, partim Orientalium, partim Nestorio addictorum, in quo ea gessit, quae in relatione actionis 5 ad Caelestinum Papam referuntur. « Ioannes (ita habet ea relatio) simul atque Ephesum ingressus est, antequam pulverem ex itinere contractum excussisset, rem ausus est impiam. Etenim privatum scriptum quoddam confecit, depositionisque nomen, et contumeliam impe-

git Sanctissimo Cyrillo, et Pientissimo Memnoni. Excommunicationis nomine etiam universae Synodo contumeliam fecit.... haec scripto etiam publico mandata deposuit legenda quibuslibet, theatri parietibus affigens, ut suae impietatis spectaculum exhiberet.»

His commoti Oecumenicae Synodi patres, postquam Ioannem, ceterosque eius sectatores ter frustra citassent, eum, una cum suis, communione, et sacerdotali functione privarunt, eaque irrita esse declararunt quae adversus Cyrillum, ac Memnonem in Ioannis pseudo-Synodo fuerant statuta. Schismaticis opem attulerunt Comites Candidianus a Theodosio Ephesum missus, ut omnia in Synodo ex ordine fierent, ac Irenaeus Nestorii amicus. Eorum, ac praesertim Candidiani artibus factum est, ut non modo Theodosio res ea ratione referrentur, quae a veritate prorsus abhorrebat, verum etiam, ut Episcopis, qui Synodum Oecumenicam constituebant, copia deesset mittendi ad Imperatorem suas litteras, quibus veritas factorum exponeretur. Verum cum Patres missis ad Constantinopolitanos monachos, et Archimandritas litteris, eorum opera consequuti essent, ut res omnis Theodosio explicaretur, tum Imperator praecepit, ex utraque parte ad se legatos mitti; sed ab Irenaeo Comite deceptus, in legitima Synodo Cyrillum, Memnonem, ac Nestorium damnatos esse aliquandiu arbitratus est, et omnes in privatam custodiam tradi iussit.

Verum cum rem deinde comperisset Imperator, et Nestorii contumaciam, eiusque sectatorum fraudes intellexisset, Nestorium ipsum in vetus suum monasterium depellendum decrevit, Cyrillum, ac Memnonem custodia liberavit, fecitque copiam novum in Nestorii locum Episcopum ordinandi. Ioannes demum Episcopus Antiochenus Nestorium damnavit, et Concilii Ephesini acta suscepit.

CAPUT LV.

DE CAELESTINI I. ROMANI PONTIFICIS SENTENTIA IN NESTORIANA CAUSA.

Qui vetera monumenta consideret, quae ad historiam haeresis Nestorianae pertinent, et ex quibus eiusdem historiae summam retulimus, facile intelliget, quam luculenter in eo negotio Sedis Apostolicae auctoritas se declaraverit, et quam perspicue tunc fuerit demonstratum, Romani Pontificis decreta in negotiis fidei dirimendis, per se irretractabilia esse. Contrariam sententiam auctoris defensionis declarationis Cleri Gallicani habiti anno 1682 explicatam part. 3 lib. 3 cap. 9 et seqq. a Card. Orsio in opere de irreformabili R. Pontificis iudicio in his controversiis definiendis confutatam, Card. Luzernius in opere toties citato iterum defendit, et meretur ut etiam hoc in loco a nobis refellatur.

Quaenam vera sententia sit hac in re, ostendi necessario debet vel ex iis, quae Caelestinus I Legatis suis facienda commisit, vel ex iis, quae a Synodo Ephesina prima fieri voluit, vel ex iis denique, quae Synodus gessit, aut a Legatis in Synodo facta sunt. Alia enim loca non habemus, ex quibus monumenta petamus, quae demonstrare valeant facti veritatem. Atqui quaecumque perpendantur ex iis, quae mox indicabimus, undique constabit, Caelestinum in Synodum plenam potestatem exercuisse, et Concilium aliud non egisse, quam Caelestini decreta circa Nestorium exequi. Ita non modo memoratus auctor, ceterique contrariae sententiae patroni, sed etiam Febronius confutatur, qui numerans ea

Concilia, in quibus contendit, pontificia decreta examini, ac iudicio Episcoporum subiecta fuisse, Concilium etiam tertium Generale, seu Ephesinum primum recenset.

Facile est ea demonstrare, quae diximus, et efficere, quacumque ratione res gesta consideretur, scriptorum, quos indicavimus, sententiam aperte refutari. Profecto Caelestinus numquam Concilii arbitrio commisit Nestorii causam, illudque dumtaxat fieri iussit, quod ad decreta sua, circa eam rem lata, prorsus implenda, pertinere posset. Id manifeste colligitur ex epistola ad Legatos scripta, in qua, agendi ratio ab iis servanda describitur. «Ad fratrem, et episcopum nostrum Cyrillum (quem legatum suum iam constituerat) consilium vestrum omne convertite, et quidquid in eius videritis arbitrio, facietis, et auctoritatem Sedis Apostolicae custodiri mandamus. Siquidem instructiones, quae vobis traditae sunt, hoc loquantur, ut interesse conventui debeatis: ad disceptationem si fuerit ventum, vos de eorum sententiis iudicare debeatis, non subire certamen.» Haec profecto indubium afferunt monumentum, ex iis, quae Caelestinus legatis agenda commisit, aliud non ostendi, nisi decreta sua de negotio illo, quod pertractabatur, definitiva esse, et eiusmodi, ut Concilii confirmatione non indigerent.

Neque hoc Caelestinus affirmavit tantum in epistola ad legatos suos scripta. Eadem enim ratione Concilii Patribus mentem suam aperuit in epistola ad Concilium missa. «Direximus pro nostra sollicitudine sanctos fratres, et consacerdotes nostros unanimes nobis, et probatissimos viros, Arcadium, et Proiectum Episcopos, et Philippum Presbyterum nostrum, qui iis, quae aguntur, intersint, et quae a nobis ante statuta sunt, exequantur.» Pervenerunt Ephesum Legati cum iam Concilii patres in actione prima Nestorium condemnassent. Quare memoratas litteras Caelestini, quae ab iis afferebantur, Patres non legerant, cum sententia in Nestorium pronuntiata est. Verum in ipsa act. 1 in sententia illa pronuntianda, ita Episcopi loquuti sunt: «Coacti per sacros canones, et epistolam Sanctissimi Patris Nostri, et comministri Caelestini Romanae Ecclesiae Episcopi, lacrimis subinde perfusi, ad lugubrem contra eum sententiam necessario venimus.» Referuntur haec ad epistolam a Caelestino ad Cyrillum scriptam antequam Synodus Generalis haberetur. Quod si Episcopi, qui Synodo aderant, cogi se arbitrati sunt huius epistolae auctoritate ad Nestorium in ipsa Concilii actione 1 condemnandum, in promptu est inde concludere Synodum existimasse, Caelestini decretum definitivum esse, et eiusmodi, ut Concilium ei obtemperare teneretur.

Aderat inter ceteros Firmus Caesareae Cappadociae Episcopus, Metropolitanus, atque Exarcha Ponti. Is, cum actione 2 explicaretur Legatis, qua ratione Nestorii condemnatio peracta esset, declaravit, Caelestinum, antequam Concilium haberetur, in suis ad Cyrillum, et alios praecipuos litteris, normam demonstrasse, quam Episcopi tenerent, atque Episcopos revera, quae Pontifex iusserat, implevisse. «Apostolica, inquit, Sancta Sedes, Caelestini per litteras, quas ad religiosissimos Episcopos, ad Cyrillum, inquam, Alexandrinum, et Iuvenalem Hierosolymitanum etc. misit etiam ante de praesenti negotio, sententiam, regulamque praescripsit, quam nos quoque sequuti.... quoniam Nestorius a nobis citatus non paruit, formam illam exequutioni mandavimus, canonicum, apostolicumque iudicium in illum proferentes.» Haec nisi argumentum perspicuum suppeditent, quo ostendatur, Concilium aliud non egisse, quam Caelestini sententiam tamquam normam, ac regulam sequi, difficile omnino erit, aliquod histo-

riae factum veterum scriptorum testimoniis demonstrare.

Quid egerint denique in Synodo Legati considerandum est, ut quod superius affirmavimus, manifeste evincatur. Actione 2 a Patribus petierunt, ut sibi exponerentur ea, quae antequam Ephesum ipsi pervenissent, in Synodo gesta sunt, ut secundum Caelestini sententiam, atque Concilii mentem, quae illam exequuta erat, ipsi quoque confirmatione sua, res hactenus gestas munirent. « Rogamus, ut ea nobis patefieri mandetis, quae ante adventum nostrum, in sancta hac Synodo acta sunt, quo iuxta Beati Papae Nostri, praesentisque huius sancti coetus sententiam, nos quoque confirmemus..... ut sequentes formulam SS. Papae Caelestini, qui hanc curam nobis commisit, et vestrae etiam sanctitatis iudicia vestra confirmare possimus. » Posteriora verba explicant superiora. Nam petunt Legati, ut prodantur, atque explicentur, quae acta erant in Synodo, ut ita secundum Caelestini sententiam, Episcoporum iudicium confirmare possint. Nisi vero Legati intellexissent, quaenam esset Episcoporum de Romani Pontificis summa in his rebus auctoritate sententia, numquam affirmassent Caelestini decretis patrum iudicia confirmari.

Hac ratione adducti sunt Legati, ut res in Synodo gestas probarent. Arcadius vero disertis verbis act. 3 significandum esse censuit, *sequutos se esse formam Caelestini SS. Patris Apostolicae Sedis*. Cyrillus autem eadem actione de Legatis loquens aliud nihil eos egisse declaravit, quam Caelestini decreta implere, atque idcirco Synodi sententiae eos adhaesisse. « Quare cum ea, inquit, quae a Caelestino Sanctissimo Deoque dilectissimo Episcopo dicta iam fuerant, exequuti sint, sanctaeque Synodi, quae in hac Ephesi Metropoli convenit, sententiae contra haereticum Nestorium latae adstipulati sint, consequens est etc. » Omnibus igitur est manifestum, quacumque ratione res gesta consideretur, omnino apparere, Caelestini decreta tamquam irretractabilia habita fuisse.

Neque his opponi potest, patres Concilii primi Ephesini in act. 1 cum Nestorii mentionem fecerunt, eum reverendissimum, ac religiosissimum Nestorium appellasse. Cum enim depositus adhuc Nestorius non esset, non est mirum, eum hisce loquendi modis fuisse appellatum a patribus. Ut aliquid haec agendi ratio probaret, necesse esset ostendere, patres habuisse Nestorium tamquam Episcopatu minime spoliatum, licet Caelestinus illum iam ea dignitate privasset. Atqui omnino diversa ratione res gesta est. Episcopi Nestorium citarunt, ut servata regula, quam Caelestinus tradiderat, condemnaretur. Quamquam vero Caelestinus ante iussisset, Nestorium dignitate spoliatum intelligi debere, si post elapsos decem a decreti pontificii communicatione dies, mentem non mutasset, atque errores suos non retractasset; constat tamen ex eiusdem Caelestini ad Cyrillum posteriori responso, pontificem longius tempus pati voluisse antequam decretum suum impleri deberet: ut, scilicet, diuturniori temporis spatio concesso, appareret, num Nestorius aliquam resipiscentiae spem afferret: manifestum est igitur Caelestini auctoritate factum esse, ut decreti sui effectus differretur.

Caelestini epistola ad Cyrillum act. 2 Concilii refertur, qua id confirmatur, quod de dilatione concessa indicavimus. « Quaeris, inquit, utrum Sancta Synodus recipere debeat hominem a se praedicata damnantem, an quia induciarum tempus emensum est, sententia dudum lata perduret. Super hac itaque consultatione communi, communem dominum consulamus. Nonne nobis respondet illico per prophetam, mortem se nolle morientis, et per apostolum Paullum, se omnem hominem velle salvum fieri, et venire ad scientiam verita-

tis? Numquam displicet Deo accelerata in quocumque correctio..... Studeo quieti catholicae; studeo pereuntis saluti, si voluerit aegritudinem confiteri. Quod ideo dicimus, ne volenti se corrigere, forsitan deesse videamur. Nam si a nobis sustinentibus uvam, spinas sibi addiderit, impleatur, manentibus statutis, prioribus fructibus iudicii; colligat quod sulco diabolico seminavit. Sed si periturus est, probet vos veloces pedes ad effundendum sanguinem non habere, quando sibi etiam remedium cognoscat oblatum.» Si igitur in Nestorium sententia lata est post elapsum tempus a Caelestino praescriptum, quoniam id eiusdem pontificis auctoritate factum est, nihil inde desumi potest, quo probetur, Concilii potestatem hac in re ampliorem Pontificio decreto fuisse.

Est etiam illud ineptum, quod his obiici solet, videlicet, eos qui censent, Caelestini iudicium in hac causa per se ipsum irretractabile, ac definitivum fuisse, inducere debere ad eandem causam iudicandam, ac finiendam, duplex supremum tribunal, eo quod, etiam Concilii Generalis sententia, qua Nestorius condemnatus est, irretractabilis, ac definitiva fuerit. Etenim non duplex supremum, ac irretractabile tribunal inducitur ab iis, qui Caelestinum antea definitive Nestorii causam iudicasse, ac deinde a Concilio Generali eum damnatum esse fatentur. Nam adiuncta rei gestae prae oculis habenda sunt. Caelestinus antequam Concilium haberetur, Nestorium, et eius errores definitive condemnavit. Caelestino ipso consentiente in posterum, Concilium Ephesinum habitum est. Caelestino probante, factum fuit ut condemnationis Nestorii effectus differretur. In Concilio ipso, in quo Nestorius est condemnatus, Episcopi circa eius causam, sequuti sunt regulam a Pontifice praescriptam. Unius igitur Caelestini auctoritas in hac causa habita est tamquam irretractabilis, ac suprema, et unicum dici potest fuisse supremum tribunal, a quo Nestorii causa definita est.

Neque affert argumentum, quo ostendi possit, Caelestini iudicium tamquam definitivum existimatum non fuisse, illud, quod Card. Luzernius animadvertit, post Romani Pontificis definitionem, Concilium Generale in eadem causa habitum esse, atque in eo Concilio, tum Cyrilli litteras a Caelestino probatas fuisse perlectas, tum errores, quos Nestorius praedicabat, fuisse narratos, ut appareret, Cyrilli epistolam catholicae fidei consentaneam esse, Nestorii autem opiniones cum fide catholica prorsus pugnare. Ex actis enim Concilii manifestum est, verum iuridicum examen de his rebus institutum non esse. Neque harum litterarum lectio facta in Synodo, probat eas iuridice fuisse examinatas. Aliud enim id non evincit, nisi Episcopos, qui probante Caelestino, et eius regulam sequentes, decreta de causa Nestoriana ad effectum perducturi erant, in publico generali conventu voluisse ea recitare, quae in causa ipsa praecipuum locum obtinebant. Ex eo autem, quod Episcopi in Concilio, Romani Pontificis decreta cum catholica fide convenire, communi suffragio testentur, non sequitur eos iuridice ea decreta perpendisse, veluti si declaraverint, se non fuisse recepturos ea decreta, nisi, inquisitione facta, intellexissent, in iis doctrinam catholicam contineri.

Denique Concilium Generale in Nestoriana causa habitum esse post Caelestini iudicium, argumento esse non potest, ante Concilium, causam Nestorii finitam non esse. Concilium enim non habitum est, ut definitive de causa illa iudicaretur, examine renovato, sed ut universalis Ecclesiae suffragio, in generali conventu, manifestato, audacia haereticorum confringeretur, atque errores facilius refellerentur.

Quamquam haec per se perspicua sint, possunt tamen confirmari duobus hisce testimoniis. Philippus Le-

gatus Caelestini in alloquutione ad Synodum act. 2, « Firmum igitur est, ait, iuxta omnium Ecclesiarum decretum (nam Orientalis et Occidentalis Ecclesiae sacerdotes, vel per se, vel certe per legatos, sacerdotali huic consessui intersunt), quod in ipsum pronuntiatum est. » Caelestinus vero in ep. ad Synodum Ephesinam scripta postquam id relatum fuerat, sua decreta impleta fuisse, «Tandem, inquit, malorum fine gaudendum est...Huius rei tam fideliter peractae vos exequutores videmus nobiscum fuisse... Deiectionem (Nestorii) iustam, et exaltationem (Maximiani ad Episcopatum Constantinopolitanum) dicimus iustiorem. »

CAPUT LVI.

DE HAERESI EUTYCHIANA, ET CONCILII CHALCEDONENSIS GENERALIS CELEBRATIONE.

Sunt nunc tradenda quae praecipuarum rerum ad haeresim Eutychianam spectantium notitiam continent. Itaque Eutyches celeberrimi in Constantinopolitana Urbe monasterii Abbas, et Archimandrita, unam tantum, post unitionem, in Christo naturam esse contendens, haeresi Nestorianae opposita, veram de incarnationis mysterio doctrinam et ipse oppugnare coeperat. Flavianus Constantinopolitanus Episcopus in Synodo Constantinopolitana anno 448 habita, nascentem haeresim continuo evertere conatus est. Nam cum Eusebius Dorylaei in Phrygia Episcopus, Eutychis errorem ad Synodum retulisset, Flavianus, ceterique praesentes Synodo Episcopi, Eutychem citarunt, qui aliquandiu tergiversatus, tandem adfuit, et cum errorem suum arroganter tueretur, damnatus est, sacerdotii munere, ac monasterii praefectura spoliatus: ad S. Leonem Magnum Pontificem Eutyches a Flaviani sententia appellavit, sed cum intelligeret, se nihil a Sede Apostolica consequuturum esse, Chrysaphii potentissimi in aula Theodosii Eunuchi opem imploravit, qui Theodosium adduxit, ut contra Leonis Magni, aliorumque Episcoporum exploratam sententiam, Synodum indiceret, quam oecumenicam esse volebat, quaeque revera Ephesi coacta est die 8 Augusti anno 449.

Synodo interfuerunt 130 Episcopi, ac, iubente Imperatore, ei praefuit Dioscorus Alexandrinus Episcopus, etsi Romani Pontificis proprium hoc esse tantummodo posset. Leo M. invitatus ad Synodum, iustissimis adductis excusationibus non venit, sed eo misit legatos Iulium Episcopum Puteolanum, Renatum R. E. presbyterum S. Clementis, Hilarium Diaconum, et Dulcitium Notarium, qui tamen, cum viderent Sedis Apostolicae iura violari ex eo, quod Dioscoro Synodi praesidentia commissa fuisset, se numquam veluti R. Pontificis legatos in Synodo gesserunt.

Haec vero in Concilio peracta sunt. Eutyches introductus, continuo confessionem fidei proposuit, falsitatis ac simulationis plenam, et verborum ambiguitate perplexam. Retractata deinde sunt gesta eius condemnationis, ipse innocens declaratus, et ab excommunicationis vinculo solutus. Flavianus fidei vindex cum Eusebio Dorylaei Episcopo damnatus, plurimique Episcopi simul condemnati proscriptique sunt, inter quos Ibas Edessenus Episcopus, Theodoretus Cyrensis, et Domnus Antiochenus.

His tantis sceleribus fortiter Romani Pontificis Legati restiterunt, et plures Episcopi ad Dioscori pedes se abiecerunt, eum exorantes, ut a Flaviani, ac Eusebii damnatione abstineret. At haec omnia inutilia pror-

sus fuerunt, et coacti sunt Episcopi, utriusque damnationi subscribere, intentatis etiam militum gladiis, qui in Synodum introducti sunt. Legatorum voces ludibrio habitae, iidemque Epheso digressi fuga salutem petere potuerunt. Eusebius in carcerem coniectus, ut deinde in exilium deferretur; Flavianus vero, eo quod contra latam in se damnationis sententiam, ad Leonem R. Pontificem appellasset, ita calcibus, et pugnis a Dioscoro, et Barsuma Syro Archimandrita Eutychis sectatore caesus est, ut triduo post, cum in exilium pelleretur, mortuus sit. Cum ea omnia, quae in Concilio gesta sunt, per vim patrata fuerint, cumque iura omnia violata in eo sint, factum est, ut illud Ecclesia perpetuo fuerit detestata, et Latronum Conventum, Latrocinium Ephesinum, Synodum Latrocinalem, illam Synodum appellaverit. Theodosius lege lata, Synodi huius decreta confirmavit, sed Leo M. ubi cognovit quidnam in ea gestum fuisset, universa Synodi acta rescidit, et habuit Romae anno 449 Concilium, quo Latrocinium Ephesinum reiecit; ut vero tantis malis remedium eiusmodi afferret, quod etiam solemnitate sua idoneum esset ad perditorum hominum audaciam frangendam, postulavit a Theodosio, ut generalem Synodum in Italia haberi pateretur, de eaque re egit etiam cum Valentiniano III, qui in Occidente imperabat.

Id vero, quod a Theodosio petierat, et non impetraverat, Marcianus concessit, qui Theodosio iuniori anno 450 mortuo successerat, quique interea Constantinopoli Synodum haberi voluit, ut, etiam antequam generale Concilium celebraretur, in Regia Urbe haeresis Eutychiana proscriberetur. Illud Concilium Anatolius Episcopus Constantinopolitanus convocavit anno 450. « Anatolius reverendissimus Episcopus (ita legitur act. 4 Concilii Chalcedonensis) Constantinopolitanus dixit: Tenuit pridem consuetudo, ut qui in hac magna civitate morantur Sanctissimi Episcopi, cum eos temporis occasio vocat de emergentibus quibusdam Ecclesiasticis causis, conveniant, ac singula definiant, responsoque eos dignentur, qui precantur aliquid. Nihil ergo a me factum est, quod novitati sit affine; nec qui ex consuetudine consederunt Sanctissimi, qui in civitate erant Episcopi, novam formam protulerunt. Ac ostendit praesentiam Episcoporum actio, quae facta est. » De hac Synodo, quae Constantinopoli ex Episcopis ibi commorantibus, Presbyteris, Archimandritis, et Diaconis congregata est, S. Leo M. ipse loquitur in epistola ad Paschasinum Lilybaetanum anno 451 scripta. « Totam, inquit, Constantinopolitanam Ecclesiam cum monasteriis omnibus, et multis Episcopis, noveris praebuisse consensum, et subscriptionibus suis Nestorium, atque Eutychem, cum suis anathematizasse dogmatibus. »

Post haec Generale Concilium Nicaeae in Bithynia die 1 Septembris anno 451 habendum indictum est a Marciano, ad quod Episcopi omnes, et Leo M., si per negotia Sedis Apostolicae id sibi liceret, invitati sunt. Magno numero Episcopi Nicaeam convenerunt; Leo autem eo misit Legatos suos Paschasinum Lilybaetanum, Lucentium Asculanum Episcopos, Bonifacium praeterea ac Basilium presbyteros, quibus postea adiunxit Iulianum Coensem Episcopum. Synodus deinde Chalcedonem translata fuit urbem Constantinopoli proximam, quo commodius Marcianus ipse cum Senatu adesse posset, ut re ipsa actione 6 contigit, excipientibus eum summis plausibus Synodi Patribus, et honorificentissimis nominibus salutantibus.

In Chalcedonensi S. Euphemiae templo ea Synodus habita est, et cum coepisset 8 idus Octobris anno 451 absoluta est calendis Novembribus eiusdem anni, habitis 16 sessionibus, et praesentibus sexcentum

circiter Episcopis. Rom. Pontificis Legati Synodo praefuerunt, haeresis Eutychiana in ea proscripta est, Christum esse in duabus naturis *inconfuse, immutabiliter, indivise et inseparabiliter* praedicatum fuit. Eutyches, Dioscorus, totumque Latrocinium Ephesinum est condemnatum, Leonis epistola ad Flavianum, cui Patres omnes subscripserunt, honorificentissime recepta fuit, atque ad huius normam conditum est decretum, quo Religionis dogmata a Patribus Chalcedonensibus explicata sunt, atque illud praecipue, quod superius indicavimus, de duabus minime inter se confusis, et permistis in Christo naturis, ad quod dogma defendendum, et explicandum Leo ipse Magnus epistolam ad Flavianum scripserat post damnatum in Constantinopolitano Concilio Eutychem.

Concilio absoluto, Marcianus, Anatolius, aliique Episcopi, de rebus in eo gestis ad s. Leonem retulerunt, qui ea confirmavit omnia, quae ad fidei causam defendendam gesta fuerant, propter quam causam Concilium indictum erat. Apparet ex his Chalcedonense Concilium fuisse vere generale, cum ea omnia, quae ad Concilii Oecumenici naturam constituendam necessario requiruntur, in illo fuerint religiose constanterque adimpleta.

CAPUT LVII.

DE S. LEONIS MAGNI PONTIFICIS MAXIMI EPISTOLA DOGMATICA AD S. FLAVIANUM EPISCOPUM CONSTANTINOPOLITANUM DE INCARNATIONIS MYSTERIO.

In Chalcedonensi Synodo Generali, in qua Ephesini Concilii Latrocinalis gesta universa funditus erant rescindenda, maximis laudibus, ut superius monuimus, excepta est S. Leonis ad Flavianum epistola, qua catholica de Incarnatione doctrina exposita, et contra Nestorii, Eutychisque errores propugnata est. Fuit hoc celeberrimum totius Ecclesiae testimonium de Romanorum Pontificum in dirimendis fidei, morumque controversiis, infallibilitate, et apertissime Ecclesia ipsa ostendit, sibi persuasum esse, in eiusmodi negotiis, Petrum in Successoribus suis viventem loqui et doctrinam divinitus acceptam, tamquam omnium christianorum Patrem, ac Magistrum explicare. Hoc manifeste continent a Patribus adhibitae loquendi rationes, quibus Pontificis epistolam exceperunt, atque illa apertissima sententiae suae explicandae ratio, qua usi sunt, ut haereticos illos esse declaraverint, qui doctrinae, quam Leo tradebat, non assentirentur.

Non ita tamen existimarunt scriptores, quos saepius commemoravimus. Ut enim suas opiniones de Romano Pontifice tuerentur, contenderunt, tum probatam ab Episcopis Chalcedonensibus memoratam S. Leonis epistolam ad Flavianum fuisse, cum instituto in eandem epistolam iudicio, factaque inquisitione, Patrum Ecclesiae doctrinam in ea contineri compertum est. Febronius vero cap. 6 de statu Ecclesiae, et legitima Romani Pontificis potestate, in quo opere nullam omittit occasionem de sedis Apostolicae dignitate detrahendi, cum subiectam Episcoporum iudicio hanc epistolam fuisse contendisset, « Eos, inquit, qui sanam partem tuebantur, non provocasse ad unius Leonis auctoritatem, sed etiam, et aequaliter ad Cyrilli sententiam: proinde dum profitentur, Petrum per Leonem loquutum esse, aliud non dicunt, quam examinatam a se, et cum Patrum scriptis collatam sententiam Leonis, invenisse conformem doctrinae Petri, et reliquo-

rum Apostolorum, eandem proinde amplectendam esse. »

Fa quae a defensoribus declarationis Cleri Gallicani dicuntur, fuse a Card. Orsio refutantur lib. 1 operis de irreformabili Romani Pontificis iudicio, in definiendis fidei controversiis, et ad eos etiam refellendos legendus Petrus Ballerinius, de vi, ac ratione Primatus RR. PP. cap. 13 et sequenti. Ad Febronium vero confutandum, praeter quam quod in hoc disputationis genere ea ipsa faciunt, quae contra defensores declarationis Cleri Gallicani afferuntur, legendus idem Ballerinius in vindiciis auctoritatis Pontificiae contra opus Faustini Febronii cap. 1, et Franciscus Antonius Zaccaria in Antifebronio parte 2 lib. 4 cap. 3 num. 4. Non est necesse longam disputationem instituere, ut falsum omnino esse ostendatur, tum probatam fuisse, receptamque in Synodo Leonis Magni epistolam, cum inquisitione vera, et comparatione facta, compertum est, eam cum catholica de Verbi Incarnatione doctrina prorsus convenire. Id enim cum Synodi Chalcedonensis ipsius actis omnino pugnat, et cum iis, quae ante habitum Chalcedonense Concilium, de ea epistola constant.

Atque ut ab hoc postremo exordiamur, certum est, Leonem Magnum, cum Ephesinum Concilium quod deinde latrocinale evasit, habendum erat, omnino iudicasse, de Eutychis, eiusque sectatorum doctrina dubitari non posse haereticam esse, eo quod in sua ad Flavianum epistola catholicam de Verbi incarnatione sententiam exposuisset, cui Eutychis doctrina, absque ulla controversia erat contraria. Eo die, quo epistolam illam ad Flavianum Leo scripserat, id est 15 Iunii anni 449, ad Theodosium Imperatorem litteras dedit, quibus affirmavit, mittere se ad Ephesinum Concilium Legatos suos, ut si Eutyches consilium, mentemque mutasset, humaniter veniam consequeretur, aperte vero ab Eutyche esse ostendendum, se catholicam doctrinam amplecti. « Quid autem catholica Ecclesia universaliter de Sacramento Dominicae Incarnationis credat, et doceat, ad Fratrem, et Coepiscopum meum Flavianum plenius continent scripta, quae misi.» In epistola vero ad Pulcheriam Augustam, quam eo ipso die Leo scripsit, Legatis mandata se dedisse demonstrat de iis, quae in Synodo servari oporteret. Ad Concilium praeterea Ephesinum scribens, non quaerendum esse, ait, num Eutyches erraverit, sed « ut pestifero errore damnato, etiam de ipsius, qui imprudenter erravit, restitutione tractetur, si tamen doctrinam veritatis amplectens, sensus haereticos, quibus imperitia eius fuerat irretita, plane, aperteque, propria voce, et subscriptione damnaverit. »

Sunt fortasse luculentiora, quae in epistolis 34 Ballerinianae editionis 35 et 36 continentur. In earum enim prima, et altera, quae ad Iulianum Coensem scriptae sunt, aperte dicit Leo Magnus, ex litteris ad Flavianum scriptis Ecclesiam universam habere, quid prorsus in eo fidei negotio credendum ab omnibus esset: « Ad fratrem nostrum Flavianum sufficientia, pro qualitate causae, scripta direxi, quibus et Vestra Dilectio, et Ecclesia universa cognoscat, de antiqua, et singulari fide, quam indoctus impugnator incessit, quid divinitus traditum tenemus, et quid incommutabiliter praedicemus. » In altera autem, se plenissimas ad Flavianum litteras contra nimiae impietatis errorem misisse affirmat, ac nonnulla iis litteris consonantia se adiecisse, ut unanimiter atque constanter iis, qui evangelium Christi corrumpere cupiunt, resisteretur. In tertia demum ad Theodosium, non talem esse quaestionem ait, quae orta est, de qua aut possit, aut debeat dubitari.

Atque haec quidem ad illud tempus referuntur, quo nondum tumultus Ephesini erant excitati, vel latrocinalis concilii scelera Leo Ma-

gnus ignorabat. Tantorum vero criminum nuntio Romam allato, Pontifex gravem de ea re ad Theodosium misit epistolam, quae apud Ballerinios 44 est. In .ea vehementer de sceleribus Ephesi patratis Leo conquestus, illam inter latrocinii causas recenset, quod Dioscorus suae ad Flavianum epistolae legendae potestatem non fecisset: « Si scripta ad Flavianum, Episcoporum publicari auribus Alexandrinus permisisset Antistes, ita manifestatione purissimae fidei, quam divinitus inspiratam et accepimus, et tenemus, omnium concertationum strepitus quievisset. » Cum vero habendae novae synodi consilium initum est, apertissime Leo Magnus ostendit, mentem suam omnino esse de fidei definitione disputari in ea synodo non debere, sed in sua ad Flavianum epistola contineri, quae catholicae Ecclesiae de Verbi incarnatione sententia sit, et ea, quae luculenter Eutychis, et Nestorii errores refutarent.

Quare factum est, ut cum Paschasinum Episcopum Lilybaetanum veluti suum ad novam synodum legatum destinaret, ad eundem epistolam miserit, quam ad Flavianum antea scripserat, ut ex ea intelligeret, quid Ecclesia catholica de Verbi incarnatione sentiret. « Epistolam nostram, inquit, quam ad sanctae memoriae Flavianum de hac re plenissimam misimus, quamque Ecclesia universalis amplectitur, diligentius tibi recensendam, cognoscendamque direxi. » In iis litteris autem, quas ad synodi patres ipsos scripsit, fidem iam a se, in memorata ad Flavianum epistola definitam esse, et explicatam affirmat « secundum Evangelicas auctoritates, secundum propheticas voces, apostolicamque doctrinam, plenissime ac lucidissime. » Haec vero Leonis agendi, et scribendi ratio perspicue demonstrat, eidem fuisse persuasum, non modo, ea quae in epistola sua ad Flavianum exposuerat, patrum synodi iudicio subiicienda non esse, verum etiam ex eadem epistola, Episcopos, qui synodum erant celebraturi, normam desumere debere, et absque ulla haesitatione intelligere, quae Ecclesiae catholicae de Verbi incarnatione doctrina esset, et omnibus credenda proponeretur.

Neque vero Leo tantum, ita de epistola illa iudicavit. Antequam enim concilium Chalcedonense haberetur, eadem ratione de ea epistola occidentales, et orientales Episcopi existimarunt, prout constat ex epistola 68 apud Ballerinios, in qua nonnulli Galliarum Episcopi anno 450 eam totius Ecclesiae iudicio comprobatam demonstrant, atque ex actione 4 concilii Chalcedonensis, in qua refertur, anno 450: « Cum pauci Constantinopolim Episcopi convenissent, missa est epistola almi Archiepiscopi Leonis, iis qui ubique essent Metropolitis, et subscripta est. »Cum ista tempus illud respiciant, quod Synodi Chalcedonensis celebrationem praecessit, cumque ostendant, Ecclesiam, etiam ante illud tempus, quo synodus celebrata est, veluti fidei tesseram contra Eutychis, et Nestorii errores epistolam illam habuisse, falsum esse evincunt, eam deinde episcoporum Chalcedonensium iudicio subiectam fuisse.

Ut vero ad ipsum Chalcedonense Concilium veniamus, illud iure affirmari potest, nihil ab eiusdem concilii historia adeo alienum excogitari posse, quam in epistolam Leonis Magni iudicium, et inquisitionem ullam veram institutam esse. Praetereo, actione 1. cum de Flaviani fide quaestio excitata fuisset, omnem de ea re controversiam sublatam esse, eo quod Paschasinus, et Lucentius Sedis Apostolicae legati asseruissent, Flavianum ea credidisse, quae Leo Magnus credenda proponebat. Omittam, actione 2 fidei expositionem condere Patres recusasse, eo quod ad Arium, Eunomium, Nestoriumque confutandum satis essent ea, quae a Nicaeno, Constantinopolitano, et Ephesino concilio decreta fuerant, ad

Eutychem vero refellendum perspicua esset Leonis ad Flavianum epistola.

Illud dicam, cum eadem actione 2. Pontificis epistola adhuc lecta non esset, ubi fides Nicaena, Constantinopolitana, et Cyrilli epistola recitata fuisset, has patrum voces auditas esse: « Reverendissimi Episcopi clamaverunt. Omnes sic credimus. Papa Leo sic credit. Anathema, qui partit, et qui confundit, et qui dividit. Haec fides Leonis Archiepiscopi. Leo sic credit. Leo, et Anatolius ita credunt. Omnes sic credimus. Aeterna memoria Cyrilli. Sicut epistola Cyrilli habet, ita sapimus. Sic credimus. Leo Archiepiscopus sic sapit. Ita credit, ita scripsit.» Allatam praeterea esse commemorabo epistolam Leonis ad Flavianum, eaque lecta, ita Episcopos communi suffragio fuisse loquutos, ut aperte ostenderent, se ne cogitasse quidem de iudicio, vel examine in eam instituendo. Nam ita habet ea actio tomo 4 Conciliorum Labbaei, col. 1225: «Post lectionem autem praedictae epistolae Reverendissimi Episcopi clamaverunt. Haec Patrum fides. Haec Apostolorum fides. Omnes ita credimus. Orthodoxi ita credimus. Anathema, qui ita non credit. Petrus per Leonem loquutus est. Apostoli ita docuerunt. Pie, et vere Leo docuit, Cyrillus ita docuit, Cyrilli aeterna memoria. Leo, et Cyrillus ita docuerunt. Anathema, qui sic non credit. Haec vera fides. Catholici ita sapimus. Haec Patrum fides. Haec in Epheso cur lecta non sunt? Haec Dioscorus occultavit. »

Adeo pugnat vero, ut arbitror, hic locus cum alicuius veri examinis, vel inquisitionis institutione, quam pugnat Leonis epistolam, tamquam veram catholicae fidei professionem communi synodi suffragio habitam perpetuo fuisse, et habitam aliquando non esse. Haec enim duo convenire omnino non possunt, Episcoporum consensu communi declaratum fuisse, eam epistolam, esse Catholicae, et Apostolicae fidei professionem, ac deinde in eandem epistolam inquisitionem institutam esse, ut appareret utrum catholicam sententiam in ea Pontifex docuisset.

Neque vero, quod Atticus Nicopolitanus Episcopus, et nonnulli, qui eum sequebantur, petierint inducias dari, ut res tota perpenderetur, id quidquam valet, ut ostendatur revera deinde inquisitionem institutam esse. Nam legenti actionem 2 citato tomo, columna 1239, apparebit, quam parvo numero essent ii, qui Atticum sequebantur, et inducias concessas esse tantummodo, ut docerentur, qui dubitare videbantur: « Reverendissimi Episcopi (idest, qui Attico adhaerebant) clamaverunt. Si iubetis dari nobis inducias, petimus patres perscrutari. Magnificentissimi, et gloriosissimi iudices, et amplissimus senatus dixerunt. Differatur audientia usque ad quinque dies . . . ut qui dubitant, doceantur. Omnes Reverendissimi Episcopi clamaverunt. Nos ita credimus. Omnes ita credimus. Sicut Leo, ita credimus. Nostrum nullus dubitat. Nos iam subscripsimus.

Quod si considerentur ea, quae actione 4 referuntur, multo luculentius etiam constabit, perpetuo veluti fidei tesseram Leonis epistolam habitam esse. Nam cum Sedis Apostolicae Legati affirmassent: « Beatissimi, atque Apostolici viri universalis Ecclesiae Papae Leonis, Nestorii et Eutychis haeresim damnantis directa scripta, quid vera fides habeat exposuerunt. Similiter vero sancta Synodus hanc fidem tenet, hanc sequitur, nihil amplius nec addere potest, nec minuere. Reverendissimi Episcopi clamaverunt omnes: sic credimus, sic baptizati sumus, sic baptizamus. » Cum autem nonnulli Aegyptii Episcopi rationem callide quaererent, qua Eutychis apertam condemnationem declinarent, Patres omnes affirmarunt, eos subscribere omnino debere Leonis epistolae, Eutychi anathema pronuntiare diserte oportere, haereticum denique esse

qui epistolae Leonis subscribere recusasset, cui universa synodus assensum praebuerat.

Sunt haec eiusmodi, ut ad adversarios refellendos explicatione prorsus non indigeant. Etenim si inquisitio in eam epistolam instituta est, id nonnisi ex synodi actis eruendum est. Si vero ea acta docent, perpetuo synodum habuisse Pontificis epistolam, veluti certam, et perspicuam catholicae et apostolicae fidei professionem, cui non assentiri, idem esset ac catholicae Ecclesiae fidem non profiteri, profecto extra controversiam esse debet numquam synodi iudicio, veraeque inquisitioni illam subiectam fuisse.

In epistola n. 120 ad Theodoretum scripta post habitam synodum Chalcedonensem, Leo M. ita quidem de sua ad Flavianum epistola loquitur: « Ne aliarum sedium ad eam, quam ceteris omnium Dominus statuerit praesidere, consensus assentatio videretur, aut alia quaelibet nasci posset suspicio, inventi sunt prius, qui de iudiciis nostris ambigerent. Et cum nonnulli a dissensionis incitati auctore, ad contradictionem bella prosiliunt, ad maius bonum, malo eius, auctore totius bonitatis dispensante, proventum est . . . . ipsa quoque veritas et clarius renitescit, et fortius retinetur, cum, quae fides prius docuerat, haec postea examinatio confirmavit. Multum denique sacerdotalis officii meritum splendet, ubi sic summorum servatur auctoritas, ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas. »

Ut ceteros omnes omittam, qui Leonis epistolam in generali Chalcedonensi synodo Episcoporum iudicio subiectam esse contendunt, utitur hoc Pontificis testimonio ex epistola ad Theodoretum desumpto Eminentissimus Luzernius part. 3 operis toties citati cap. 13 num. 9, ut eandem sententiam confirmet, concludatque, non Leonis epistolam, sed concilii definitionem, reddidisse irreformabilem Eutychianismi condemnationem. Nam eo loco patere ait, primo, Pontificem fateri, Synodi consensus propriam esse irretractabilitatem; deinde post scriptam illam a se epistolam, Episcopisque communicatam, legitimam esse potuisse de re, quae in eadem pertractabatur, dubitationem; institutam esse, atque inquisitionem fuisse, quae doctrinam in epistola sua explicatam confirmavit.

Contendit praeterea memoratus auctor, ex Leonis loco in epistola ad Galliarum Episcopos, quae apud Ballerinios est 102 demonstrari, eiusdem Pontificis sententiam fuisse, omnem de Nestorianismo, et Eutychianismo controversiam, non epistolae suae ad Flavianum auctoritate, sed concilii decreto diremptam esse. Ait enim in ea epistola Leo: « Non enim iam ultra cuiquam excusationis refugium de ignorantiae inscitia, vel de intelligentiae difficultate conceditur. Cum ob hoc ipsum sexcentorum fere coepiscoporum nostrorum synodus congregata, nullam artem ratiocinandi, nullum locum disserendi contra fundatam divinitus fidem sperare permiserit. »

Marciani denique Imperatoris auctoritatem appellat, eumque in edicto suo aperte affirmare contendit, concilium Chalcedonense fuisse, cui Eutychianismi causae suprema definitio accepta referri debeat. « Cesset, inquit Imperator, profana contentio, nam iniuriam facit iudicio religiosissimae Synodi, si quis semel iudicata, ac recte disposita revolvere, et publice disputare contendit. »

Praeter ea quae ex allatis testimoniis demonstrari putat memoratus auctor ad suam sententiam defendendam, plura disputat citato loco ut, si docuerit epistolam Leonis post iudicium in eam institutum a Synodo confirmatam esse, Synodum ipsam Pontifice Romano superiorem esse concludat. Itaque, ut praecipua recenseam, Episcoporum, summis plausibus eandem epistolam recipientium acclamationes, intrinseco epistolae

ipsius merito episcopis explorato, et cognito, tribuendas esse ait, et admirationis potius, quam submissionis testimonia, irretractabilem quidem eam Episcopis visam esse, sed postquam, examine absoluto, irretractabilem esse comperissent: actione 4 Episcopos de epistola revera deliberasse, ut appareret utrum cum Nicaenorum, et Constantinopolitanorum Patrum fide conveniret, Episcopos denique, cum de epistola opinionem suam protulerunt, iis subscribendi modis usos esse, ut suffragium quodammodo, in iudicio, de ea approbanda tulisse videantur. Anatolius enim Episcopus Constantinopolitanus ait: « Epistola Sanctissimi Leonis consonat symbolo tercentum decem et octo, et centum quinquaginta patrum, sed et his, quae in Epheso sub Sanctissimo Cyrillo gesta sunt, quapropter consensi, et libenter subscripsi. » In eandem sententiam iverunt ii, quorum haec subscribendi ratio fuit: *Concordat et subscripsi. Concordat et ideo subscripsi, cum recte habeat. Cum viderem, cum sentirem, cum deprehenderem, cum invenirem consentire, subscripsi. Persuasus, instructus, certior factus, quod omnia consentirent, subscripsi.*

Breviter his nunc a nobis respondendum est atque ostendendum, ex iisdem nulla ratione effici posse, epistolam, de qua disputamus, concilii iudicio, et verae inquisitioni subiectam fuisse. Atque ut de loco illo superius adducto ex epistola Leonis ad Theodoretum, primum dicamus, nihil est, quod adversariorum sententia inde iuvari queat. Indicatur ibi libertas a PP. Chalcedonensibus adhibita, prout apposite notant n. 15 ad eam epistolam fratres Ballerinii, ut, nonnullis Episcopis, qui de Leonis definitione ambigebant, difficultates suas in concilio proponentibus per tractatum et discussionem catholici dogmatis, satisfacerent, eosdemque catholicum sensum, quem minus intelligebant, edocerent, atque ita in fide confirmarent. Haec autem cum ita se habeant, cumque libertatis, et examinis huius ratio eo tantum spectet, ut quae definita fuerant, Episcopi confirmarent, et repugnantes edocerent, vehementer decipitur, qui ex eo Leonis epistolae loco colligit Pontificem existimasse, Episcopis in Chalcedonensi concilio liberum, et licitum fuisse, suam definitionem in epistola ad Flavianum expositam, ita inquisitioni subiicere, ut ab ea dissentire vel iudicium ei contrarium ferre possent. Profecto, cum Leo Magnus ad fidem pertinere affirmaverit, quae ipse in ea epistola exposuerat, absurdum est contendere, in litteris ad Theodoretum contineri, Leonem intellexisse, verum ac liberum de doctrina in eadem epistola explicata examen Episcopos instituere potuisse.

Opportunum rei explicandae argumentum suppeditat id quod, Leone Imperatore, contigit. Ad compescendas ac refellendas iniustas de Synodi Chalcedonensis definitione Eutychianorum querelas, Leone Imperatore postulante, in ipsam Synodum Chalcedonensem Episcopi Orientales examen instituerunt, ac deinde eiusdem Synodi decreta irretractabiliter servanda esse responderunt. In *Codice Encyclico* plura testimonia reperiuntur Episcoporum, qui Imperatori responderunt ex pluribus provinciis, se in Chalcedonensis synodi acta inquisitionem instituisse. Ita ex. gr. in epistola Episcoporum Isauriae habetur: « Omnes congregati et tractantes et universa considerantes, ut erant, hoc dicimus, quia Chalcedonensis concilii intentio est valde firmissima; sequitur enim praedicationem evangelii, et Sanctorum Patrum, qui dudum in Nicaena urbe collecti sunt, symbolum inviolatum omnino custodit. » Atqui est indubium non aliam fuisse tributam, nec tribui potuisse Episcopis decreta Chalcedonensis examinandi libertatem, nisi ut, quae concilium definierat, novum examen eorundem confirmaret. Li-

berum enim Episcopis esse nulla ratione poterat ab ea definitione discrepare, quae a concilii universalis auctoritate profecta erat.

Ex eo igitur examine, concilii Chalcedonensis auctoritas nullum detrimentum passa est, vel pati potuit, atque est manifestum, omnes qui libertate illa abutentes, Chalcedonensem definitionem repudiassent, eo ipso haereticos fuisse evasuros. Perspicuum igitur est, praeter examen veri ac rigorosi iudicii, aliud etiam examen haberi posse, quod instructionis tantummodo sit, atque adhaesionis, ad quod habendum non requiritur in eo, qui illud instituat, ius, et auctoritas illo superior, cuius res agitur: neque in ea re facienda supponi debet decipi eum potuisse, in quem inquisitio instituitur, cum examen eiusmodi alia de causa non instituatur, quam ut veritas luculentius demonstretur, ac dubitatio quaelibet oborta, penitus tollatur. Ita locus ille intelligi omnino debet, qui ex epistola ad Theodoretum superius allatus est, et hac ratione acceptus nihil habet, quod eorum sententiam iuvare possit, qui veram inquisitionem a concilio Chalcedonensi in epistolam Leonis ad Flavianum institutam esse contendunt.

Post haec non oportet immorari, ut duobus ceteris illis testimoniis ex epistola 102 ad Episcopos Galliarum, atque ex Marciani edicto depromptis respondeamus. Intelligitur enim, ea praecipue adduci ad docendum, concilii generalis auctoritatem, Romani Pontificis potestate ampliorem esse, in iisque nihil diserte inveniri, quod ad veram inquisitionem in epistolam Leonis institutam referatur. At non video, quomodo ex iisdem testimoniis sequatur, concilii quidem generalis auctoritate, non autem Romani Pontificis definitione omnem Eutychianismi causam absolutam, totamque rei controversiam diremptam esse.

Ait enimvero Pontifex, nullum excusationis effugium de ignorantia, vel de intelligentiae difficultate concedi, cum Synodus oecumenica nullam artem ratiocinandi, nullum eloquium disserendi permiserit contra ea, quae fidei definitio ferebat. Ait Marcianus, vere impium sacrilegumque esse, qui post generalis Synodi sententiam, opinioni suae aliquid tractandum reliquerit, et eiusdem Synodi iudicio iniuriam inferre, qui semel iudicata, recteque disposita revolvere, atque de iis disputari contenderit.

Verum haec, quae Leo, et Marcianus memoratis in locis habent, ostendunt tantum id, quod omnibus certissimum est, post Chalcedonensem Synodum habitam, gravioris criminis reos evasisse, qui Eutychianos errores tueri prosequebantur, non quod antequam Synodus generalis haberetur, Eutychiana causa iam finita non esset, neque quod antea illi rei non fuissent, qui contra Leonis dogmaticam epistolam, vel sentiebant, vel loquebantur, sed quod habito concilio generali, et in frequentissimo totius Ecclesiae conventu, communi suffragio Eutychianis erroribus iterum condemnatis, quo clarius doctrina catholica, quam Leo tradiderat, confirmata est, eo iniquior illorum insolentia apparebat, qui mentem mutare recusabant. Haec vero ex iis, quae superius adducta sunt, luculenter demonstrantur.

Nego deinde admirationis tantummodo, non autem submissionis fuisse testimonia, eas acclamationes, quibus Leonis epistola a Patribus Chalcedonensibus excepta est. Primo enim loco ea ferme ratione Pontificis epistolae acclamatum est, qua Nicaenae fidei, Constantinopolitanae, et Ephesinae definitioni. Nemo autem arbitrabitur, acclamationes factas, cum fides Nicaena et Constantinopolitana recitata est, fuisse admirationis non autem submissionis acclamationes. Deinde post lectam Leonis epistolam, anathema pronuntiatum est in eos, qui non crederent quemadmodum Leo exposuerat, et praedicatum fuit hanc

esse doctrinam a Petro, ceterisque Apostolis annuntiatam. Quis vero haec posset de admiratione, non de submissione iure explicare? Denique certum est, patres non intrinsecum tantum epistolae meritum, sed auctoritatem etiam testatos fuisse illius, qui epistolam scripserat, cum secundum eiusdem mandatum, novam fidei expositionem fieri non posse affirmaverint.

Ex iis, quae nunc indicavimus, facile intelligitur, quid responderi adversario debeat affirmanti, actione 4 patres revera de illa epistola deliberasse. Ex actione enim secunda manifestum est, nullum omnino in illam epistolam verum examen institutum fuisse. Neque actione 4 haec inquisitio facta fuit. Nam petentibus iudicibus utrum cum Nicaena, et Constantinopolitana fide Pontificis epistola conveniret, patres illam convenire affirmarunt, deliberationem autem veram de ea re non habuerunt.

Quod denique spectat ad illum ab Episcopis adhibitum subscribendi modum, quo Leonis epistolae se subscribere affirmarunt, quod illa cum praecedentium synodorum fide conveniret, id argumento esse nulla ratione poterit, vero et iuridico examini illam epistolam subiectam esse. Quando enim id omnino cum Concilii Chalcedonensis actis pugnat, ea subscribendi ratio aliud ostendere non poterit, nisi Episcopos, qui iam Leonis epistolam amplexi erant, voluisse etiam diserte affirmare, eam conciliorum superiorum definitioni prorsus consonare.

Restat igitur ut statuamus, alienum prorsus esse a Synodi Chalcedonensis actis, memoratam Leonis Magni epistolam iuridicae inquisitioni subiectam fuisse, antequam rata a Patribus haberetur.

CAPUT LVIII.

DE ACACIANO SCHISMATE, ET CONCILIIS IN EA CAUSA ROMAE HABITIS.

Gravissimum saeculo quinto excitatum est schisma, quo perdurante, magnum Religio Catholica in orientalibus regionibus detrimentum cepit. Solet illud Acacianum schisma appellari ex Acacii Episcopi Constantinopolitani nomine, quod partim eius ambitione, partim rebus in Eutychianorum gratiam ab eo inique gestis, et superba ipsius in Apostolicam Sedem arrogantia, illud dissidium commotum, inflammatumque sit. Neque illud breve fuit. Nam cum anno ferme 482 incepisset, nonnisi anno 519 sub Hormisda Pontifice deletum est. Ad huius schismatis notitiam habendam, plurimum attinet nonnulla referre ex illius aetatis Imperatorum historia, quae cum agendi ratione ab Acacio adhibita valde coniuncta est, id quod brevi faciemus.

Itaque mortuo Marciano Imperatori Leo ex Thracia suffectus erat opera Asparis patricii, et Ardaburi eius filii. Magna Leonis fuit erga catholicam religionem cura; ab initio enim imperii sui decretum dedit de concilio Chalcedonensi observando. Item deinde iussit, neminem officia publica consequi posse, qui catholicus non esset. Interea anno 468 classis, quam contra Vandalos Africam occupantes misit, capta, et incensa partim est defectione Basilisci cognati sui, qui classi praeerat, quique exilio mulctatus est. Aspar Leoni factus erat infensus, eo quod, prout in accipiendo imperio promiserat, noluisset Caesarem creare filium suum Ardaburum. Ut ei resisteret Leo opposuit Zenonem, unum ex Isaurorum ducibus, cui filiam suam uxorem dedit, et quem deinde

consulem fecit. Sed non poterat Zeno cum Asparis virtute comparari, quare Leo necesse putans Asparem sibi reconciliare, eius filium Caesarem creavit, sed paullo post, patrem, et filium coram se trucidari iussit ob coniurationem, vel conflatam, vel ob suspicionem conspirationis.

Mortuo Leoni I anno 474 Leo filius Ariadnis, et Zenonis, quem eius Avus Leo Caesarem, et Augustum esse voluerat, quique anno 469 natus erat, in imperio successit, sed ob aetatem regno administrando impar cum esset, Zeno imperii summam gessit, deinde mortuo Leone II purpuram ipse induit, et a Senatu ei ista dignitas confirmata est: anno 476, ut Pagius putat, mense ianuario eiectus Zeno fuit ab imperio a Basilisco, qui erat coniugis Leonis I Aeliae Verinae frater, et usque ad anni 477 mensem aug. tyrannus hic imperasse videtur, quamquam Muratorius, argumento desumpto ex pluribus legibus anno 476 a Zenone latis, putet, eo anno Zenonem iam imperium recuperasse, et universam Basilisci invasionem ad annum 475 pertinere.

Cum imperio potitus est Basiliscus, haereticorum gratiam sibi comparare volens, encyclicam dedit, qua abrogabatur Concilium Chalcedonense, et Leonis Magni epistola dogmatica: Sedes Constantinopolitana iis privilegiis spoliabatur, quibus per canonem 28 Concilii Chalcedonensis videbatur potita. Ei encyclicae Episcopi innumeri subscripsere. Sed Acacius Episcopus Constantinopolitanus fortiter restitit, immo urbem regiam ad defensionem excitavit: vestem pullam induit, thronum et altare nigro colore cinxit, populum ita commovit, ut ferme in seditione, de imperio dimicatum sit. S. Danielem Stylitam ex columna vocatum ad urbem regiam pertulerunt catholici: is omnia mala Basilisco praedixit: Basiliscus Constantinopoli discessit, ad eum venit Stylita, sed non receptus, Constantinopolim rediit, pluribus miraculis in itinere patratis. Ad illum tunc se contulit Basiliscus, ad eius pedes veniam imploravit, revocavit encyclicam, edictum dedit pro Constantinopolitanae Ecclesiae privilegiis: sed Daniel eum graviter obiurgans, et quamprimum daturum poenas affirmans sceleris sui, ad columnam reversus est.

In maxima erat perturbatione, cum audivit Basiliscus Zenonem ex Isauria reverti. Eo magis conatus est catholicos sibi, et Acacium praesertim reconciliare: rediit revera Zeno, et imperio iterum potitus est. Basiliscus in baptisterium confugit, sed captus una cum uxore, et liberis in quandam arcem inclusus in Cappadocia, fame periit. Zeno pertulit deinde conspirationem a Marciano nepote Marciani Imperatoris, sed Illi patritii opera, milites Marcianum dereliquerunt, et Marcianus presbyter factus est: aliam a Leontio, et Illo patritio, sed uterque captus capite plexus fuit.

Habentur Simplicii Romani Pontificis epistolae, scriptae iis temporibus, quibus haec evenerunt, et quibus Simplicius ostendit quantopere gauderet, eo quod Constantinopolitanus Episcopus tanta constantia Basilisci conatibus, et haereticorum impotentiae resisteret. Relatum est Simplicio, haereticos, tyranno favente, minitari novum concilium haberi, quo concilii Chalcedonensis auctoritas imminueretur, sed auctor fuit Simplicius, ut nova Synodus non haberetur. Non modo hoc egit scribens ad Acacium Simplicius, et ad monachos, quorum praesertim erga Religionem studio factum erat, ut de omnibus, quae Constantinopoli eveniebant, ipse certior fieret, sed etiam datis litteris ad Basiliscum ipsum. Legendus Lequienius in praefatione ad *Orientem Christianum* tomo 1 cap. 9 ubi ostendit, Acacium vaferrimi ingenii virum, ita egisse apud Simplicium Pontificem ut videri posset, Religionis amore facere, quae agebat,

cum propter ambitionem suam tantummodo, Basilisci conatibus resisteret.

Scilicet si ambitio illa prae oculis habeatur, qua Acacius ferebatur, intelligitur, quomodo evenerit, ut is, qui deinde se adeo Sedis Apostolicae potestatem spernere ostendit, videretur interea Concilii Chalcedonensis, et Leonis M. epistolae ad Flavianum defensor. Hoc ideo is faciebat, quod Acacius vellet omnino iura Sedis Constantinopolitanae propugnare, insistens iis, quae Leone Magno Pontifice repugnante, de ea re gesta fuerunt. Sciebat Concilii Chalcedonensis 28 canonem celeberrimum valde huic suae voluntati prodesse. Sciebat simul, Marcianum Leoni assensum esse petenti ne eius canonis ulla ratio haberetur. Hinc valde restitit Basilisco, qui irritum decernens in encyclica sua Concilium Chalcedonense, quodammodo videbatur conatus suos evertere, qui ei canoni praesertim innitebantur, in quo agitur de Constantinopolitani Episcopi potestate.

Haec igitur Acacius non faciebat Chalcedonensis Concilii auctoritatis studio, sed ob eam, quam animo conceperat sententiam, iura Patriarchatus Constantinopolitani, praesertim Principum auctoritate, statuendi, ac roborandi: rei gestae contextus ita de Acacio iudicari debere demonstrat. Nam monumenta vetera, quae de Acacio agunt, eum molitum perpetuo fuisse evincunt, patriarchica iura sibi asserere, de quibus canone illo 28 Chalcedonensi decernitur: immo vero hoc etiam ostendunt, tantam fuisse Acacii superbiam, ut ceteras quoque praecipuas Orientales Ecclesias sibi subigere conatus sit.

Gelasius Papa in epistola ad Dardaniae Episcopos refert, Marcianum et Anatolium assensos esse Leoni M. volenti canonem memoratum non valere, et Probum Canusinae urbis Episcopum, Simplicii Apocrisarium restitisse Acacio, qui Leonis Imperatoris opera, volebat iura patriarchica sibi asseverare. Basilisci edictum praeterea, quo revocavit encyclicam, nihil continebant de honore habendo Concilio Chalcedonensi, sed de restituendis Acacio provinciis, in quas electionem, et consecrationem Episcoporum exerceret. Intellexit enim tyrannus Acacii sollicitudinem de hoc tantum esse, non autem de Concilii Chalcedonensis honore: ita etiam Episcopi Asiani, qui assensi fuerant Basilisci encyclicae, conati sunt, reverso Zenone, epistolam submissionis Acacio scribere, in qua eum Sanctissimum et religiosissimum patriarcham novae Romae appellarunt. Idem impetravit a Zenone legem de his privilegiis, quae exstat in codice Iustinianeo tit. *de Sacrosanctis Ecclesiis.*

Quas partes praeterea Acacius habuerit in iis iuvandis, qui Eutychianorum sectae erant addicti, nunc commemorandum est. Post Dioscori Alexandrini Episcopi damnationem, Proterius electus fuerat, cui non omnes Alexandrini adhaererent, inde seditiones perquam graves Alexandriae ortae sunt. Ubi vero Marcianus Imperator mortuus fuit, eae turbae graviores evaserunt. Etenim tunc accidit, ut Timotheus Αἴλουρος, seu Feles, Alexandrinus presbyter, et monachus, homo turbulentus, et vafer, adiutus a monachis haereticis, Episcopatum Alexandrinum invaserit, Proterium scelestissime interfecerit die ipso Coenae Domini. Electi quidem post Proterium Episcopi catholici fuerunt, Timotheus *Salofaciolus,* et Ioannes Talaia. Sed nefarii homines Eutychianae factionis, per diuturnum tempus se veluti Episcopos Alexandrinos gesserunt, et civium Alexandrinorum magnam partem sibi conciliaverunt. Imprimis celebris inter hos haereticos Ecclesiae perturbatores fuit Petrus *Mongus* appellatus, seu Blaesus. Cum is Episcopatum Alexandrinum iniuste occuparet, *Acephalorum* factio orta est. Eutychiani enim illum, quem veluti praecipuum ducem suum se-

quebantur, deseruerunt, quod Henotico Zenonis subscripsisset, sed interea Chalcedonense concilium diserte non damnaret. In posterum vero obtinuit, ut tota Eutychianorum secta, Acephalorum fuerit appellata.

Ex his breviter significatis apparet, quantam calamitatem diu Alexandriae religio catholica passa sit, et quantorum criminum rei praesertim Timotheus Aelurus, et Petrus Mongus fuerint. Scelere etiam Eutychianorum Antiochena Ecclesia diuturnam, et gravem calamitatem toleravit. Etenim anno 563 Petrus Γναφεύς, seu Fullo, presbyter et monachus scelestissimus, Antiochenum Episcopatum invasit abdicante Martyrio, quem crudelissime trucidari iussit. Imperator Leo quidem Gnapheum ex Episcopatu illo deiecerat, sed deinde, ad eundem obrepsit iterum, Episcopi Constantinopolitani opera. Eutychianus Petrus Fullo fuit, et princeps sectae Theopascitarum, qui Christum secundum divinam naturam passum, et crucifixum esse contenderunt.

Acacius Episcopus Constantinopolitanus, praeter ea, quae callide, et arroganter gessit ambitione motus, his scelestis hominibus adiutor fuit, atque ea gessit, quae Ecclesiae undique per Orientem perturbandae causam attulerunt. Eo enim praesertim auctore, Zeno Imperator celeberrimum illud edictum dedit, quod Ἑνωτικον, sive *unitivum* appellavit. Eo autem promulgato, Acacius affirmabat, sine religionis detrimento, dissidia catholicos inter et haereticos facile componi posse. Henotico autem edicto haec continebantur: Nicaenum symbolum admittendum esse iubebat, duodecim Cyrilli anathematismos probabat, Nestorium, et Eutychem damnabat, de una tamen, aut duabus naturis, et de Synodo Chalcedonensi penitus tacebat.

Ita vero rem in edicto tractandam esse Acacius intellexerat, tum, quod videret impossibile esse cuiquam persuadere, catholicorum querelis finem imponi posse, si Concilii Chalcedonensis dignitas sperneretur, cuius canone 28 privilegia sua propugnabat superbus Episcopus. Praeterea, quod spectat ad Petrum Mongum, et Petrum Fullonem haec Acacius gessit. Videlicet Ioanni Talaiae iratus, a quo se neglectum esse arbitrabatur, Zenoni persuasit, ut Petrum Mongum restitueret, et Ioannem de Episcopatu Alexandrino expelleret. Petrus denique Fullo, eiusdem Acacii opera, ad Episcopatum Antiochenum iterum perductus est, quia putabat Acacius, Fullonem hoc beneficium mereri, eo quod Henotico subscripsisset.

Postquam Simplicius Pontifex omnia gesserat, ut Imperatorem adduceret ad Petrum Mongum reiiciendum, sed nihil obtinuerat, mortuus est anno 483 et ei Felix III suffectus fuit. Venit Romam Ioannes Talaia, Felici in conventu Episcoporum totius Italiae libellum obtulit contra Acacium: missa est legatio ad Imperatorem; legati autem fuere Vitalis, et Misenus Episcopi, quibus additus est Felix R. E. Defensor: pro Concilio Chalcedonensi contra Petrum Mongum agere debebant, atque ut Acacius veniret Romam. Ita habent Evagrius lib. 3 H. E. et Liberatus in Breviario. Felix nihil statuit de Ioanne Talaia in legatione, cum ipse videretur periurus, eo quod antea iurasset Imperatori, se Episcopatum Alexandrinum non petiturum: amicitias praeterea cum illo magistro officiorum habuerat. Datae sunt etiam a Felice litterae monitionis Acacio per legatos deferendae.

Cyrillus monachorum Acaemetarum praefectus, sollicitiores pro periculo post haec ad Felicem litteras misit. Felix scriptis iterum ad legatos litteris iussit eos cum Cyrillo loqui: scripsit etiam denuo ad Imperatorem epistolam, quae nunc non exstat: legati ad Abydum comprehensi, primum minis, tum donis fracti sunt. Quare ab officio sibi commisso deficientes, cum Acacio,

et Apocrisiariis Petri ad Ecclesiam venerunt, et missam celebrarunt, reclamantibus orthodoxis. Protestationis libellum ad hamum circumligantes, uni ex legatis suspenderunt, alterum olerum cophino inclusum ad legatos miserunt. Legati deinde Romam reversi sunt cum litteris pro Acacio contra Ioannem. Felix Defensor R. E. morbo correptus Constantinopolim tardius venerat. Despectus ab Acacio fuit: litterae ei sunt ablatae, et in custodiam detrusus est. Acaemetae monachi certiorem fecerunt de ea re Felicem Papam.

Tunc habita Synodus Romana est 67 Episcoporum in Basilica S.Petri. Legati se excusare conati sunt, praesertim affirmantes, se non intellexisse per ea, quae Constantinopoli facta sunt, cum Mongo vere communicari. Symeon monachus introductus eos convicit, et Silvanus presbyter, qui Constantinopoli fuerat cum legatis, confirmavit dicta Symeonis. Praeterea relatum est, legatos non communicasse litteras Felicis, non loquutos esse cum catholicis. Quare Felix Vitálem, et Misenum communione, et sacerdotio privavit. Item Petrum, et Acacium a sacerdotali collegio, et ab ecclesiae communione pronuntiavit alienos.

Concilium hoc habitum est 5 cal. aug. 484. Ita habet dies inscriptus sententiae depositionis missae a Felice ad Acacium. Huius Synodi fragmentum tantum superest apud Evagrium l. 3 cap. 21, videlicet pars sententiae depositionis Petri et Acacii: post haec aliquantisper substitit Felix, sed deinde venit nuntius, quo ferebatur, Acacium, Calendione deiecto, Petrum Fullonem in Antiochenam Sedem immisisse: plures Episcopos catholicos eiectos esse, praetextu quidem, quod Illo, et Leontio favissent, sed vere, quod Henotico subscribere recusassent.

Itaque habita est Romae alia Synodus 43 Episcoporum in Basilica S. Petri, in qua Petrus Fullo anathemate percussus fuit, Acacius, et Mongus iterum damnati. Exstat vero epistola synodica huius synodi ad universos presbyteros, et Archimandritas, Constantinopoli, et per Bithyniam consistentes; in qua epistola continetur mentio factae primae damnationis Acacii post reditum legatorum ad Urbem; est praeterea mentio conventus Episcoporum, et damnationis Acacii ob deiectum Calendionem, et immissum Petrum Fullonem in Sedem Antiochenam.

Duas vere fuisse has Synodos constat ex numero Episcoporum diverso, qui interfuerunt, atque ex diversa inscriptione diei, quo utraque Synodus habita est. Nam sententia depositionis Acacii subscripta fuit a Felice 5 cal. aug. cui 67 Episcopi subscripserunt: altera Synodus habita inscribitur calendis augusti. Haec autem confirmantur epistola Felicis ad Leonem a Sirmondo edita, et synodica epistola subscripta a 43 Episcopis. Prima Synodus habita est ad legatos audiendos, altera ad causam Ecclesiae Antiochenae peragendam, ut apparet ex memorata epistola Synodica.

Sententia depositionis missa est Constantinopolim per Tutum R. E. Defensorem, una cum synodica epistola. Missa quoque est alia epistola ad Zenonem, ut synodo obsecundaret, itemque ad Clerum, Senatum, et Populum Constantinopolitanum. Scripsit etiam Felix ad Orientales Episcopos mandans, ut a Petri Fullonis communione abstinerent: deest nunc haec epistola, sed Victor Thunonensis in Chronico haec commemorat: « Felix R.E. praesul monachis et clericis per Orientem, Aegyptum, et Bithyniam commorantibus scribit, ut Petrum Alexandrinum Episcopum, Chalcedonensis Synodi obtrectatorem, et eius communicatores Acacium, et Petrum Antiochenum tamquam haereticos vitent. »

Vitatis insidiis ad Abydum, Tutus

Constantinopolim venit, cum Acaemetis colloquutus est, eorumque opera, tradidit Acacio sententiam ad altaria, eiusque pallio affixit, prout testatur Victor Thunonensis, Liberatus, ac Theophanes; epistolas tradendas tradidit: edictum sententiae promulgavit: edictum vero differt a sententia, quae alloquitur Acacium: in edicto autem anathema dicitur omnibus Episcopis, clericis, monachis, laicis, qui cum Acacio deposito communicent. Sirmondus illud edidit post appendicem codicis Theodosiani.

Cum haec fortiter egisset Tutus, Maronas senex magnam pecuniae summam proposuit ei, si reversus ad Urbem, certiorem Acacium faceret de omnibus, quae Romae fierent. Tutus autem id scripto promisit: Felix certus de his factus a monachis, qui miserunt Romam promissionem, quam ille scripserat, Tutus officio, et sacrosancta communione in conventu Episcoporum privatus est. Felix quidem Papa in sententia depositionis ait, Acacium damnatum, numquam anathematis vinculis exuendum: sed hoc intelligendum, nisi resipuisset. Gelasius Pontifex vero in tomo de anathematis vinculo, respondet de ea re Orientalibus: «Ipse in se insolubilem fecit esse sententiam, qui talis permanere delegit, qualis veraciter non posset absolvi.»

Continent ea, quae tradidimus, praecipuas res Acacianum schisma respicientes. Illud tamen schisma, prout initio significavimus, Acacii morte, quae anno 489 contigit, extinctum est. Nam cum Romani Pontifices statuissent, Acacii nomen e sacris diptychis esse tollendum, et huic Sedis Apostolicae iussioni Episcopi Constantinopolitani Acacii successores non obtemperarent, Romani Pontifices, neque cum Episcopis Constantinopolitanis ita agentibus, neque cum ceteris Orientalibus Patriarchis, quibuscum illi communionem habebant, communicare voluerunt. Verum Hormisda Pontificatum gerente, et Iustino Seniore Constantinopoli imperante, huic dissidio finis tandem aliquando impositus est, et in Sedis Apostolicae communionem, ea, qua par erat, observantia, Orientales redierunt. Praeter ceteros Historiae Ecclesiasticae scriptores, legi potest de hoc Historiae Ecclesiasticae capite, praesertim Le Quienius, loco etiam, ubi de Patriarchis Alexandrinis, et Antiochenis agit tomo 2 operis citati, *L'art de vérifier les dates*, tom. 1, ubi de illorum temporum Orientalium Patriarcharum seriem affert, Henricus Valesius denique in adnotationibus ad Evagrium lib. 3 cap. 12, atque eiusdem Valesii eruditissimi libri duo *De Petro Fullone* et *De duabus Synodis Romanis, in quibus damnatus est Acacius*, ad calcem tomi 3 editionis Eusebii.

EX SAECULO SEXTO

CAPUT LIX.

DE SYMMACHO PONTIFICE, ET CONCILIO PALMARI.

Anastasius II Pontifex, qui anno 496 pontificatum susceperat, magno studio curaverat, ut pax Ecclesiae in Orientalibus provinciis vehementer perturbata restitueretur. Inter cetera, quae gessit, ut id tandem aliquando consequeretur, miserat legatos suos Cresconium et Germanum Episcopos ad Anastasium Imperatorem, et per legatos istos conatus erat etiam Imperatorem ipsum ab errore revocare. Verum, quod

Pontifex speraverat, minime contigit. Etenim una cum Legatis Apostolicae Sedis, contulerat se Constantinopolim Festus Patritius, quem Theodoricus Gothorum Rex ex Italia ad Imperatorem ob nonnulla negotia destinaverat. Reversurus in Italiam Festus Imperatori promiserat se effecturum, ut Anastasius Pontifex Henotico Zenonis subscriberet. Sed cum is Romam pergeret, Anastasius Pontifex die 17 novembris anno 498 mortuus est post Pontificatum gestum anno uno tantum, menses undecim, et dies 24.

Symmachus in Sardinia natus, Ecclesiae Sumanae Archidiaconus, die 22 novembris eiusdem anni 498 Anastasio suffectus fuerat; Festus autem intelligebat, a Symmacho se non esse impetraturum quod Imperatori ipse promiserat. Eodem igitur tempore, pluribus sibi pecunia comparatis, eligendum curavit Laurentium Archipresbyterum tituli S. Praxedis quem sibi propitium expectabat, et qui eodem die consecratus est, quo Symmachus Episcopatum acceperat. Grave schisma in Ecclesia Romana excitatum fuit hac de causa, atque eo res quandoque adducta est, ut caedes etiam in urbe patratae sint. Valde copiosior tamen, tum Cleri, tum populi Romani pars Symmacho studebat. Res ad Theodoricum delata est qui pro Symmacho respondit, cum affirmaverit, eum veluti legitimum Pontificem habendum esse, qui primum ordinatus, atque maiori suffragiorum numero electus fuisset. Habuit autem Symmachus die 1 martii anno 499 in Urbe Concilium, ad quod sexaginta duo Episcopi convenerunt, praesertim, ut ea decernerentur, quae ob turbas in Pontificum electione vitandas censerentur opportuna.

Post haec, renovatum schisma fuit, cum Festus ac Probinus Senatores, odio erga Symmachum inflammati, eundem de gravibus criminibus apud Regem Theodoricum per calumniam accusaverunt, et falsis testibus pecunia comparatis, ac Ravennam missis, accusationem veram esse Theodorico persuadere conati sunt. Eodem tempore, iisdemque instigatoribus, reversus est ad Urbem Laurentius, et iterum Cleri Romani pars Symmacho infensa, Laurentio adhaesit. Missus est a Rege Romam, petentibus Festo, et Probino, Petrus Episcopus Altinus, qui contra omnem Ecclesiasticam disciplinam, contra observantiam Pontifici maximo debitam, Visitatoris munere in Urbe fungeretur. Eius autem Romam adventus, bonorum omnium, et a schismate abhorrentium Romanorum indignationem commovit. Conatus est Petrus Synodum Romae anno 501 circa Paschatis festum habere, ad controversiam dirimendam de Pontificatu Symmachum inter et Laurentium excitatam. Verum cum Symmachus huius Synodi particeps esse nulla ratione voluisset, res in eo statu permansit, in quo erat antequam Petrus hic Episcopus Romam proficisceretur.

Theodoricus interea sibi proposuerat in veterem tranquillitatem Romam restituere. Ostendit igitur, optare se, ut nova Synodus haberetur, quae mense septembri, eo anno celebranda indicta est, et cuius prima sessio in Basilica Iulii, altera in Basilica S. Crucis ad Aedes Sessorianas, tertia in porticu Basilicae Vaticanae habita est, cuius porta cum palmaris diceretur, tota Synodus palmaris appellari solet. Symmachus ad Basilicam S. Crucis se conferebat, sed cum ad Synodum pergeret stipatus magna populi frequentia, homines factiosi in ipsum irrumpentes, lapidibus undique iactis, in vitae discrimen Pontificem adduxerunt, qui idcirco coactus est reverti ad Vaticanum, et Synodo interesse non potuit. Post scelus hoc patratum, quotidie Roma tumultui, et caedibus obiecta fuit. Episcopi vero qui, Symmacho absente, nil decernere poterant, a Theodorico veniam postularunt, ut ad dioeceses suas reverti possent.

Sed tandem anno 502 palmaris illa Synodus, seu Synodi sessio habita est. In ea Synodo Episcoporum testimonio Symmachus innocens est declaratus, et illorum criminum calumniosa accusatio declarata est, quorum reum Pontificem esse factiosi viri contenderant. Et quoniam, post palmarem Synodum habitam, Symmachi inimici conati fuerant scriptis schismaticis suis in vulgus spargere, Synodum illam penitus esse contemnendam, aliud Concilium anno 503 Romae habitum fuit, in quo schismaticorum conatus compressi sunt, Ennodii Ticinensis Episcopi libello apologetico probato, quo Symmachi, et Synodi palmaris defensio continebatur.

De Synodo palmari agentes, qui de Romani Pontificis potestate detraxerunt, ita loquuti sunt, veluti si huius Synodi factum probaret, Pontificis Maximi causam Episcoporum iudicio aliquando reservari. Nihil dico de Moshemio, qui in Inst. H. E. saec. sexti, par. 2 cap. V valde inimice de Symmacho loquitur, Ennodium insanum Pontificis adulatorem appellat, et assentatione, ac dominandi cupiditate accidisse recenset, ut vel ab eo tempore vehementer gravis existimaretur Romani Pontificis auctoritas.

Verum si monumenta ad Concilii illius celebrationem spectantia perpendantur, si quae eo tempore fuerit Episcoporum agendi ratio consideretur, apparebit, Concilii palmaris historiam nihil aliud afferre, nisi perspicuum, et singulare Episcoporum erga Romanum Pontificem observantiae testimonium; hanc autem observantiam, qua se animatos esse Episcopi demonstraverunt, non ex ambitione, aut assentatione, sed ex vi ipsa, ac ratione Primatus, qua Pontifex Maximus praeditus est, fuisse profectam.

Nam ea Synodus, volente, ac petente Symmacho, habita est; Episcopi vero a Theodorico vocati, ut se ad Synodum illam conferrent, adeundum ipsum Regem putarunt, et ab eo petendum, num Pontifice auctore, hoc ageret, ac tum tantem adducti sunt, ut Regi assentirentur, cum allatis Symmachi litteris Theodoricus ostendit, Pontificem Concilii celebrationem postulasse.

Consulatur tomus 8 amplissimae collectionis Conciliorum, curante Ioanne Dominico Mansio, pag. 247 et seq. Florentiae edita anno 1762, loco, ubi de Episcoporum Ravennam adventu agitur. « Cum ex diversis » (ita eo loco legitur) provinciis ad » urbem Romam convenire Sacerdo- » tes Regia praecepisset auctoritas, » ut de his, quae venerabili Papae » Symmacho ab adversariis ipsius » dicebantur impingi, sanctum Con- » cilium iudicaret legitime, Liguriae, » Aemiliae, vel Venetiarum Episco- » pis consulendi Regis incubuit ne- » cessitas, qua hos voluisset aetate » fractos congregari. Respondit prae- » fatus Rex piissimus bonae con- » versationis affectu, plura ad se de » Papae Symmachi actibus horrenda » fuisse perlata, et in Synodo opor- » tere, si vera esset inimicorum eius » obiectio, iudicatione constare. Me- » morati Pontifices, quibus allegandi » imminebat occasio, suggesserunt, » ipsum, qui dicebatur impetus, de- » buisse Synodum convocare, scien- » tes quia eius Sedi primum Petri » Apostoli meritum, vel principatus, » deinde secuta iussione Domini, con- » ciliorum venerandorum auctoritas » ei singularem in Ecclesias tradidit » potestatem, nec antedictae Sedis » Antistitem, minorum subiacuisse » iudicio, in propositione simili fa- » cile forma aliqua testaretur. Sed » potentissimus Princeps, ipsum quo- » que Papam in colligenda Synodo » voluntatem suam litteris demon- » strasse significavit: unde a man- » suetudine eius paginae postulatae » sunt, quas ab eo directas consta- » bat, hasque dari sacerdotibus sine » tarditate constituit. »

Id quod litteris a Theodorico allatis Episcopi intellexerunt, deinde

cum Romam venissent, et Concilium essent celebraturi, antequam de Symmacho agerent, voluerunt a Pontifice ipso confirmari. « Symmachus » (ita in eadem narratione refertur) » Basilicam Iulii, in qua Pontificum » erat congregatio, ingressus est, » et de evocatione Synodali clemen- » tissimo Regi gratias retulit, et » rem desiderii sui evenisse testatus » est. » His a Symmacho pronunciatis, Episcopi metum deposuerunt, ne si de Pontificis causa agerent, contra officium suum peccarent. Ita vero res peracta est, ut, Episcopi innocentem Symmachum esse declaraverint, instituere tamen iudicium de eius causa non voluerint, quam Dei iudicio reservatam esse communi suffragio affirmaverunt.

Quae attulimus, ad acta ipsa pertinent Concilii celebrationis. Sed ad eiusdem Synodi historiam spectant, quae Ennodius Ticinensis, et Avitus Viennensis Episcopi de ea causa scripserunt. Uterque vero perspicue ostendit, summam iis temporibus fuisse Episcoporum erga Sedem Apostolicam observantiam, non ex assentatione profectam, sed ex Primatus natura, quem Pontifex Romanus ob D. Petri successionem in universam Ecclesiam obtinet.

Haec autem sunt Ennodii Ticinensis Episcopi verba: « Aliorum forte » hominum causas Deus voluerit per » homines terminare. Sed istius (Se- » dis Apostolicae) praesulem, sine » quaestione, suo reservavit arbi- » trio. Voluit B. Petri Apostoli suc- » cessores caelo tantum debere inno- » centiam, et subtilissimi discussoris » indagini inviolatam exhibere con- » scientiam . . . Uni dictum: Tu es » Petrus, et super hanc petram ae- » dificabo Ecclesiam meam, et quae- » cumque solveris super terram, e- » runt soluta et in caelo. Et rursus: » Sanctorum voce pontificum digni- » tatem sedis eius factam toto orbe » venerabilem, dum illi quidquid fi- » delium est, ubique submittitur, » dum totius corporis caput esse de- » signatur. De qua mihi videtur di- » ctum per prophetam (Isaiae 10): » *Si haec humiliabitur, ad cuius* » *fugietis auxilium, et ubi relin-* » *quetis gloriam vestram?* »

Satis ista demonstrant, quae iis temporibus sententia esset, iam in Ecclesia ubique recepta, de Romanorum Pontificum potestate. Atque haec etiam ostendunt, non insanum adulatorem Ennodium fuisse, prout Moshemius ait, sed virum gravissimum et qui, ex ipsa divinitus instituta Primatus Pontificii ratione, Symmachum defenderit. Sed his addendum omnino est Aviti Viennensis Episcopi testimonium circa Symmachi causam, apud Sirmondum operum variorum t. V. pag. 47. Prout enim superius ostendimus, Synodus palmaris singularem demonstraverat erga Sedem Apostolicam observantiam. Num cum declarasset, non ad se, sed ad Deum ipsum pertinere de Romano Pontifice iudicare, Symmachum innocentem pronunciaverat, eius inimicorum clamores contempserat, eosque deinde Ennodius scriptis suis reiecerat. Verum haec, qualiscumque causae cognitio, tanta Episcoporum moderatione peracta, Gallicanos Episcopos vehementer offenderat, qui fortasse ignorantes, eam Symmacho consentiente susceptam fuisse, illam graviter improbarunt, quod nefas esse intelligerent, Episcopos, qui R. Pontifice inferiores sunt, de ipso Romano Pontifice cognoscere, qui auctoritate, et iurisdictione in Ecclesiam universam praeditus est.

Itaque Avitus Viennensis Episcopus, suo, et Gallicanorum Episcoporum nomine, scripsit de ea re gravissimam epistolam ad Faustum, et Symmachum Urbis Senatores, in qua praeter cetera, haec habet: « Dum de causa Romanae Ecclesiae, » anxii animi, et trepidi essemus, » utpote nutare statum nostrum in » lacessito vertice sentientes . . . . » perlata est sollicitudini nostrae ab » Italia in exemplaribus, Sacerdo-

» talis forma decreti, quam de Papa » Symmacho apud Urbem collecti » Italiae Antistites ediderunt. Quam » constitutionem licet observabilem, » numerosi, reverendique Concilii » reddat assensus, intelligimus tamen, Symmachum Papam, si saeculo primum fuerat accusatus, consacerdotum suorum solatium potius » adsciscere, quam recipere debuisse » iudicium. Quia sicut subditos nos » esse terrenis potestatibus iubet » arbiter caeli, statutos nos ante » Reges, et Principes in quacumque » accusatione praedicens, ita non facile datur intelligi, qua vel ratione, vel lege ab inferioribus eminentior iudicetur. Nam cum celebri praecepto Apostolus clamet, » accusationem vel in presbyterum » recipi non debere, quid in principatum generalis Ecclesiae criminationibus licere credendum est, quod » Synodus ipsa venerabilis laudabili » constitutione prospiciens, causam, » quam, quod salva eius reverentia » dictum sit, bene temere suscepe» rat, inquirendam divino potius re» servavit examini? Perstringens tamen, prout breviter potuit, nihil » vel sibi, vel gloriosissimo Regi de » his, quae Papae dicebantur obiecta, » potuisse. Quibus cognitis, quasi » Senator ipse Romanus, quasi Chri» stianus Episcopus obtestor . . . ut » in conspectu vestro non sit Eccle» siae minor, quam reipublicae sta» tus, quodque nobis Deus posse prae» stet, prosit et nobis; nec minus di» ligatis in Ecclesia vestra Sedem » Petri, quam in civitate apicem » mundi . . . In sacerdotibus ceteris » potest, si quid forte nutaverit, re» formari. At si Papa Urbis vocatur » in dubium, Episcopatus iam vide» bitur, non Episcopus vacillare . . . » Reddet rationem, qui ovili Domi» nico praeest, qua commissam sibi » agnorum curam administratione » dispenset: ceterum non est gregis » proprium, Pastorem terrere, sed » iudicis.»

Haec autem cum ita sint, ut arbitror, est demonstratum, monumenta, quae Synodi palmaris celebrationem respiciunt, et illius aetatis scriptorum testimonia, extra omnem controversiam constituere, summam, quam erga Romanum Pontificem observantiam Episcopi eo tempore praeseferebant, non esse tribuendam assentationi, aut dominandi cupiditati, cui inservire voluerint, sed ex Primatus iurisdictionis potestate omnibus cognita profectam esse.

CAPUT LX.

DE HORMISDAE PONTIFICATU, ET MONACHORUM SCYTIAE CAUSA.

Post gestum annos quindecim, et octo fere menses pontificatum, Symmachus die 19 Iulii anno 514 mortuus est. Ei autem suffectus fuit die 26 Iulii Hormisdas Frusinone in Campania natus, atque is pontificatum annos novem, et dies undecim gessit, cum die sexta Augusti anno 523 obierit. Multa sapienter Hormisdas in pontificatu egit. In eius vero laudibus praecipue ponendum est singulare illud studium, quo usus est, ut schismati ob Acacii causam in Oriente excitato, et iamdiu perduranti, finis imponeretur. Scriptis enim litteris, charitatis, ac doctrinae plenis, missis praeterea tribus Constantinopolim legationibus, ad Anastasium, et Iustinum Imperatores, tandem anno 519 fructum studii sui consequutus est.

Nam eo anno, cum Iustinus imperio praeesset, tandem aliquando memoratum schisma deletum est, prout de ea re agentes significavimus. Etenim tum contigit, ut Episcopi Orientales libello, seu formulae a Pontifice Maximo missae sub-

scripserint, atque, ea facta subscriptione, pax restituta fuerit. Ille autem libellus non dogmatum dumtaxat, sed factorum etiam professionem complectebatur, scilicet, non haeresum tantummodo, sed haereticorum, et omnium, qui iis communicaverant, aut communicabant, praesertim vero Acacii, condemnationem. Neque putandum est Episcopos adductos esse Imperatoris metu et auctoritate ad formulam, seu libellum ratum habendum; illi enim adhaeserunt, posteaquam, vera, et subscriptione digna esse professi sunt, quae in libello continebantur.

Constant haec ex Legatorum relatione ad Hormisdam. « Sub hac » (ita ii scripserunt) itaque celebri- » tate, secunda feria hebdomadae » maioris, Constantinopolim sospites, » hilaresque convenimus, posteroque » die piissimo Principi (Iustino) prae- » sentati, tanto eius relevati sumus » affectu, ut si alia minime proces- » serint, sola nobis ad solatium piis- » simi principis gratia suffecisset. » Sed orationibus vestris maiora se- » quuta sunt. Nam eo die, sub Se- » natus cuncti praesentia, Episcopi » quoque quatuor adfuerunt, quos » Ioannes Constantinopolitanus An- » tistes pro partis suae defensione » transmiserat, quibus Apostolicae » Sedis libellum ostendimus, omnia- » que in eo recta, canonicaque esse » probavimus. Postremo quinta feria, » hoc est in Coena Domini, ad pala- » tium in generali conventu venit » Episcopus, et perlecto libello con- » sentiens cum summa devotione sub- » scripsit. »

Fortasse clariora sunt ad huius gravissimi negotii felicem exitum explicandum, ea quae Dioscorsus Pontificis Hormisdae legatus in singulari sua ad Pontificem relatione narrat. Ista enim Dioscorsus habet de iis, quae evenerunt, Legatos Pontificios inter et quatuor Episcopos, quos Ioannes Constantinopolitanus Antistes miserat, ut de tota re penitus ipse certior fieret. « Dominus Noster » Beatissimus Papa Hormisdas, qui » nos direxit, nobis praecepit cer- » tare, sed prae manibus habemus » libellum, quem omnes Episcopi, » volentes Sedi Apostolicae reconci- » liari, fecerunt, si praecipit pietas » vestra, legatur. Et si est in ipso » quod ignoretur, aut verum esse » non credatur, dicant; et nunc osten- » demus, nihil extra iudicium Eccle- » siasticum in eodem libello esse con- » scriptum; aut si illi possunt doce- » re, quia non convenit Religioni » Catholicae, tunc nobis incumbit » probare. » Coram Principe igitur et senatu lectum esse libellum Dioscorus refert, atque eo lecto, quatuor illos Episcopos *respondisse omnia vera esse. His autem auditis Legati dixerunt: Et nobis grandem laborem Episcopi abstulerunt, et sibi convenientem rem fecerunt dicere veritatem. Cum Imperator subdidit: Et si vera sunt, quare non facitis? Senatores vero addiderunt: Nos laici sumus; dicitis haec vera esse. Facite, et nos sequemur.*

Post hanc tractationem, et post sublatam quaestionem, quae circa subscribendi rationem oborta erat, « subscriptio, ait Dioscorsus, ab eo- » dem (Ioanne Episcopo) facta est » libello conveniens. Post factum li- » bellum, nomen Acacii de Dipty- » chis est deletum, similiter et Fra- » vitae, Euphemii, Macedonii et Ti- » mothei. Similiter deleta sunt de » Diptychis, Zenonis, et Anastasii » nomina. Episcopi diversarum civi- » tatum quanti inventi sunt, libel- » lum similiter obtulerunt, et cum » grandi cautela suggerimus custo- » ditum, ne quis nobiscum commu- » nicaret Episcopus, qui libellum » primitus non dedisset. » Petierunt praeterea Legati, ut Archimandritae quoque libellum subscriberent. Atque isti quidem ab initio tantisper tergiversati sunt, cum contenderent satis esse, Episcopum Constantinopolitanum, cui suberant, subscripsisse. *Sufficit quia Archiepiscopus noster fecit: Nos eius formam sequimur.*

Verum Dioscorus in memorata superius relatione narrat: « Sed ipsi » quoque ratione convicti libellos » modis omnibus obtulerunt. » Opportunum est haec breviter significasse de Acaciani schismatis exitu, ut appareat Hormisdam Pontificem, non simulatam, sed veram, et ex persuasione profectam Orientalis Ecclesiae cum Sede Apostolica reconciliationem attulisse.

Multa praeter haec Hormisdas gessit, ut apostolicum munus sibi commissum, egregie impleret. Huius autem rei testimonium afferunt litterae ab eo scriptae, quae supersunt, ex quibus, ac singillatim ex iis, quae Hispaniarum Ecclesiam respiciunt, facile ostenditur, quanta fuerit Pontificis cura, ut sacra disciplina custodiretur, ut Sacerdotum electio rite, sancteque fieret, et ne quid committeretur, quod instituta maiorum posset perturbare. Suam etiam sollicitudinem Hormisdas demonstravit, ne ex Haereticorum consortio catholica fides detrimentum caperet prout in Manichaeis coercendis, in scriptis quae gratiae divinae necessitatem ad fidem suscipiendam denegabant, prohibendis, luculenter confirmavit. Pontifici autem consolationi fuit, quod Episcopi, qui ex Africa in Sardiniam, Trasamundo Vandalorum Rege Ariano iubente, fuerant deportati, libertatem pontificatus sui tempore consequuti sint, et afflictis iamdiu Africanae Ecclesiae rebus prospicere potuerint.

Hormisda pontificatum gerente, celebris ea praesertim excitata est controversia de illa probanda propositione: *Unus ex Sancta Trinitate passus est in carne*. Eam propositionem monachi quidam Scythae, seu, quod Lacrozius habet minus probabiliter in thesauro epist. t. 3 p. 189, Scetenses ex Aegypto monachi, non solum propugnabant, verum etiam ab omnibus credendam esse contendebant, magno animorum motu. Monachorum istorum, qui turbas primum Constantinopoli commoverunt hac de causa, duces fuerunt Leontius Vitaliani militiae comitis affinis, et Ioannes Maxentius eruditione conspicuus. Iis plures resistebant, ac praesertim Victor Diaconus, qui iniuriam Chalcedonensi Synodo inferri putabant, veluti si nova ista propositione in medium adducta, significaretur, non satis esse explicatam ab ea Synodo Ecclesiae Catholicae doctrinam de Verbi Divini incarnatione. Cum Hormisdae Pontificis legati anno 519 Constantinopolim venissent ad schismatis Acaciani negotium absolvendum, haec agi coeperat nova inter se contendentium pugna. Itaque monachi putaverunt imprimis causae suae opportunum esse futurum, si rem ad Legatos detulissent, atque ab iisdem pro memoratae propositionis veritate responsum accepissent. Libellum igitur Legatis attulerunt, quo libello catholicam se profiteri de universo Incarnationis mysterio doctrinam fuse affirmabant. Nam erga quatuor concilia oecumenica omnem observantiam praeseferebant, epistolam S. Leonis Magni dogmaticam venerabantur, haereticos omnes praecipuos, atque in his Nestorium, Eutychem eorumque errores anathematizabant, schisma detestabantur. Suam denique fidem de Christi gratia, et contra Fausti Reiensis errores exponebant. His autem explicatis, facile se adducturos esse Legatos arbitrabantur ut propositionem superius memoratam, de qua tantopere erant solliciti, probarent.

Verum Legati, cum viderent, plures esse Constantinopoli, qui monachis adversabantur, scirent sibi mandatum esse a Pontifice, ut de Acaciano dumtaxat schismate delendo agerent, ceteris vero negotiis se non immiscerent, denique omnino cuperent, id omne vitari, quod novae dissensionis occasionem afferret, ita responderunt monachis, ut iisdem se morem gesturos esse denegaverint. Etenim prout legitur in eorundem *suggestione ad Hormisdam*, hac ratione

coram Imperatore, et Senatu responderunt: « Extra Synodos quatuor, » extra epistolas Papae Leonis nec » dicimus, nec admittimus; quidquid » non contineri in praedictis Synodis » aut quod nòn est scriptum a Papa » Leone, non suscipimus.»

Hoc autem responso accepto, cum monachi deputatos suos ad Hormisdam admisissent, ut ab eo ipso probationem propositionis impetrarent, Legati de re tota Pontificem certiorem fecerunt, eidemque persuaserunt ut a confirmanda propositione, quaestionis novae vitandae causa, abstineret. Iustinianus quoque ab initio minus benevole ad Hormisdam scripserat, etsi in posterum, mente mutata, eis patrocinatus sit. Legatorum suorum relatione commotus est Pontifex, et licet primum statuisset, monachorum petitionem ad Ioannem Episcopum Constantinopolitanum committere, id quod Legatis minime gratum fuit, consilium tamen postea suscepit, ut ii deberent Romae Legatorum reditum exspectare. Interea monachi moras pertaesi, et Legatorum reditum, praesertim Dioscori, declinare cupientes, postquam Pontifici molestos se vehementer ostendissent, Roma evaserunt. De ea re loquitur Hormisdas in epistola ad *Possessorem* Episcopum Africanum. « Non illos, inquit, po» tuimus, monitis, mansuetudine, non » auctoritate, comprimere. In publi» cum usque prodiere conventum, » circa Regum etiam statuas incla» mantes: et nisi fidelis populi con» stantia restitisset, per diabolicae » semina nefanda zizaniae, apud il» los, dissensionem, et discordiam » commovissent, per quos adiutorio » Dei, de Religione, eorum est pulsa » dissensio.»

Scripsit hanc epistolam ad *Possessorem* Hormisdas, eo quod monachi Scythae, cum responsum a Pontifice exspectarent, Episcoporum, qui ex Africa a Trasamundo Vandalorum Rege in Sardiniam fuerant relegati, auctoritatem pro sententia sua imploraverant, misso libro *De Incarnatione et gratia,* quem Petrus Diaconus scripserat monachorum Romam profectorum doctissimus. In eo libro monachi omnia attulerunt rationum momenta, quae probandam propositionem esse, poterant evincere, et praeterea fidem, ac sententiam exposuerunt, quam contra Pelagianos, et Semipelagianos errores, ac praecipue contra Faustum Reiensem ipsi propugnabant. Episcopi Africani autem libellum monachorum, eorumqne fidem probaverant, prout constat ex libro *de Incarnatione et gratia Domini Nostri Iesu Christi,* quem omnium collegarum nomine S. Fulgentius scribendum curavit. Ioannes Maxentius, quem superius commemoravimus, in Hormisdae epistolam ad *Possessorem* acriter invectus est, artificiosa tamen declaratione facta, sibi persuasum esse, illam epistolam Pontifici Romano non esse tribuendam.

Monachos istos Scythas, catholicos fuisse, non Eutychianos prout Baronius ad annum 519 et 520 existimavit, aliqui putaverunt, plures eruditissimi viri ostenderunt, Cardinalis Norisius inter ceteros, in *Apologia Monachorum Scythiae,* et in dissertatione *De uno in Trinitate passo,* atque in *Historia Pelagiana* Petavius, Natalis Alexander in dissertatione *de Fide Scytharum Monachorum.* Quaestio autem erat inter catholicos de propositionis sensu et explicatione, quamobrem iure potuit Hormisdas responsum differre. Cum enim haec quaestio ageretur sine fidei discrimine, Legatis suis assentiri opportunum esse putavit, ne sententia pronuntiata, novum aliquod schismatis malum oriretur.

Penitus diversa fuerunt rerum omnium adiuncta cum anno 533 Iustiniano I imperante, et Ioanne II pontificatum gerente, de ea propositione iterum pertractatum est. Nam Iustinianus legatos ad Pontificem misit Hypatium Archiepiscopum Ephesinum et Demetrium Episcopum Philip-

pensem, qui afferentes Imperatoris fidei catholicae professionem, et Orientalis Ecclesiae cum Sede Apostolica consentientis significationem, Acaemetas monachos accusabant veluti Nestorianae haeresi addictos, atque idcirco Christum dici posse denegantes *Unum ex Sancta Trinitate passum in carne,* ac Beatissimam Virginem *Deiparam* appellari non posse contendentes. Iam vero Ioannes II Pontifex catholicam Iustiniani Imperatoris de his dogmatibus doctrinam probavit, et Acaemetas Monachos contraria sentientes condemnavit. Hoc continent litterae a Pontifice ad Iustinianum de ea re die 24 martii anno 533 scriptae. Hoc ostendunt etiam litterae, quas ad Avienum, Liberium, aliosque Senatores de ea re dedit Ioannes eo anno. Etenim Pontifex in epistola ad Senatores, ait: « Iustinianus Imperator filius » noster, ut eius epistolae tenore » cognovistis, de his tribus orta cer- » tamina fuisse significavit; utrum » unus ex Trinitate Christus, et Deus » noster dici possit, hoc est, una de » tribus personis Sanctae Trinitatis » persona. An Deus Christus carne » pertulerit, impassibili Deitate; an » veraciter, et proprie Mater Do- » mini Dei nostri Maria semper Virgo » debeat appellari. Probavimus in his » catholicam Imperatoris fidem, et » ita esse propheticis, et apostolicis, » vel Patrum exemplis evidenter » ostendimus, unum ex Sancta Trini- » tate Christum esse, hoc est unum » de tribus sanctae Trinitatis per- » sonis sanctam personam, sive sub- » sistentiam, evidenter ostendimus.»

De monachis autem Acaemetis, qui in contraria his dogmatibus sententia persistebant, haec Ioannes II Pontifex in iisdem litteris affirmavit: « Acaemetas monachos, qui Nesto- » riani evidenter apparuerant, Ro- » mana damnat Ecclesia, a quibus, » propter canonem, qui cum excom- » municatis Christianum nec loqui, » nec communicare permittit, admo- » nere non desino, ut eorum etiam » simplicem collocutionem vitetis, » nihilque vobis cum eis aestimetis » esse commune.» Ideo igitur Ioannes II Acaemetas monachos damnavit, quod ex toto rerum contextu, eos Nestorianos esse appareret. Ideo iudicavit non posse differri propositionis *Unus ex Sancta Trinitate passus est in carne* probationem, quia hac diserta probatione minime facta, homines Nestorianis erroribus addicti, hoc silentio potuissent abuti. Videri autem iure potuisse Nestoriana haeresi infectos monachos Acaemetas esse, inde patet, quod ita Christum unum esse ex Sancta Trinitate denegarent, ut etiam Beatissimam Virginem, Deiparam dici non posse contenderent.

Quod Ioannem II fecisse vidimus, id in posterum Agapetus etiam Pontifex epistola ad Iustinianum die 19 Martii anno 536 scripta, confirmavit. Nam Iustinianus Pontificis auctoritatem rogaverat contra Acaemetas monachos, qui Ioannis II decreto nolebant obtemperare. Denique hoc idem Vigilius Pontifex, et Concilium quintum Generale probavit.

Neque vero, prout Forbesius, l. 3 Instruction. Historico-Theologicarum cap. 16 aliique Heterodoxi contenderunt, Ioannis II decretum, aut reliqua responsa mox recensita, pugnam aliquam cum iis continent, quae Hormisdas in monachorum Scythiae causa egit, vel scripsit. Nam primo negari Forbesio, aliisque potest, vere quidquam Hormisdam contra illam propositionem in ea causa definivisse, et idcirco negari iure potest, *cathedralia* ista *responsa,* prout Forbesius loquitur, inter se pugnare. Constat enim ex universa huius controversiae historia, Pontificem Hormisdam, adductum praesertim Legatorum suorum relatione, consilium suscepisse abstinendi a definitiva propositionis probatione, ne inde novi dissidii desumeretur occasio; sed constat etiam, Pontificem eodem tempore cum monachis Scythis, tamquam cum Catholicis egis-

se, quibuscum communionem habendam esse, facto suo demonstravit. Ut reliqua autem omittam, quae sapienter Cardinalis Norisius inter ceteros disputat de ea re in superius memorata *Apologia monachorum Scythiae,* recensebo id, quod Ioannes Maxentius in suo contra Hormisdae epistolam ad *Possessorem* scripto, testatus est; videlicet notum omnibus esse *quod monachis responsum quaerentibus Romanus Episcopus dare omnino distulerit.* Eiusmodi vero est scriptum illud Maxentii, ut nulla prorsus in re Hormisdae ignoscat. Immo vero Maxentii scriptum illud totum *ab irato* profectum est, ita ut quamcumque suscipiat occasionem de Hormisda detrahendi, et quae illius agendi rationem respiciunt, passim exaggeret. Quamobrem talis confessio Maxentii satis per se est, ut ostendatur, responsum definitivum circa propositionem a monachis Scythis allatam, ab Hormisda datum minime fuisse.

Ceterum non desunt in Ecclesiasticis controversiis exempla, ex quibus pateat, propositiones, quas quandoque catholicas esse dubitatum non est, deinde explicata manifestius thesis intelligentia, fuisse reiectas; et aliquando propositiones, quas catholicum sensum habere dubitabatur, mutatis rerum adiunctis, probatas esse, et ad credendum propositas.

Tale certe evaserat negotium hoc, Ioannis II pontificatus tempore, et Agapeti pontificatu durante. Apparebat enim, sensu prorsus Nestoriano Acaemetas monachos propositionem illam reiicere; atque ideo factum est, ut ad Nestorianum errorem evertendum propositio illa probata sit, et Agapetus affirmaverit in epistola sua ad Iustinianum: « huic fi» dei (hoc est, Ioannis II definitioni) » quisquis contradicere praesumpse» rit, a catholica communione se no» verit alienum. » Legi potest praesertim memorata Norisii apologia cap. 1, Petavius lib. 4 de Incarn. c. 6 et 7, Thomassinius dissert. 19 in Synodos; ad rem enim hanc fusius explicandam ab iis plura afferuntur exempla. Legi etiam potest Ceillerius tomo 15 *Historiae sacrorum et Ecclesiasticorum Scriptorum.*

CAPUT XLI.

DE SYNODO ARAUSICANA II ET VALENTINA III CONTRA SEMIPELAGIANOS.

Pelagianae haeresis historiam referentes, cum eo devenimus, ut Semipelagianorum errores recenseremus, affirmavimus, eosdem errores, praesertim a Synodo Arausicana II anno 529 habita, ac deinde a Bonifacio II Pontifice confirmata, condemnatos esse. Nunc temporis ratio requirit, ut id aliquando disertius explicemus, et breviter de Synodo ista Arausicana secunda sermonem habeamus. Id autem occasionem affert loquendi etiam de Valentina tertia Synodo, quae in eadem causa celebrata est, et quam a Bonifacio II, cum Arausicanam confirmavit, una simul probatam esse, eruditi viri iudicarunt.

Nimis longum esset de iis omnibus singillatim agere, qui post Semipelagianos errores spargi coeptos, studium suum eo converterunt, ut catholicam doctrinam iis erroribus oppositam propugnarent. In promptu est inter ceteros eruditissimos scriptores, Dionysii Petavii *de Pelagianorum, et Semipelagianorum dogmatum historia,* Natalis Alexandri *historia Semipelagianae haereseos*, Cardinalis Henrici Norisii *historia Pelagiana.* Ea autem opera plenam huius rei notitiam afferunt.

Nemo autem ignorat, D. Augustinum libro *De praedestinatione Sanctorum, et de dono perseverantiae* Semipelagianos confutasse; S. Caele-

stinum I Pontificem, epistola ad Gallicanos Episcopos scripta, Semipelagianos compressisse, et D. Augustini doctrinam adversus eorundem calumnias vindicasse. Id etiam egregie fecisse S. Prosperum edito libro *contra Collatorem,* Ioannem Cassianum videlicet, Massiliensium Semipelagianorum principem, et in *responsis ad capitula Gallorum,* Gelasium Pontificem, in Romana Synodo Cassiani et Fausti scripta damnasse. His addendus libellus a monachis Scythis *de Incarnatione et Gratia* ad Episcopos Africanos Trasamundi Vandalorum Regis iussu in Sardiniam relegatos, et Episcoporum responsum ad monachos Scythas, ac S. Fulgentii libri de ea re. In his enim quoque omnibus scriptis, Semipelagiani errores impugnati sunt. Hi vero errores inde praecipue nascebantur, quod Semipelagianae doctrinae fons et caput erat, scilicet etsi divinae gratiae auxilium ceteris operibus necessarium esse concederetur, posse tamen hominem naturae suae viribus efficere, id quod respicit primos illos motus, quo ad fidem in Christum excitamur, seu ad fidei initium hominem per se sufficere, prout de Pelagianae haeresis historia agentes, breviter significavimus.

Patet ex his, quoties, et quanta cum auctoritate, Semipelagianorum errores fuerint condemnati, et quam vere, ac quam opportune, divinae gratiae necessitas, etiam contra errores a Semipelagianis praedicari solitos, fuerit propugnata. Verum licet haec essent gravissima, et ad errores illos profligandos opportunissima, ii tamen, qui adversam de ea re Catholico dogmati sententiam afferebant, his minime commovebantur. Sed haec impune esse non debebant. Nam Ecclesiae Catholicae fides de hoc doctrinae capite in discrimen vocabatur. Nonne enim grave Ecclesiae sententiae de divinae gratiae necessitate detrimentum allatum fuisset, si fides, quae humanae salutis initium est (Conc. Trid. sess. 6 de iustificatione cap. 8) fundamentum et radix omnis iustificationis, ac sine qua impossibile est placere Deo, et ad filiorum eius consortium pervenire, si fides, inquam, seu eius initium, aut primi motus salutares, quibus ad fidem excitamur, humanae naturae tantummodo viribus comparari possent? Quid vero ad Ecclesiae auctoritatis contemptum magis perducere poterat, quam tot homines reperiri, et eos recta sensisse contendere, licet quae in ista causa propugnabant, a patrum, conciliorum et Romanorum Pontificum responsionibus essent aliena? Valde opportunum igitur futurum esse visum est ad fidem catholicam de his rebus propugnandam, si nova istorum errorum fieret, Sede Apostolica probante, condemnatio. Id autem anno 529 factum est in Arausicano II Concilio cui S. Caesarius Arelatensis Episcopus praefuit. Cum enim ad Basilicae consecrationem, quam Liberius Praefectus praetorio exstruxerat, convenissent tredecim Episcopi ab Caesario invitati, inter cetera in eorundem conventu actum est de erroribus Semipelagianis iterum proscribendis, et cum ab *Apostolica Sede transmissa essent nonnulla capitula* de hac materia, secundum ista capitula editi sunt a Concilio canones, quibus errores memorati condemnabantur. Praecipue vero his canonibus declaratum est, Adami peccatum non corpori tantum, sed animae etiam obfuisse, illius peccati reos homines omnes nasci, gratiae Dei auxilio fieri, ut gratiam impetremus, peccati purgationem, et fidei initium, seu illos salutares motus, quibus ad fidem excitamur, Dei gratiae tribui omnino debere. Synodus ista Arausicana die 3 iulii anno 529 habita fuit.

Quamquam vero post novam istam condemnationem sperandum omnino esset, fore ut omnis quaestio de erroribus semipelagianis reiiciendis sublata censeri deberet, tamen rei exitus exspectationi non respondebat. Etenim Arausicani concilii decretis

non plurimum commovebantur, qui Semipelagianam doctrinam propugnabant. Nam contendebant, nimis parvo numero Episcopos ad illam Synodum convenisse, ac praeterea, quaestionem ibi definitam, veluti ex incidenti quodam in Synodo esse pertractatam. Itaque Caesarius novam synodum convocandam existimavit, quae post Vasense Concilium, die 5 Novembris 529 celebratum, Valentiae in Delphinatu habita est anno 530. Huic Synodo tamen Caesarius, infirma valetudine impeditus non interfuit, verum ei praefuit Cyprianus Tolonensis Episcopus. Desunt vero huius Synodi acta, sed de eius celebratione, et condemnatis in ea erroribus semipelagianis monumentum continet vita S. Caesarii ab eius Diacono Cypriano scripta.

Etenim Cyprianus in Caesarii vita ait: « Multi quidem aemuli surrexe» runt, qui eius resisterent doctri» nae de gratia; sed o felicitas ae» mulanda! Etenim susurris, et mala » interpretatione quorundam, obori» tur in Galliarum partibus contra » praedicationem Dei hominis, sini» stra suspicio. Ob hoc antistites Chri» sti ultra Isaram consistentes, cha» ritatis amore collecti in Valentina » civitate conveniunt, ubi etiam bea» tus Caesarius, infirmitatis solitae » causa, sicut disposuerat, properare » non potuit. Misit tamen praestan» tissimos viros de Episcopis, cum » presbyteris, et diaconis; inter quos » etiam Cyprianus Tolonensis Epi» scopus, Antistes magnus, et clarus » enituit; omnia, quae dicebat de di» vinis utique Scripturis firmans, et » de antiquissimis Patrum institutio» nibus probans, nihil prae se in di» vinis profectibus quemquam arri» pere posse, nisi fuerit primitus Dei » gratia praeveniente vocatus. »

Arausicanae Synodi decreta a Bonifacio II Pontifice confirmata sunt epistola de ea re ad Caesarium scripta 8 calendas februarias anno 531, quam Sirmondus edidit, et quae apud Labbeum legi potest, et apud Mansium in amplissima conciliorum collectione t. 8. col. 736. De hac Synodi Arausicanae confirmatione a Bonifacio II Pontifice facta Sirmondus ait, in adnotationibus ad eam Synodum: « In codice Fossatensi, unde a nobis » illa Bonifacii epistola excerpta est, » et in altero consimili, qui exstat in » bibliotheca s. Mariae Laudunensis, » epistola Synodo ipsi propter reve» rentiam Sedis Apostolicae praepo» nitur, et epistolae brevis de eius» dem Synodi auctoritate praefixa » est adnotatio his verbis: *In hoc loco* » *continetur Synodus Arausicana,* » *quam per auctoritatem sanctus* » *Papa Bonifacius confirmavit. Et* » *ideo, quicumque aliter de gratia,* » *et libero arbitrio crediderit, quam* » *vel ista auctoritas continet, vel in* » *illa Synodo constitutum est, con*» *trarium se Sedi Apostolicae, et* » *universae per totum mundum Ec*» *clesiae esse cognoscat.* »

Quemadmodum Arausicanae, ita etiam Valentinae III Synodi decreta de his rebus, epistola sua Bonifacius Pontifex confirmavit: nam Cyprianus in Caesarii vita, posteaquam Valentinam Synodum ad Semipelagianorum errores condemnandos habitam commemorasset, ait: « Quarum » intentionibus (Patrum Ecclesiae, » et Divinae Scripturae) vir Dei Cae» sarius dedit veram, et evidentem » ex Apostolica traditione rationem. » Nam beatae memoriae Bonifacius » Romanae Ecclesiae Papa, collucta» tione comperta, calcata intentione » iurgantium, persequutionem S. Cae» sarii Apostolica auctoritate firma» vit. » Atque haec, quae de utraque Synodo recensita sunt verissima esse, legenti epistolam Bonifacii perspicue constat. Ea enim epistola tota versatur in Semipelagianae sententiae condemnatione, ita ut, si ad hoc evincendum testimonia ex ea epistola afferri deberent, totam prorsus oporteret epistolam exscribere.

Ut intelligatur autem quomodo evenerit, Bonifacium II Pontificem epistola illa sua ad Caesarium, u-

tramque Synodum Arausicanam, et Valentinam confirmasse, haec breviter sunt animadvertenda. Scilicet Arausicana secunda Synodus die tertia iulii anno 529 habita est. Cum vero, quae pertinent ad errores Semipelagianos, decreta ibi fuerint secundum *capitula ab Apostolica Sede*, hoc est a Felice IV Pontifice, *transmissa,* Caesarius iure putavit, non esse postulandam a Sede Apostolica, Arausicanorum canonum de ea re confirmationem. Id satis est adnotasse, ut appareat non esse incredibile, prout Norisius arbitratur lib. 2 Historiae Pelagianae cap. 23, Caesarium multo post tempore ad Romanum Pontificem scripsisse, ut Arausicanae Synodi confirmationem consequeretur. Quid enim necesse erat continuo Sedis Apostolicae auctoritatem postulare, cum in ea Synodo promulgata fuissent de divinae gratiae auxilio *transmissa ab Apostolica Sede capitula?* Praeterea quando Vasensis Synodus, nonis novembris eodem anno 529 habita est, quae Arausicani Concilii decreta circa Divinae gratiae materiam confirmavit, Valentina Synodus habita non erat. Etenim si Valentina iam habita fuisset, profecto Vasensis Synodus, quae Arausicana statuta probavit, multo magis hoc fecisset de Valentinis decretis idem negotium respicientibus, et in Arausicanae Synodi subsidium promulgatis.

Praeterea Caesarius cum videret, quaestionem etiam post Arausicanam Synodum perdurare, atque idcirco Valentinam Synodum haberi voluisset, necessarium putavit de tota re ad Apostolicam Sedem referre, atque eius confirmationem postulare. Misit ergo Romam Armenium Abbatem, ut eam confirmationem consequeretur, statim post celebratam Synodum Valentinam, et cum adhuc nesciret Felicem IV mortuum esse, atque ei Bonifacium II suffectum fuisse. Hoc idem Bonifacius in epistola sua manifestum tradit. Inquit enim: « Per filium nostrum Armenium presbyterum, et Abbatem litteras tuae fraternitatis accepimus, » quas ad nos, ut apparet, inscius » adhuc sacerdotii mihi commissi, » sub ea, qua in Deo tenemur, charitate direxeras; quibus credideras » postulandum, ut id, quod a beatae » recordationis decessore nostro Papa » Felice pro catholicae fidei popo- » sceras firmitate, mea explicaretur » instantia. Sed quia id voluntas superna disposuit, ut quod per nos » ab illo speraveras, a nobis potius » impetrare, petitioni tuae, quam » laudabili fidei sollicitudine concepisti, catholicum non distulimus » dare responsum. »

Iam vero Pagius ostendit, Felicem IV mortuum esse die 18 Septembris anno 530, et Bonifacium ei successisse die 15 Octobris eius anni. Quare Armenius, qui e Gallia discessit, cum eo nuntius non pervenisset, Felicem mortuum esse, certe non post mensem augustum iter Romam versus suscepisse dicendus est. Colligitur ergo, Valentinam Synodum non multo ante illud tempus habitam fuisse, et iure concluditur, Bonifacium, qui consultus a Caesario respondit, et confirmationis suae litteras dedit die 25 ianuarii 531 eorum, quae *in collatione cum sacerdotibus Galliarum* statuta fuerant, non Arausicanam tantum, sed et Valentinam Synodum probasse. Quoniam vero Valentinae Synodi statuta ideo facta sunt, ut Arausicana decreta confirmarentur, obtinere inde potuit, ut quando sermo incidit de confirmatione a Bonifacio II concessa, monumenta antiqua mentionem tantummodo fecerint Arausicanae Synodi confirmationis. Legenda praesertim sunt, quae de his rebus doctissimus Pagius habet in critica Baronii, ut ex chronologia ab eo diligenter explicata toti negotio claritas afferatur.

CAPUT XLII.

DE VIGILII PONTIFICATU, ET DE CONTROVERSIA OB TRIUM CAPITULORUM CONDEMNATIONEM.

Celebritate sua praestat controversia, quae saeculo sexto pertractata est de trium Capitulorum condemnatione, quae per diuturnum tempus perduravit. Itaque cum acturi simus de gravissimo hoc illorum temporum Ecclesiae negotio, praecipua primum referenda putamus, quae Vigilii Pontificatum, et Concilii V generalis celebrationem respiciunt. Nam Vigilio pontificatum gerente, et totius rei participe, quaestio illa tanta peracta est, et Concilium generale quintum ad illam controversiam dirimendam habitum fuit.

Cum post Agapeti mortem Romani Clerici de novo pontifice eligendo agerent, litteras a Theodato Gothorum rege acceperunt minarum plenas, quibus ille imperabat, ut Silverius Campanus, et Hormisdae, antequam sacros ordines reciperet, filius, Pontifex crearetur. Haec idcirco ille decreverat, quod arbitraretur sua valde interesse, ut, cum bellum a Iustiniano illatum gerebatur, is pontificiam dignitatem consequeretur de cuius fide erga se et Gothos ipse certus esse posset. Schismatis vitandi causa Romani Clerici Silverium eligendum existimarunt, cui revera die 8 iunii anno 536, pontificatus collatus est. Interea Theodora Augusta Iustiniani uxor litteras Silverio scripsit, quibus ab eo postulavit, ut Anthymum, et ceteros ab Agapeto deiectos in pristinum gradum restitueret, et Chalcedonensis Concilii decreta contra Eutychianos abrogaret.

Haec cum Silverius denegasset, Theodorae indignationem incurrit, quae Vigilio R. E. Diacono, et Pontificio apud Imperatorem Legato, cui iam pontificatum promiserat, antequam Silverius eligeretur, iterum pontificiae dignitatis, et copiosae pecuniae consequutionem pollicita est, si Pontifex factus, ea ageret, quae a Silverio ipsa rogaverat, et impetrare non potuerat. Vigilius, qui pontificatus consequendi cupidus erat, conditionem oblatam accepit, et Constantinopoli discedens, attulit ad Belisarium Theodorae litteras, qui circa illud tempus Gothos ab Urbe, et ex magna Italiae parte eiecerat, quibus litteris Belisarius iubebatur Silverium pontificatu spoliare, et eidem in pontificia dignitate Vigilium sufficere. Belisarius Theodorae metu et fortasse pecuniae cupiditate, quam Vigilius promittebat, Silverium accusavit proditionis, veluti si de Urbe Gothis tradenda egisset, ac Pontificatu spoliatum Patarum in Lycia relegavit, suffecto eidem per vim Vigilio. Deinde in insulam Palmariam Silverius deportatus, ibi sive inedia, sive gladio martyrium fecit die 20 iunii anno 538.

Post haec Vigilius Ioannis filius, Romanus, qui, ut paulo ante retulimus, Silverio vivo, Theodorae, et Belisarii opera pontificatum usurpaverat, eo mortuo, legitimus Pontifex evasit, cum anno 538 a Clero Romano praesertim schismatis vitandi causa, rite Pontifex electus est. Cum haec Vigilii legitima electio contigit, incredibilis in eo facta est rerum mutatio, ut Theodorae, ac reliquorum, qui iniqua consilia in Silverio deiiciendo, ac Vigilio illi per vim subrogando iniverat, spes fallaces fuerint, et inanes cogitationes. Quaecumque enim antea contra Concilium Chalcedonense facturum se esse Theodorae promiserat, perspicua, ac solemni fidei professione delevit, qua affirmavit «quatuor sanctas Synodos Oecumenicas, et Epistolas S. Leonis, aliorumque decessorum suorum se recipere, et secundum eas credere.» De hac tanta rerum muta-

tione loquens Baronius ad an. 540. n. 9, « Fuit ista, inquit, plane mutatio dexterae Excelsi, et insigne miraculum, quo perspicuum factum est, Dei providentia R. Ecclesiam sollicitius gubernari, ut in quovis periculo constituta, sit penitus liberanda et mirifica quadam transformatione, quos iniquos accepit, soleat mox reddere sanctos, ut iidem inhaerentes sacrae petrae, super quam Christus suam fundavit Ecclesiam, eiusdem quoque consequantur robur, et firmitatem. » Vigilius in Orientem ob fidei negotia profectus ob eam causam, quam in posterum referemus, plura ibi perpessus est. A Iustiniano tandem dimissus, cum Romam contenderet, ac in Siciliam venisset, calculi morbo confectus, Syracusis obiit anno 555, cum Pontificatum gessisset ex quo Silverius mortuus erat, annos 17, menses 5 et dies 26.

Prout superius monuimus, Vigilio pontificatum gerente, controversia *de tribus Capitulis condemnandis* excitata, et pertractata est. Huius autem controversiae hic status, et ratio fuit.

Cum Pelagius Romanae Ecclesiae Diaconus ab Agapeto Constantinopoli relictus esset, ut Apocrisiarii munere fungeretur, Palaestini quidam monachi ex coenobio S. Theodori, et S. Sabae, in quo graves tumultus erant excitati, ad eum venerunt, eumque precati sunt, ut ab Imperatore Origenis damnationem impetraret. Pelagius, qui Theodoro Caesareae Palaestinae Episcopo erat infensus, a quo Origenis causa vehementer defendebatur, et Acephalorum erroribus clam studebat, libenter monachis assensus est. Pelagio igitur, ac Menna Constantinopolitano Episcopo auctoribus, Iustinianus anno 543 edictum adversus Origenem promulgavit, quo selecta eius doctrinae capita damnabantur. Gravissime tulit hanc Origenis damnationem Theodorus Caesareensis, et sui, ac Origenis ulciscendi consilium suscepit. Imperatorem igitur adducere continuo conatus est, ad tria quaedam capitula damnanda, quae in Concilio Chalcedonensi probata esse videbantur. Haec autem erant capitula, de quibus damnandis Theodorus laborare coepit: ut Theodorus Mopsuestenus, scilicet, Nestorii magister, qui Origenem acerrime impugnaverat, damnaretur; Ibae Edesseni epistola ad Marin Persam proscriberetur, qua Cyrillum Alexandrinum, eiusque contra Nestorium scripta reprehendebat, ac Theodorus Mopsuestenus amplissimis laudibus efferebatur; Rabulae vero Edesseno decessori suo graviter succensebat, quod Theodoro palam anathema dixisset; Ibam autem tamquam catholicum Synodus Chalcedonensis acceperat, et in pristinum gradum restituerat: denique Theodoreti Cyrensis Episcopi adversus Cyrillum scripta damnarentur, quibus eius anathematismos confutaverat, ac Nestorii personae defensionem acriter susceperat.

Haec capitula Theodorus Caesareensis cum Acephalis vehementer optabat condemnari; ut, scilicet, lata in eadem capitula damnationis sententia, Chalcedonensis concilii auctoritas grave aliquod detrimentum caperet, eo quod Chalcedonensis Synodus, nulla inquisitione facta in Ibae, et Theodoreti scripta, utrumque in communionem receperat; atque idcirco eorum libros contra Cyrillum quodammodo probasse videri poterat, ex quo imminutam Ephesini I auctoritatem Eutychiani querebantur. Quamobrem, cum Iustinianus edictum adversus Acephalos promulgare meditaretur, Theodorus Caesareensis per Theodoram Augustam apud eundem egit, ut potius memorata tria capitula damnaret, quibus Acephalos offendi Theodorus asserebat, et a recipienda Chalcedonensi Synodo retardari; his autem capitulis condemnatis, Theodorus idem affirmabat pacem Ecclesiae facili negotio restitui posse. « Haec audiens Imperator, inquit Liberatus in Breviario, et dolum dolosorum minime prospiciens,

suggestionem eorum libenter accepit, et facere promptissime spopondit! . . . Annuit his Princeps, et hoc se laetus implere promisit, et relinquens operis sui studium, unum in damnationem trium capitulorum condidit librum, pro delictis nostris omnibus notissimum. »

Exeunte igitur anno 543 vel ineunte 544, ut Cardinalis Norisius ostendit in diss. Historica *de Synodo quinta* cap. 3, edictum tulit, quo tria capitula proscribebantur; deinde edictum hoc suum ad Patriarchas misit, ut ab iis subscriberetur. Mennas Constantinopolitanus Episcopus Theodoro Caesareensi infensus, initio quidem subscribere recusabat: victus vero tandem Imperatoris minis, edicto assensus est, eique subscripsit, adiecta tamen conditione de subscriptionis chirographo sibi restituendo, si haec Romanus Episcopus non probaret. Toilus quoque, Euphremius, et Petrus Patriarchae, veriti, ne si edictum reiicerent, dignitate spoliarentur, qua potiebantur, illud susceperunt.

Stephanus interea, qui Pelagio a Vigilio Romam revocato, Apocrisiarii munere apud Imperatorem fungebatur, palam edicto restitit, Mennae agendi rationem improbavit, et a pluribus Orientalibus Episcopis accepit libellos ad Vigilium mittendos, quibus ii protestabantur, *quod a Constantinopolitano Episcopo coacti subscriberent.* Graviter etiam Iustiniani edicto offensi sunt Occidentales Episcopi. Itaque Illyrici, Itali, Galli, Hispani, Africani Episcopi illud impugnarunt. Tanta rerum perturbatione commotus Iustinianus, ac plane sentiens sine Sedis Apostolicae auctoritate proficere se nihil posse, anno 545 concilium habendum esse constituit, ad quod Vigilium imprimis, et Patriarchas vocavit, specie quidem, ut concilio habito, Acephali ad Ecclesiae unitatem perducerentur, re autem, ut trium capitulorum condemnationem consequeretur.

Vigilius etsi ab initio invitus, deinde tamen Imperatori annuendum esse duxit, et per Siciliam, ubi concilium hoc haberi exoptaverat, Constantinopolim se contulit. Cum eo pervenisset, animi sui fortitudinem ostendit, condemnatis Acephalis licet iis Theodora Augusta impense faveret, et Menna Constantinopolitano Episcopo communione privato, quod plures Episcopos Imperatoris edicto contra tria capitula superius memorata subscribere coegisset: ea tamen poena post quinque mensium spatium Mennam liberavit, Imperatrice rogante.

Post haec Iustinianus a Vigilio anno 548 impetravit, ut de trium capitulorum causa in 70 Episcoporum conventu pertractaretur. Verum cum graves tunc exortae turbae fuissent, Vigilius existimavit, per seipsum de ea re sententiam ferre: quare dedit *iudicatum* ad Mennam, in quo tria capitula damnabat *salva in omnibus reverentia Synodi Chalcedonensis.* Cum Iudicatum hoc edidisset, non modo pax Ecclesiae restituta non est, sed graviores etiam tumultus sunt excitati. Illyrici enim Episcopi illud accipere omnino recusarunt, et eo audaciae Africani devenerunt, ut non modo Iudicatum reiecerint, sed etiam Vigilium ipsum anathemate se mulctare posse arbitrati sint, quod in illum pronunciarunt, veluti si, Iudicato proposito, Chalcedonensis Concilii auctoritati iniuriam fecisset. In tanta rerum perturbatione Vigilius, et Iustinianus Oecumenicam Synodum habendam existimarunt, ut ita animorum motibus finis aliquis imponeretur, et Ecclesia tranquillitatem, quam iamdiu amiserat, recuperaret. Cum de loco, ubi haec Synodus haberi deberet, disputatum diu esset, nobiliores Episcopi omnium provinciarum, quae in Romano Imperio continebantur, Constantinopolim ad Synodum habendam vocati sunt.

Vigilius interea a Menna Iudicatum suum recepit, atque omnem de tribus capitulis disputationem Anathematis poena proposita, quoad Syn-

odus haberetur, prohibuit. Ex Occidente Episcopi parvo omnino numero Constantinopolim veniebant; Vigilius autem sine Episcopis occidentalibus de negotio hoc agi prorsus recusabat; Imperator vero, partim quod tantae morae impatiens erat, partim quod a Theodoro Caesareensi quotidie excitaretur, rem cito finiri vehementer cupiebat. Cum is esset rerum status, anno 551 Iustinianus edictum contra tria capitula promulgavit: Vigilius contra Edictum protestatus, excommunicationis sententiam in eos tulit, qui edicto assentirentur. Cum idcirco Imperatoris indignationem offendisset, ac sibi propterea metueret, ad S. Petri Basilicam confugit: missi eo sunt milites, qui Vigilium a templo abducerent, sed ii in populi tumultu ob eam causam excitato, fuga salutem petere coacti sunt. Ex memorata autem basilica Pontifex egressus est in posterum, cum Iustinianus, interposita iurisiurandi religione, promisit, neminem ei vim deinceps esse allaturum. Verum cum contra datam fidem novis afficeretur iniuriis, Vigilius Chalcedonem fugit, et ad S. Euphemiae basilicam se recepit.

Iustinianus deinde Pontificis constantia permotus, ad edicta revocanda adduci se passus est, ac Mennas, Theodorus, aliique, libellis fidei et poenitentiae Vigilio oblatis, cum eodem reconciliati sunt, qui tunc Constantinopolim reversus est. Mortuus est interea Mennas, eique in episcopatu Constantinopolitano suffectus est Eutychius, monachus Amasenus, qui continuo agere cum Vigilio coepit, ut tota de tribus capitulis controversia Synodi iudicio dirimeretur. Vigilius Eutychio ea conditione annuit, ut de illa re tractaretur in Episcoporum conventu, cuius tot Episcopi Latini, quot Graeci, participes esse deberent. Anno igitur 553 die 4 maii coepta est haberi Synodus, cui tres Patriarchae interfuerunt, et Episcopi 125 qui octo collationibus Synodum absolverunt.

Vigilius tamen, cum videret conditionem illam impletam non esse de aequali Latinorum, et Graecorum Episcoporum numero, Synodo interesse perpetuo recusavit. Edidit interea scriptum illud, quod in hac causa celeberrimum est, et *Constitutum* appellatur, in quo de tribus capitulis sententiam diserte tradidit. Sententia autem Vigilii de tribus capitulis in Constituto exposita, erat huiusmodi, ut Theodori, scilicet, Mopsuesteni errores damnaret, eius tamen nomini parceret; nihil in causa Theodoreti vel Ibae innovandum decerneret, qui in magna Chalcedonensi Synodo absoluti, et pristina dignitate decorati, novae inquisitioni subiici non deberent, immo de Theodoreti libris, et Ibae epistola nullam censuram ferendam esse statueret, de quibus Chalcedonenses Patres iudicare recusaverant; iuberet denique omnes de tribus capitulis sentire debere ea ratione, quae in Constituto praescribebatur.

Utrum hoc Constitutum, quod ad Iustinianum Vigilius misit, Imperator acceperit antequam Synodus absolveretur, an acceptum Imperator occultarit, ne trium capitulorum condemnationi impedimento esset, valde dubia res est. Illud vero est certum, collat. 7 expositam fuisse Vigilii sententiam tribus capitulis contrariam, quam Pontifex in *iudicato* tradiderat, anathema dictum esse Rustico, et Sebastiano *iudicati* impugnatoribus, lectas Vigilii ad Valentinianum, et Aurelianum Episcopos litteras, ut ex his omnibus appareret, Vigilium non semel tria capitula damnasse; his denique peractis, collat. 8. nulla facta Constituti mentione, definitivo iudicio tria capitula damnata fuisse.

Anastasium sequuti plures scriptores Latini memoriae prodiderunt, Vigilium, non statim Synodum V probasse, eam ob causam in exilium pulsum esse, adductum tandem ad Synodum probandam fuisse exilii taedio, et Romanae urbis repetendae studio. At Cardinalis Norisius in memorata superius diss. de V Synodo c. 8. demonstravit, Vigilium eodem

anno, quo habita est, Synodum V confirmasse, et commentitiam omnino esse totam hanc de Vigilio in exilium pulso narrationem.

Profecto Evagrius huius saeculi scriptor l. 4 c. 37 diserte tradit: « Vigilius per litteras consensit concilio, non tamen interesse voluit. » Hae litterae, quae diu latuerant, tandem inventae a Petro de Marca in lucem editae sunt, addita eruditissima dissertatione *De Vigilii decreto pro confirmatione V Synodi.* Iam vero ex his litteris, quae certissimum monumentum continent probati a Vigilio quinti Concilii, omnino ostenditur, Pontificem hoc Concilium probasse eo ipso anno, quo habitum est. Nam haec est epistolae Vigilii inscriptio: « Data 6 idus decembres imperii Domini nostri Iustiniani aeterni Augusti anno XXVII, post consulatum Basilii V. C. anno XII. » Hic vero annus incidit in annum 553, quo anno concilium V celebratum fuit, et 4 nonas iunias decretum adversus tria capitula editum est. Quare est perspicuum, vix elapsis integris 6 mensibus, Vigilium Synodum V confirmasse, et fabulosum esse Vigilii quinque annorum exilium, cuius taedio fractus ad Synodum confirmandam adductus fuerit.

Neque vero existimandum est, Pontificem saltem per eos menses exilii poena affectum esse, qui memoratae superius epistolae scriptionem praecesserunt. Nam Eustathius Constantinopolitanae Ecclesiae presbyter, qui eo tempore Eutychii Patriarchae familiaritate utebatur, in eiusdem Eutychii vita cap. 23 cum retulisset, quo tempore Synodus V habebatur, Vigilium et tres Patriarchas in Regia Urbe fuisse, ait: « Cum igitur ex quatuor pastorum concordia, rectoque sensu factum esset veluti unum ovile, atque unus Pastor, et omnis disciplinae moderatio per Sacerdotes, et Sacerdotum praesules conquievisset; discesserunt ad suas singuli civitates, et populos magno cum gaudio,» Haec autem Eustathii verba facile ostendunt, Vigilium minime per vim adactum esse ad probandam V Synodum. Quae enim fuisset, ut verbis utar Card. Norisii loco citato, hominis Constantinopoli scribentis temeritas, tale tantumque de Vigilio mendacium fingere, cuius a tribus Patriarchis dissensio, ex sequuto illius exilio, vel vilissimis regiae urbis feminis nota fuisset?

Praeterea agendi ratio, qua trium capitulorum defensores usi sunt, argumentum etiam gravissimum suppeditat ad ostendendum falsum esse, Vigilium ob recusatam Synodi V confirmationem exilii poena mulctatum esse. Nam de hoc Vigilii exilio ii omnino tacent: non omisissent autem illud commemorare, si revera Pontifex in exilium pulsus esset. Etenim cum tria capitula ii defenderent, cumque ob editam a Vigilio confirmationem Synodi V, haec defensio inanis evasisset, causae, cuius patrocinium susceperant, fuisset opportunissimum, de Pontificis exilio verba facere, ut inde concluderent, Vigilium nonnisi per vim adductum esse ad Synodum V confirmandam. Atqui nihil de ea re habet Liberatus Diaconus Carthaginiensis, nihil Victor Tunonensis: immo postremus hic auctor inquit: « Tria saepe facta capitula cum defendentibus ea, damnationi subiiciunt... Quorum decretis Rusticus R. Ecclesiae diaconus, et Felix Guillensis monasterii provinciae Africanae Hegumenus contradicentes scripto, Thebaida in exilium cum sociis transmittuntur. » Iam vero si Vigilius in Proconnesum deportatus fuisset, profecto Victor non unius tantum Diaconi et cuiusdam monachi exilium commemorasset, sed praecipue de Pontifice Maximo, ob trium capitulorum defensionem deportato, verba fecisset, quod ad causae quam tuebatur iustitiam demonstrandam, et ad eorum, qui tria capitula condemnaverunt impotentiam evincendam, imprimis contulisset.

Est igitur perspicuum, Vigilii ipsius auctoritate, et scriptorum rei

gestae aequalium, et qui controversiae participes fuerunt, testimonio demonstrari, fabulosum esse, ob trium capitulorum condemnationem recusatam, Pontificem exilio mulctatum fuisse, eumque ad Synodum V confirmandam exilii taedio, et in patriam redeundi cupiditate adductum fuisse. Confirmasse igitur Synodum V Vigilius dicendus est anno, quo illa celebrata fuit, et cum Constantinopoli adhuc moraretur. Ab eo tempore autem, quo Vigilius Concilium V confirmavit, illud tamquam Oecumenicum ab Ecclesia habitum perpetuo est. Haec, quae exposuimus, historiae summam continent eorum, quae in trium capitulorum causa gesta sunt. Omittimus cetera persequi quae a Vigilii Successoribus Romanis Pontificibus acta sunt, antequam Episcopi plures, praesertim Illyrici, et Africae adducerentur ad Concilium V recipiendum, et ad assensum trium capitulorum damnationi praebendum. Sed satis erit commemorasse eorum Pontificatus virtute, et diligentia factum esse, ut omnes tandem aliquando adhaeserint Concilio, et tranquillitas penitus fuerit restituta.

CAPUT LXIII.

DE TRIUM CAPITULORUM CONDEMNATIONIS CAUSA, ET CONCILII V CUM IV CONVENIENTIA.

Suscepturi nunc sumus Concilii V, et Vigilii Pontificis defensionem. Ad Synodum enim V quod spectat ostendendum est, eam tria capitula iure damnasse. De Vigilio autem agendum est, ut evincatur, eum neque timiditatis, neque commissi alicuius erroris in controversia hac pertractanda reprehendi posse.

Ut de Synodo V primum dicamus, considerandae sunt causae, quas habuerit ut tria capitula condemnaret. Ex harum vero causarum consideratione luculenter exsistet, eam Synodum ad tria capitula condemnanda iure adductam esse. Non video profecto utrum graviores causae fingi possint iis, quae Synodus V habuit ut Theodorum Mopsuestenum condemnaret. Nam ex eiusdem Symbolo, quod Marius Mercator latine reddidit, certum est, Theodorum praecipua fidei catholicae dogmata impugnasse. Etenim Christum purum hominem esse praedicavit, eumque filium Dei non natura, sed adoptione tantum esse iactavit, et gratia. De eo Symbolo S. Cyrillus in Epistola ad Proclum, ait: « Nihil sanum habere, et Nestorianae impietatis quasi scaturiginem esse. » Patres vero V Synodi: « Hoc Symbolum Satanas composuit. Anathema ei qui hoc Symbolum composuit. Hoc Symbolum Ephesina I Synodus una cum auctore eius anathematizavit. » Praeter Symbolum, reliqua etiam Theodori scripta impiis erroribus referta erant. Quare Proclus in tomo ad Armenos de iis scriptis asseruit « quod Iudaeorum blasphemias superavit. » Cyrillus vero in epistola ad Clericos, et Lamponem presbyterum: « In codicibus Theodori de Incarnatione multo peiores Nestorii blasphemias positas esse; pater enim fuit Nestorii perfidiae et illius mala loquutus. »

Errasse igitur Theodorum, perspicuum est, circa praecipua Religionis nostrae capita, et impias haereses quasdam ab Ecclesia iam damnatas propugnasse. Homo autem eiusmodi, qui Ecclesiae doctrinam evertendam curavit, merito haereticus habendus erat, ac poterat anathemate mulctari, isque, licet cum viveret, nominatim ea poena affectus non esset, ad corpus tamen Ecclesiae non pertinebat. Factum idcirco est, ut eius nomen etiam ante Concilii V celebrationem e sacris Ecclesiae Mopsuestenae diptychis deleretur, eique

nomini Cyrilli nomen sufficeretur, quemadmodum testatur Synodus Mopsuestiae, Iustiniani iussu habita, ut de ea re cognosceret. Ex hoc vero Ecclesiae Mopsuestenae facto, quae Theodorum e diptychis abstulit, eum haeresis aut schismatis reum mortuum esse evincitur. Nam si Athanasius in apologia pro Dionysio Alexandrino, illius catholicam fidem probat, quod « eius memoria hactenus cum patribus celebrata est, et in catalogum relata; » poterat iure concludi, Theodorum haereticum obiisse, et tamquam haereticum habitum esse, ex eo, quod eiusdem nomen e sacris Ecclesiae tabulis deletum fuerit, in quibus Catholicorum Episcoporum nomina continebantur, quae post lectionem Evangelii, palam in Ecclesia recitari solebant, cum sacra solemnia peragebantur. Patet ex his Concilium V, quod spectat ad Theodori personam, eiusque scripta, nihil innovasse, sed Ecclesiae potius iudicium de eo antea latum confirmasse.

Neque minus perspicue constat, Synodum V Theodoreti scripta adversus Cyrillum iure damnasse. Iis enim in scriptis Theodoretus Cyrillum, cuius de Incarnatione doctrina ab Ecclesia suscepta est, ut haereticum insectatur, Nestorium, qui ut nefariae haeresis auctor ab Ecclesia damnatus est, amplissimis laudibus prosequitur, ac velut orthodoxum commendat. Ex pluribus illis locis, quae afferri possent ex Theodoreti scriptis, in quibus haec, quae dicimus, luculenter continentur, adducam tantum verba haec ex eius Pentalogio, quae ostendunt quantum Theodoreti esset in Cyrillum odium, et quantopere Ephesinam Synodum contemneret. « Priusquam apud Ephesum, inquit, Synodus celebraretur, duodecim capitulis stricte, aperteque restitimus.... Quia vero se manifestum, qui ista protulit, in Concilio declaravit, et plures ex his, qui convenerant, imperiti potius, nec ulla dogmatis imbuti notitia, pia haec arbitrati sunt, operae pretium visum est, iterum contra niti, sermonemque distendere, et succisam blasphemiam multipliciter confutare, ut ignorantibus evidenter approbemus quemadmodum Evangeliis declarentur adversa, quae nunc ab istis maxime proferuntur. »

Praeterea nemo est, qui ignoret, quam constanter Nestorio Theodoretus adhaeserit, quantaque ad eum defendendum scripserit. Huiusmodi autem scripta damnari omnino meruisse manifestum est. Etenim ubi Theodoretus Cyrillum insectabatur, eius doctrinam de Incarnationis mysterio, et simul de eo dogmate Ecclesiae doctrinam insectari, ac improbare videbatur. Ubi vero Nestorium defendebat, et amplissimis laudibus efferebat, eius quoque erroribus gravissimis, atque haeresibus ab Ecclesia damnatis studere videbatur. Licet igitur secundum sententiam catholicam Theodoretus scribere voluerit, quemadmodum a pluribus existimatur, quoniam sua tamen scripta vel haeresim omnino continebant, vel ad haeresim perducebant, iure potuerunt, debueruntque damnari.

Quae de Theodoreto diximus, ea de epistola Ibae Edesseni ad Marin Persam intelligenda quoque sunt. Nam quemadmodum Theodoretus, ita Ibas S. Cyrillum calumniabatur, eum haeresis Apollinaristarum accusabat, et doctrinam ab eo in XII capitulis expositam, atque a Concilio Ephesino probatam, tamquam haereticam traducebat. Qua de causa igitur Theodoreti contra Cyrillum scripta a Synodo V damnari iure potuerunt, ea de causa proscribi quoque iure potuit Ibae Edesseni ad Marin Persam epistola.

Plura his, quae indicavimus ad Synodum V defendendam, opponuntur ab iis, qui post absolutam illam Synodum diu recusarunt eius auctoritati parere, iisque concinit Halloixius in Origenis defensione, aliique recentes scriptores. Eorum autem querelae eo referuntur, ut scilicet contendant, videri Synodum V in tribus capitulis condemnandis Chalcedonensi Synodo fuisse adversatam,

in qua Ibas, et Theodoretus recepti, Orthodoxique habiti sunt, et in qua Theodorum Mopsuestenum condemnandum esse iudicatum minime est.

At nihil esse potest tam perspicuum, quam Synodum V Chalcedonensi Synodo non fuisse adversatam. Primo enim loco, Episcopi, qui Synodo V interfuerunt, eiusdemque decreta probarunt subscriptione, diserte professi sunt, se Chalcedonensem Synodum recipere, ac venerari. Sane Episcopi, qui Synodi V decretis subscripserunt, haec subscriptioni adiecerunt, quae Eutychius Patriarcha Cpolitanus subscribens Concilio professus est. «Eutychius etc. suscipiens sanctas quatuor Synodos, id est, Nicaenam, Cpolitanam, Ephesinam I et Chalcedonensem, et quae ab ipsis definita sunt.» Praeterea veteres Patres, qui Synodi V defensionem susceperunt, id veluti exploratum esse debere praedicarunt, Concilium V Synodo Chalcedonensi non repugnasse. Satis erit Gregorii M. testimonium afferre in epistola ad Theodelindam Longobardorum Reginam, in qua nonnisi ab imperitis hominibus obiici posse affirmat V Synodum Chalcedonensi adversatam fuisse. « Quantum vos, inquit, pure diligimus, tantum de vobis fortius dolemus, quia vos imperitis, stultisque hominibus creditis, qui non solum ea, quae loquuntur, nesciunt, sed vix ea percipere, quae audierint, possunt... Nos enim, teste conscientia, fatemur, de fide eiusdem Synodi Chalcedonensis Concilii nihil motum, nihil esse violatum, sed quidquid praedicti Iustiniani temporibus actum est, id actum est, ut fides Chalcedonensis Concilii in nullo vexaretur.»

Denique si ipsa tria capitula considerentur, quae a Synodo V damnata sunt, apparebit hanc Synodum cum Chalcedonensi Concilio in nullo eorum damnando pugnasse. Ad Ibam enim Edessenum quod pertinet, cuius epistola ad Marin Persam in Synodo V damnata est, certum est, eam epistolam in Chalcedonensi Synodo orthodoxam iudicatam minime fuisse. Nam Legati Romani Pontificis in Chalcedonensi Synodo de Iba affirmarunt: « relecta eius epistola, agnovimus eum orthodoxum.» Haec vero ostendunt tantum, Legatos, Ibam quidem orthodoxum, non autem eius epistolam erroribus immunem iudicasse. Neque alia ratione res se habere in Concilio Chalcedonensi potuerunt. Etenim cum in eo Concilio probatum sit iudicium a Berytensi Synodo de Iba latum, quo Ibas ad Synodum I Ephesinam suscipiendam, et anathema Nestorio dicendum adigebatur, non poterat eius epistola ad Marin Persam Catholica iudicari, in qua Ephesina Synodus ipsa reprehendebatur, et vituperabatur, quod Nestorium sine inquisitione damnasset. Praeterea Episcopi, qui Concilio Chalcedonensi interfuerunt, ita de Iba loquuti sunt: « Anatolius Episcopus Cpolitanus dixit, in praesenti de eo suspicionem abiicio, quoniam consentit, et subscribit ei quae nunc de fide sententia data est a S. Concilio, et epistolae SS. Archiepiscopi Romae Leonis.» Iuvenalis vero Episcopus Hierosolymitanus haec verba fecit: «Qui convertuntur, hos Scriptura divina suscipi iubet; quapropter et eos, qui ab haereticis revertuntur, suscipimus. Unde pervideo Rm̃um Ibam impetrasse clementiam, quia et senex est, et ut habeat Episcopatum orthodoxus exsistens.» Haec autem Episcoporum loquendi ratio perspicuo est argumento, omnino alienam fuisse Synodum Chalcedonensem ab Epistola Ibae Catholica iudicanda.

Nam haec eo referuntur omnia, Ibam veluti Catholicum fuisse receptum, quod abhorrere se ab iis erroribus ostendisset, qui in epistola illa continebantur. His addendum est, Ibam sedi suae restitutum non esse nisi postquam Nestorio anathema dixisset. Patres enim Chalcedonenses id omnino postularunt. « Omnes eadem dicimus; Nestorium modo anathematizet.» Ibas vero repondit: «Et iam in scripto anathematizavi Ne-

storium, eiusque dogma; et nunc anathematizo eum decies millies. » Post haec autem visus est denegare, vel improbare epistolam suam. Habemus id ex Gregorii M. testimonio c. 3 lib. 7 epist. 54 ad Secundinum. « Epistolam vero, inquit, quam Rm̃us Ibas denegat suam, quod in extrema parte Synodi iaceat, agnoscis. Quae videlicet epistola Nestorium inauditum, et inquisitione non facta, damnatum asserit, Cyrillum vero in Apollinaris dogma cecidisse suspicatur. Et si totus superior textus praedicatae Synodi legitur, quantum haec epistola eidem Synodo adversetur invenitur; quia scilicet S. Synodus et Nestorium, sicut est, haereticum denuntiat, et B. Cyrillum Patrem Catholicum veneratur. Epistola ergo, qua illum defendit, qui a Synodo damnatus est, et eum accusat, qui a Synodo veneratus est, procul dubio definitioni Synodi probatur adversa..... Constat quia epistola non est Catholica, quae Patrem Catholicum, atque in toto Synodi volumine laudatum, haereticum appellat. » Haec vero cum ita se habeant, apparet, quam sit ridiculum asserere Synodum V cum Chalcedonensi Synodo ob Ibae epistolae damnationem pugnare, cum ea epistola, quae in Synodo V damnata est, neque Catholica habita Chalcedonensi Synodo, neque probata umquam fuerit.

Neque ulla etiam est pugna Synodum V inter et Chalcedonense Concilium in iis, quae Theodoreti scriptorum causam respiciunt in Concilio V damnatorum. Nam Theodoreti scripta contra Cyrillum in Chalcedonensi Synodo probata numquam fuerunt. Immo vero si Chalcedonensis Concilii acta consulamus, valde adversam his scriptis Chalcedonensium Patrum sententiam fuisse inveniemus. Etenim cum primum in Synodum introductus Theodoretus est, quidam Episcopi clamaverunt: « Non est Episcopus; » deinde vero: « Cyrillum Theodoretus accusavit, Cyrillum eiicimus, si Theodoretum acceperimus. » Absoluta autem Synodo, in qua actum de fide fuerat, Patres simul convenerunt, et compendiaria ratione de Theodoreti causa egerunt. Iusserant autem in haec verba: « Theodoretus modo anathematizet Nestorium. » Ille quidem rogabat, ut apologia a se allata legeretur, seu libelli supplices, quos tum Imperatori, tum Legatis Pontificiis obtulerat. Patres vero repugnabant, et Theodoretum ad anathematizandum Nestorium impellebant. Is autem natum se in Catholica Religione asserebat, et eius praeceptis institutum, eam palam professum esse, Nestorium, Eutychem, ceterosque, qui a catholica doctrina abhorrerent, aversari. De his cum longa oratione ageret, visus est Episcopis tergiversari, et ab Nestorio diserte anathematizando abstinere velle. Quare Episcopi clamaverunt: « Iste haereticus est. Nestorianus est. Haereticum foras mittite. » His vocibus commotus, perterritusque Theodoretus anathema in Nestorium, eiusque sectatores pronuntiavit.

Haec Chalcedonensium Patrum adeo severa in Theodoretum agendi ratio, ex eo profecta est, quod exploratum omnibus esset, plura a Theodoreto fuisse antea scripta, quae eius fidem in suspicionem vocaverant. Quod si Chalcedonensis Synodus a Theodoreto non postulavit, ut scripta memorata damnaret, ab hoc rogando ideo se continuit, quod sciret, Theodoretum scripta sua contra Cyrillum abrogasse, cum actioni 5 subscripsit, in qua Patres, Nestorio damnato, receperunt « epistolas B. Cyrilli Alexandrinae Ecclesiae Praesulis, synodicas utique litteras ad Nestorium, et ad alios per Orientem. » Ita rem explicat Pelagius II Romanus Pontifex in epistola ad Episcopos Istriae. « Quis haec, ait, omni impietate plena non videat? A quibus tamen constat, quod se postmodum ipse correxit qui in Sancta Chalcedonensi Synodo, Nestorium

anathematizare consensit. Quis non videat quanta temeritate plenum sit, Theodoreti scripta superbiendo defendere, quae eundem ipsum constat, recta post profitendo damnasse? Dum vero eius et personam recipimus, et ea quae dudum latuerant, prava scripta reprobamus, in nullo a sancta Synodi actione deviamus. Quia sola eius haeretica scripta respuentes, et cum Synodo adhuc Nestorium insequimur, et cum Synodo Theodoretum profitentem recta veneramur. Alia vero scripta illius non solum recipimus, sed eis etiam contra adversarios utimur. »

Dicamus nunc de Theodori Mopsuesteni causa, ac nihil esse ostendamus quare iudicandum sit Chalcedonensi Synodo ob huius etiam capituli condemnationem Synodum V repugnasse. Ephesinum I quidem, et Chalcedonense Concilium anathema in Theodorum non dixit. Numquid vero eum anathematizandum non esse alterutrum ex iis Conciliis decrevit? Minime omnino. Atqui hoc demonstrandum prorsus esset, ut quartum Concilium cum quinto pugnasse in Theodori causa evincatur. Non ignoro, Patres aliquando Theodorum Mopsuestenum laudasse; Cyrillum quondam scripsisse, Theodori labores in haereticis confutandis debere probari. At ex his non sequitur eos existimasse Theodori scripta omnia haeresi immunia esse, eundem recte de Incarnatione, de peccato originali, deque pluribus aliis fidei capitibus sensisse, aut talem Theodorum esse, in quem anathema pronuntiari non posset.

Etenim, ut ait Benignus Heracleae in Paphlagonia Episcopus Thessalonicensis Archiepiscopi Vicesgerens in Synodi V collatione 5 « nihil prodest impie agentibus, si contigerit quosdam vel ignorantia, vel praesumptione, vel etiam dispensatione aliqua scripsisse aliquid pro eis. Nam Basilius quondam scripsit de Apollinario, nec propterea eum liberavit condemnatione. Et Athanasius diversas epistolas ad Apollinarium scribit tamquam eadem sentientem in fide. Et tamen postea integros libros etiam post mortem Apollinarii scripsit adversus eum, cognitis illius in scriptis blasphemiis. Et nihil Apollinario profuerunt quae ante ad illum tamquam eadem in fide sapientem scripta sunt. » Quae de Apollinari Benignus asserebat, ea in Theodori causa etiam evenerunt. Veteres Patres Theodorum ob eruditionem, qua praestabat, aliasque ob causas illum laudaverant, quin eum conati sint ab iis erroribus vindicare, in quos inciderat. Synodus autem V ob hos errores Theodorum condemnandum iure arbitrata est, quin cum illis pugnaret quae ad eundem ornandum antea Patres scripserant.

Effecimus nullam omnino pugnam Synodum V inter et Chalcedonensem fuisse ob trium capitulorum condemnationem. Non erit autem abs re Pelagii II verba referre in epistola 3 ad Episcopos Istriae, in qua agens de iis, quae in Chalcedonensi Synodo pertractata fuerant, ait: « Vigilanti ergo cura respicite, quia in sexta illius actione sancta fidei professio consummatur; moxque in septima ad institutionem iam fidelium regula canonum figitur, ulterioribus vero actionibus nihil de causa fidei, sed sola negotia privata versantur. » S. Leo M. autem in epistola ad Maximum Antiochenum de his ita verba facit: « Si quid sane ab his fratribus, quos ad Synodum vice mea misi, praeter id, quod ad causam pertinebat, gestum esse perhibetur, nullius erit penitus firmitatis, quia ad hoc tantum ab Apostolica Sede sunt directi, ut excussis haeresibus, catholicae essent fidei defensores. Quidquid enim praeter speciales causas Synodalium Conciliorum, ad examen episcopale defertur, potest aliquam diiudicandi habere rationem, si nihil de eo est a SS. Patribus apud Nicaeam definitum. » Quare etiamsi in Chalcedonensi Synodo aliquid reperiretur, quod favere tribus capitulis quodammodo

videri posset, id cum postremis actionibus pertractatum fuerit, Pelagii II verba in memorata superius epistola usurpari iure possent. «Specialis Synodalium Conciliorum causa est fides. Quidquid ergo praeter fidem agitur, Leone docente, ostenditur quia nihil obstat si ad iudicium revocetur. »

CAPUT LXIV.

DE DECRETO CONCILII V IN THEODORI MOPSUESTENI CAUSA.

Etsi superiori capite de tribus capitulis condemnatis simul egerimus, et Concilii quinti auctoritatem circa decretum ea tria capitula respiciens propugnaverimus, requirit tamen peculiaris quaedam ratio, ut de Theodori Mopsuesteni condemnatione, quae in ea Synodo decreta est, nonnulla adiungamus. Nam inique actum esse a Synodo V contendunt adversarii, quod anathematis sententiam in hominem pronuntiaverit, qui fere centum iam ante annos mortuus erat, et numquam Ecclesiae communione, cum viveret, privatus fuerat; esse vero contra Ecclesiae traditionem et praxim, hominem mortuum damnare.

Adducunt autem S. Dionysii Alexandrini exemplum, qui Nepotis Episcopi Aegyptii libros proscripsit, quibus fabula de millenario in terris Christi regno propugnabatur, Nepotem vero Episcopum, quod iam vita functus esset, nulla affecit iniuria, ut Eusebius habet H. E. lib. 8. Commemorant etiam Cyrilli Alexandrini agendi rationem, qui in Ephesina Synodo anathematis poena Theodorum non affecit, licet eiusdem symbolum in ea Synodo condemnatum esset. Afferunt denique Leonis M. locum ex epistola ad Theodorum Foroiuliensem, qua ait: « Non necesse est nos, eorum, qui sic obierunt, merita, actusque discutere, cum Dominus Deus noster, cuius iudicia nequeunt comprehendi, quod sacerdotale ministerium implere non potuit, suae iustitiae reservaverit. »

Sed haec non efficiunt cum Theodoro Mopsuesteno a V Synodo inique actum esse. Nam qui in Ecclesiae pace vita functi sunt, ab eaque segregari non meruerunt, eos post mortem anathemate plecti posse non dicimus, cum Theodorum mortuum iure damnatum esse defendimus. Illud unum dicimus, eos, qui cum viverent, ab Ecclesia segregari meruerunt, vel ob haeresim et schisma, vel ob atrocissima crimina; quique his criminibus non expiatis mortui sunt, post mortem damnari posse. Nam ea ratione si res consideretur, specie tenus in Ecclesiae pace mortuos eos fuisse apparet, cum re vera a Christi mystico corpore essent seiuncti. At Theodorum ob plures haereses, quas vivens excitavit, et scriptis ubique divulgavit, ab Ecclesia abscindi meruerat, et anathemate mulctari. Potuit igitur et mortuus iure anathematizari. Quare Benignus Heracleae Paphlagoniae Episcopus, mendacii eos reprehendit, qui Theodorum in Ecclesiae pace obiisse contendebant. « Ille enim, ait, in communicatione, et pace Ecclesiae defunctus est, qui usque ad mortem recta Ecclesiae dogmata et servavit, et praedicavit. Quod vero Theodorus non servavit, nec praedicavit recta Ecclesiae dogmata, certum est ex eius blasphemiis. »

Neque Dionysii Alexandrini erga Nepotem agendi ratio, ullo modo Theodoro Mopsuesteno favet. Nam Nepos errorem quidem in suis libris propugnaverat, sed nondum ab Ecclesia damnatum, immo a nonnullis etiam Patribus praedicatum, et in quaestione obscura, quae praecipua Religionis capita non attingebat. Erat ergo omnino aequissimum, ut erga eum moderatio illa adhiberetur, qua actum cum ceteris erat, qui eundem

errorem tradiderant. At Theodorus Mopsuestenus errores iam in Paulo Samosateno proscriptos defenderat, scriptisque libris impugnaverat praecipua Religionis capita, Christi divinitatem, Deiparae dignitatem. Merito ergo post mortem anathemate perculsus est, licet vivens damnatus nominatim non fuisset.

Quod si Cyrillus in Concilio Ephesino Theodorum minime diserte anathemate perculit, numquam tamen negavit eum illa poena mulctari posse, si secundum ius adversus eum agi voluisset. In ea autem re Cyrillus, Proclus, ceterique dispensationi locum esse debere tunc existimarunt, ut remissius agentes, illos a Nestoriano errore facilius revocarent, qui Theodori personae, et memoriae studebant. Etenim plerique Orientalium ita Theodori erant studiosi, ut palam in Ecclesiis clamarent: *crescat fides Theodori, sic credimus sicut Theodorus,* quemadmodum Cyrillus testatur in epistola ad Acacium Melitenum. Licet vero, qui rectam doctrinam sequebantur, nefarias haereses in Theodori libris contineri certo scirent, aegre tamen ferebant, eum virum nominatim damnari, cuius tanta fuerat in Oriente celebritas, prout idem Cyrillus habet in epistola ad Proclum.

Quamobrem S. Cyrillus ab anathemate in Theodorum tunc abstinuit, ne graves in Oriente turbae excitarentur, cum id unum cordi haberet, ut eius doctrina damnaretur. At ipse Cyrillus intelligens deinde, doctrinam Theodori ab Orientalibus cum Religionis damno laudibus extolli, libros adversus Theodorum scripsit, in quibus, quemadmodum Benignus ait in coll. 5 Synodi V, eundem haereticum appellat, et gravioris blasphemiae reum, quam Pagani ac Iudaei essent. Haec vero omnia ostendunt, Cyrillum tantummodo ob oeconomiam quandam adiunctis rerum accommodatam abstinuisse tunc a Theodori condemnatione, non autem putasse, Theodorum anathemate dignum non esse. Verum cum Synodus V habita est, rerum adiuncta erant immutata, atque amplius ei dispensationi locus esse non debebat, quam Cyrillus antea adhibendam iudicaverat.

Quod spectat ad Leonis locum superius allatum, ceteraque eiusmodi, certum est, ea nulla ratione ostendere in Theodorum mortuum anathema pronuntiari non potuisse. Etenim iis in locis id unum affirmatur, quod neque nos negamus, in mortuos homines iudicium ab Ecclesia institui tale non posse, quo eorum status immutari queat. Neque quidquam in iisdem locis est, ex quo sequatur, Ecclesiam de mortuorum hominum doctrina iudicium instituere non posse, atque etiam de eorundem personis, ita scilicet, ut si ex eorum libris appareat, eos haereticos, aut schismaticos fuisse, cum iis tamquam cum haereticis agatur, damnentur, inter catholicos non nominentur, et refellantur.

Atque haec Synodi V in Theodorum agendi ratio ab Ecclesiae institutis non erat aliena. Patres illius Synodi id gravissimis argumentis ostenderunt. Profecto ex canone 86 Ecclesiae Africanae patebat, homines etiam post mortem posse damnari. « Si quis Episcopus (statuitur eo canone) heredes extraneos a consanguinitate sua, vel haereticos etiam consanguineos, aut paganos, Ecclesiae praetulerit, saltem post mortem ei anathema dicatur, atque eius nomen inter Dei sacerdotes nullo modo recitetur. » Hanc etiam fuisse S. Augustini sententiam aperte colligitur ex eius epistola ad Bonifacium Comitem. « Quamvis, inquit, etsi vera essent, quae ab eis (Donatistis) obiecta sunt Caeciliano, et nobis possent aliquando monstrari, ipsum iam mortuum anathematizaremus, sed tamen Ecclesiam Christi, quae non litigiosis opinionibus fingitur, sed divinis attestationibus comprobatur, propter quemlibet hominem relinquere non debemus. »

*

His alia plura adiungi possent, ex quibus appareret, Ecclesiae instituto contrarium non esse, ut mortui quoque damnentur. Commemorabo tantum quod Benignus Heracleensis Episcopus in Synodo V referebat: « Valentinum, Marcionem, Basilidem a nulla Synodo anathematizatos esse, post mortem tamen anathematizari, quod aliena a pietate essent dogmata, » quae propugnaverant. Eruditissimus Petrus de Marca in dissert. *de Vigilii decreto* apposite notat, cum eiusmodi hominibus Ecclesiam agere veluti cum perduellionis reis, quorum memoria post mortem damnatur, et bona publicantur, licet secundum Papinianum cetera omnia crimina mortalitate exstinguantur.

CAPUT LXV.

DE VIGILII PONTIFICIS AGENDI RATIONE IN PERTRACTANDA CONTROVERSIA TRIUM CAPITULORUM.

Haec, quae hactenus exposuimus Concilii V auctoritatem vindicant. Restat nunc, ut nonnulla de Vigilio dicamus, eumque ab iis calumniis defendamus, quibus Sedis Apostolicae inimici, de trium capitulorum historia agentes, illum affecerunt. Quo loco non est necesse longam disputationem instituere, ut Protestantes refellamus, qui Vigilium accusant, quasi in huius negotii pertractatione in errorem quemquam fidei repugnantem inciderit. Est enim exploratissimum, idque patet Vigilii Constitutum legenti, tomo 5 edit. Concil. Labbei an. 1728, eum perpetuo Nestorianam, ac Eutychianam haeresim detestatum esse, et etiamsi aliquando visus sit abstinere se velle a tribus capitulis damnandis, dogma tamen catholicum constanter et luculenter propugnasse.

Quae vero Ianseniani asseruerunt, Vigilium scilicet, in hac re pertractanda, in facto dogmatico errasse, sunt prorsus a veritate alienissima, et cum ipsa facti dogmatici notione pugnant. Contendunt quidem Ianseniani apparere, hunc Pontificem revera in facto dogmatico errasse, eo quod primum in *iudicato* tria capitula improbaverit, deinde ea defenderit in *Constituto,* tandem ea diserte damnaverit in epistola, qua Synodum V confirmavit. Verum ut aperta horum hominum contra Vigilium calumnia intelligatur, certum est in tota illa controversia numquam omnino de facto dogmatico actum fuisse cuius natura est, ut definiatur in scripto aliquo errorem, aut catholicam doctrinam contineri.

Etenim Pelagius II in ep. ad Childebertum Francorum Regem ait, in Oriente, Imperatore Iustiniano, quaedam capitula *extra fidem* agitata fuisse; et *nihil aliud nisi de personis actum.* Gregorius M. vero in epist. ad Episcopos Istriae, seu Iberiae affirmat, in V Synodo « *de quibusdam solummodo personis actum esse.* » Denique Vigilius ipse in epistola, qua Synodum V probavit, diserte tradidit, controversiam, quae tunc pertractata est, non ad fidem, sed ad personas dumtaxat spectasse. Queritur enim, humani generis hostem effecisse, ut inter fratres, quorum eadem fides erat, dissidium propter personarum causam excitaretur, « ita ut, inquit, nosmetipsi qui eiusdem cum illis eramus, et sumus de fide sententiae, insuper habita dilectione fraterna, in discordiam abierimus. »

Quod si non de fide controversia fuit, non video, quanam ratione ostendere quisquam possit, Vigilium in ea pertractanda, in facto dogmatico errasse, quaecumque tandem eiusdem Pontificis de tribus capitulis sententia fuerit. Praeterea, ut ostendi pos-

sit, Vigilium in ea re errasse in facto dogmatico, docere Ianseniani deberent, aliquando Pontificem scripta illa de quibus agebatur probasse. At id nemo umquam poterit demonstrare. Quamdiu enim Vigilius abstinuit a tribus capitulis damnandis, numquam ea scripta, aut ea capitula probavit, sed rem eo loco relinqui optare se ostendit, quo relicta a Synodo Chalcedonensi fuerat, a qua Synodo, licet tria capitula damnata non essent, numquam tamen probata fuerant. Constat ergo esse falsissimum, Pontificem hunc in facto dogmatico in trium capitulorum controversiae pertractatione aliquando erravisse.

Est autem apertissima Villersii, aliorumque calumnia, Vigilium levitatis, ac imbecillitatis accusari posse, eo quod contrarias inter se sententias, in huius controversiae decursu defenderit. Nam si res non secundum praeiudicatas opiniones, sed prout veritas ipsa postulat, consideretur, manifestum erit, ita se Vigilium in eo negotio gessisse, ut prudentiae laudem omnino mereatur. Etenim, ut sapienter monet Petrus de Marca in diss. *de Vigilii decreto*, qui rerum Ecclesiasticarum periti sunt, non ignorant, duobus modis se gerere consuevisse Summos Pontifices in quaestionibus ad disciplinam pertinentibus, ut vel summo iure agerent, vel remisso. Prudentissimam hanc, et diversam agendi rationem ii adhibendam esse arbitrati sunt, tum cum Ecclesiae bonum id requirere videbatur. Utroque hoc agendi modo usus est in hac controversia Vigilius, qui vel iuris, et canonum praescripto, vel eorundem remissione, se fidei ac pacis Ecclesiasticae studiosissimum ostendit.

Id autem ex controversiae ipsius historia patet. Nam primum tria capitula defendit, eo quod arbitraretur, ea, absque Concilii Chalcedonensis iniuria, et quin de eius auctoritate detraheretur, damnari non posse. Habebat autem iure timendi causam, ne Orientales trium capitulorum condemnatione, illud unum spectarent, ut Concilii illius auctoritatem impugnarent. Ea vero sententia, non Vigilii tantum, sed plurium etiam erat Occidentalium Episcoporum. Cum autem Orientales a suscepto consilio desistere nollent, impetrandae videlicet trium capitulorum condemnationis, eos cum Occidentalibus Episcopis componere cupiens Vigilius, consilium inivit, ut tria quidem capitula damnaret, sed profiteretur interea, nihil ea damnatione de Synodi Chalcedonensis auctoritate detractum iri. Quare eas muneris sui partes explevit omnes, quae requirebantur, ut Ecclesiae pacem, ac unitatem tueretur. «Nos, inquit, in epistola quae Theodorum Caesareensem damnavit, longanimitatem nostram divina largitate concessam, tam circa te, quam circa ceteros seductos a te, pene hoc quinquennio elapso ostendimus. Primum quidem in eo, quod pro scandalo refrenando condescendentes, quorundam animis, quos aliqua dispensatione credimus temperandos, quia tu iam eos pluribus annis inquietissimus stimulator accenderas, quaedam pro tempore medicinaliter existimavimus ordinanda, tali scilicet conditione, ut omni in posterum perturbatione sopita, nihil ultra, nec verbo, nec litteris quispiam facere ex eadem causa praesumeret.»

Verum etsi nihil omisisset Vigilius, quo pacem Ecclesiae defenderet, omniumque animos conciliaret, impetrare tamen non potuit, ut Africae, Illyrici, et Dalmatiae Episcopi sententiam sequerentur, quam is in iudicato tradiderat. Intelligens igitur grave schisma in Ecclesia ea de causa conflari, summam ostendit diligentiam, omnemque prudentiam adhibuit, ut tanto malo occurreret. Scriptis igitur litteris docendos omnes curavit, iudicato suo, Concilio Chalcedonensi nihil esse derogatum, praeterea iudicato ipso veluti suppresso, omnem de tribus capitulis controversiam Generalis Concilii iudicio re-

servavit, in quo facilius futurum esse putabat, ut Episcopi omnes in unam, eandemque sententiam ea de re convenirent. Concilio non interfuit, quod fidei datae Imperatorem minime stare intellexit; ac constitutum interea edidit, in quo, licet tria capitula, salva fide, defenderet, nullam tamen anathematis poenam iis indixit, qui contrariam sententiam propugnarent.

Denique in sua ad Eutychium epistola, Synodum V confirmavit, ac anathemate eos mulctavit, qui eadem capitula in posterum defendenda susciperent. Haec autem *revelante Domino, et veritate investigata* se decernere Vigilius declaravit. Etenim vidit, Nestorianos ita vehementer tribus capitulis abuti, ut necesse omnino esse appareret, tria capitula damnare. Vidit, Episcopos Occidentis definitivo decreto suo obtemperaturos esse, ut revera contigit, exceptis quibusdam Dalmatiae Episcopis. Tempus igitur advenisse intellexit, quo diuturna haec controversia dirimi prorsus deberet; et censuit idcirco a definitiva sententia sua contra capitula ferenda, abstinere se amplius non posse. Haec vero cum ita sint, perspicuum omnino est, rei gestae expositionem cuique ostendere non modo Vigilium imbecillitatis et levitatis in huius controversiae pertractatione, per calumniam accusari, verum etiam eum summa prudentia in eo negotio toto usum fuisse. «Si igitur in trium capitulorum negotio (ait Pelagius II in ep. ad Episcopos Istriae) aliud cum veritas quaereretur, aliud inventa veritate dictum est, cur mutatio sententiae huic Sedi in crimine obiicitur, quae a cuncta Ecclesia in eius auctore veneratur? Non enim mutatio sententiae, sed inconstantia sensus in culpa est. Quando ergo ad cognitionem recti intentio incommutabilis permanet, quid obstat, si ignorantiam suam deserens verba permutet?»

Quae disputavimus, ad trium capitulorum historiam explicandam imprimis opportuna sunt. Ita vero Concilii quinti decreta, et Vigilii agendi rationem exhibent, ut neque dubium ullum relinquatur, concilium illud tamquam vere Generale post Apostolicae Sedis confirmationem habendum fuisse, nulla in re cum Chalcedonensi pugnasse, Pontificem denique Vigilium, nullius, vel erroris, vel inconstantiae, aut imprudentiae accusari posse. Disputationem igitur hanc possumus derelinquere, quin necesse sit immorari in iis refellendis, quae tom. 2 operis de Ecclesiae spiritu cap. 15 pag. 159 seqq. Potterius affert, ut de Vigilio, et de Concilio quinto detrahat. Nihil enim est tam falsum, quam Vigilium in Eutychianismi suspicionem iure vocari posse, aut per vim adductum esse ad Concilium comprobandum. Nihil vero est in Pelagii I, Pelagii II, Gregorii M. historia luculentius, quam eos Pontifices, tamquam Generale Concilium V habuisse, et persuasum perpetuo iisdem fuisse, inter Concilii IV et V decreta nullam prorsus pugnam reperiri. Episcoporum denique Occidentalium repugnantia illi Concilio, in qua post Sedis Apostolicae confirmationem perseverarunt, non constantiae, sed inobedientiae nomine appellanda est.

CAPUT LXVI.

DE S. GREGORIO MAGNO.

Inter praeclara Sedis Apostolicae ornamenta, et inter splendidiora Ecclesiae Catholicae lumina, S. Gregorium I sanctitate, doctrina, rerum gestarum amplitudine Magnum appellatum, iure veneramur. Nam, ut verbis utar S. Hildephonsi Archiepiscopi Toletani in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis: «Ita (Gregorius) » cunctorum meritorum claruit per-

» fectione sublimis, ut exclusis omni-
» bus illustrium virorum rationibus,
» nihil illi simile demonstret anti-
» quitas. Vicit enim sanctitate Anto-
» nium, eloquentia Cyprianum, sa-
» pientia Augustinum. » Haec sola verba sufficiunt, quo appareat instituti nostri esse, ut de sanctissimo isto Pontifice loquentes, non modo praecipuas res ab eo summa virtute gestas recenseamus, sed etiam nonnullas accusationes refellamus, quibus ab hominibus tantae gloriae, quam Gregorius Apostolicae Sedi, et Romanae urbi attulit, obtrectatoribus, per calumniam lacessitus est.

Itaque Gregorius Senatorio genere anno circiter 540 Romae natus est. Quanta familiae eius pietas in Deum esset, et quibus maioribus Gregorius ortus sit, satis ostendunt, quae Homil. 38 in Evang. Pontifex narrat de sororis suae Tansillae morte, cui Felix III Atavus apparuerat, paulo ante, quam moreretur, et cui morienti Christum ipsum se adesse dignatum esse commemorat. Gordianum, et Silviam feminam sanctitate praestantem Gregorius parentes habuit. Praetor Urbis, seu potius praefectus fuit circa annum 573. Verum deinde publica munera abdicare, et vitam inire voluit monachorum propriam, quibus sex monasteria in Sicilia fortunis suis aedificaverat. Septimum Romae statuit in aedibus suis, quod S. Andreae dictum est, et nunc ad inclytam congregationem monachorum Camaldulensium Ordinis S. Benedicti pertinet. In ista domo monasticam vitam egit Gregorius. Eum autem sequutum esse institutum S. Benedicti probat praesertim Dom. Ioannes Mabillonius in praef. saec. I Benedictini, et in dissert. singulari *de monastica vita S. Gregorii Magni* tom. 2. *Veterum analectorum*. Non defuerunt tamen, qui Gregorium S. Equitii institutum sequutum esse arbitrati sint.

Verum Ecclesiae publicum bonum ex monasterio ad gravissimas res gerendas Gregorium revocavit. Nam a Pelagio II Diaconus Ecclesiae Romanae factus, Constantinopolim cum Apocrisiarii munere missus est, eoque officio functus egregie fuit apud Tiberium II et Mauritium Imperatores; quo tempore inter cetera, quae praeclare fecit, Eutychio Patriarchae circa carnis resurrectionis dogma graviter erranti, catholicam doctrinam de eo dogmate persuasit, in cuius rei manifesta confessione Eutychius deinde mortuus est. Cum duos circiter annos sub Tiberio, et ferme tres sub Mauritio moratus esset Constantinopoli Gregorius, anno 585 Romam reversus, Pelagio II in Ecclesiae negotiis pertractandis adiutor fuit, atque in posterum ad monasticam vitam agendam iterum se contulit.

Pelagio II die 8 feb. anno 590 in pestilentiae calamitate demortuo, qua Roma eo tempore afflicta est, Gregorius communi Cleri Romani suffragio electus Pontifex fuit, et Senatus Populique Romani acclamationibus eius electio celebrata est. Conatus ille quidem fuerat Mauritium inducere ut electionis suae confirmationem, prout ea tempora ferebant, non faceret, ac deinde se occultare etiam voluit, ne collatum pontificatum susciperet. Sed spes eius inanes fuerunt. Nam Mauritius, cui cognita erat Gregorii virtus, ei libenter dignitatem Pontificiam confirmavit, frustra vero Gregorius studuit abscondere se. Nam divinis indiciis repertus, plaudentibus omnibus die 3 septembris anno 590 consecratus est. Dum ista eveniebant, Gregorius voluit in urbe, quam pestilentia depopulabatur, supplicationem, seu *litaniam septiformem,* aut septenariam fieri ad Dei misericordiam implorandam, de qua re Gregorius Turonensis loquitur hist. l. 10, cap. 1, qua supplicatione durante, octoginta homines pestifero morbo correpti obierunt. Refert autem memoratus scriptor, Gregorium his non esse perterritum, sed in proposito perseverasse, donec populi poeniten-

tia, ac piis operibus Deo placuisset angelum exterminatorem ab ista calamitate inferenda prohibere.

In Pontificatu qualem se Gregorius ostenderit difficile est iis honorificentiae sententiis referre, quas veritas, et summae virtutis praestantia postularet. Nihil fuit in gravissimo Pontificis Maximi munere, quod ille sanctissime, sapientissimeque non impleverit. Breviter percensebo eius singularem erga quatuor concilia oecumenica, atque erga quintam Synodum observantiam, cuius rei praeclarum testimonium dixit in Synodica, ad omnes Orientis Episcopos, quam Pontificatus sui initio scripsit. Plura sapienter gessit, prout superius significavimus, in causa trium capitulorum, et eius studio, ac laboribus tribuendum est, multos, schismate relicto, ad Ecclesiae Catholicae unitatem reversos esse. Quid ad religionem catholicam propagandam gesserit; quanta constantia quae munus suum in totius Ecclesiae regimine requirebat, effecerit, ostendunt praesertim, quae circa Anglo-Saxones, et Ioannem Ieiunatorem Constantinopolitanum Episcopum, videbimus postea Gregorium Magnum fecisse. Singulari fuit erga pauperes benignitate, viduarum, pupillorum, et auxilio indigentium, perpetuo patronus, et consolator fuit. Quanta scripserit, quanta doctrina excelluerit, ostendit perspicue operum eius editio praeclara a Dom. de *Sainte Marthe* Ab. Generali PP. Benedictinorum Congregationis S. Mauri Parisiis facta anno 1705 4 tom. in fol. et vita Pontificis ab eodem P. de *Sainte Marthe* scripta, quae tomo 4 continetur, quaeque praecipue ex Gregorii scriptis deducta est. Haec ad Pontificis sanctissimi virtutem, sapientiamque commendandam potius, quam ostendendam, attigisse sufficiat. Nunc nonnulla pertractemus, quae partim pertinent ad refellendas accusationes, quibus Gregorius per calumniam impetitus est, partim ad eius illustriora quaedam facta clarius exponenda inservire possunt.

S. Gregorium Magnum fuisse sapientissimum, prudentissimumque virum, satis ea demonstrant, quae mox cursim de eius vita retulimus. Inventi tamen recenti memoria sunt homines, qui eum veluti acerbissimum litterarum omnium, eorumque qui eas excolunt, hostem traducerent. Ut Oudinum, et Barbeyracum praeteream, qui cum veteres Ecclesiae Patres in invidiam vocari aggressi sint, nihilque in suis operibus omittendum putaverint, quod opportunum esse iudicarunt ad id consequendum, quod maxime contendebant, hoc, quod diximus, de D. Gregorio commenti sunt; de iis loquar tantum, quae Iacobus Bruckerus habet t. 3 Historiae Criticae Philosophiae, et in appendice ei operi subiecta. Illis in locis, iniuriis Gregorium lacessit, ac de Mathematicis ab eo eiectis, de Palatina Bibliotheca incensa, de humaniorum litterarum studio impedito, vehementer irascitur.

Verum si res non animo praeiudicato, sed prout veritas ipsa requirit, consideretur, apparebit nihil his accusationibus levius, nihil homine erudito indignius esse posse.

De Mathematicis eiectis, et de Bibliotheca Palatina incensa, primum dicamus. Haec accusationum capita innituntur omnia Ioannis Sarisberiensis testimonio. Is enim lib. 2 c. 26 Operis, quod inscribitur Polycraticon, seu de nugis curialium, haec habet: « Ad haec Doctor SSm̃us ille Gregorius, qui melleo praedicationis imbre totam rigavit, et inebriavit Ecclesiam; non modo mathesim iussit ab aula recedere, sed ut traditur a maioribus, incendio dedit probatae lectionis - Scripta Palatinus quaecumque tenebat Apollo -, in quibus erant praecipua, quae caelestium mentem, et superiorum oracula videbantur hominibus revelare. » Lib. autem 8 c. 9, postquam narrasset, Commodo Imperatore,

Templum Capitolinum tactum esse de caelo, atque eam aedem idcirco, eique adiunctam Bibliothecam conflagrasse, ait: « Fertur tamen B. Gregorius Bibliothecam combussisse gentilem, quo divinae paginae gratior esset locus, et maior auctoritas, et diligentia studiosior. Sed haec sibi nequaquam obviant, cum diversis temporibus potuerint accidisse. » His Bruckerus, ceterique Gregorii accusatores valde abutuntur. Ioannem enim perspicue testari aiunt, et Mathematicos eiectos, et Palatinam Bibliothecam igne vastatam a Gregorio fuisse; Ioannis auctoritatem ita gravem esse, ut eius narrationi assentiri debeamus. At licet haec adversarii conentur ita ornare, ut hae accusationes non modo verisimiles, sed omnino certae possint haberi, numquam tamen id poterunt impetrare.

Non agam continuo de Ioannis Sarisberiensis auctoritate, omnemque de ea re disputationem opportuniori loco reservabo. Illud potius contendam, Ioannem minime testari, eos, qui mathematicas disciplinas colerent, a Gregorio eiectos fuisse. Neque id pugnat cum verbis superius recitatis: *Doctor Sanctissimus ille Gregorius mathesim iussit ab aula recedere.* Nam matheseos nomine Ioannes, non mathematicas disciplinas praestantissimas prorsus, et utilissimas significavit, sed vanissimam eam artem, quae cum siderum influxum spectet, et ex astris futura contingentia praedicat, circa vitam fortunamque hominum, Astrologia iudiciaria vocatur. Quare cum Ioannes ait, Mathematicos a Gregorii aula pulsos esse, non philosophos Mathematicos, sed stultissimos astrologos iudiciarios pulsos esse dicit.

Neque aliud quidpiam certe eo in loco Ioannes mathesis nomine significavit, quam ineptos homines, de quibus loquuti sumus. Etenim Gregorii Magni auctoritatem adhibet ad astrologiam iudiciariam refellendam. Frustra vero ea auctoritate uteretur, nisi matheseos nomine iudiciariam astrologiam intelligeret. Deinde eam artem matheseos nomine indicat, *cuius scripta, caelestium mentem, et superiorum oracula videbantur hominibus revelare.* Id autem de astrologia iudiciaria dici quidem potest, in mathematicas vero disciplinas cadere omnino nequit, quae in nulla futurorum contingentium praesensione versantur. Perspicuum est igitur, Ioannem matheseos nomine astrologiam iudiciariam omnino indicasse.

Neque hoc in Ioanne Sarisberiensi est singulare, sed eorum omnium scriptorum est commune, qui ea aetate scripserunt, qua Sarisberiensis vivebat, ut eo nomine astrologiam iudiciariam intelligerent. Quo loco luculentior est, et gravior Bruckeri in Gregorium Magnum iniquitas, qui cum veluti certum et ipse habeat, hanc illi nomini ea aetate accommodari consuevisse significationem, Ioannis tamen Sarisberiensis verbis abutitur, ut Gregorium Magnum de eiectis ex aula veris Mathematicis accuset.

Loquamur nunc de Bibliotheca Palatina. Bruckerus, ceterique, quos commemoravimus, scriptores, Gregorii Magni iussu incensam esse contendunt Bibliothecam in Apollinis Palatini aede ab Augusto constructam, idque aperte demonstrare quanto odio adversus bonas artes ille flagraret. Hoc quidem a Ioanne Sarisberiensi ita perspicue traditum est, ut probari omnino non possit responsio, quae allata quandoque est, Ioannis verba non de universa Bibliotheca Palatina, sed de libris tantum, quibus astrologiae iudiciariae praecepta continentur, intelligi posse. Pugnat enim haec interpretatio omnino cum Ioannis verbis, quibus non aliquos tantum libros, sed – Scripta Palatinus quaecumque tenebat Apollo –, et Bibliothecam Gentilem a Gregorio incensam affirmat. Quamquam vero haec ita sint, numquam tamen concedi poterit a Gregorio Palatinam Bibliothecam igne vasta-

tam esse. Nam neque Ioannes Diaconus, qui Gregorii Magni vitam, resque ab eo gestas litteris prodidit, neque quisquam eorum, qui ante Sarisberiensem eius opera retulerunt, id umquam memorarunt. Est autem omnino incredibile eos omnes hoc fuisse praetermissuros, si vere a Gregorio factum esset, et Italos, Gallos Hispanos id ignorasse, uni tamen Sarisberiensi notum perspectumque fuisse, praesertim cum ii aetate, genere et ingenio valde diversi, de ea re praetereunda convenire non potuerint. Reliquum est igitur, ut fateamur praetermissam a scriptoribus Sarisberiensi antiquioribus hanc incensae Bibliothecae Palatinae narrationem fuisse, quod eorum aetate nondum excogitata, et conficta ea narratio esset, vel falsam omnino esse illi certo scirent.

Praeterea neque causam quidem afferre adversarii possunt, quae verisimilis aliqua ratione sit, quaque adductus fuerit Gregorius ab Bibliothecam illam incendendam. Affirmant quidem ex Ioannis Sarisberiensis testimonio patere, id a Gregorio factum esse, ut neglectis ceterarum disciplinarum studiis, ad solas sacras litteras Christiani converterentur. Verum haec nullius prorsus momenti responsio est. Nam Gregorius, si Bibliothecam Palatinam inflammandam arbitratus est, ut id consequeretur, quod adversarii contendunt, egisset id, quod omnino impar erat ei rei efficiendae, quam sibi proposuisset. Etenim Palatina Bibliotheca cremata, reliquae in Urbe aliae plures Bibliothecae supererant, a quibus certe Gregorius incendendis abstinuit. Italia, et Gallia refertae libris erant, quibus bonarum artium studia illustrabantur. Quamobrem Christiani profanarum disciplinarum studiosi, vel domi, vel in reliquis Bibliothecis, uti poterant libris ad eas pertinentibus. Nullo pacto igitur poterat sperare Gregorius, ut Bibliotheca Palatina incensa, Christiani relictis profanis studiis, ad sacras disciplinas dumtaxat colendas se conferrent. Existimandum ergo esset, Gregorium virum prudentissimum non intellexisse quid ageret, neque vidisse, se nulla de causa facturum esse id, quod in summam invidiam eum fuisset vocaturum. Id vero, nisi omnem iure conceptam, confirmatamque de Gregorii prudentia, sapientiaque opinionem falsam esse dicamus, concedi nulla ratione potest.

Atque affertur hic opportunitas de Ioannis Sarisberiensis auctoritate nonnulla dicendi. Plurimi enim faciendum esse eius testimonium adversarii contendunt, et eiusdem perspicuam narrationem coniecturis, argumentisque nostris anteferendam esse. Verum etsi ii plura dicant, ut suadere possint, Ioanni haec narranti fidem omnino haberi oportere, illud tamen veluti certum existimandum erit, nullam Ioannis hac in re esse posse auctoritatem. Nam Ioannes fere sex post Gregorium saeculis vixit. Gregorius enim anno post Christum natum 604 vita functus est, quemadmodum Monachi Maurini eius Operum editores argumentis minime dubiis docent. Ioannes vero Sarisberiensis anno 1182 diem supremum obiit, prout Guillelmi Cavei, et I. Alberti Fabricii sententia fert. Nulla praeterea vetera monumenta Ioannes affert, quibus narrationem suam munire possit. Utitur verbis *fertur, traditur a maioribus,* quibus, prout ex eiusdem operis lectione apparet, non vetera certa monumenta, sed traditiones populares, nulloque fultas gravi monumento Ioannes indicat, quas traditiones nullo fundamento innixas nihili faciendas in historia esse recentiores critici ostenderunt. Sequitur igitur nullam Ioannis Sarisberiensis auctoritatem in hoc negotio esse, cum sexcentos ferme post annos, ex quo res gesta dicitur, omnium princeps, nullis adductis vetustioribus monumentis, rem antea inauditam de Gregorio narret.

Hoc autem in loco requirendum prorsus est a Bruckero, ceterisque

Gregorii inimicis, ut videant ne inconstantiae in disputando iure reprehendi possint. Nam cum veluti primam artis criticae legem statuerint, ut scriptoribus fides minime habeatur, qui longius ab ea aetate absunt, qua res evenisse dicitur, si omnium primi, nulliusque adductis monumentis rem aliquam narrent, est certe levissimum ad evincendum id, de quo Gregorium accusant, Sarisberiensis testimonium adhibere. Neque est dubium, si ille quidquam retulisset, quod Gregorio gloriosum adversarii putarent, eos Sarisberiensis auctoritatem contemnendam pronunciaturos fuisse; nunc autem ea tantum de causa, iniquum iis videri memorati scriptoris auctoritatem reiicere quod eiusdem narratione declarari posse arbitrantur, Gregorium rudem hominem et fanaticum fuisse iniustitia est.

His quae hactenus diximus, id denique accedit, quod huius scriptoris auctoritatem omnino evertit. Etsi enim ei ingenium, et eruditio, ut tum erant tempora, non defuerit, compertum est tamen, eum artis criticae plane expertem, et in diiudicandis veteribus historiis minime prudentem fuisse. Id apparet ex eius operum lectione, in quibus saepenumero utitur popularibus ineptisque traditionibus, easdemque probat. Exempli loco adducam id quod ille l. 5 c. 8 Polycraticon scribit de Traiano Imperatore, Gregorio Magno Deum deprecante, ab Inferis liberato. « Ut vero, inquit, in laude Traiani facilius acquiescant, qui alios ei praeferendos opinantur, virtutes eius legitur commendasse Bm̃us Papa Gregorius, et fusis pro eo lacrimis inferorum compescuisse incendia... Fertur autem Bm̃us Gregorius Papa tamdiu pro eo fudisse lacrimas, donec ei revelatione nuntiatum sit, Traianum a poenis Inferni liberatum, sub ea tamen conditione, ne ulterius pro aliquo infideli Deum sollicitare praesumeret.» Nihil vero esse potest tam fabulosum, quam id, quod mox indicata narratione continetur. Perspicuum est igitur Ioannem Sarisberiensem, qui ea de Traiano refert, quae vidimus, hominem fuisse rerum veritatis diiudicandae prorsus expertem, et fidem non mereri cum de rebus ab aetate sua remotis, et gravibus monumentis destitutis verba facit.

Praeter ea quae exposuimus accusationum capita, quaeque falsa esse demonstravimus, illud etiam Gregorio Magno obiicitur, humaniorum scilicet litterarum studia generatim vetuisse. Longe diversam de Gregorio Magno opinionem ex iis concipere necesse est, quae Ioannes Diaconus l. 2 c. 12 eiusdem Pontificis vitae refert: « Videbantur passim cum eruditissimis clericis adhaerere Pontifici religiosissimi Monachi..... Tunc rerum sapientia Romae sibi templum visibiliter quodammodo fabricarat, et septemplicibus artibus veluti columnis nobilissimorum totidem lapidum Apostolicae Sedis atrium fulciebat. Nullus Pontifici famulantium a minimo usque ad maximum, barbarum quodlibet in sermone, vel habitu praeseferebat, sed togata Quiritum more, seu trabeata Latinitas, suum Latium in ipso latiali palatio, singulariter obtinebat. Reflorverant ibi diversarum artium studia etc. » Haec profecto Pontificem ostendunt, non modo animo ab humaniorum litterarum studiis non alieno, verum etiam bonis artibus prorsus amico cum eius aula memorato in loco fuisse tradatur, quantum ea tempora patiebantur bonarum artium domicilium, et Gregorius describatur ita fuisse comparatus, ut litteratis dumtaxat, et humanitatis deditis hominibus familiariter uteretur. Est vero omnino ridiculum, ab eo humaniores artes odio fuisse habitas, qui litteratos homines ceteroquin diligeret, et dignos existimaret, quibuscum vivendi consuetudine coniungeretur.

Ad rem vero ipsam quod attinet, facile est etiam hoc accusationis ge-

nere Gregorium purgare. Nihil dicam, quam sit leve, quamque absurdum, contendere, Gregorium Magnum Marci Tullii Ciceronis libros ab hominum manibus, et usu auferendos conatum vehementer esse, Titi Livii historiam flammis tradidisse. Hoc enim refertur tantummodo a scriptoribus nonnullis, qui saeculo 15 vixerunt, quique hac in re nullius sunt auctoritatis. Deinde quemadmodum certum est Gregorium Magnum neque Palatinam, neque ceteras alias Bibliothecas vastasse; ita est perspicuum, eum neque contra M. Tullii et Titi Livii libros, quidquam moliri potuisse, praesertim cum nihil ille conatus esse tradatur adversus aliorum auctorum veterum libros, qui licentia scribendi, et superstitiosis fabulis, quas continent, legentibus graviori periculo esse potuissent.

Illud dicam dumtaxat, duo illa loca, quae ex Gregorii epistolis afferuntur, ut eum humaniorum litterarum hostem fuisse evincatur, huic rei demonstrandae omnino inservire non posse. Nam quae ille ait, in epistola ad S. Leandrum de nulla cura, quam adhibuerit, ut libri morales sui in Iob, eleganti stilo commendarentur, non ideo a Gregorio dicuntur, quod humanitatem odisset, sed quod in eiusmodi expositione, magis de dogmatibus explicandis, et doctrinae puritate tradenda, quam de stili ornamento sollicitus esse debuerit. «Neque enim, inquit, haec ab ullis interpretibus in Scripturae Sacrae auctoritate servata sunt.» Quae vero Gregorius l. 9 ep. 54 ad Desiderium Episcopum Viennensem in Gallia scripsit, ut eum reprehenderet, quod nonnullos in grammaticae praeceptis instituendos suscepisset, id non de Pontificis erga humanas litteras odio, sed de eius iudicandi ratione accipiendum est, qua censebat ab Episcopi gradu, et gravitate alienum esse, grammaticam docere. Illud certum denique est nullum afferri monumentum posse, ex quo pateat, Gregorium litterarum studia prohibuisse, cum praetoris urbani, seu praefecti munere functus sit, et publica negotia pro Pelagio II praeclare gesserit, id, quod in homine litterarum inimico non contigisset; atque ex eius etiam operum lectione pateat, eum non modo in sacris, verum etiam in profanis studiis fuisse versatum.

Postquam ostendimus, nonnisi per calumniam pronuntiari de Gregorio Magno posse, eum Mathematicos ab aula eiecisse, Bibliothecam Palatinam inflammasse, litterarum humaniorum cursum prohibere conatum esse, nunc illud est demonstrandum, falsum omnino esse, ab eodem Pontifice eversa, fractaque fuisse tum magnifica Romae vetera aedificia, tum signa, aliaque Urbis ornamenta. Est enim hoc omnino iniquissimum de Gregorio affirmare. Nam si haec vera essent existimanda, Gregorius non in sapientissimis Romanis Pontificibus ponendus, sed cum Vandalis, Gothis, Longobardis, aliisque huius generis hominibus esset conferendus, a quibus extrema pernicies, tum litterarum studiis, tum Italiae, Urbique nostrae illata est.

Ad huius rei falsitatem ostendendam, undique possent argumenta gravissima adduci. Primo enim facile est ostendere, omnino apparere Gregorium Magnum de aedificiis, signisque evertendis numquam prorsus cogitasse. Ortus ille Romae erat ex illustri Senatorio genere, liberalissime fuerat institutus, et praetoris urbani, sive praefecti urbis munus gesserat. Amasse ergo eum Patriam suam, et illius splendoris, ac ornamentorum diligentissimum fuisse putandum est, ut omnino incredibile per se esse dici debeat eundem de Patria ipsa spolianda, evertendaque cogitasse.

Gregorius vero ipse ostendit, quam esset ab hoc consilio suscipiendo alienus. Extat eius Homilia 18 in Ezechielem, ab eo habita quando Agilulphus Longobardorum Rex, cum exercitu ad Urbem obsidendam ap-

propinquaret. Est ea querelarum, et iusti doloris plena, tum propter ceteras calamitates, quibus haec urbs afficiebatur, tum propter crebras veterum aedificiorum ruinas. « Ipsa autem, inquit, quae aliquando mundi domina esse videbatur, qualis remanserit Roma conspicimus, immensis doloribus multipliciter attrita, desolatione civium, impressione hostium, frequentia ruinarum.....Ubi enim Senatus? Ubi populus? Et tamen ipsos nos paucos, qui remansimus, adhuc quotidie gladii, adhuc quotidie innumerae tribulationes premunt... et tamen in paucis qui sunt, dolores, et gemitus quotidie multiplicantur; iam vacua ardet Roma. Quid autem ista de hominibus dicimus, cum ruinis crebrescentibus, ipsa quoque aedificia destrui videmus? »

Iam vero est exploratum, hunc Pontificem, qui in praecipuis Urbis calamitatibus, atque casibus, veterum aedificiorum eversionem ponebat, de iisdem aedificiis evertendis consilium inire non potuisse. Quae vero probabilis afferri causa potest, ut ita de sapientissimo Pontifice suspicandi rationem aliquam habeamus? Nulla profecto. Nam quod nonnulli aiunt, id gestum a Gregorio fuisse, ut a Romanis omne idolorum Religionis amplectendae periculum depelleret, levissimum omnino esse manifestum est. Etenim ea aetate nemo Romae erat, qui ab idololatrica superstitione vehementer non abhorreret. Timere igitur Gregorius non poterat, ne ex Deorum simulacris, aut delubris, Romani in Idololatriam iterum inducerentur. Intelligebat Gregorius, Romanos iampridem assuevisse ea intueri, non veluti Religione aliqua digna, sed tamquam praeclara artificum praestantissimorum opera, et urbis suae ornamenta; itaque iis conservatis, minime eorum in Christiana Religione constantiam periclitari. Habebat autem superiorum Pontificum sanctissimorum exempla, qui licet periculosioribus temporibus vixissent, numquam tamen quidquam detrimenti a statuis, delubrisque metuerant. Incredibile est prorsus, eum, cum nulla metuendi causa esset, ea metuisse, quae superiores Pontifices non timuerant, qui in difficiliora religioni tempora inciderant.

Quod si fingere etiam id velimus, Gregorium de aedificiis simulacrisque evertendis et confringendis cogitasse, certum est eum id efficere non potuisse. Obstitissent enim Romani cives Pontificis conatibus, eumque a tanta clade Urbi inferenda prohibuissent. Solebant Romani haec artium monumenta summo in honore habere, et suum erga haec Urbis ornamenta Romani amorem conservarunt, etiam per ea tempora, quibus Roma a barbaris direpta fuit. Quare Procopius, qui Belisarium, Urbem Italiamque a Gothorum dominatu liberantem prosequutus est, de suae aetatis Romanis scribit lib. 2 belli Gothici: « Supra omnes, quos equidem novimus, urbis studiosi suae Romani, res omnes patrias retinere, et conservare satagunt, ne quid antiqui decoris Romae depereat. Et quamvis diu dominationem barbaricam passi sint, Urbis tamen aedificia servarunt; et quam plurima, quoad eius fieri potuit, ornamenta. » Ex his vero quisque intelligit, passuros numquam fuisse Romanos, ut Gregorius vetera monumenta, ac signa everteret. Cum enim ii perpetuo, et sub ipso Gothorum dominatu studiosissimi fuerint de urbis suae ornamentis conservandis, incredibile prorsus est, ita desides, et rerum urbanarum negligentes illos evasisse Gregorii aetate, ut impune Gregorio esse potuerit, Urbem non modo exspoliare, verum etiam ruderibus aedificiorum prolapsorum complere, quin quisquam ex civibus eum prohibuerit, quisquam contra Pontificis conatus Imperatoris opem imploraverit.

Atque haec quidem, considerato dumtaxat Populi Romani erga patriam suam studio, ostendunt quam falsum sit, Gregorium, si consilium

illud suscepisset de aedificiis, signisque evertendis, illud facto implere potuisse. Est vero hoc omnino certum, etsi existimare velimus, Romanos iis temporibus ita comparatos fuisse, ut Gregorii in Urbis aedificia, ac ornamenta conatibus, vel assentiri, vel connivere vellent, numquam tamen per Imperatorum leges ei licere potuisse, quod ab eo perfectum esse aiunt adversarii. Nam ut de Ethnicis taceam, omnes fere Christiani Imperatores legibus suis prospexerant, ut vetera Urbis aedificia, signa, aliaque huius civitatis monumenta diligenter servarentur, utque publica etiam pecunia provideretur, ne ea ulla ratione interirent. Eiusmodi leges tum in Theodosiano, tum in Iustinianeo codice extant. Iam vero cum Imperatorum legibus cautum esset, ne quod detrimentum publicis aedificiis, simulacris, aliisque Urbis ornamentis inferretur, quis sibi persuadeat potuisse Gregorium ea penitus vastare? Nam est incredibile, in urbe, quae Graecorum Imperatorum potestati adhuc suberat, licuisse impune imperatorias has leges violare. Quis vero sibi in animum inducat Mauritium, et Phocam praesertim id fuisse passuros, si contentiones cum Mauritio habitas a Gregorio, et Phocae indolem perpendat, qui ultimo Gregorii Pontificatus anno imperavit?

Verum eiusmodi causa est, quam pertractamus, ut coniecturis prorsus ad illam evincendam non indigeamus. Etenim ea suspicio, de qua hactenus egimus, a Gregorio erit certe amovenda, si perspicuum sit, multo post eius aetatem, plurima tum simulacra, tum vetera aedificia in Urbe superfuisse. Quomodo enim accusari amplius Gregorius poterit de eversis aedificiis, fractisque signis, monumentisque veteribus huius urbis, si constet, Gregorio vita functo, horum monumentorum magnam copiam in Urbe fuisse? At id omnino extra controversiam esse manifestum est. Nam ad signa, et simulacra quod spectat, certe a gravibus accepimus auctoribus, ingentem eorum numerum Constantem Imperatorem anno 663 ad Urbem venientem in ea invenisse, et plurima ex iis abstulisse, ac Syracusas deportanda curasse. Praeterea ad gravissimas, quas, aetate nostra, Italia, et Roma passa est calamitates, plurima supererant praeclarissima signa in Urbe, et magna copia eorundem etiam nunc in hac urbe superest. Praeclara ex his non pauca excellentissima artium monumenta, Pii VII auctoritate, et amplissimi Cardinalis Herculis Consalvii de Pontificia Ditione tota egregie meriti virtute, reversa ex Galliis in Urbem esse, Romani omnes gratulati sumus. Magno numero denique, et ea quidem persaepe integra effossa sunt signa, quemadmodum ex Ficoronii, et Winkelmanni operibus intelligitur. Quod pertinet vero ad vetera aedificia, diuturno post Gregorium tempore stetisse, eaque tandem vel temporis iniuria, vel bellis civilibus, intestinis discordiis, vel hostium incursionibus interiisse, tum universa eorum temporum historia declarat, quae Gregorium consequuta sunt, tum Carolus Fea ostendit in dissertatione de ruinis Urbis, quam historiae artium Winkelmanni ab eo editae coniunxit. Facto igitur ipso constat, Gregorium Magnum, neque aedificia, neque signa, ac simulacra Urbis evertenda, ac frangenda curasse.

Reliquum est, ut antequam disputationem hanc relinquamus, illud etiam breviter indicemus, scilicet has accusationes nullo gravium Scriptorum testimonio inniti. Quae enim potest esse ad id persuadendum, de quo Gregorius accusatur, Amalrici, Leonis Urbevetani, Raphaelis Volaterrani auctoritas? Nam Amalricus, et Leo saeculo 14, Raphael vero saeculo 15 exeunte, et 16 ineunte vixit. Sunt praeterea eius generis scriptores, qui nullo in historiis referendis delectu utuntur, ac veluti

certum, atque exploratum saepe referunt id, quod omnino fabulosum iudicandum est. Id de Volaterrano Tiraboschius, de Leone Lamius, de Amalrico Muratorius animadverterunt. Est igitur perspicuum, nullam horum Scriptorum esse posse ad id de Gregorio docendum auctoritatem, cum credulis scriptoribus, et qui octingentis, vel nongentis post Gregorium annis scripserunt, fidem habere non debeamus. His accedit, in magno veterum scriptorum numero, qui de Gregorio Magno exposuerunt, neminem inventum esse, qui narret, hunc Pontificem Urbis aedificia evertenda, ac signa confringenda curasse. Non id, inquam, Gregorius Turnonensis, non Isidorus Hispalensis, Bēda, Luitprandus, Paullus, et Ioannes Diaconi, non Anastasius Bibliothecarius. Sequitur igitur has accusationes, quas iam pluribus ex capitibus, incredibiles omnino esse demonstravimus, ea etiam de causa contemni debere, quod ab iis scriptoribus sint profectae, qui ad fidem in iis rebus faciendam idonei omnino non sunt.

Multo iniquior, et Gregorio Magno iniuriosior est alia accusatio, quae ex agendi ratione desumitur, qua Pontifex erga Phocam Imperatorem usus est imperii eius initio, cum, Mauritio sublato, ipse imperatoriam potestatem adeptus est. Nam accusatio, seu potius calumnia ista eo spectat, ut Gregorium, quem integerrimae, honestissimaeque vitae laude praestitisse certum est, veluti imbecillem assentatorem, atque etiam animo adeo pravo comparatum traducat, quo temporibus, et fortunae inserviens, neque honestatis, neque veritatis rationem habuerit.

Mauritius anno 582 imperium obtinuerat, in cuius tamen administratione, oeconomia, quam adhibebat, et quae ad avaritiam prorsus accedere videbatur, ei vehementer detrimento fuit. Non defuerunt, qui affirmaverint, Mauritium avaritiae causa eo pervenisse, ut in Avarica expeditione, cum duodecim Romanorum militum millia capta fuissent, passus sit a Duce Avarum omnes trucidari potius, quam ut modicam pecuniae summam solveret ab eo petitam ad eorundem restitutionem. Verum haec nimis malevole de Mauritio pronuntiata sunt. Milites enim isti turbulenti erant, qui Imperatorem vehementer seditionibus offenderant, ut princeps acriter indignatus eisdem opem afferre noluerit cum in hostium manus venissent, neque animo tamen reputans, hostes tam atrocem cladem de iis esse facturos. Certum enim est, Mauritium, cum comperit milites illos fuisse trucidatos, incredibili dolore perculsum esse, ac Deum exorasse, ut in hac vita potius quam in altera de se ultionem sumeret, eo quod auxilio non allato, milites sui interfecti fuissent. Iam vero Mauritius anno 602 cum statuisset exercitum suum ultra Danubium debere hiemare, quo hostium impensis eo tempore viveret, milites ab eo defecerunt, et, Exarcha Centurionum Phoca duce, Constantinopolim venerunt. Mauritius una cum coniuge, et quinque liberis captus a Phoca est, et deinde omnes eo iubente, trucidati sunt.

Cum Phocas die 23 Novembris anno 602 Imperatoria corona donatus esset, die 25 Aprilis anno 603 eius et Leontiae Augustae imagines Romam delatae sunt, quas, postquam Clerus, et Senatus Romanus acclamationibus fieri solitis excepisset, Gregorius iussit in Lateranensi palatio poni. « Septimo calendarum maiarum (ait Ioannes Diaconus in S. Gregorii Magni vita lib. 4 cap. 4) indictione sexta, imago Phocae, et Leontiae Augustorum cum eorundem favorabilibus litteris Romam delata est; et postquam a Clero, et Senatu acclamatum est eis in Basilica Iulii, iussu Gregorii, in oratorio S. Caesarii, Lateranensi palatio, constituta reponitur.» Gregorius Phocae litteras scripsit, quae lib. 13 n. 31, 38 et 39 continentur. In iis litteris Pho-

cae, et Leontiae Augustae gratulatus, ita de Imperatore loquitur, ut ab eo se multa bene sperare pro Ecclesiae, et Reipublicae utilitate demonstret. Ex his litteris accusatio ista tota deducitur, atque eae afferuntur, ut inde concludatur, Gregorium Magnum imbecillem assentatorem fuisse, qui non erubuerit tyranno atrocissimo gratulari.

Arbitror non esse inopportunum, hic epistolae ad Phocam scriptae testimonium recitare ut appareat, quid revera Pontifex affirmaverit. Itaque Gregorius primo loco ait, Deum, qui potestate sua eventus omnes moderatur, et cui homines omnes inserviunt, quandoque principem aliquem ad populi punitionem excitare, et aliquando ad imperium afferre principem, qui afflictos consoletur, atque ex calamitatibus, quas patiebantur, eripiat. Hoc nunc subdit Gregorius sperare se a Deo esse factum. Quare ait: «Laetentur caeli et exultet terra, et benignis vestris actibus universae Reipublicae populus nunc usque vehementer afflictus hilarescat. Comprimantur iugo vestrae dominationis superbae mentes hostium, releventur vestra misericordia contriti, ac depressi animi subiectorum. Virtus caelestis gratiae inimicis vos terribiles faciat, pietas subditis benignos. Quiescat felicissimis temporibus vestris in universa Republica, prolata sub causarum imagine, praeda pacis. Cessent testamentorum insidiae, donationum gratiae violenter exactae, redeat cunctis in rebus propriis secura possessio...Hoc namque inter Reges gentium, et Reipublicae Imperatores distat, quod Reges gentium, domini servorum sunt, Imperatores vero Reipublicae, domini liberorum.»

Quid locus iste continet, quod hominem pavidum, imbecillem assentatorem, hominem temporibus, et fortunae inservientem ostendat? Quid potius non continet, quod ab homine prudentissimo, et Ecclesiae, ac Reipublicae utilitatis studiosissimo proficisci in tanto periculo debebat? Nonne Gregorius *litteris favorabilibus* respondet, quas, Ioanne Diacono teste, Phocas miserat? An non debebat Gregorius pro sua erga Ecclesiam, et Rempublicam sollicitudine, hanc *favorabilium litterarum* a Phoca missarum occasionem libenti animo amplecti, atque ea scribere, quae atroci illius ingenio leniendo videri potuissent opportuna? Num Phocae tyranno favorabilibus litteris scribenti Gregorius superbe respondere debuisset? An potius hominibus Sanctissimi viri virtutum obtrectatoribus displicet, Gregorium ea ratione respondentem, non suppeditasse ipsis occasionem, copiosas molestissimasque querelas de Pontifice exaggerandi, deperditae ab eo reipublicae et Ecclesiae calamitatis illatae, si Gregorius Mauritii caedem exprobrasset, vel Phocae litteras non adeo humaniter accepisset?

Est praeterea perspicuum verba Gregorii in eo versari, ut bona multa Ecclesiae, et Reipublicae adprecetur, non vero ut significet, haec certe Phocam esse facturum. Quid vero hoc habet cum imbecilli assentatione commune? «His Gregorius laudibus, ait Ioannes Diaconus, memorato superius loco, aut ideo novos principes demulcebat, ut audientes, quales esse deberent, fierent mitiores, quam Mauritius fuerat, cuius tot criminibus involuta tempora cognoscebant, aut quia sibi, suaeque Ecclesiae devotissimos cernens, non eos ad tyrannidem ruituros esse putabat. Qui sicut quorumlibet vitia liberis vocibus arguebat, et contra canones priscasve consuetudines venire neminem permittebat, ita quae consuetudinis fuerant, nulli penitus denegabat.»

Neque negari certe potest, Gregorium multa passum a Mauritio fuisse, licet non tyrannus Mauritius esset. Constat id ex tota Imperii Mauritii historia. Etenim numquam Mauritius adductus est ad opem Italiae contra Longobardos afferendam,

etsi Gregorius id maxime in votis haberet; numquam Imperator ita egit, ut Episcopus Constantinopolitanus a superba *Oecumenici* appellatione desisteret, licet Gregorius omni gravitate id peteret. Phocas tamen in posterum appellationem illam ab Episcopo Constantinopolitano adhiberi vetuit. Nota est praeterea Mauritii lex de impediendis militibus a monastica professione, quam legem Gregorius, Imperatore iubente, debuit undique mittere, etsi Gregorii hortationibus ac sapientissimis monitis deinde mitiori ratione Imperator eam legem sit exsequutus. Nota Mauritii agendi ratio erga Episcopos Istriae, quos Gregorius Romam venire iusserat, quos tamen deinde obtemperare recusantes, Imperatore volente, inobedientia relinquere coactus est. Notum denique patrocinium, quod ab Imperatoris aula consequutus est Maximus, qui in Dalmatia, Gregorio ob gravia eius crimina repugnante, Episcopus Salonensis electus erat, quique impune potuit Pontificem, eiusque auctoritatem non modo contemnere, sed ludibrio prorsus habere. Eo res denique pervenerant, ut neque tuto possent Pontificis Apocrisiarii Constantinopoli manere. Quoniam ergo talia erant rerum adiuncta cum Phocas summa rerum potitus est, non potest sine iniuria Gregorio Pontifici crimini verti, si meliora tempora speraret.

Neque minus perspicue constat, nihil esse in litteris, quas Gregorius Magnus scripsit ad Phocam, cum novum Sedis Apostolicae Apocrisiarium Constantinopolim misit, quod possit iustam Pontificis accusandi rationem afferre, veluti hominis, qui assentandi studio ea faceret, quae cum honesti viri officio pugnare viderentur. Nam Ioannes Diaconus in Gregorii vita, loco superius significato refert, Phocam ipsum miratum esse, Apocrisiarium Apostolicae Sedis Constantinopoli non esse, et a Gregorio petiisse, ut mitteretur prout antea consueverat. Phocae petenti, atque id ea, qua par est observantia, a Gregorio postulanti, Pontifex respondit: non enim alia ratione res contigit. « Cumque Phocas, ait Ioannes Diaconus, mandari sibi Romanae Sedis Diaconum, cum magna humilitatis reverentia postularet.»

Iam vero Gregorius gratissimum, ea de causa, Phocae animum suum testatus est, atque in litteris ad eum scriptis tribuendum esse affirmavit molestiis, quas per ea tempora Sedes Apostolica passa est ab aula Imperatoria, Apocrisiarium Constantinopoli non reperiri: nam ait: « Quia dum ministri omnes huius Ecclesiae tam contrita, asperaque tempora, cum formidine declinarent, atque refugerent, nulli eorum poterat imponi, ut ad Urbem Regiam in palatio permansurus accederet. » Intelligebant enim omnes se iniuriis obiectum iri in palatio, praesertim, quod cum nota esset inimicitia inter Gregorium, et Mauritium excitata, ii liberius insolescerent, qui *Oecumenici* Episcopi Constantinopolitani appellationem propugnabant.

Verum considerari debet, quid Gregorius a Phoca ob Apocrisiarii sui missionem speraret, ac precaretur. Inquit autem litteris memoratis Gregorius: «Cui rogo, et serenitas vestra pias aures inclinare dignetur, ut tanto nobis celerius valeat misereri, quanto afflictionem nostram verius ex eius relatione cognoverit. Qualiter enim quotidianis gladiis, et quantis Longobardorum incursionibus ecce iam per triginta, et quinque annorum longitudinem premimur, nullis explere suggestionis vocibus valemus.» Quis vero haec assentationi tribuat? Quis non intelligat Gregorium licet integerrimum, gratulari tamen debuisse ob petitum a Phoca Apocrisiarium? Quis non videat auxilium in publicis calamitatibus postulare, non assentationi, sed necessitati tribui debere? Quae de litteris a Gregorio Magno ad Phocam scriptis diximus, ea sunt etiam intelligenda de litteris ad Leontiam Augustam tem-

pore illo missis. Nam in eandem sententiam quod ad rei summam pertinet, et eadem de causa scriptae sunt. Non modo autem humanitas, sed etiam necessitas ipsa postulabat, ut qui hominis certe non benigni animum sibi conciliare volebat, Augustae quoque benevolentiam impetrare studeret.

Ceterum omitti non debet, haec evenisse in ipso Phocae imperii initio; Gregorius autem non multos post menses mortuus est. Nam Phocae, et Leontiae imagines Romam die 25 Aprilis anno 603 sunt allatae; reliqua, quae de hoc facto recensuimus, sunt eo die posteriora: Gregorius vero die 12 Martii anno 604 vita functus est, ita ut mensium tantummodo nonnullorum spatio post litteras istas a se scriptas, post spes suas Imperatori significatas superstes fuerit. Iure autem possumus contendere, si Gregorii vita diuturnior fuisset, eum pro animi sui fortitudine, qua praestabat, non omissurum Phocae succensere in iis, quae reprehendenda reperisset. Aetate ipsa nostra vidimus Pontificem ingenio mitissimum, vita, moribusque integerrimum Pium VII, qui in Pontificatus sui exordio, viro armis potentissimo, victoriarum celebritate exultanti gratulatus valde est, cum post gravissimos motus, Ecclesiae negotia in Gallia composita sunt, cumque ad eum Legatum suum a latere misit. Vidimus, inquam, in posterum, Pontificem memoratum, eidem vero Ecclesiam perturbanti, et Sedis Apostolicae iura despicienti fortissime restitisse, atque ob hanc causam ad anathematis etiam sententiam ferendam, impavidum devenisse.

Dicenda nunc nonnulla sunt de celebri illa controversia, quae respicit *Oecumenici* appellationem a Constantinopolitanis Episcopis susceptam. Nam de ea re Pelagio II Pontifice primum, tum praecipue Gregorio Magno Pontificatum gerente pertractatum est; et quemadmodum Pelagius facere coeperat, ita Gregorius Episcopo illi restitit, se *Oecumenicum*, vel *Universalem* Episcopum appellanti. Qui censorium iudicium in quaelibet Gregorii acta exercere se posse putaverunt, ii ita de hac controversia loquuti sunt, veluti si ex mala intellecta huius vocis significatione tantus hic factus fuerit in Ecclesia motus, cum ceteroquin res ipsa, de qua agebatur, tanti momenti denique non esset. Verum diversa ratione de hoc negotio statuendum esse ex iis, quae indicabimus, ostendetur.

Cuilibet facile occurrit, appellationis huius suscipiendae conatus ab ea Episcoporum Constantinopolitanorum agendi ratione profectos esse, qua ob imperii Sedem Byzantium translatam, et novam Romam in Constantini civitate constitutam, Episcopi Romani privilegia petere studuerunt. Iam vero, cum viderent, *Universalis* titulum quandoque Romano Pontifici esse tributum, prout praesertim in Chalcedonensi Synodo contigit, hanc appellationem et ipsi sumere non dubitaverunt. Accessit Iustiniani Imperatoris rescriptum ad Epiphanium Episcopum Cpolitanum, quod habetur in eius codice *tit. de Sanctissima Trinitate*. Eo enim rescripto *Universalis* appellatio Episcopo illi tribuitur. *Imperator Iustinianus Augustus Epiphanio Sanctissimo, et Beatissimo Archiepiscopo Regiae huius Urbis, et Universali Patriarchae.* Hoc autem rescripto adeo elatus Epiphanius est, ut cum Ioannes I Pontifex Constantinopolim, Theodorico Italiae Rege id requirente, venisset, ei priorem in sedendo locum denegaverit, quod tamen deinde fecit, Imperatoris, ut iure coniici potest, auctoritate permotus.

Neque Episcopi Constantinopolitani in *Oecumenici* appellatione suscipienda, honorificum tantummodo titulum suscipere videbantur. Epiphanii factum mox commemoratum rem diversam ostendit. Et vere voci huic *Universalis* rem ipsam gravissimam adiungebant; volebant enim in omnes Orientis Ecclesias, praeci-

pais etiam sedibus minime exceptis, potestatem exercere, existimantes, se in Orientales provincias ea posse quae Romanus Pontifex, sive senioris Romae Episcopus, faceret in Occidentalibus.

Exemplum huius rei perspicuum continent, quae Ioannes Ieiunator, Episcopus Constantinopolitanus Eutychii successor anno 589 fecit. Nam Concilium generale, totius praesertim Orientis, Constantinopoli habendum indixit, in quo de criminibus Gregorio Episcopo, seu Patriarchae Antiocheno obiectis iudicium ferret; id quod confirmat eum putasse, Orientales Ecclesias, praecipuis sedibus non exceptis, potestati suae obnoxias esse: Ioannes Ieiunator praeterea, litteris, quas ad Synodi convocationem scripsit, subscriptionem suam adiecit titulo *Oecumenici Patriarchae* adhibito.

Sedes Apostolica minime passa est, haec ab Episcopo Constantinopolitano impune fieri, et quemadmodum decretis restiterat, quibus Byzantinus Episcopus secundum locum post Romanum, et provincias nonnullas assequebatur, in quas potestatem patriarchalem exerceret, ita multo gravius Ioannis Ieiunatoris facto commota est, qui videbatur omnino universam Orientalem Ecclesiam sibi velle subiicere. Itaque cum Pelagius II ab Episcopis Illyrici, ad quos Ioannes Ieiunator tractorias litteras de Synodi convocatione miserat, certior factus de his rebus fuisset, epistolam ad Synodum illam misit, quae ita inscripta est: « Dilectissimis fratribus universis Episcopis, qui illicita vocatione Ioannis Constantinopolitani convenerunt, Pelagius. » In ea autem epistola non solum de Concilii indicta celebratione, sed etiam de Oecumenici appellatione suscepta Pelagius conquestus est. « Relatum est ergo, inquit, ad Apo» stolicam Sedem, Ioannem Constan» tinopolitanum Episcopum, se uni» versalem subscribere, vosque ex » hac sua praesumptione ad Synodum » convocare generalem, cum genera» lium Synodorum convocandi aucto» ritas Apostolicae Sedi B. Petri pri» vilegio sit tradita. » Conquestus est praeterea Pelagius haec tunc fieri, cum, pluribus litteris Episcoporum Constantinopolitanorum, quae in Romanae Ecclesiae tabulario servabantur, constaret, eos saepenumero testatos esse se nihil umquam esse facturos, quod Apostolicae Sedis iura, ac privilegia violaret. Pelagius denique Concilii illius acta rescidit, exceptis iis, quae Patriarchae Antiocheni Gregorii absolutionem respiciebant.

Gregorius Magnus, qui anno 590 Pelagio II suffectus fuerat, testis huius rei est in epistola ad Ioannem Ieiunatorem lib 5 ep. 18. Nam ait: « Et quidem hac de re, sanctae memoriae decessoris mei Pelagii ad Sanctitatem vestram scripta transmissa sunt, in quibus, Synodi, quae apud vos de fratris quondam, et coepiscopi nostri Gregorii causa congregata est, propter nefandum elationis vocabulum acta dissolvit, atque Archidiaconi (Laurentii), quem ad vestigia Dominorum transmiserat, missarum vobiscum solemnia celebrare prohibuit. » Quid vero post Pelagii mortem in ea causa Gregorius fecerit, eadem epistola refert. Videlicet se scire narrat, Ioannem in proposito perseverare adhibendae Oecumenici Episcopi appellationis; se id pati nullo modo posse, et prout Pelagius Apocrisiario suo praescripserat, ita se Apocrisiariis suis, et Sabiniano qui tunc eo munere fungebatur, praescripsisse, ut una cum Ioanne in missarum solemniis non communicaret. « Post eius vero (Pelagii) obitum, quum indignus ego ad Ecclesiae regimen adiunctus sum, et ante per alios Responsales meos, et nunc per communem filium Sabinianum diaconum alloqui fraternitatem tuam, ut se a tali praesumptione compesceret, non equidem scripto, sed nudo sermone curavi; et si emendari nollet, eum missarum solemnia cum

fraternitate vestra celebrare prohibui. »

Conatus est deinde Gregorius pluribus argumentis adductis, ostendere Ioanni, quam esset absonum eiusmodi appellatione uti quae ceterorum Episcoporum dignitatem laedere videretur, quam neque Pontifices Romani adhibendam putarunt, etiamsi et primatus sui iure, et Concilii Chalcedonensis exemplo, eam possent adhibere. Affirmavit etiam Ecclesiae periculosum esse ea appellatione uti, cum si Episcopus, qui universalis appellaretur, in haeresim incidisset, prout de Nestorio, et de Macedonio evenerat, ignominiosum non posset non videri, Universalem Episcopum a Fide Catholica defecisse. Haec colliguntur, tum ex memorata ad Ioannem Ieiunatorem Gregorii epistola, tum ex ea, quam ad Mauritium Imperatorem scripsit, ut eius saltem auctoritate adduceretur Episcopus ad appellationem illam derelinquendam; verum nihil Gregorius impetravit. Quare Eulogium Alexandrinum Episcopum, et Anastasium Episcopum Antiochenum Gregorius hortatus est ut sedium suarum iura contra novos Episcopi Constantinopolitani conatus tuerentur. Quamquam vero Anastasius Mauritii metu, et Eulogius necessitate Imperatoris non offendendi, cuius ope plurimum indigebat contra Haereticos Aegyptum perturbantes, haud ita fortiter in eo negotio se gesserint, Gregorius tamen in sententia permansit, et non tolerandam hanc *Universalis* appellationem constanter affirmavit.

Mortuus est interea Ioannes, eique Cyriacus in Episcopatu Constantinopolitano suffectus fuit. Is in synodicis de ordinatione sua litteris ad Pontificem Gregorium missis, non dubitavit, se Oecumenicum Patriarcham scribere. Venerunt Romam Cyriaci Legati, seu Responsales, quibus Imperator Epistolam Gregorio tradendam dederat, qua epistola, ut Cyriaci legatos benevole acciperet, Pontifici commendabat, controversiam vero de Oecumenici appellatione derelinquenda, imprudentem, vel indiscretam, aut parvi momenti esse significabat. Gregorius Cyriaco respondit, et in suscepta sententia perseverans de ea voce non adhibenda, hortatus est Episcopum, ne vel ab ipso Episcopatus sui initio Ecclesiae pacem turbaret. Apocrisiarios autem, seu Responsales Cyriaci humanissime excepit. Id vero libenter Gregorius fecit, tum quod pro ea qua praestabat sapientia, et charitate, cuperet, obortam istam inter Episcopos dissensionem populo non innotescere, tum etiam quod Cyriaci factum, legatis eiusdem tribui non deberet. Intellexit vero Gregorius, non esse silentio praetereundum, quod Imperator obiecerat, controversiam levis momenti esse, et Pontificem indiscrete facere, qui ob vocabulum nullius momenti cum Episcopo quaestionem haberet.

Iam vero Gregorius de ea re respondens habet: « Nam quidnam, si ex superbo, et profano vocabulo, meus non in modico est animus vehementer vulneratus, tantae indiscretionis esse potui, ut nescirem, quid unitati Fidei, quid concordiae Ecclesiasticae deberem, et fratris mei Responsales, et Synodicam epistolam suscipere cuiuslibet causae amaritudine recusarem? Aliud est, quod conservandae unitati Fidei, et aliud quod debemus compescendae elationi. Unde Responsales eius cum magno affectu suscepi, quidquid debui charitatis exhibui, meliusque eos, quam consuetudo prisca fuerat, honoravi, et mecum feci eos sacra missarum solemnia celebrare. Quia sicut meus Diaconus ad exhibenda sacra mysteria ei non debet ministrare, qui elationis culpam aut commisit aut commissam ab aliis ipse non corrigit, ita ministri illius in celebratione Missarum mihi adesse debuerunt, qui, custodiente Deo, in superbiae errorem non cecidi. Eundem vero fratrem, et coepiscopum meum studiose admonere curavi, ut si ha-

bere pacem, et concordiam omnium desiderat, a talis vocabuli se appellatione compescat. De qua re mihi in suis iussionibus Dominorum pietas praecepit dicens, ut pro appellatione frivoli nominis inter nos scandalum generari non debeat. Sed rogo, ut imperialis pietas penset, quia alia sunt frivola valde innoxia, atque alia vehementer nociva. »

Esset vero calumniosa illa accusatio, de hac re tantopere sollicitum fuisse Gregorium, quod supremum in omnes affectare dominatum ipse vellet, atque idcirco timeret, ne appellatione illa *Oecumenici* ab Episcopo Constantinopolitano suscepta, aliquid detrimenti potestas sua pateretur. Nam quomodo scripserit de hac controversia in 2. ad Cyriacum epistola considerandum est. « Ego enim, inquit, Iesum testem invoco in anima mea, qui a summo usque ad ultimum nulli hominum dare scandali occasionem volo. Omnes esse magnos, et honorabiles cupio, quorum tamen honor honori Omnipotentis non detrahat. »

Atque hoc etiam disertius ostendit ep. 29 lib. 7 cum Eulogio Alexandrino Episcopo respondit, qui tandem aliquando Pontificem certiorem fecerat, se numquam in posterum esse facturum ut Constantinopolitanum Oecumenicum Patriarcham haberet, aut salutaret. Eulogius enim in litteris suis scripserat, se obtemperaturum Gregorii mandato de hac re, et praeterea litteris, quas ad Pontificem misit, *Universalem Papam* Gregorium appellaverat. Iam vero Pontifex haec Eulogio significavit: « Quod verbum iussionis, peto, a meo auditu removete; quia scio quis sum, et qui estis. Loco enim mihi fratres estis, moribus patres. Non ergo iussi sed quae utilia visa sunt, indicare volui... Non tamen invenio vestram Beatitudinem, hoc ipsum, quod memoriae vestrae intuli, perfecte retinere voluisse. Nam dixi, nec mihi vos, nec cuiquam alteri tale aliquid scribere debere. Et ecce in praefatione epistolae, quam ad meipsum, qui prohibui, direxistis, superbae appellationis verbum, *Universalem* me Papam dicentes imprimere curastis. Quod peto dulcissima mihi sanctitas vestra ultra non faciat; quia vobis subtrahitur, quod alteri plusquam ratio exigit praebetur. Ego enim non verbis quaero prosperari, sed moribus; nec honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere agnosco. Meus namque honor est fratrum meorum solidus vigor. Tunc ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur. Si enim *Universalem* me Papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur Universum. »

Perspicue ista demonstrant, quam modeste de se Gregorius Magnus sentiret, et quantopere abhorreret ab affectando in ceteros dominatu, cum adeo constanter *Oecumenici* Episcopi appellationi a Constantinopolitanis praesulibus susceptae restitit. Nam, si res penitius consideretur, Eulogius ob *Universalis Papae* titulum Gregorio tributum reprehendi vix poterat. Ea enim ratione Leonem Magnum in Concilio Chalcedonensi appellatum esse memoravimus. Ratio autem primatus iurisdictionis in universam Ecclesiam qui Romani Pontificis proprius est, legitimam causam afferebat, ut Eulogius universalem Papam Gregorium appellare posset. Sed haec, prout superius significatum est, ostendunt quanta humilitate animi Gregorius praestaret, et quam alienus esset a dominandi cupiditate. Id autem multo clarius apparet consideranti, eo ipso tempore, quo Episcopi Constantinopolitani tanto studio laborabant, ut Oecumenici Episcopi nomen sibi assererent, Gregorium magnum, sibi appellationem tantummodo tribuendam censuisse *Servi Servorum Dei*.

Sed haec non impediebant, quominus Pontifex ea omnia impleret, quae apostolicum munus ei commis-

sum requirebant. Immo ita Gregorius erat comparatus, ut licet de se tanta demissione sentiret, auctoritatis tamen suae, quae ex primatus natura proficiscebatur, sollicitus omnino esset, et quae pro Ecclesiae bono, pro Religionis incolumitate facienda esse intelligebat, accurate et constanter exsequeretur. Cum ergo videret ob hanc susceptam ab Episcopis Constantinopolitanis appellationem, Ecclesiae tranquillitatem perturbari, disciplinae Ecclesiasticae detrimentum inferri, et dissidio gravissimo viam parari, factum est idcirco, ut tantopere de ea voce reiicienda laborarit, et praeter ea quae iam significavimus, encyclica etiam ad totius Ecclesiae Episcopos scripta, adhortatus sit omnes, ut communi sententia in ea re Episcoporum Constantinopolitanorum conatibus resisterent, et nemo quidquam faceret, quod superbae eorundem agendi rationi consentaneum esse posset. Addere possumus his, quae diximus, iure videri posse, Gregorium praesensisse hanc suscipiendae appellationis Oecumenici arrogantiam, inter praecipuas causas perniciosi schismatis, quod deinde Orientalem Ecclesiam a Latina separavit, numerari oportere. Nam ut omittam quae Photius in epistola nomine Michaelis, et Basilii Imperatoris adversus Nicolaum I Pontificem scripta, conatus est persuadere de potestate Episcopi Senioris Romae, quae ob translatam Constantinopolim Imperii Sedem, Episcopi novae Romae propria evaserit; satis est ea perpendere monumenta, quae, inter ceteros doctissimos scriptores, qui de hac controversia pertractaverunt, affert Le Quienius *Orientis Christiani* tomo I cap. 13. Ex iis enim manifeste concluditur, cum saeculo undecimo Michael Caerularius, eo tempore quo Leo IX Ecclesiae praeerat, schisma teterrimum inter Ecclesiam Graecam et Sedem Apostolicam renovavit, pro *Universalis* Episcopi potestate gerenda contendisse, et cum Romano Pontifici id deneganti parere nollet, dissidium instaurasse.

Quae hactenus commemoravimus, praecipua respiciunt a Gregorio Magno praesertim gesta, in causa de qua sermonem habemus. Gregorius tamen non potuit umquam obtinere, quod sibi proposuerat, et quoad ille vixit, Episcopi Constantinopolitani, Oecumenici nomen, Pontifice invito, adhibere non dubitarunt. Verum quod Gregorius consequi non potuerat, id Bonifacius III impetravit. Etenim cum Mauritius Imperator Gregorio semper in hoc restiterit, ac succensuerit etiam, eo quod peteret hanc appellationem ab Episcopis Constantinopolitanis derelinqui, Phocas deinde Imperator id omnino iussit. Nam, teste Paulo Diacono lib. 4. Historiae Longobardorum, rescriptum dedit, quod inter cetera Phocae acta ab Heraclio in posterum rescissum est, rescriptum, inquam, dedit, quo Episcopi Constantinopolitani prohibebantur nomine *Universalis* uti, quae appellationis ratio ad Romanam tantum Ecclesiam spectare posset.

Negari non potest, Phoca mortuo, illum titulum ab Episcopis Constantinopolitanis iterum susceptum esse. Sed certum tamen est, quaestionem ea re sub Pelagio II, et Gregorio Magno pertractatam, Phocae rescripto extinctam esse, eo quod Episcopi Constantinopolitani, qui legitimae Romanorum Pontificum auctoritati obtemperare noluerant, Phocae metu statim conticuerint. Neque etiam concedi potest, quod a nonnullis relatum esse constat, Phocam rescriptum hoc dedisse, eo quod Cyriaco Patriarchae indignatus esset, et rescripto isto dato, vellet Cyriaco molestiam afferre. Nam consideranti praesertim illorum temporum chronologiam, prout a Pagio in critica Baronii explicatur, apparebit, eo tempore quo Bonifacius III Pontifex factus est, Cyriacum iam fuisse demortuum, et ei in Constantinopolitana Sede iam suffectum fuisse Thomam, virum integerrimum, et com-

muni suffragio commendatum. Nam Cyriacus mortuus est die 29 Octobris anno 606, Bonifacius Sabiniano successit, die 25 Februarii anno 607, Thomas vero Episcopus Constantinopolitanus factus fuit die 25 Ianuarii 607. Illud igitur verius est, Phocham, etsi tyrannum, gravitate tamen rationum adductum esse, ut Bonifacio III assentiretur, non autem inimicitiae causa, quam erga Thomam Episcopum exerceret: prout deinde Bonifacio IV petenti concessit, ut celeberrimum in Urbe delubrum a M. Agrippa conditum, quod *Pantheon* appellatur, veteri superstitione expiatum, Deo in honorem Bm̃ae Virginis, et Sanctorum Martyrum dicaretur.

Est nunc breviter commemorandum id, quod valde gloriosum Gregorio Magno fuit, et quod respicit factam, eius virtute, Anglo-Saxonum ad Ecclesiam conversionem. Multo antequam Gregorius Pontificatum consequeretur, studio singulari ferebatur, ut eam gentem christianae fidei compararet. Rem ita narrat Ioannes Diaconus in Gregorii vita lib. 1 cap. 3, cui narrationi ceteri conveniunt, qui de rebus a Gregorio Magno gestis egerunt, prout constat consulenti tom. 2 mensis Martii Bollandiani ad diem 12 illius mensis. Itaque rem hac ratione narrat Ioannes Diaconus loco citato: « Quadam » die, cum, advenientibus nuper negotiatoribus, multa venalia in foro » Romanae urbis fuissent proposita, » multique ad emendum undique confluxissent, contigit et Gregorium » virum Deo dignissimum praeterire, » qui cernens inter alia pueros corpore candidos, forma pulcherrimos, » vultu venustos, capillorum quoque » nitore perspicuos, esse venales, » interrogavit mercatorem, de qua » patria illos attulisset. Ille respondit: De Britannia insula, cuius incolarum omnium facies simili candore fulgescit. Gregorius dixit: » Christiani sunt iidem insulani, an » adhuc paganis tenentur erroribus » implicati? Mercator respondit: Non » sunt Christiani, sed paganis tenentur laqueis irretiti. Tunc Gregorius graviter ingemiscens, Heu! » proh dolor! inquit, quam splendidas facies princeps tenebrarum » nunc possidet, tantaque frontis » species vacuam ab interna Dei gratia mentem gestat! Rursus interrogavit, quod esset vocabulum gentis illius. Mercator respondit: Angli vocantur. At ille: Bene, inquit, » *Angli quasi Angeli*, quia Angelicos vultus habent, et tales in » caelis Angelorum decet esse concives. »

Post haec Ioannes Diaconus refert Gregorium sine mora statuisse mittendos esse, qui apud eam gentem, Fidem Catholicam propagarent, atque ipsum Gregorium Benedicti I Pontificis impetrata facultate, profectum esse ab Urbe, ut ad praedicandam Anglo-Saxonibus fidem se conferret; sed coactum esse Pontificem Gregorium Romam revocare, eo quod Papa perterritus esset populi clamoribus, et ferme tumultu, qui ob Gregorii discessum excitatus fuerat. « De cuius absentia, ait Ioannes Diaconus, Romani plurimum » perturbati, deliberato consilio, trifarie per loca viae contiguae, unde Pontifex ad Beati Petri profecturus erat Basilicam, partiuntur, eumque turmatim taliter alloquuntur: *Petrum offendisti: Romam destruxisti, quia Gregorium » dimisisti.* »

Adolescentes istos quorum aspectu Gregorium Magnum commotum esse vidimus, ut de eorundem patria quaesierit, et de eorum patria ab Ethnica superstitione ad Christi Religionem convertenda consilium susceperit, de *Britannia insula* fuisse mercator ille respondit, cuius verba Ioannes Diaconus refert. Verum in Britanniam a primis Ecclesiae saeculis Christianam Religionem invectam esse, atque in ea maxime floruisse certum est. Satis est ad hoc ostendendum ea legere, quae doctis-

simus Mamachius lib. 2 Originum et Antiquitatum Christianarum cap. 24 pertractat, ubi scriptores praecipuos recenset, qui fuse de rebus ad Ecclesiam in Britannia, vetustis illis temporibus, spectantibus egerunt, Bedam, Baronium, Pagium, Tillemontium, Usserium, aliosque, quibus Lingardius addi potest tom. 1 *historiae Angliae,* et in historia *Ecclesiae Anglo-Saxonum.* In Britannia tamen Religio prostrata fuerat posterioribus temporibus, quando Angli, et Saxones e Germania ad Britannorum auxilium contra Sotos, Pictosque vocati, cum his potius amicitiam iniverunt, et non modo Rempublicam, sed etiam Religionem penitus labefactarunt. Nam, ut ait Glastionensis Chronographus ad annum 449 apud Usserium *Antiquit. Britannic.* c. 13, « Angli, et Saxones in Britanniam venerunt. Hi pagani fuerunt, et Christianam fidem, quam Britones, per duocentum quadraginta tres annos fideli devotione conservaverant, isti postea totam fere Britanniam perverterunt, et usque ad tempus S. Augustini, videlicet centum quadraginta septem annos, maximam huius regionis partem paganismo repleverunt. »

Longum oporteret habere sermonem, si quando Angli, et Saxones in Britanniam venerint, quando ista rerum conversio facta fuerit in ea insula, et quae gubernii forma fuerit constituta explicandum esset, tractandumque singillatim. Itaque, ut arbitror, ad brevitatem orationis, et ad accuratam temporum, rerumque significationem opportunum erit, locum ipsum referre, quo eruditissimi scriptores Operis *L'art de vérifier les dates* totius facti summam retulerunt tom. 1 pag. 788 edit. Parisiensis an. 1783.

« La même année (447) Vortigerne Roi des Bretons appelle à son secours les Angles, et les Saxons pour arrêter les incursions des peuples septentrionaux. Le P. Pagi rémarque, que la plupart des Historiens, et des Critiques se méprennent sur l'époque de l'arrivée des Anglois, et des Saxons dans la Grande Bretagne, et qu'ils accusent mal à propos Bede de se tromper à ce sujet, et de n'être pas d'accord avec lui-même. L'erreur de ces Historiens vient de ce qu'ils ne distinguent point, comme fait Bede, l'année, que les Angles, ou Anglois, les Saxons, et les Jutes, tous peuples des côtés de Danémarck, ou d'Allemagne furent invités à venir en Angleterre, et l'année qu'ils s'y rendirent. Ce fut l'an 447 qu'ils y furent appellés par Vertirgerne chef des Bretons, et ce fut l'an 449 qu'ils y arrivérent sous la conduite des Généraux Hengist, et Horst. Ces auxiliaires vengérent ceux qui les avoient fait venir, des ennemis, qui les attaquoient. Mais dès l'an 455 ils font un Traité avec les Pictes, tournent leurs armes contre les Bretons, et mettent tout à feu, et à sang depuis une mer jusqu'a l'autre dans toute la largueur de l'Ile. Les Bretons réprenant courage sous la sage conduite d'Ambroise Aurelien, le seul Romain, qui fût resté dans l'Ile, et ayant imploré le secours du Ciel, attaquent les victorieux, et les defont : ils continuent de fair la guerre avec differents succès jusqu'à l'an 491, ou 494, ou enfin 520 selon Ussérius. Les Bretons gagnent contre les Barbares la célèbre bataille de Bath. Les Historiens varient beaucoup sur l'année de cet évenement, qui procura aux Bretons la liberté, et le répos dont ils jouirent environ 44 ans. Depuis la bataille de Bath, jusqu'à la conversion des Anglois sous S. Grégoire le Grand, on ne sait rien de certain sur ce, qui se passa dans la Grande Bretagne, puisque Bede mieux instruit, et plus habile que tous les autres Historiens de ce pays, n'en dit rien. Il est seulement certain, que les Saxons, et leurs alliés se rendirent enfin maîtres de toute la longueur de l'Isle, jusqu'à l'Ecosse, sans qu'on sache comment, et par-

tagérent entre eux leurs conquêtes, dont ils formérent sept Royaumes, qui commençérent les uns plutôt, les autres plus tard. Les Saxons, en eurent trois, savoir 1 la Saxe Orientale, c'est qu'on a appellé depuis le Royame d'Essex, où sont Londres, et Colchester: 2 la Saxe méridionale, qui fait le Royaume de Sussex, dont la capitale est Chichester: 3 la Saxe occidentale, c'est le Royaume d'Ousse, ou est Salisbury. Les Anglois eurent aussi trois Royaumes dans leur partage; savoir 1 l'Angleterre orientale; c'est le Royaume d'Estanglie, qui comprenoit les provinces de Cambridge, de Suffolk, et de Norfolk; 2 le Royaume de Mercie composé de tous les Comités de l'interieur de l'Angleterre; 3 celui de Northumberland, qui est l'Angleterre septentrionale. Les Anglois furent les mieux partagés, et peut-être est-ce pour cela, que tous les autres ont été compris sous leur nom. Rapin de Thoiras prétend, que de l'an 585 la partie de la Grande-Bretagne conquise par les Anglo-Saxons commença d'être appellée Angleterre, et que c'est à tort que quelques uns en fixent l'époque au regne d'Egbert. Les Jutes eurent l'Isle de Vight, et le Royaume de Kent, où regnoit néamoins la postérité d'Hengist, qui étoit Saxon. Les naturels du pays restérent maîtres du pays de Galles, comme tous les auteurs en conviennent, et peut-être encore du pays de Cornouaille. Tel fut le partage de l'Angleterre après l'invasion des Saxons, et des Angles. C'est là ce qu'on appelle l'*Eptarchie*, qui a été éteinte par le Roi Egbert vers l'an 827. »

Haec erat insulae Britanniae conditio cum Gregorius Pontifex factus est. Apparet autem ex iis quae modo commemorata sunt quianam Anglia ea insula appellari coeperit, ex recensita videlicet possessione, quam Angli consequuti sunt. Angli vero, ut ex veteribus scriptoribus derivarunt eruditi viri, gens Svevorum erat ad mare Svevicum in Germania constituta in circulo inferioris Saxoniae ad septenptrionem, et Occidentem, quae nunc regio maiorem Ducatus Meckleburgici partem efficit. Illi in Britanniam profecti, cum descriptam superius possessionem adepti essent, toti Insulae Angliae nomen attulerunt.

Itaque Gregorius, qui iamdiu Anglo-Saxonum conversionem meditabatur, quique tanto ante voluerat se in Britanniam conferre, ut eam gentem Christianae Ecclesiae compararet, Pontifex factus initum hoc a se consilium feliciter absolvit. Antea Candido, S. Petri patrimonii in Galliis Rectori commiserat, quamplures adolescentes in monasteriis instituendos curare, ut deinde possent in suscipiendo eorum gentis conversionis negotio utiliter inservire. Tum Augustinum Monasterii sui S. Andreae in Urbe Abbatem selegit, eumque ducem missionis Anglicanae constituit, atque ei et pluribus aliis monachis, quos secum afferebat, propagandam inter illam gentem Christianam Religionem commendavit. Cum omnia fecisset Gregorius, quae ad faustum missionis exitum videbantur opportuna, Augustinus cum sociis quadraginta videlicet ad tantum negotium gerendum destinatis viris, prope oras Regni Cantiae iter facientes, primum ad Thanensem insulam appulsi, tum in toto illo regno Fidem Christianam spargere aggressi sunt, et permagno quidem celerique fructu. Rex ipse Ethelbertus in festo Pentecostes anno 597 baptizatus est, et tantum fuit hominum studium religionis amplectendae, ut Augustinus eodem anno reversus ex Gallia, ubi a Virgilio Arelatensi Archiepiscopo, Pontificis auctoritate consecratus fuerat Episcopus, in festo Nativitatis Domini decem mille et plures Anglos baptismate donaverit. Tum templa iterum in Dei honorem sunt conversa, quae post Britannorum fugam Christianae Religioni fuerant erepta. Non multo

post in Essexiae regno Religio propagata est, et Scabertus, seu Saberetus S. Ethelberti Nepos, operam dante Mellito Abbate, qui deinde Episcopus consecratus est, baptisma suscepit. Tum denique per Britanniam, seu Angliam, Catholica iterum amplificata est, floruitque Religio.

Gregorius interea opus tanta felicitate coeptum auctoritate sua iuvabat, sacerdotibus maiori numero missis, Episcopis ad ea loca destinatis, sacra supellectili, hortationibus, omnibusque benevolentiae, ac benignitatis officiis erga eos, qui de Religionis propagatione bene meriti fuissent. Quam uberes fructus Gregorius collegerit ex hoc studio suo, atque ex praestantissimorum hominum laboribus, quos ad illud opus destinavit, satis aperte significat testimonium hoc ex ep. 65 lib. 11 ad Augustinum, ex quo apparet, quot Episcopos creari oportere iudicaverit. « Et quia, inquit, nova Anglorum Ecclesia ad omnipotentis Dei gratiam, eodem Domino largiente, et te laborante, perducta est, usum tibi pallii ad sola missarum solemnia concedimus, ita ut per loca singula duodecim episcopos ordines, qui tuae ditioni subiaceant.... Ad Eboracam vero civitatem te volumus Episcopum mittere, quem ipse iudicaveris ordinandum, ita ut si eadem civitas cum finitimis locis verbum Dei receperit, ipse quoque duodecim Episcopos ordinet, ut Metropolitani honore perfruatur, quia et ei quoque, si vita comes fuerit, pallium tribuere, Domino favente, proponimus.... Tua fraternitas habeat omnes subiectos.» Augustinus praeterea, Gregorio volente, pro religionis utilitate, etiam apud Britannos laboravit, et quoniam ii in antiqua fide permanserant, neque ulla erat inter eorum et Augustini fidem discrepantia, Augustinus praesertim in illud incubuit, ut Ecclesiae Romanae disciplinam accurate servandam curarent praesertim in Baptismi administratione, in diei Paschatis celebratione, atque ut denique operam quoque suam ad Anglorum conversionem procurandam conferrent. Cum tanta fuerit Gregorii Magni sollicitudo, ut Anglo-Saxones Christianam Religionem amplecterentur, factum iure est ut Angliae Apostolus fuerit appellatus.

Valde diversum tamen de ista re ferendum esset iudicium, si vera essent, quae Moshemius in Inst. Hist. Eccl. saec. 6 parte 1 cap. 1 § 1 n. 2 affirmat. Loquens enim de hac ad Anglos Augustini missione, deque aliis huius generis ea aetate factis conversionibus, ait, de his sacris expeditionibus neminem praeclare existimare debere, qui ex huius, sequentiumque aetatum scriptoribus intellexerit, populos istos magnam partem antiquae impietatis suae retinuisse, Christumque ita coluisse, ut vita, factis, et institutis, disciplinam eius repudiarent. Atque ut hoc probet de Anglia ipsa, Gregorium Magnum testem appellat per summam impudentiam. « De Anglo-Saxonibus (ait in adnotatione ei paragrapho subiecta) vide, quae ipse Gregorius Magnus epistola 76 lib. XI statuit. Victimas inter alia permittit ipsis festis diebus Sanctis immolare, quas antea Diis suis immolaverant. »

Haec tamen, quae Moshemius ait, apertam prorsus calumniam continent. De Anglia tantum hic est loquendi locus. Iam vero nimis nota est Anglicanae Ecclesiae historia a temporibus illis vetustis, usque ad vicissitudines, quas sub Henrico VIII pati coepit, quam ut ostendere debeamus, Anglos veram catholicam fidem Gregorii Magni tempore suscepisse, atque in ea fide perseverasse. Ea praeterea, quae evenerunt sub Eadobaldo S. Etheberti filio, ac successore, ostendunt, vel ab iis temporibus, morum severitatem necessariam Sacerdotes in Anglia praedicasse. Nam cum ob impurum suum amorem erga novercam patris sui viduam, a Religione de-

ficeret, quae talia vetabat, deinde Laurentii Cantuariensis Archiepiscopi hortatione, noverca dimissa, moribusque immutatis, cum Religione ipsa reconciliatus est. Quod vero spectat ad Gregorium Magnum, quem veluti testem commemorat Moshemius de Anglorum in veteri superstitione permanentia, et de iisdem institutis, quae ante susceptam Christianam Religionem retinebant, servatis, id inquam adeo abhorret a rei veritate, ut neque responsionem mereatur. Satis est Gregorii litteras de ea re legere, ut constet, Pontificem non de nomine Religionis ab Anglis suscepto, sed de religione ipsa in Anglia feliciter propagata, ac de Ethnica superstitione deleta gratulatum esse.

Et quoniam eo usque impudentiae in ista causa pervenit Moshemius, ut ad epistolam Gregorii Magni lib. XI n. 76 provocaverit, in qua diebus festis Sanctorum memoriae dicatis, victimas immolari statuerit ab Anglo-Saxonibus, quas antea Diis superstitionis suae offerebant, necessario cogimur illius epistolae testimonium afferre, ut pateat, qua fide loquutus fuerit Moshemius in ea re, et quantopere abusus sit lectorum eius patientia. Itaque lib. XI ind. 14 ep. 76 haec scripsit Mellito Abbati Gregorius: « Cum vero vos Deus » omnipotens ad revmum virum fra- » trem nostrum Augustinum Episco- » pum perduxerit, dicite ei quid diu » mecum de causa Anglorum cogi- » tans tractavi, videlicet quia fana » idolorum destrui in eadem gente » minime debeant, sed ipsa, quae in » eis sunt idola destruantur. Aqua » benedicta fiat, in eisdem fanis asper- » gatur, altaria construantur, reli- » quiae ponantur: quia si fana eadem » bene constructa sunt, necesse est, » ut a cultu daemonum in obsequium » veri Dei debeant commutari, ut » dum gens ipsa eadem fana non vi- » det destrui, de corde errorem de- » ponat, et Deum verum agnoscens, » ac adorans, ad loca, quae consuevit, » familiarius concurrat. Et quia bo- » ves solent in sacrificio daemonum » multos occidere, debet his etiam » hac de re, aliqua solemnitas im- » mutari: ut die dedicationis, vel » natalitiis Sanctorum Martyrum, » quorum illic reliquiae ponuntur, » tabernacula sibi circa easdem Ec- » clesias, quae ex fanis commutatae » sunt, de ramis arborum faciant, » et religiosis conviviis solemnitatem » celebrent. Nec diabolo iam ani- » malia immolent, sed ad laudem » Dei, in esum suum, animalia occi- » dant, et donatori omnium, de sa- » tietate sua gratias referant, ut dum » eis aliqua exterius gaudia reser- » vantur, ad interiora gaudia consen- » tire facilius valeant. Nam duris » mentibus simul omnia abscindere, » impossibile esse non dubium est. »

Quid, quaeso, est in hac epistola, ut concludatur, Sanctis victimas, diebus eorum festis offerri Gregorium passum esse, quas antea Diis Ethnicae superstitionis immolabant? Haec manifesta falsitas, et calumnia est. Immo quid non continetur potius in hac epistola, quod contrarium sit huic improbandae sententiae? Quid denique locus iste Gregorii epistolae demonstrat aliud, quam Pontificem sapientissimum, de animarum salute procuranda sollicitum, qui Religionis nostrae caeremoniis lustranda, atque ad pietatem convertenda praescripsit, quae sine Religionis detrimento retineri poterant? Profecto tantum abest, ut in ea epistola, ad quam Moshemius provocat, Gregorius victimas antea Diis offerri solitas, Sanctis deinde immolari posse concesserit, quantum ea distant, quae prohibentur, ab iis quae concedi posse dicuntur. Omnes intelligunt, quam sit Moshemio commoda, sed etiam quam sit ignobilis haec de Sede Apostolica, et Sanctissimo Pontifice detrahendi suscepta facultas.

Quae de Religione Christiana apud Anglo-Saxones propagata significavimus, certe evincunt, Gregorium sollicitudinem singularem, Religionis

boni in Britannia promovendi prorsus habuisse. Verum eo ipso tempore, quo de illa gente adeo sollicitus Pontifex erat, etiam cetera Ecclesiae negotia ubique procurabat, et nulla gens fuit, in qua Religionis studium non demonstraverit, et quam virtutis suae exemplis non illustraverit. Hinc inter cetera factum est, ut post eius mortem, ubique a vetustis temporibus, praeclarae venerationis, et cultus significationes ei exhibitae fuerint, prout apud Bollandianos tom. 2 mensis Martii videri potest. Etenim Beda Gregorii nomen in Martyrologium suum intulit, Cuthbertus Cantuariensis Episcopus in Synodo anno 747 habita, statuit, Gregorii festum veluti praecipui Anglo-Saxonum patroni esse celebrandum, atque hoc in posterum usque ad vicissitudines superius memoratas semper servatum fuit. Quod in Anglia, id etiam in Hibernia contigit. In Gallia quoque erga Gregorium venerationis significatio singularis fuit, ubi plures civitates, diu festum huius Pontificis ex lege servaverunt. Nihil de Italia dico, in qua perpetuo celebratissimus Gregorii Magni cultus fuit, nihil de adiacenti Italiae Sicilia, in qua insula, eo quod pro Religione multa ibi Gregorius fecisset, cultus erga eum demonstratus valde conspicuus fuit. Graecos potius commemorabo. Ii enim licet raro Ecclesiae Latinae Sanctos in liturgiam suam admiserint, Gregorio tamen id tribuerunt, et vehementer eundem laudaverunt.

Sed ad facta quod pertinet, iis, quae iam recensuimus, haec adiungi possunt. Gregorius curavit, ut paganismi vestigia delerentur, quae adhuc in Christianorum principum regionibus superesse comperit. Iudaeorum ad Christum conversionem obtinere magnopere conatus est, illud imprimis statuendo, ut ad hoc consequendum persuasionis ratio, non vis adhiberetur. Ad Simoniae labem tollendam, quae praesertim in Gallia obtinuerat, Gregorius studiose se gessit. Magnam institutionum sacrarum copiam comparavit, quibus Ecclesiasticam disciplinam vel confirmaret, vel instauraret. Haec Gregorii praecepta continent id omne, quod in sacris canonibus ad vitae sanctitatem informandam praecipue perducit. Epistolae, quas tanto numero Gregorius scripsit, ea praecepta afferunt, quibus epistolis eo tempore nihil pulchrius aut praestantius boni omnes viderunt. Earum vero epistolarum lectio satis manifeste impudentiam demonstrat illorum, qui de Gregorii sapientia, et doctrina detraxerunt, prout Io. Georg. Rosenmullerius facit in Hist. Interp. lib. Sacrorum parte 5 pag. 77 Lipsiae edita an. 1814.

Quale vero studium Gregorius ostenderit in Fide Catholica propugnanda, testimonium perspicuum afferunt eius curae, ut Nestoriani errores refellerentur, Manichaei, Agnoetae comprimerentur. De Arianis etiam impugnandis sollicitus imprimis Gregorius fuit, et quanto labore potuit non omisit, ut errores ab iis traditi, atque adeo Ecclesiae perniciosi profligarentur. In Urbe praesertim Gregorius religiosae huius curae suae argumenta plura dedit. Commemorabimus ex. gr. expiationem, ac novam ab eo factam Deo Opt. Max. dedicationem vetustissimi urbani templi in honorem B. Agathae martyris aedificati, quod iamdiu inter Cardinalitias diaconias numeratur. Hoc, inquam, templum Gregorius Magnus ab Arianorum caeremoniis expiatum Deo optimo maximo anno circiter 591 dicavit. Illud enim templum anno ferme 470 Ariani invaserant, cum Dux Ricimerius Patritius Exconsul, Regis Gothorum Walliae nepos, summum dominatum in urbem, et in imperium exercebat. Eo tempore Ariani templum memoratum nefariis caeremoniis suis infecerant. Cum vero Urbs ab Gothorum potestate liberata fuisset, Gregorius ipse voluit illam aedem expiare, ac Deo offerre. Id autem non sine divinis

portentis evenisse Pontifex retulit dialogorum lib. 3 cap. 30. Ut cetera omittam haec Gregorius eo loco habet: « Sed neque hoc sileam, quod » ad eiusdem Arianae haeresis damnationem in hac Urbe ante biennium pietas superna monstravit... » Arianorum Ecclesia in regione Urbis illa, quae Suburra dicitur, cum » clausa usque ante biennium remansisset, placuit ut in fide catholica, introductis illuc B. Stephani, et S. Marthae martyrum reliquiis dicari debuisset. Nam cum » magna populi multitudine venientes, atque omnipotentis Domini » laudes canentes, eandem Ecclesiam » ingressi sumus, cumque in ea iam » Missarum solemnia celebrarentur, » et prae eiusdem loci angustia, populi se turba comprimeret, quidam » ex iis, qui extra sacrarium stabant, » porcum subito intra suos pedes huc, » illucque discurrere senserunt. Quem » dum unusquisque sentiret, et iuxta » se stantibus indicaret, idem porcus » Ecclesiae ianuas petiit, et omnes » per quos transiit in admirationem » commovit, sed videri a nullo potuit quamvis sentiri potuisset. Quod » idcirco divina pietas ostendit, ut » cunctis patesceret, quia de loco » eodem immundus habitator exiret. » Haec, aliaque mira portenta evenisse in illius templi dedicatione Gregorius narrat. Tanta vero erat Gregorii gravitas, talis erat aetas, qua ista scribebat, ut inficiari haec evenisse, nonnisi manifestae impudentiae tribui posset.

Et quoniam rerum a Gregorio Magno gestarum narratio huc nos perduxit, ut de iis, quae circa templum illud Gregorius gessit, loqueremur, nolumus occasionem elabi mentionis honorificae faciendae eorum, quae SSmus Dominus Noster Gregorius Papa XVI, Pontificis Sanctissimi nominis, dignitatisque heres, ac virtutum religiosissimus imitator, duobus abhinc annis, de templo eodem, et de domiciliis ad illud spectantibus sapientissime decrevit. Scilicet Bmus Pater cupiebat, Hibernorum collegium, quod a Leone XII in domo illa fuerat statutum, quae antea Ginnasianum Monialium coenobium fuit, ad alias aedes transferre, quibus templum esset additum, quod Ecclesiasticorum in collegio commorantium curae committeretur, et in quo sacris caeremoniis exercendis Alumni possent operam dare. Convertit igitur se Pontifex ad memoratum S. Agathae templum, quod Gothorum, et in Subura appellari solet. Nam Sanctitas Sua iamdiu optabat illud templum, vetustate, et populi veneratione commendatum, ac Gregorii Magni dedicatione illustratum, assiduae Sacerdotum curae tribuere, qui quotidiana praesentia sua, ibi sacra ministeria peragerent. Etenim constabat, ex quo inde abierant Monachi Ordinis S. Benedicti Congregationis Montis Virginis, quibus Gregorius XIII apostolicis litteris diei 24 Martii anno 1579 illud templum, adiectaque domicilia tradiderat, deficientibus Sacerdotibus, qui quotidianam ibi operam suam adhiberent, multum de veteri erga martyrem illam, in cuius honorem aedificatum est, observantia remissum fuisse.

Quare, ut una simul Collegii Hibernorum utilitati, et templi, de quo loquimur, venerationi Pontifex Maximus consuleret, templum illud cum adiectis domiciliis collegio memorato tribuendum iudicavit. Hoc autem sapientissimo Sanctitatis Suae facto, refloruit iam divini cultus splendor in templo illo, quod ab antiqua quidem aetate conditum, sed in praesentem ornatissimam formam ab Antonio Barberinio S. R. E. Cardinali Diacono, Urbani VIII Nepote, anno 1635 perductum est. (Legi potest Ioannis Laurentii Ab. Monachorum Congregationis Montis Virginis Historia Diaconiae, et Monasterii S. Agathae ad Suburam, edita Romae anno 1797.) Hiberna autem gens, quae singulari in Catholica Religione constantia, et praecipua erga Sedem Apostolicam observantia commen-

datur, amplissimum, et amoenitate, atque aeris salubritate pulcherrimum collegium in Urbe consequuta est. Quamobrem ad grati animi monumentum, Pontificis Maximi marmorea imago egregie elaborata, cum hac inscriptione in aedibus illis a collegii praeside posita est. Eam autem inscriptionem iure hoc loco referimus: nam cum de Gregorio Magno Pontifice agamus, inscriptionem istam possumus referre, quae non solum Gregorii XVI sapientissimum consilium commemorat, sed etiam cum rebus a Gregorio Magno praeclare gestis in historia coniungitur.

GREGORIO . XVI . PONTIFICI . MAXIMO

QVOD . COLLEGIVM . HIBERNORVM . EX . GINNASIANO . DOMICILIO
IN . HAS . AMPLIORES . ET . AMOENIORES . AEDES . TRANSTVLERIT
ET . D . GREGORIVM . MAGNVM . IMITATVS
TEMPLVM . B . AGATHAE . VIRG . ET . MART . SACRVM
A . DIVTVRNO . NEGLECTV . ASSERENDVM
ET . POPVLVM . ROMANVM
AD . VETEREM . ERGA . MARTYREM . PIETATEM
EXCITANDVM . CVRAVERIT
COLLEGII . PRAESES
ANNO . MDCCCXXXVII.

Plura alia possent referri ad Gregorii Magni vitam, resque gestas spectantia, quae fusiorem eiusdem laudandi copiam suppeditarent. Sed satis sunt ea, quae hactenus exposuimus. Reliqua tractata reperientur apud eruditissimos scriptores, Baronium, Pagium, Mabillonium, Tillemontium, De S. Marthe, Ceillerium tom. 17 Hist. Auct. Sacr. et Eccl., Natalem Alexandrum in saec. 6 Historia, aliosque.

EX SAECULO SEPTIMO

CAPUT LXVII.

DE SABINIANO PONTIFICE, ET RR. PONTIFICUM ELECTIONE IIS TEMPORIBUS.

Cum de Gregorio Magno multa exposuerimus, quae ad eius laudes maxime pertinent, non erit inopportunum, aliqua de Sabiniano eius proximo successore referre. Is igitur anno 604, mortuo Gregorio, die 13 septembris successit, et Pontificatum gessit usque ad diem 22 Feb. an. 606, ita ut annum unum, menses quinque, et dies novem Pontifex fuerit. Labitur circa pontificatus huius tempus statuendum Baronius, cum ad annum 605, eo ipso anno mortuum esse Sabinianum dicit, quo Pontifex factus fuit; in qua re Anastasii exemplaria omnia, et accuratam chronologiam Pontificum illorum temporum adversariam habet. Laudat Sabinianum Anastasius, ob Cleri numerum auctum, ob divini cultus curam exhibitam, atque etiam, ut meliora passim habent eiusdem Anastasii exemplaria, laudat eius liberalitatem. Nam referunt ea exemplaria, Sabinianum, post initam cum Longobardis pacem, quoniam tunc Roma annonae inopia laborabat, iussisse Ecclesiae horrea aperiri, *et pro uno*

solido (vel 13, ut est in aliquibus exemplaribus) *triginta modios tritici* populo dari. Affert etiam argumentum de benignitatis opinione, qua Sabinianus gauderet in Urbe, id, quod Arringus habet *in Roma subterranea* lib. 2. cap. 8. ex Manlio in *Epitaphiis Vaticanis*.

Hic hominum vitia blando sermone removit;
Nec culpis iudex, sed medicina fuit.

Verum cum in aliquo Anastasii exemplari, locus ille corruptus sit, et dicatur, triginta solidos pro modio Sabinianum exegisse, hinc de eo Pontifice detrahendi occasio desumpta est. Nam spargi coepit narratio illa, Sabinianum de Gregorio Magno iniuriose loquutum esse, quando populus conquestus est de annonae caritate, et amissam Gregorii benignitatem in pauperes deploravit. Sigebertus Gemblacensis in Chronico refert, Gregorium noctu apparuisse Sabiniano, eum acriter reprehendisse, ac percussisse, ob quam percussionem ille non multo post obierit. Iure hanc narrationem fabulosam esse, et Baronium nimis facile illam ex Sigeberto retulisse animadvertit Papebrochius in propylaeo mensis maii. Nemo enim veterum de hac re quidquam attulit, neque Ioannes Diaconus in Gregorii Magni vita aliquid de eo facto habet, licet ultionem de Gregorii virtutum detractoribus susceptam, saepenumero in ultimo libro vitae eius tradat. Quis vero Sigeberto hoc affirmanti credere potest, qui post annum 1113 mortuus est, quique in dissidio inter Sedem Apostolicam, et Germaniae Reges eo tempore pertractato, Principibus illis, non Pontifici Maximo studebat? Addi potest, hoc ex ipsa facti natura incredibile existimari debere, Sabinianum videlicet, infensum Gregorio fuisse, in quem Gregorius animum suum benevolum semper ostendit. Nam illum Apocrisiarium suum apud Imperatorem constituit, et amorem suum erga eum, semper demonstravit. Est etiam incredibile, Clerum Romanum, qui tanto ferebatur in Gregorium studio ac veneratione, adduci potuisse, ut ei successorem, hominem animo infensum designaret. Est quoque absonum a recta rei consideratione, Clerum Romanum, qui in tanta virtutum Gregorii admiratione quatuordecim fere annos versatus erat, statuisse repente, Gregorii locum homini virtute carenti tribuere.

Videtur hic opportunum aliqua dicere de iis, qui passim, cum Diaconi essent, his temporibus Pontifices Maximi eligebantur. Plures enim horum temporum Romani Pontifices, prout apparet eorundem seriem consideranti, electi sunt ad amplissimum illud munus, cum in Diaconatus gradu versarentur. Id vero omnino evenisse dicendum est, ob inductam, servatamque ea aetate consuetudinem, non Romanae tantum, sed universae Ecclesiae prorsus incommodam, ut qui Pontifices Maximi electi fuissent, non possent pontificium munus suum obire, nisi postquam ab Imperatore confirmationem electionis consequuti essent. Iam vero inter praecipuas rationes, quamobrem evenit, ut tot Diaconi ad Pontificatum eligerentur, illa certe est numeranda, quod ita Clerus Romanus conaretur impetrare, ut interpontificium, seu vacationis Apostolicae Sedis tempus, minus diuturnum esset. Etenim cum Apocrisiarii, qui Constantinopolim mittebantur ad aulam Imperatoris, Diaconi passim essent, existimavit Clerus Romanus, facilius, et breviori tempore ab Imperatore electionis confirmationem obtineri posse, si Diaconi isti eligerentur, qui Principi, et aulae Imperatoriae notissimi esse debebant. Interea vero dum legati Constantinopolim missi ad confirmationis decretum impetrandum, illud non retulissent, et Romam apportassent, vacare Sedes Apostolica dicebatur, licet post superioris Pontificis mortem, novus Pontifex, triduo, vel quatriduo electus fuisset. Eo autem tempore, quo ista ratione

Sedes Apostolica vacabat, et vacabat quidem diu, eo quod longum tempus requirebatur ad iter Constantinopolim usque, et ad reditum Romam, atque ad ea omnia peragenda, quae confirmationis decretum comitabantur, eo, inquam, tempore, Ecclesiae Romanae negotia gerebantur ab Archipresbytero, ab Archidiacono, et a Primicerio Notariorum, ut praesertim constat ex cap. 2. *Libri Diurni* Romanorum Pontificum a P. Ioanne Garnerio S. I. editi atque illustrati.

Iustinianum I Imperatorem hanc legem tulisse perspicuum adeo est ex universa huius facti historia, ut id demonstratione non indigeat. Satis est perpendere interpontificiorum rationem, quae a Vigilii morte, quo tempore Gothicum Regnum a Iustiniano deletum est, usque ad Constantini Pogonati imperium evenerunt. Apparebit omnino, cum antea Apostolica Sedes aliquorum dierum brevi spatio vacare soleret post Pontificum mortem, apparebit inquam, a Vigilio mortuo ad memoratum Constantini Pogonati imperium, diuturna interpontificia fuisse. Constat praeterea ex monumentis indubiis, istud vacationis Apostolicae Sedis discrimen, necessitati impositae a Iustiniano postulandae confirmationis tribui oportere. Quod si aliquando, etiam temporis istius decursu, videlicet, a Iustiniano I ad Constantinum Pogonatum, breviora fuere interpontificia, id evenisse concedendum est, quod quandoque Imperator ad mala vitanda, quae ex diuturna Sedis Apostolicae vacatione proficiscebantur, Exarchae Ravennae commoranti, qui eius nomine Italiae praeerat, facultatem largitus sit confirmationis tribuendae. Ex memorato autem superius *libro diurno* constat, vere aliquando eo tempore, Pontificis electi confirmationem ab Exarcha Ravennatensi fuisse petitam, ad illum ista de causa legatos missos esse, et Archiepiscopo, Iudicibus, Apocrisiariis commendatam fuisse negotii huius expeditiorem absolutionem. Accessit praeterea incommodo gravissimo, quod ex petendae confirmationis necessitate oriebatur, accessit, inquam, ut qui electi Pontifices erant, ad impetrandam pontificiae dignitatis confirmationem, magnam pecuniae summam numerare deberent.

Quemadmodum negari non potest, Iustinianum I Imperatorem induxisse primum hanc requirendae confirmationis necessitatem, ita etiam certum est, Constantino Pogonato Imperatori acceptum referri debere, Romanam Ecclesiam ab hac imposita necessitate liberatam esse. Etenim constat primum ex Anastasii Bibliothecarii testimonio in Agathonis vita, qui Pontifex factus est anno 678, Imperatorem Constantinum Pogonatum litteras scripsisse, quibus electi Pontifices liberabantur ab onere solvendae pecuniae ad confirmationem impetrandam. « Hic suscepit Divalem » (hoc est Principis decretum), ait » Anastasius, iussionem secundum » suam postulationem, ut suggessit, » per quam relevata est quantitas, » quae solita erat dari pro ordina- » tione Pontificis facienda: sic tamen » ut, si contigerit post eius trans- » itum electionem fieri, non debeat » ordinari qui electus fuerit, nisi » prius decretum generale introdu- » catur in Regiam Urbem, secundum » antiquam consuetudinem, et cum » eius, scilicet Imperatoris, conscien- » tia, et iussione debeat ordinatio » prosperare. »

Post haec Constantinus Pogonatus ampliori ratione de Ecclesia Romana meritus est. Nam edicto ad Benedictum II anno 684 misso necessitatem penitus substulit, ut Pontifices electi confirmationem ab Imperatore exspectare deberent, antequam pontificatum susciperent. Etenim Anastasius haec habet in Benedicti II vita: « Hic suscepit Divalem iussio- » nem clementissimi Principis Con- » stantini... per quam concessit, ut » qui electus fuerit in Sede Aposto- » lica, e vestigio, absque tarditate, » Pontifex ordinetur. » Hanc Sacram

Divalem Constantini Pogonati, seu edictum ad Benedictum II missum, continuisse prorsus necessitatis illius petendae confirmationis abrogationem, si cetera deessent, satis luculenter evincunt verba Auctoris vitae Ioannis V qui Benedicto successit. « Hic, inquit, post multorum Pontificum tempora, vel annorum, iuxta » priscam consuetudinem, a generalitate in Ecclesia Sancti Salvatoris, quae appellatur Constantiniana, electus est, atque exinde in » Episcopium ductus.» Videlicet scriptor ille narrat, tum primum accidisse aliquando, ut post factam legitimi Pontificis electionem, non oporteret immorari, antequam electus Pontifex munus sibi collatum gerere inciperet, sed statim ab electione absoluta, prout ante fiebat, quando impedimentum non aderat, pontificiam dignitatem suscipere Ioannem V potuisse. Haec autem aliud significare non possunt, nisi Benedicti II proximum successorem Ioannem V fuisse primum illum Pontificem, qui utens libertatis beneficio, a Constantini Pogonati lege concesso, statim post comitia habita Pontificatum exercuerit. Non est hic locus loquendi de iis, quae posteriori tempore circa Pontificum electionem Principes sibi sumpserint. Satis est haec commemorasse, quae in materia ista, aetatis, de qua agimus, historiam respiciunt.

De Pontificibus Romanis, qui iis temporibus electi sunt cum in Diaconatus gradu versarentur, nota est Mabillonii sententia tomo 2 *Musei italici* in commentario praevio ad ordinem Romanum §. 18, qui inscribitur *Ritus in consecratione Pontificis olim servati*. Eos scilicet arbitratur, praetermisso presbyteratu, Episcopos consecratos esse, licet diversa ratione res deinde se haberet Gregorii VII tempore, de quo disertis verbis constat, primum presbyterum ordinatum, tum Episcopum Romanum consecratum esse.

Haec autem sunt praecipua quae ad sententiam suam probandam Mabillonius affert argumenta, quaeque etiam Pagius commemorat de Sabiniani electione agens. Adducit videlicet testimonia Anastasii Bibliothecarii ex Valentini vita, qui anno 827, et ex vita Nicolai I, qui anno 858 Pontifex factus est. Nam iis testimoniis ostendi putat, praetermissa Presbyteratus ordinatione, utrosque Episcopos consecratos fuisse. Haec narrat de Valentini, qui tunc Archidiaconus erat, electione Anastasius: « Quem illico, multum, ac diutius » renitentem, seque tanti regiminis » fore incongruum voce strenua pro» ferentem, almae plebis, et laetis » utriusque militiae Romanorum ele» ctus est vocibus in Sede Pontifi» cum, ac deinde condignis gloriae » laudibus, et honoris amplitudine » ad Lateranense Patriarchium ab » ipsis deductus, et in Pontificali est » positus throno... eiusque consecra» tionis die, sereno iam illucescente » cum lumine, iam dictum Anti» stitem ad B. Petri Apostolorum » Principis Ecclesiam omnes pariter » Romani a palatio deducentes, eum, » Maiestate Divina adiuvante, in » altithrono summum consecravere » Pontificem, qui mox culmina scan» dens Beati Petri, sacrificiis pie » oblatis, ad palatium remeavit. » Quae de Nicolai I electione, qui Diaconus erat, refert Anastasius, consonant iis, quae de Valentino recitavimus.

Nam de Nicolai electione haec in eius vita Anastasius narravit: «Per » aliquod spatium confabulantes ho» rarum (electores) sidereo accensi » fulgore unanimes illum Apostoli» cae Sedis praesulem esse sanxerunt, » et celeri gressu Principis Aposto» lorum Petri aulae properaverunt, » in qua confugiens (Nicolaus) la» titabat. Dicebat enim indignum sa » esse tanti regiminis gubernacule » suscepturum. Impetum vero qui » aderant facientes, et virtutibus il» lum de eadem Basilica extrahen» tes, sacris acclamationibus ad Pa-

» triarchium Lateranense introdu-
» xerunt. Postmodum vero a nobi-
» lissimorum coetibus, cunctoque et-
» iam populo, in Basilicam B. Petri
» Apostoli deductus, praesente Cae-
» sare, consecratus est, apostolicaque
» sublimatus in sede factus est Pon-
» tifex, et Missarum solemnia supra
» sacratissimum corpus Apostoli bea-
» tifice celebravit. »

Praeter haec Mabillonius affert Ordinis Romani VIII et IX testimonium, ex quibus patere existimat Diaconos electos Pontifices, immo generatim Diaconos omnes ad Episcopatum electos in Romana Ecclesia, praetermisso presbyteratu, Episcopos esse consecratos. Adducit etiam Photii argumentandi rationem, qui inter ceteras contra Romanam Ecclesiam accusationes, illud etiam affirmabat, « quod plerumque Diaco-
» nus, quodam saltu, non percepta
» presbyterali benedictione, Episco-
» pus subito consecraretur. »

Haec sunt, quae praecipue Mabillonius adducit, ut non presbyteros illos antea factos esse demonstret, qui Diaconi erant, cum memoratis superius temporibus Romani Pontifices electi sunt. Sed non intelligo utrum his argumentis probare sententiam suam Mabillonius potuerit. Nihil dico de Photii testimonio. Sciunt omnes illum minime pacato erga Romanam Ecclesiam animo loquutum esse. Sciunt etiam omnes Ratramnum Monachum Corbeiensem, qui saeculo IX vixit, hanc Photii affirmationem falsam, et calumniosam esse respondisse, ita ut « in ceteris sibi de-
» mant auctoritatem, quandoquidem
» in istis tam evidenter mentiuntur. »
Nihil, inquam, de Photii auctoritate hoc in loco dicam.

Animadvertam potius, in Ecclesia Romana, Siricii, Innocentii, Zosimi, Caelestini, Gelasii decretis manifestum omnibus, etiam iis temporibus fuisse, de quibus loquimur, non licere Diaconos, statim Episcopos, praetermissa presbyteratus ordinatione, consecrare. Adiungam etiam incredibile iure videri, presbyteratus ordinationem ante Episcopatum susceptum fuisse praetermissam, quando statuatur Episcopatus ordinem a presbyteratu distingui, et praerequirere realis Christi corporis conficiendi potestatem, aut Episcopatum presbyteratus characteris incrementum, vel extensionem esse.

Testimonia vero ex Valentini, et Nicolai I Pontificis vitae historia allata, contrariam sententiam non valent persuadere, cum negativa possint existimari, cumque aliunde constet in iis testimoniis aliud non contineri, nisi festivos populi plausus, ut novus Pontifex consecraretur, et nihil referri singillatim de iis, quae erant servanda, si Diaconus electus Pontifex fuisset. Potuit etiam scriptor, qui res ab iis Pontificibus gestas retulit, commemorare tantum Episcopalem consecrationem tributam, cum ea res potissima esset, et in eiusmodi adiunctis ordinationes inferiores eo ipso die fierent, quin peculiarem mentionem ea ordinatio mereri videretur.

Argumentum illud praeterea ex Ordine Romano desumptum, in quo nullum legitur discrimen circa Diaconum et Presbyterum, qui Pontifex electus, Episcopus consecrari debeat, etsi speciem gravis difficultatis videatur afferre, fortasse tamen non tantam habet revera. Nam Ordinis Romani IX in eo loco institutum est, ea praescribere, quae ad Episcopatum conferendum Pontifici electo, requirebantur, sed non refertur ita esse omnia similia debere, ut quemadmodum Presbyter, nullo alio ordine suscepto, Episcopus consecrabatur, ita etiam id fieret in Diacono. Significatur deinde eo loco ritus consecrandi Episcopi, quod ad summam rei tantum, non vero singillatim omnia referuntur, etiam ea, quae in casu servari ante consecrationem debuissent, quando Diaconus ad pontificatum electus esset; praesertim cum iam aliunde constare posset, Presbyteratus ordinationem esse antea faciendam. Nullam vero difficultatem

continet animadversio illa, ex Ildebrandi facto petita, qui Diaconus erat quando electus Pontifex est, et de quo, disertis verbis, et peculiari mentione facta, memoriae proditum est, eum antea Presbyterum, deinde Episcopum esse ordinatum. Non, inquam, exemplum hoc potest ullam difficultatem facere, ut concludatur alios Diaconos non esse presbyteros ordinatos, antequam Episcopi consecrarentur, eo quod de iisdem, Presbyteratus ordinationis mentio aperta non fiat. In facto enim Ildebrandi, agitur de Diacono, qui die Pentecostes ordinatus fuerit Presbyter, et in festo SS. Apostolorum consecratus fuerit Episcopus, suscepto Gregorii VII nomine. In ordine autem Romano agitur tantum de consecratione facienda Pontificis electi, vel is Presbyter esset, vel Diaconus; et sola res, de qua ibi agitur, est Episcopalis consecratio, de qua veluti de re principali et praecipua, sermo est, non vero de iis quae requiruntur ad rite disponendum hominem, qui Episcopatum suscepturus sit.

Ut locum hunc concludam, et intelligatur, in Ordine Romano, de quo Mabillonius loquitur, non agi de iis, quae consecrationem Episcopalem Romani Pontificis electi praecedere debent, sed tantum de ipsa consecratione; et de Diacono, vel Presbytero sermonem esse, non quod dicatur utrumque nullam novam ordinationem suscipere ante consecrationem, sed tantummodo, ut hanc eo tempore legem fuisse constet, Diaconum quidem, et Presbyterum eligi posse ad Pontificatum, non autem eum, qui iam Episcopus esset; afferam testimonium ipsum ordinis IX Romani *De gradibus Romanae Ecclesiae*, num. 5 ex quo Mabillonius argumentum desumit. «Summus namque Pontifex quando benedicitur, eligitur » unus ex Cardinalibus de qualicumque titulo fuerit, tantum, ut a » Praecessore sit Pontifice ordinatus » aut Presbyter, aut Diaconus, nam » Episcopus esse non poterit.» Haec in ordine illo XI Romano statuuntur circa eos, qui eligi possunt. Deinde statim describitur ratio, qua novi Pontificis fiebat consecratio, neque amplius mentio fit, utrum Presbyter, an potius Diaconus esset is, qui consecrari debebat, sed generatim de ratione Pontificis consecrandi agitur. Ita legitur in eo ordine:

« Ingreditur cum eo universus Clerus, vel populus ad Basilicam Sancti Petri. Ingrediens vero sacrarium, induitur indumenta pontificalia, et veniens ad confessionem » Sancti Petri, prosternit se in orationem, schola canente introitum » *Elegit te Dominus*. Surgens vero » ascendit ad altare, et prosternit » se in orationem, et omnis clerus » cum eo. Postea erigitur ab Episcopis, et statuitur inter Sedem, et » altare, et tenent Evangelium super » caput vel verticem ipsius, et accedit » unus Episcopus et dat orationem super eum, et recedit; et alter similiter. Accedit tertius, et consecrat illum. Archidiaconus autem imponit » ei pallium, et tunc inter Archidiaconum, et Diaconum elevatur in » Sede. Stans vero in gradibus ipsius » Sedis, elevata voce dicit: *Gloria in excelsis Deo*. Post haec data pace » schola cantorum canit ei laudem, et » patroni regionum similiter. Celebrat igitur ipse Missam etc. »

Quae de Ordine XI diximus, ea affirmari quoque possunt de Ordine VIII in quo, paragrapho 2, agitur generatim de Episcoporum ordinatione: et licet dicatur Episcopum electum vel ex ordine Diaconatus, vel ex Presbyteratus gradu assumptum esse, disertis verbis tamen, de praemittenda in Diacono ordinatione presbyterali sermo non est, sed statim describitur quomodo consecratio Episcopalis peragatur. Restat igitur ut statuamus, probari certo non posse Mabillonii, Pagii, Martenii sententiam, qui praetermissam iis temporibus arbitrati sunt presbyteralem ordinationem in Diaconis iis, qui Episcopi electi fuissent.

CAPUT LXVIII.

DE MOHAMMEDANA SUPERSTITIONE.

Luctuosissimum, gravissimumque malum septimo saeculo primum extitit, Mohammedanae scilicet superstitionis institutio, ex qua non modo in Ecclesiam, sed in societatem etiam civilem infinitae prorsus, et usque ad tempora nostra perdurantes calamitates derivarunt. Auctor huius teterrimae superstitionis fuit Mohammedes Meccae in Arabia anno 570 natus, homo ille illitteratus quidem, sed nobili genere, ut ferunt, natura facundus, disertus, et ingenio acerrimo, vaferrimoque donatus. Is a Deo sese ad evertendum plurium Numinum cultum, purgandamque et emendandam Arabum primum, deinde Iudaeorum ac Christianorum religionem missum esse anno circiter 612 iactare coepit, novamque legem condidit, quae Corano continetur, idest libro, qui latine *lectio* inscriberetur, quique variis constat eius scholiis, et sermonibus post eiusdem mortem repertis, et simul collectis, quem librum veluti divinum Mohammedani suscipiunt. Affirmans se divinitus inspiratum, et a Gabriele Archangelo ad novam religionem informandam edoctum esse, postquam Mecca fuisset, ut saluti suae consuleret, ex qua fuga, quae die 6 Iulii anno 612 contigit, aeram suam Mohammedani ducunt, aucto vehementer sectatorum suorum numero Medinae quo se receperat, et ubi tamquam propheta habebatur, Meccam reversus, iniurias ultus est, quas passus fuerat, et victis sublatisque hostibus suis, Arabiam totam potestati suae subiecit, et cum praeterea Abyssiniam, et tractum prope sinum Persicum, sectae suae comparasset, mortuus est Medinae, anno aerae vulgaris 632, aetatis suae 63, et ibi in suo conclavi sepultus fuit, in quo mortuus fuerat.

Hoc eodem autem saeculo fluente turpis haec superstitio post Mohammedis mortem, in Syriam, Aegyptum, Africam, Mesopotamiam, aliasque regiones invasit, in iisque summo detrimento christianae religioni fuit, homines vero ibi viventes, ad servitutis potius, quam ad societatis conditionem redegit. Latius etiam Mohammedanorum secta propagata fuisset, nisi gravia dissidia, Mohammede mortuo, inter Mohammedanos ipsos excitata essent. Nam Abubeker Mohammedis socer, et Aly eiusdem gener, de iure imperii inter se dimicare coeperunt. Hoc autem bellum ad posteros protractum, totius gentis in factiones maiores duas divisionem effecit, quae non modo opinionibus, et institutis, sed etiam capitali odio dissidentes, bellorum inter Mohammedanos gravissimorum saepenumero causa fuerunt.

Atque, ut indicem brevi, quemadmodum Moshemius facit in institutionibus historiae ecclesiasticae saeculi VIII part. I cap. 2 §. 6, quid sibi velit haec Mohammedanorum divisio, dicam, utramque factionem Coranum pro religionis norma, divinaque lege habere, sed sectam Schiitarum, quae Aly tamquam verum Califum, seu Mohammedis successorem fuisse pugnat, a Sonnitarum secta, quae Abubekerum primum post Mohammedem Califum fuisse contendit, differre, quod in hac postrema, *Sonna* adiungatur Corano, seu lex quaedam ex ore Mohammedis excepta, et traditione propagata: hanc Turcae Tartari, Arabes, Afri, Indorum plerique; illam Persae, et Mogores sequuntur, si tamen Mogores revera ad alterutram illam factionem pertinent. Praeter duas hasce factiones, quatuor aliae maiores, et plurimae minores ortae deinde sunt, quae de variis religionis capitibus graviter certarunt inter se.

Religio, quam Mohammedes tradidit, ut Moshemius loco citato §. 3

apposite notat, non talis est qualis fuisset, si nihil conatibus suis restitisset. Arabum enim in tuendis maiorum opinionibus, et institutis pertinacia, spesque Iudaeos, aeque ac Christianos sibi conciliandi, multa eum sine controversia ferre, ac probare iusserunt, quae si quod volebat, idem facere licuisset, reiecisset, et abrogasset.

Haec vero sunt Mohammedanae superstitionis praecipua capita. Unam, eandemque ab orbe condito fuisse, et perpetuo futuram esse veram ac divinam religionem; illam praesertim in eo versari, ut homines dociles se praebeant, et obtemperent illis legatis, qui saepenumero a Deo missi sunt, ut eorum ministerio intelligerent, quae eius voluntas sit. Hanc exhibendam ab hominibus docilitatem *Islamismi* appellatione explicatam a Mohammede fuisse creditur, qua voce obedientiam intelligi existimatur. Plures legatos ea de causa a Deo missos Mohammedes affirmabat, et inter eos praecipue Iesum Christum, de quo summa cum laude loquebatur, etsi doctrinam ab eo traditam, et libros, quibus illa continetur, corruptos esse contenderet. De se autem Mohammedes ita testimonium dicebat, ut se divinorum legatorum postremum, excellentissimumque esse iactaret; atque ideo a Deo missum, ut opera sua Idolorum cultores a superstitione revocarentur, et vera ipsa religio ab iis sordibus, erroribusque purgaretur, quibus Christianorum, et Iudaeorum culpa depravata fuisset. Docebat praeterea, Deum unum esse, universa cum creasse, et perfectionibus omnibus praestare, nullam esse in Deo personarum distinctionem, Christum vero, summum quidem fuisse prophetam, Deum autem minime esse; sive mala, sive bona omnia, quae eventura sint, a Deo esse decreta, et omnia quae eveniunt, indeclinabili necessitate contingere: post mortem, a Deo gravissimis poenis illos afficiendos esse, qui cum viverent, criminibus se inquinaverint, eos autem, qui recte se gesserint, praemiis post mortem a Deo donandos esse, inter quae libidinum etiam explendarum, et illecebrarum satietas contineatur.

Praeter haec, quae indicavimus, quaeque respiciunt praecipua a Mohammede sectatoribus suis credenda proposita, commemorabimus, quae praesertim agenda Mohammedes iisdem praeceperit; scilicet a vini potu, et sanguinis, atque carnis porcinae esu abstinendum esse, quinquies qualibet die Deum orandum; semel saltem dum viverent, Meccam usque, religiosam peregrinationem faciendam, modo rei familiaris angustiae huic praecepto implendo impedimento non essent. Post haec a Mohammede praescripta, quae in nulla animi vera virtute praecipienda versantur, nimis longum esset persequi turpitudines, et scelera, quae haec vivendi praecepta continebant. In his certe illud praetereundum non est, quod polygamiam respicit. Non modo enim diserte docuit sectatores suos, tot uxores simul habere posse, quot alendis pares essent, verum etiam exemplo suo nequissimo, praeceptum a se traditum commendavit, cum homo impurissimus, et vitae licentiae imprimis addictus, quindecim uxores, et concubinas permagno numero domi habere non dubitaverit. Est etiam perspicuum argumentum ad demonstrandum, quam improba sit a Mohammede tradita morum doctrina, nefarium hunc impostorem, hominibus singulis ulciscendi sui facultatem fecisse, et iis qui superstitionem a se conditam amplexi essent, imperasse, ut perpetuum cum illis bellum gererent, qui a secta sua dissiderent, eos vero, qui superstitionem suam recusarent, vel interficerent, vel tributum solvere compellerent; martyres denique eos futuros, a Deo in beatissima sede recipiendos, ut omni deliciarum genere fruantur, qui pro Mohammedana religione dimicantes interfecti fuissent.

Ex his, quae hactenus retulimus, facile est intelligere, quam impia sit Mohammedis doctrina, et quam stulte, impudenterque iactaverit, se a Deo missum esse ad religionem novis institutis informandam. Patet etiam eius superstitionis progressus dolo, fraudibus, et vi adhibitae tribuendos imprimis esse. Verum ut religionis Christianae inimicos refellamus, qui ex tanta, et tam celeri Mohammedanae superstitionis propagatione extenuari posse contenderunt argumenti summam gravitatem, quod a Christianae religionis propagatione desumitur, ad ipsius divinitatem demonstrandam, quoque utentes Apologistae, ipsius divinitatem revera evincunt, comparationem instituemus religionis nostrae propagationem inter, et superstitionis illius progressus, et absque ulla dubitatione apparebit, quemadmodum religionis Christianae propagatio nonnisi eiusdem divinitati tribui potest, ita Mohammedanae sectae incrementa nihil singulare, aut mirum in se continere, sed modo corrupta hominum natura, et adiuncta considerentur, quibus ea evenerunt, facile evenire potuisse.

Itaque Christianae doctrinae propagandae gravissima erant impedimenta, nulla vero erant, quae efficerent, ut Mohammedanae doctrinae praecepta non propagarentur. Nam sive theoreticam, sive practicam christianae religionis doctrinam perpendamus, eaque adiuncta prae oculis habeamus, quibus haec ipsa doctrina praedicari coepta est, luculenter constabit, nonnisi divina potestate fieri potuisse, ut felices exitus ea propagatio haberet. Theoretica enim dogmata, quae ab Apostolis ceterisque christianis praedicabantur, ea erant, ut humanam rationem superarent, quemadmodum ceteris omissis, facile occurrit, consideratis de Trinitate, Incarnatione, et peccato Originali dogmatibus, quibus dogmatibus erat persuadendum omnibus, Deum unum esse in tribus personis distinctis, quae sit unaquaeque Deus, Verbum divinum ita humanam naturam suscepisse, ut in una divina persona duae distinctae naturae hypostaticae coniunctae sint; omnes denique homines peccati reos nasci, cuius primus generis humani parens reus evaserat. Practica vero praecepta erant eiusmodi, ut infinitam prorsus in hominum natura corrupta repugnantiam experiri deberent, cum cupiditatibus omnibus perpetuum, apertumque bellum indicerent. Necesse non est id longa disputatione demonstrare, cum pleni huius rei sint Novi Testamenti libri, cumque exploratum omnibus sit, quidquid depravationis a Ioanne Apostolo verbis illis explicatum est, concupiscentiae carnis, concupiscentiae oculorum, superbiae vitae, Christi praeceptis explicatis, emendandum Apostolos suscepisse. Nihil vero adeo perspicuum esse potest, animi virtutem imprimis, evangelica lege commendari, ac praecipi ad beatitudinem consequendam, paupertatem spiritus, mansuetudinis necessitatem, et munditiae cordis custodiendae, persequutionis tolerantiam propter iustitiam, et a cupiditatibus explendis continentiam. Omitto quae de matrimonii unitate evangelica lege praescribuntur, quaeque omnem impediunt privatae ultionis facultatem, omitto cetera, ex quibus omnibus, quemadmodum perspicue ostenditur Christianae Religionis praecepta illud omnino continere, ut humanum genus universum a depravatione, ac vitiis, ad sanctitatem, virtutemque revocaretur; ita etiam cuique manifeste demonstratur, summam prorsus resistentiam in hominum corrupta natura, horum praeceptorum propagationem invenire debuisse.

Sunt etiam ea adiuncta consideranda, quibus christiana religio praedicata primum, et propagata est. Ea res iam a nobis pertractata est in saec. I cap. 3 cum de argumento ex instituto egimus, quod ad divinitatem Christianae Religionis demon-

strandam ex eius propagationis facto desumitur. Scilicet, ut aliqua commemorem, erat illud tempus, quo eruditissimorum hominum numero imperium Romanum abundabat, quoque maxime ferebantur homines inanis gloriae cupiditate. Roma vero, ut eam dumtaxat, quae totius orbis terrarum domicilium erat, appellem, S. Leone M. sapientissime affirmante, magnam videbatur suscepisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem. Repugnabat fidei propagandae Principum potestas, qui exquisitissimis suppliciis eos mulctabant, qui Christianam Religionem amplexi fuissent, eorumque sanguine imperium Romanum diu redundavit. Obstabat tum omnium iam propria ad cupiditates explendas proclivitas, tum deorum cultus abrogandus: id vero, nescio an difficilius esset doctis hominibus, quam ignorantibus persuadere. Gravissimum erat impedimentum, quod ex sacerdotum odio proficiscebatur. Ipsi enim cum aperte cognoscerent, potentiam, divitiasque suas cum deorum superstitionis conservatione esse coniunctas, nihil umquam omiserunt, ut fidei Christianae propagationi resisterent. Denique impossibile videbatur, hoc opus tam magnum, tam novum, tantopere cum adiunctis omnibus pugnans, perfici ab hominibus posse, nulla neque generis, neque doctrinae laude commendatis, praesertim cum auctorem ipsum religionis extremo crucis supplicio affectum esse praedicarent. Atqui res ea ratione perfecta est: religio, cuius dogmata partim rationi minime obnoxia erant, partim cum humanae naturae cupiditatibus aperte pugnabant, brevi suscepta ab omnibus est; sanguis martyrum propagando inservivit numero Christianorum, Idolorum templa deleta, et miranda illa totius orbis est absoluta conversio. Praeter ceteros Christianae religionis defensores Bergerium, tum alibi, tum in dict. Theol. tom. 5 Paris. an. 1832, Houttevilium, Valsechium, Spedalierium in Gibbonii confutatione, legi etiam potest De la Mennais tom. 4 cap. 36 operis *Essai sur l'Indifférence* etc.

Non video autem quomodo Christianae religionis inimici argumentari possint, ut Mohammedanismi propagationem cum religionis Christianae propagatione comparent. Etenim modo statuatur, Christianae Religionis propagationem ea ratione evenisse, qua exposuimus, Mohammedanismum vero ita esse receptum ut vis adhibita, ignorantes homines decepti, et doctrina fovendis cupiditatibus imprimis accommodata, fuerit praedicata, gravissimum perpetuo erit quod ex Religionis nostrae propagatione ad eiusdem divinitatem evincendam desumitur argumentum. Profecto de vi, deque fraudibus adhibitis, ut Mohammedis superstitio obtineret, non est disputandum, id enim ex universa huius facti historia manifeste demonstratur. Ad doctrinam vero quod spectat, haec brevi indicasse sufficiat.

Consulatur scilicet, inter ceteros, Maraccius in *prodromo Alcorani* et in refutationibus singulis Alcorani capitibus subiectis. Apparebit ad dogmata quidem quod pertinet, quae theoretica appellantur, Mohammedis superstitionem nihil habuisse, quod eorundem recipiendorum difficultatem afferret. Facile enim erat, certam quandam de Deo Uno fidem praedicare, praesertim cum fides ista, vivendi licentiam non impediret: facile erat hominibus persuadere, eos, qui se non recte gessissent, gravissimis suppliciis a Deo mulctatum iri, cum alioquin ita res explicaretur, ut qui in Deum credidissent, perpetuo in iis suppliciis manere non deberent, difficillimumque esset harum poenarum eos evadere reos posse, quibus ex lege tanta relinquebatur vivendi libertas.

Omitto praecepta, quae mores respiciunt. Nam patet, ea excitandis, fovendis, explendis cupiditatibus esse vehementer opportuna; id autem

luculenter ostenditur, modo consideretur, quae de cultu praescribebantur, exterioribus dumtaxat operibus, non autem spiritu, et veritate contineri, nihil esse in tota Mohammedana superstitione, quod internas animi virtutes iubeat. Ut cetera vero scelera praeteream, quae nocte ieiunii permissa sunt, et impurissimam remunerationem post mortem propositam, illis qui bene vixissent; privatae ultionis cuique concessam facultatem, et polygamiam simultaneam commemorabo, quae duo esse Baylius ipse in dictionario *historico critico* fatetur, in quibus Mohammedes praedicatam in Evangelio morum severitatem evertit. Haec verae causae fuerunt, cur tam facile potuerit Mohammedis superstitio propagari, non autem excitatae in Ecclesia de Christianis dogmatibus controversiae, prout contendit Potterius tom.2 cap. 18 operis de Ecclesiae spiritu, ex conciliorum, et Romanorum Pontificum historia demonstrato. Ille quidem cum sibi proposuerit in eo opere, de Ecclesia perpetuo detrahere, hanc propagationis huius rationem affert; verum praeiudicatis opinionibus omissis, apparet, eam vi adhibitae imprimis, ac licentiae a Mohammede praedicatae tribui oportere.

CAPUT LXIX.

DE HONORII I PONTIFICATU ET CAUSA.

Temporum ratio, quam hactenus sequuti sumus, requirit, ut hoc loco de Honorii Pontificatu loquamur. Praecipuum quidem negotium, quod est necessario tractandum cum de Honorii Pontificatu agitur, eius defensionem respicit ab accusatione, qua affirmatur eum in Monotheliticam haeresim incidisse. Id autem postulare posset, ut de ista re ageretur post ea pertractata quae ad Monotheliticam haeresim, et ad concilii Sexti generalis celebrationem pertinent. Cum possit tamen ea res veluti peculiare, et proprium Honorii Pontificatus factum existimari, non erit incongruum post recensitas praecipuas res ab Honorio gestas, eum statim a gravissima illa accusatione vindicare.

Itaque Honorius Campanus, Patre Petronio, consecratus est Pontifex die 27 Octobris anno 625, et Pontificatum gessit usque ad diem 10 Octobris 638, quo mortuus est, cum annos duodecim, menses undecim, dies 13 Pontifex fuisset. Haec omnia erudite Pagius ostendit in critica Baronii.

Honorius multa praeclare gessit, eaque facile est cognoscere ex epistolis eius a Beda recensitis. Eius iustitia enituit, cum anno 625 eiectus est Regno Adawaldus Rex Longobardorum, et in eius locum suffectus est Arioaldus. Scripsit enim Honorius eo anno graves litteras ad Isaacum Ravennatensem Exarchum, illumque hortatus est non modo, ut pro Adawaldo restituendo laboraret, verum etiam, ut Romam mitterentur Episcopi Transpadani, qui Regi eiiciendo opem tulerant, ut huius facti rationem redderent. Quid evenerit revera de Episcopis illis Transpadanis prorsus ignoramus. Muratorius quidem ad annum Christi 625, cum videat scriptores illorum temporum non commemorare Adawaldum umquam restitutum fuisse, putat falli Pagium, cui videtur contigisse ut restitutus sit, ac existimat Adawaldum veneno mortuum, omnem de regno contentionem abstulisse, Arioaldum vero regnare prosequutum esse.

Exstant epistolae Papae Honorii, quas Pagius demonstrat datas esse anno 634 ad Eduinum Regem Northumbriae, quibus ei gratulabatur

ob susceptum una cum gente sua baptismum eumque ad fidem confirmandam, propagandamque hortabatur. Misit et litteras ad Archiepiscopum Cantuariensem eadem de re. Refert etiam Beda in historia Anglorum, quantopere laboraverit Honorius Gregorium M. imitatus, ut Anglos orientales fidei conciliaret. Narrat idem scriptor quanto studio vacaverit, ut apud occidentales Saxones bono religionis Catholicae consuleret.

Commemorat etiam Beda Honorium epistolas scripsisse ad Scotos de festo Paschatis celebrando iuxta decretum concilii Nicaeni; Honorium vero obtinuisse hac in re, quod petierat, ostendit Usserius in antiquit. Britannicae Ecclesiae.

Honorio etiam magna laus est tribuenda, quod Istrianum schisma saltem ad aliquod tempus extinxerit. Hoc schisma conflatum erat vel a Pelagii II Pontificatus tempore, cum Episcopi Istriani, quibus praeerat Episcopus Aquileiae, Synodum Quintam non reciperent, ac abhorrerent omnino a damnandis iis, quae in tribus capitulis damnata sunt. Quantopere laborarint Romani Pontifices, ut schisma istud sedaretur, non est huius loci, ac temporis commemorare. Tantummodo significabo tres gravissimas scriptas fuisse ea de re a Pelagio II ad Episcopos illos litteras; S. Gregorium Magnum anno 590 synodum Romae ea de causa habuisse. Nihil tamen profecerunt iidem Romani Pontifices: Honorius tamen, si non perpetuo, saltem ad tempus schisma illud sustulit. Constat id ex monumentis publicis illorum temporum. Renovatum tamen hoc schisma est, et illud perdurasse constat usque ad annum 698, quo sub Sergio I penitus extinctum est. Multa alia Anastasius de Honorio refert, de Ecclesiis ab eo vel aedificatis, vel refectis, de donis quibus templa ornavit, de eius cura in disciplina custodienda, de liberalitate aliisque.

Haec sunt certe omni laude digna. Nunc tamen ea est refellenda accusatio, qua nulla posset esse Honorii Pontificis famae iniuriosior, eum videlicet, aliquando a Catholica fide defecisse.

Itaque gravissima hoc in loco est pertractanda controversia, atque Honorius ita vindicandus, ut appareat quantopere ii cum Honorio ipso non benevole egerint, qui eundem in haeresim Monotheliticam lapsum esse contenderunt. Oritur tota haec causa ex epistolis, quibus Honorius a Sergio Constantinopolitano Episcopo consultus respondit, atque ex iis synodi Sextae locis, quibus eiusdem Honorii damnatio continetur. Nam cum subdola Sergii epistola adductus sit Honorius ad morem Sergio gerendum, ut eae voces non adhiberentur, quae ad dogma catholicum contra Monothelitas asserendum, erant valde perspicuae; inde enim Sergius intelligebat, quanta commoditas erroribus suis disseminandis accedere posset; factum est, ut Honorium synodus sexta inter eos numeraverit, quos in Monothelitica causa damnavit.

Cardinalis de la Luzerne in opere Parisiis an. 1821 edito *sur la déclaration de l'assemblée du clergé de France an. 1682,* de quo pluries nos iam loquuti sumus, parte 3 cap. 17 fuse agit de Honorio I et de concilio VI generali. Fatetur ille quidem se aliquando censuisse, atque etiam scripsisse, Honorii causam nonnisi in facti errore versari, verum rebus omnibus ad totam spectantibus controversiam diligentius consideratis, ac perpensis, se intellexisse omnino, se deceptum esse, veterem igitur suam de Honorii causa sententiam revocare, et prorsus se iudicare, Honorium in veram haeresim lapsum fuisse. Tria adducit sententiae huius suae, ut ipse putat, demonstrationis argumenta, quorum primum ex Honorii ipsius epistolis ad Sergium, alterum ex Concilii sexti generalis decretis, postremum denique ex ra-

tionum, ut ipse contendit, levitate desumptum, quibus Honorii defensio continetur.

Ad Honorii epistolas quod pertinet, adducit primo loco hoc testimonium, quod ex prima Pontificis ad Episcopum illum Constantinopolitanum epistola depromptum est, quae actione duodecima concilii sexti fuit recitata. « Scripta fraternitatis vestrae suscepimus, per quae » contentiones quasdam, et novas » vocum quaestiones cognovimus introductas per Sophronium quendam, tunc monachum, nunc vero, ut » auditur, Episcopum Hierosolymitanae urbis constitutum, adversus » fratrem nostrum Cyrum Alexandriae antistitem, unam operationem D. N. I. C. conversis ex haeresi praedicantem, quarum litterarum ad eundem Sophronium directarum suscipientes exemplar, et » intuentes, satis provide, circumspecteque fraternitatem vestram » scripsisse laudamus novitatem vocabuli auferentem, quod posset » scandalum simplicibus generare.»

Postquam universum hunc locum memorati operis auctor, continere prorsus Honorii haeresis demonstrationem ostendere conatus est, praesertim ob rationis diversitatem, qua de Cyro Alexandrino Episcopo Monothelita loquitur, et de Sophronio Episcopo Hierosolymitano, quem certum est dogma catholicum contra Monothelitas asseruisse, et de quo tantum Honorius ait, in ea re vocum quaestiones induxisse; alio ex memorata prima Honorii epistola testimonio utitur, ut novum inde ex iis, quae Pontifex ille scripsit, eiusdem haeresis argumentum afferat. « Non » oportet, ait, ad dogmata haec ecclesiastica retorquere, quae neque » synodales apices super hoc examinantes, neque auctoritates canonicae visae sunt explanasse; ut unam, » vel duas energias aliquis praesumat Christi Dei praedicare, quas » neque Evangelicae, vel Apostolicae » litterae, neque synodalis examinatio super his habita visae sunt terminasse. Nisi fortassis, sicuti praefati sumus, quidam aliqua balbutiendo docuerunt condescendentes » ad informandas mentes, atque ad » intelligentias parvulorum, quae ad » ecclesiastica dogmata trahi non » debent.... utrum autem propter » opera divinitatis et humanitatis, » una, aut geminae operationes debeant derivatae dici, vel intelligi, » ad nos ista pertinere non debent, » relinquentes ea grammaticis, qui » solent parvulis exquisita derivando » nomina venditare. »

Recitato autem hoc testimonio, Scriptor ille arbitratur haec se posse ab adversariis suis quaerere, an non haereticum in Romano praesertim Pontifice, cuius officium est catholicam doctrinam asserere, debeat existimari, ita loqui, ut quodammodo perinde sit dogma catholicum profiteri, ac doctrinas contrarias propugnare. Utitur denique ex eadem prima Honorii epistola iis verbis, quibus Pontifex Sergium hortatur: « ut haec nobiscum fraternitas vestra » praedicet, sicut et nos ea vobiscum » unanimiter praedicamus, hortantes vos, ut unius, aut geminae » vocis inductum operationis vocabulum aufugientes, unum nobiscum D. N. I. C. Filium Dei vivi, » Deum verissimum in duabus naturis operatum divinitus, et humanitus, fide orthodoxa, et unitate » catholica praedicetis. »

Neque vero testimoniis ex priori tantum Honorii epistola act. 12 concilii VI recitata desumptis utitur Cardinalis, ut efficiat hunc Pontificem revera haereticum evasisse, sed alterius etiam epistolae Honorii locum actione 13 lectum commemorat, in quo eandem sententiam explicaverit. Contendit autem, id ex eo patere, quod Honorius iusserit, unius, vel duarum operationum novas voces a fidei praedicatione arceri, affirmaverit, unius, aut duarum operationum vocabula adhibere, idem esse, ac imperviis difficultatibus se

obiicere, iterum denique docuerit unam operationem unius operatoris Iesu Christi in duabus naturis confiteri oportere, et fidem suam cum Sergii fide omnino convenire. Atque ut ea Honorio non relinquatur excusatio, scilicet illum ita respondisse Sergio, quod eius fraudem non intellexerit, et ostendatur, eum videre omnino debuisse, haeretico prorsus sensu Sergium in epistola sua loquutum esse, contendit Honorium decipi certe non potuisse in Sergii doctrina intelligenda, quae in Oriente nota omnibus erat. Et praeter quam quod Sergii epistola ad Pontificem Honorium, Monotheliticum errorem omnino continebat, ex Sophronii epistola perspicue Honorius habebat, quaenam doctrina illa esset, quam Sergius, ceterique Monothelitae tradebant. Legati tandem Sophronii ad Honorium, quos in 2 sua epistola Honorius ipse commemorat, Pontifici diserte explicasse censendi sunt veram haereticorum sententiam, ad quam impugnandam Romam se contulerant. Cum igitur Honorius significaverit fidem suam Sergii fidei consentaneam esse, sequitur eundem positive, ut aiunt, se haereticum declarasse.

Iam ut ad secundum illud argumenti genus veniamus, in quo alterum Honorii haeresis demonstrationis caput contineri contendit auctor memoratus, arbitratur ille ex oecumenici Sexti concilii actis omnino evinci, Honorium haereticum Monothelitam vere fuisse. Mitto quae ille exponit, concilium hoc anno 680 habitum esse, atque in tam recenti rei memoria, Episcopos, ex quibus illud constabat, intelligere melius, quam homines posteriori aetate viventes potuisse, utrum Pontificis huius litterae errorem Monotheliticum continerent, atque utrum Honorius haereticus fuisset. Non est quaestio, an id quod a generali concilio definitum est, in controversiam vocari queat. Insistam iis, quae ex concilii ipsius actis desumit, pluribus locis adductis, ex quibus constare censet, non indirecte quidem, sed quanto magis poterat formaliter, haereticum declaratum Honorium esse, eadem ratione, iisdem loquendi modis, quibus anathema in Sergium, et Cyrum pronuntiatum ab illis Episcopis fuit. Id ostendi putat, testimonio, quod act. 13 legitur, et quo patres affirmant: « retractantes dogmaticas epistolas, quae tam a Sergio quondam » patriarcha huius a Deo conservandae regiae urbis scriptae sunt, tam » ad Cyrum, qui tunc fuerat Episcopus Phasidis, quam ad Honorium quondam Papam antiquae » Romae; similiter autem et epistolam ab illo, idest Honorio, rescriptam ad eundem Sergium, hasque » invenientes omnino alienas existere » ab Apostolicis dogmatibus, et a definitionibus SS. Conciliorum, et » cunctorum probabilium patrum, » sequi vero falsas doctrinas haereticorum, eas omnino abiicimus et » tamquam animae noxias exsecramur. » Eadem vero actione cum S. Synodus affirmasset se intelligere a S. Dei Ecclesia eiici Sergium, Cyrum Alexandriae, Pyrrhum, Petrum, Paulum Constantinopolitanae Ecclesiae Episcopos, Theodorum Episcopum Pharanitanum: « cum his vero, » ait, simul proiici a sancta Dei catholica Ecclesia, simulque anathematizari praevidimus et Honorium, » qui fuit Papa antiquae Romae, eo » quod invenimus, per scripta, quae » facta sunt ab eo ad Sergium, quia » in omnibus mentem eius sequutus » est, impia dogmata confirmavit. »

Actione vero 16 Episcopi cum rogati essent, ut a condemnando nominatim Sergio abstinerent, ita « exclamaverunt universi, Sergio » haeretico anathema; Cyro haeretico » anathema; Honorio haeretico anathema; Theodoro Pharanitano haeretico anathema. » Actione autem 18 Episcopi affirmarunt daemonem invenisse, per quos ea quae cupiebat, efficeret, Theodorum Pharanitanum scilicet, Sergium, Pyr-

rhum, Paullum, Petrum Constantinopolitanum, Honorium Romanae Ecclesiae Pontificem, Cyrum Alexandriae, Macarium Antiochiae, et Stephanum eius discipulum. Quare eadem actione Patres clamaverunt: « Nestorio, et Eutychi, et Dioscoro » anathema: Apollinari, et Severo » anathema: consentaneis eorum ana- » thema: Theodoro Pharanitano ana- » thema: Sergio, et Honorio ana- » thema. . . . . omnibus haereticis » anathema. Qui praedicarunt, et » praedicant, docent, et docturi sunt » unam voluntatem, et unam opera- » tionem in dispensatione D. N. I. C. » anathema. » In epistola denique synodali ad Agathonem Pontificem eadem actione Patres affirmant, se secundum sententiam eiusdem litteris proditam, anathema tulisse in Theodorum, Sergium, Honorium, Cyrum, Paullum, Pyrrhum et Petrum.

Haec memorato Scriptori ineluctabile argumentum continere videntur, ex quo constet Pontificem, cuius causam pertractandam suscepimus, omnino haereticum fuisse. Verum ut etiam alia testimonia cum concilii VI auctoritate coniungat, ex quibus hoc idem evincatur; Macarium appellat Antiochenae Ecclesiae Episcopum, qui Monothelita imprimis erat, quique actione 1 una cum iis, qui partibus eius studebant, affirmaverit, se nihil novi, et antea inauditum praedicasse, sed de voluntate, atque operatione D. N. I. C. se ea credere, et peragere, ac docere, quae a conciliis generalibus antea habitis accepisset, ab Ecclesiae Episcopis Sergio, Paullo, Pyrrho, et Petro, atque ab Honorio Romanae Ecclesiae Pontifice. Quare Catholicos una cum haereticis in eo convenire Adversarius contendit, ut omnes Honorium Monothelitam fuisse intelligant, et inter illius sectae principes numerent, eos quidem, ut Pontificem illum damnent, hos autem, ut eius auctoritatem in causae suae defensionem adducant. Quid plura? Leo II in epistola ad Constantinum Pogonatum Imperatorem, qua VI concilii acta confirmavit, « Anathematizamus, ait, novi » erroris inventores, idest Theodo- » rum Pharanitanum Episcopum, Cy- » rum Alexandrinum, Sergium, Pyr- » rhum, Petrum Constantinopolita- » nae Ecclesiae successores magis, » quam praesules: nec non et Ho- » norium, qui Apostolicam Eccle- » siam hanc non Apostolicae tra- » ditionis doctrina illustravit, sed » profana proditione immaculatam » maculari permisit. » Constantinus autem ipse in edicto, quo imperavit ut synodi sextae decreta servarentur, haec de hominibus habet in ea synodo damnatis: « Anathematizamus eos, qui novo- » rum dogmatum auctores et fauto- » res fuere, Theodorum dicimus, qui » Pharanitanus Episcopus fuit, et » Sergium, qui fuit huius urbis an- » tistes, moribus Theodoro, et im- » pietate parem, atque etiam Hono- » rium, qui fuit antiquae Romae Pa- » pa, horum fautorem, adiutorem » et confirmatorem. »

Neque vero illud omittit scriptor memoratus animadvertere, Sedis Apostolicae Legatos, qui concilio VI interfuerunt, numquam intercessisse memoratis superius decretis, quibus Honorius condemnatus est, atque illam epistolam signasse ad Agathonem, qua toties repetita Honorii condemnatio continebatur. Haec argumenti huius summam afferunt, quo alterum Honorii haeresis demonstrationis caput explicari adversarius contendit. Restat nunc tertium illud caput, scilicet hoc ipsum ex argumentorum levitate demonstrari, quibus ii utuntur, qui Honorium ab haeresis crimine excusandum omnino arbitrantur. Verum ea, quae hoc in loco disputat adversarius, referenda non esse videntur; cum demonstraturi enim simus omnino gravissimas esse rationes, quibus evincitur Honorium in Monotheliticum errorem numquam incidisse, et argumenta quae hactenus attulimus,

minime id, quod Luzernius contendit evincere posse; falsum etiam illud esse efficiemus, ex rationum, ut adadversario videtur, levitate, quas adducunt, qui Honorium defendunt, demonstrari, revera haereticum Monothelitam illum evasisse.

Legendus eruditissimus Mamachius tom. 6 *Orig. et Antiq. Christianorum* pag. 92, ut habeatur in promptu, qui hanc in Honorium accusationem propugnarunt, et qui illam refutarunt. Nos ex accusatoribus commemorabimus tantum auctorem *Defensionis Declarationis Cleri Gallicani* anni 1682, et opus Cardinalis Luzernii, cuius sententiam de hac re iam tradidimus. Eundem autem Pontificem ab omni Monothelismi macula purgarunt egregie plures doctissimi viri, ac praecipue Ludovicus Thomasinius dissert. 12 in concilia, Ioan. Garnerius in dissert. de Honorii et concilii VI causa, quae dissertatio quodammodo alteram appendicem affert Libri Diurni Romanorum Pontificum, quem ipse ediderat. Natalis Alexander dissert. 2 in historiam ecclesiasticam saec. VII, atque is, quem maxime refellendum sibi sumpsit Card. de la Luzerne, Iosephus Augustinus Orsius Card. tom. 1 part. I lib. 1 operis de Romani Pontificis auctoritate. Atque ego quidem ignoro, quomodo contingere potuerit, ut argumenta gravissima ab his aliisque sapientissimis viris adducta, atque explicata, et manifestam Honorii defensionem continentia, tam levia adversario nostro videri potuerint, ut inde tertium demonstrationis suae caput derivari arbitratus sit, qua Pontificem haereticum fuisse ostendatur.

Quaero enim primo loco, utrum inter ea, quae ad Honorium defendendum afferuntur, quaeque adeo levia adversario videntur, ut ad illum accusandum argumentum suppeditare putet, recensendum sit argumentum, quod ex RR. Pontificum agendi ratione desumitur, qui ante Concilium Sextum, post Honorium mortuum, Ecclesiae praefuerunt, quique de decessoribus suis verba facientes, ita loquuti sunt, ut universim, et nemine excepto, pronuntiaverint eos a Monothelitica haeresi abhorruisse? Profecto incredibile omnino est, si Honorius in eam haeresim incidisset, eos, nemine repugnante, potuisse diserte affirmare, ex Romanis Pontificibus neminem, qui post ortam Monotheliticam sectam, Ecclesiam gubernarunt, illam haeresim detestatum non fuisse, quando in re adeo recenti, quaeque omnibus explorata esse debuisset, Honorius eam amplexus esset.

Atqui Martinus I secretario I Synodi Lateranensis in oratione ea, quam ad Patres habuit, apertissime praedicavit, praedecessores suos omnes, constantissime Monotheliticos errores fuisse aversatos. « Apostolicae memoriae, inquit, nostri decessores » non destiterunt, praedictis viris, » diversis temporibus constantissime » scribentes, et tam rogantes, quam » regulariter increpantes, nec non » per Apocrisiarios suos pro hoc maxime destinatos, quatenus proprium emendarent novitatis commentum. » Agatho autem Pontifex in epistola sua ad Constantinum Pogonatum Imperatorem, Martino certe minus luculentum non dixit de praedecessorum omnium suorum contra Monotheliticam haeresim constantia, testimonium. « Unde, ait, et » Apostolicae memoriae, meae parvitatis praedecessores, Dominicis » doctrinis instructi, ex quo novitatem haereticam in Christi immaculatam Ecclesiam Constantinopolitanae Ecclesiae praesules introducere conabantur, numquam » neglexerunt hortari atque obsecrando commonere, ut a pravi » dogmatis errore, saltem tacendo » desisterent. »

Adeo ne etiam leve adversario videtur argumentum, quod ex Maximi Martyris testimonio desumitur, hominis, scilicet, Monotheliticae historiae peritissimi, et qui acerrimus

fuit catholici dogmatis contra illam haeresim propugnator? Is autem in epistola ad Petrum Illustrem, ait: « Quid autem et divinus Honorius? » Quid vero, et post illum Serinus » senex? Quid vero et is, qui post » hunc extitit sacer Ioannes? Porro » is, qui nunc praesidet Beatissimus » Papa (Theodorus) omisit quidpiam » supplicationi conveniens? Sed Deus » quidem perfecte beatorum virorum » fidem admisit, et pro ea vicissitu- » dinem in saecula observavit. » Nescio autem utrum luculentius affirmare Maximus Martyr in adducto testimonio potuerit, Honorium Monotheliticam haeresim numquam suscepisse. Numerat Maximus eo in loco Pontifices, qui strenue contra Monothelitismum certarunt, quique praeclarum deinde idcirco a Deo praemium consequuti sunt. Inter eos autem non modo Honorium recenset, verum etiam illum divinum appellat. Maximus vero, qui Monothelitas refellebat, si suspicari dumtaxat potuisset, Honorium in eam haeresim lapsum esse, intellexisset profecto causae suae opportunum non esse Honorii mentionem eo in loco facere, et abstinuisset ab ea honorifica loquendi ratione, qua usus est, cum Honorium appellavit.

Praeter haec, quae non modo non levia iudicanda sunt ad Honorium ab omni Monothelitica labe purgandum, verum etiam gravissima debent existimari, habemus perspicuum, et ineluctabile prorsus argumentum, quo Honorium defendamus, desumptum ex eiusdem ad Sergium epistolis. Nam si hic Pontifex Monothelitismi accusandus videtur, ideo accusandus erit, quod in suis ad Episcopum illum Constantinopolitanum litteris in Monotheliticam haeresim incidisse se ostenderit.

Atqui nihil est in iis litteris, quod ullam de Honorii Monothelitismo suspicionem afferre iure possit; sequitur ergo, ut Honorius ab eo crimine omnino purgetur. Nemo negat, Honorium Sergio scripsisse ita, ut de unius, vel de duarum operationum vocibus sileri posset, at qua ratione id scripserit considerandum est. Sunt in omnium manibus concilii 6 acta. Tom. 7 conc. Labbei ed. an. 1729 col. 1003 affertur epistolae Honorii ad Sergium locus, quo Pontifex ait: « Scribentes etiam com- » munibus fratribus Cyro, et Sophro- » nio Antistitibus, ne novae vocis, id » est unius, vel geminae operatio- » nis vocabulo insistere, vel immo- » rari videantur: sed abrasa huius- » modi novae vocis appellatione, u- » num Christum Dominum, nobiscum » in utrisque naturis, divina, vel » humana praedicent operantem. » Quamquam hos, quos ad nos prae- » dictus frater, et Coepiscopus no- » ster Sophronius misit, instruxi- » mus, ne duarum operationum vo- » cabulum deinceps praedicare inni- » tantur, quod instantissime promi- » serunt praedictum virum esse fa- » cturum, si etiam Cyrus frater, et » Coepiscopus noster ab unius ope- » rationis vocabulo discesserit. »

Verum cum haec Honorius Sergio scripsit, minime ita scripsit, quod ad dogma catholicum pertinere non existimaverit duas operationes in Christo credere. Nam paulo ante relatum Honorii epistolae testimonium, haec Pontifex Sergio significavit: « Utrasque naturas in uno Christo » unitate naturali copulatas cum al- » terius communione operantes atque » operatrices confiteri debemus, et » divinam quidem, quae Dei sunt, » operantem, et humanam, quae » carnis sunt, exsequentem, non di- » vise, neque confuse, aut convertibiliter Dei naturam in hominem, » et humanam in Deum conversam » edocentes, sed naturarum differen- » tias integras confitentes. »

Explicat autem dogma catholicum de duabus operationibus in Christo, atque adductis S. Scripturae testimoniis, et I. C. D. N. vitae exemplis commemoratis, demonstrat duas omnino operationes in Servatore nostro credendas esse. Est autem ex-

ploratissimum, Honorium, eo ipso loco, quo unius, vel duarum operationum voces omitti posse Sergio respondit, necessarium tamen existimasse dogma catholicum de duabus operationibus diserte credere atque ea ratione explicare, quae nullum prorsus dubitandi locum relinqueret. Nam antequam de omittendis unius vel duarum operationum vocibus loqueretur, haec scripsit memorata superius epistola: « Non nos oportet » unam, vel duas operationes defi- » nientes praedicare, sed pro una, » quam quidem dicunt, operatione o- » portet nos unum Operatorem Chri- » stum Dominum in utrisque natu- » ris veridice confiteri, et pro dua- » bus operationibus, ablato geminae » operationis vocabulo, ipsas potius » duas naturas, id est, Divinitatis, » et Carnis assumptae, in una per- » sona Unigeniti Dei Patris, incon- » fuse, indivise, atque inconvertibi- » liter nobiscum praedicare propria » operantes. »

Quis vero est adeo Monothelitici erroris ignarus, ut non intelligat, hoc Honorii epistolae loco universum eorum hominum commentum funditus everti? Quis nesciat dogma catholicum errori illi contrarium hoc continere, ut in una persona divina, duas utriusque naturae operationes, haeretica qualibet explicatione damnata, credere debeamus? Quid vero continet aliud modo relatum ex Honorii epistola testimonium? Quid cetera, quae ex Honorii eiusdem litteris recitari loca possent? Concluditur ergo, falsum omnino esse, eum in Monotheliticam haeresim umquam incidisse.

Neque ullum profecto afferri argumentum potest ad ostendendum, hunc Pontificem Monotheliticos errores aliquando suscepisse, eo quod in eius priori epistola affirmetur verbis iis: « Unde et unam voluntatem » fatemur D. N. I. C. » Quid enim potest esse tam certum, quam Honorium *unius* voluntatis vocabulo unam in Christo Deo, et homine voluntatem non intellexisse, sed naturam quidem in Christo divinam, divina voluntate praeditam esse, humanam autem non humanis duabus, quarum altera alteri resistat, sed una tantum pollere, quae consentanea concorsque divinae sit? Etenim Honorium de una humanae naturae humana voluntate agere, ac reiicere voluntates human s duas, quarum altera alteri repugnet, ipsa eius loquendi ratio demonstrat. « Quia, in- » quit, a Divinitate assumpta est » nostra natura, non culpa; illa pro- » fecto, quae ante peccatum creata » est, non quae est post praevari- » cationem vitiata. Non est itaque » assumpta a Salvatore vitiata na- » tura, quae repugnaret legi mentis » eius. Nam lex alia in membris, aut » voluntas diversa non fuit contra- » ria Servatori. »

Quis vero Honorium haec affirmantem, non dico in suspicionem Monothelitismi vocet, sed catholicam prorsus doctrinam explicasse non concedat? An obloqui Honorius debuisset de ea re, et nefarie pronuntiare, Christum expertum esse in membris suis aliam legem repugnantem legi mentis, quemadmodum de hominum natura corrupta affirmare iure Apostolus potuit? Quis Christianorum haec audere umquam potuisset?

Monothelitismi tota labes in eo versata videtur, ut Eutychianos errores circa duas voluntates, atque operationes in Christo assereret, atque explicaret; Eutychiana enim haeresis explicata de iis, quae respiciunt in Christo velle, et operari, hoc omnino afferebat, ut una dumtaxat in Servatore nostro voluntas, una operatio intelligi deberet. Iam vero, si Leoni Magno licuit in epistola ad Iulianum Episcopum Coensem affirmare apud Ballerinios t. 2. « Non » alterius naturae erat eius caro, » quam nostra, nec alio illi quam » ceteris hominibus anima est in- » spirata principio, quae excelleret » non diversitate generis, sed subli-

» mitate virtutis. Nihil enim carnis » suae habebat adversum, nec dis» cordia desideriorum gignebat com» pugnantiam voluntatum. Sensus » corporei vigebant sine lege pec» cati, et veritas affectionum sub » moderamine Deitatis, et mentis, » nec tentabatur illecebris, nec ce» debat iniuriis, » In epistola autem 25 eodem tom. cap. 4 ad Flavianum Episcopum Constantinopolitanum, « In integra, ait, veri ho» minis, perfectaque natura verus na» tus est Deus, totus in suis, totus » in nostris. Nostra autem dicimus, » quae in nobis ab initio creator con» didit, et quae reparanda suscepit. » Nam illa, quae deceptor intulit, » et homo deceptus admisit, nullum » habuere in Salvatore vestigium. » Nec quia communionem humana» rum subiit infirmitatum, ideo no» strorum fuit particeps delictorum: » assumpsit formam servi sine sorde » peccati. » Si Leoni Magno, inquam, licuit contra Eutychianos disputanti, haec de Christi voluntate propugnare, quid est quod Honorio crimini vertatur, in eadem ferme controversia, ea, quae diximus, de una Christi humana voluntate praedicare?

Scio adversarium contendere de una humanitatis voluntate Honorii verba intelligi non debere, quod vere dici non possit duas in homine esse voluntates, quarum utraque inter se pugnet, sed una, etiam in homine corrupto voluntas sit, quae bonis, depravatisque affectionibus excitetur. Verum scio etiam hanc duarum voluntatum in homine corrupto distinctionem iure fieri, et perpetuo factam esse, ut fateri depravati homines debeant, sentire se in membris suis aliam legem repugnantem legi mentis suae, quin inde sequatur novam quandam in anima humana facultatem induci oportere.

Scio eundem adversarium conari ostendere nullam esse Ioannis Abbatis auctoritatem, quo Honorius usus erat tamquam scriba in epistola sua ad Sergium facienda; quique apud Maximum M. in ep. ad Marinum presbyterum, et in disput. cum Pyrrho, ita Honorii locum superius adductum explicat: « Unam voluntatem diximus in Domino, non Di» vinitatis eius, et humanitatis, sed » humanitatis solius. Cum Sergius » scripsisset, quod quidam duas vo» luntates in Christo contrarias di» cerent, rescripsimus: Christum » non duas voluntates contrarias ha» buisse, carnis, inquam, et spiritus, » sicut nos habemus post peccatum, » sed unam tantum, quae naturali» ter eius humanitatem signabat. » Quid est tam leve, quam affirmare huius hominis testimonium hac in re grave non esse, quod sui ipsius apologiam pertractasse eo in loco censendus sit? An quoties homines licet fide digni, et auctoritate praestantes, sui ipsius defensionem suscipiunt, continuo eorum contemnenda est auctoritas? An ex eo quod homines ita comparati, sui ipsius defensionem pertractant, ad fidem faciendam non valebunt, licet ea, quae dicunt, cum rei ipsius, de qua agunt, natura perspicue conveniant? Atqui nihil esse manifestius potest, quam ea, quae Ioannes Abbas affirmavit, non causae suae defendendae gratia fuisse conficta, sed cum universa Honorii epistola convenire, ut inutile prorsus videatur, post illud, quod iam attulimus, aliud quodlibet ex eadem epistola testimonium afferre, quo vera esse evincantur ea, quae Ioannes Abbas affirmavit.

Haec eadem Ioannis IV testimonio confirmantur, qui de memorato Honorii epistolae loco scribens ad Constantinum Imperatorem, inquit: «O» mnes occidentales partes scandali» zantur, turbantur, fratre nostro » Pyrrho Patriarcha per litteras » suas, huc, atque illuc transmis» sas, nova quaedam, et praeter re» gulam fidei praedicante, et ad » proprium sensum quasi sanctae » memoriae Honorium Papam deces» sorem nostrum attrahere festinan-

» te, quod a mente catholici Patris » erat penitus alienum... Decenter » dicimus, et veraciter confitemur » unam voluntatem in sanctae ipsius » dispensationis humanitate, et non » duas contrarias mentis, et carnis » praedicamus... Secundum hunc igi- » tur modum iam decessor noster » praenominato Sergio Patriarchae » scripsisse dignoscitur... Praedictus » ergo decessor meus docens de my- » sterio Incarnationis Christi, dice- » bat non fuisse in eo, sicut in nobis » peccatoribus, mentis, et carnis » contrarias voluntates. Quod qui- » dam ad proprium sensum conver- » tentes, et divinitatis eius, et hu- » manitatis, unam voluntatem do- » cuisse suspicati sunt, quod veritati » omnimodis est contrarium. » Haec ipsa confirmat Maximus Martyr in ep. ad Marinum Presbyterum, et in disp. cum Pyrrho.

Nihil proficit vero adversarius, cum ait, haec testimonia omnia ad unius Ioannis Abbatis testimonium redigi, eo quod Maximus Martyr haec de Honorii sententia disputet adductus testimonio Abbatis Anastasii, qui Romae rogans Ioannem Abbatem de memorato Honorii epistolae loco, quo de una Christi voluntate sermonem habet, ab illo acceperit, Pontificis sententiam de humanitatis voluntate tantum in Christo intelligendam esse; epistola vero Ioannis IV ad Constantinum Imperatorem, cum ab eodem Ioanne Abbate, Pontificis huius nomine scripta fuerit, nihil aliud habeat, quam toties memorati Ioannis Abbatis testimonium.

Nihil, inquam, adversarius proficit cum ad declinandam horum testium summam gravitatem, ea, quam diximus, utitur argumentandi ratione. Neque enim agebatur de re, quae unius Ioannis Abbatis responso absolvi posset, quod is ad seipsum excusandum adhibere voluisset. De re agebatur, cuius veritatem investigare, et assequi, cuilibet erat in promptu. De epistola agebatur, a Pontifice Maximo scripta quae non inciderat in hominum manus, qui de Honorio excusando laborabant, sed in eorum potestatem venerat, qui cordi habuissent, illam in causae Monotheliticae defensionem adhibere. De epistola denique agebatur, quae nota Constantinopoli erat, et quam consulentes, poterant omnes intelligere utrum Ioannis Abbatis responsio, Anastasio Abbati facta, et Ioannis IV explicatio cum eadem conveniret. Nego tandem Maximi Mart. et Ioannis IV testimonium nihil aliud esse, quam Ioannis Abbatis auctoritatem. Maximus Mart. rerum Monotheliticarum peritissimus erat, neque ita comparatus, ut Ioannis Abbatis responsioni confidere vellet, si illam gravem non esse per se non intellexisset. Ioannes IV vero, etsi in epistola sua ad Constantinum Imperatorem conscribenda, usus sit Ioannis Abbatis opera, non idcirco eiusdem epistolae auctor non fuit, cum nomine suo illa ad Imperatorem missa sit, cumque et ipse potuerit Honorii epistolam legere, neque difficile ei fuerit intelligere, utrum decessor hic suus, de humanitatis voluntate in Christo, an de humanitatis simul et Divinitatis voluntate pronuntiaverit.

Non video autem, quomodo adversarius hanc adhibendam putaverit argumentandi rationem, ut Ioannis IV auctoritatem declinaret. Si enim ille hanc Ioannis IV epistolam, potius apologiam a Ioanne Abbate ad se ipsum excusandum litteris proditam, quam Ioannis IV Pont. Max. epistolam esse iudicat, quid est quod prima epistola, quae Honorii nomine scripta, et in Synodo 6 recitata est, tantopere abutitur, ut inde efficiat Honorium ipsum Monotheliticos errores amplexum esse? Quis enim fuit is, cuius opera Honorius usus est in sua illa epistola ad Sergium Constantinopolitanum conscribenda? Nonne idem Abbas Ioannes? Id omnino est exploratissimum, et diserte traditur a Maximo Martyre in epist.

ad Marinum Presbyterum, ubi refert sermonem ab Anastasio Abbate cum Ioanne Abbate Romae habitum de explicando eo loco, quo Honorius de una loquutus est Christi voluntate. « Anastasius Abbas, ait Maximus, e » seniore Roma reversus... qui asse- » rens, quod multum sermonem mo- » verit ad sacratissimos illius Eccle- » siae viros propter epistolam, quae » ab eo (Honorio) fuerat ad Sergium » scripta, percontans cuius rei gra- » tia, vel qualiter inserta in ea fue- » rit una voluntas, et invenit hae- » sitantes in hoc, et rationem red- » dentes, insuper et eum, qui hanc » per iussionem eius, latinis dicta- » verat dictionibus, dominum, vide- » licet, Abbatem Ioannem sanctissi- » mum Symponum. »

Iam vero quae adversarii nostri constantia est? Si epistolam a Ioanne IV scriptam nihili ducendam arbitratur, quod a Ioanne Abbate profecta sit, sique illam non Ioannis IV Pontificis, sed Ioannis Abbatis testimonium continere putat, cur nihil de Ioanne Abbate loquitur cum de Honorii epistola disputat? Cur illam non Ioannis Abbatis testimonium, sed prorsus Honorii Pontificis sententiam referre contendit? Cur nos non possumus, eandem adhibentes agendi rationem, qua adversarius utitur cum de Honorii epistola pertractat, non quaerere, quis Ioannis IV epistolam composuerit, sed cuius nomine, et auctoritate scripta sit? Quianam, si Ioannis IV epistola aliud afferre non est existimanda, nisi Ioannis Abbatis sententiam, et testimonium, quianam, inquam, si quid in Honorii epistola reprehendendum est, id Honorio quidem, et non Ioanni Abbati, qui et illam exaravit, tribuendum est? Sed haec omittamus, et adversarium ad haec tam levia devenientem, ut causam non bonam tam inepta argumentatione peiorem faciat, relinquamus. Necesse enim non esse putamus ostendere, nihil esse tam notum, tamque apud omnes exploratum, quam in litterarum auctoritate, et gravitate definienda, non quaeri debere quis epistolam digesserit, sed cuius decreto, ac nomine tantum epistola confirmetur.

Illud adiungam dumtaxat, quod ad Honorium defendendum omnino facere in hoc negotio manifestum est. Adversarius enim, quem toties memoravimus, ut omnino concludat, hunc Pontificem haeretico sensu Sergio scripsisse ea, quae nuper indicavimus, contendit, hoc ex eo patere, quod Honorius secundum propositam a Sergio quaestionem responderit. Cum vero manifestum sit, Sergio haeretico sensu de una Christi voluntate loquutum fuisse, eadem igitur sententia Honorium de una Christi voluntate disputasse adversarius concludit.

Verum non intelligo, quomodo haec affirmari, et demonstrari ab adversario possint. Quae sententia Honorii fuerit, ex eiusdem epistola explicandum est. Eam epistolam, catholicam doctrinam tradere non modo ex eiusdem contextu perspicuum est, verum etiam ex Maximi M., Ioannis Abbatis et Ioannis IV testimoniis superius adductis. Ad Sergii epistolam quod pertinet, non est dubium, eam Monotheliticos errores tradere, etiamsi summa calliditate, et imprimis subdole scripta sit. Atque ut de iis tantum loquamur, quae Sergius scripsit de una Christi voluntate, nonne ita callide de ea re Sergius pertractat, ut sollicitus tantum videatur de excludenda in Christo pugna voluntatum? Nonne inde iure causam desumere Honorius potuit de una quidem Christi humanitatis voluntate disputandi, ut perspicuum esse ostenderet, nullam in humanitate Christi pugnam fuisse, neque esse potuisse?

Profecto Sergius cum in sua epistola conatus esset demonstrare duarum operationum voces reiiciendas esse, consilium suum explicare ita prosequitur, quod « insuper, ait, et » consequens sit praedicare duas vo-

» tuntates, contrarietates circa in-
» vicem habentes, tamquam Deo, qui-
» dem Verbo salutarem volente adim-
» pleri passionem, humanitate vero
» eius obsistente eius voluntati, et
» resistente, et perinde duo contra-
» ria volentes introducantur, quod
» impium est. Impossibile quippe est
» in uno, eodemque subiacenti duas
» simul, et erga hoc ipsum contrarias
» subsistere voluntates. Nam saluta-
» ris Deum gerentium Patrum doctri-
» na manifeste instruit, quod num-
» quam intellectualiter animata Do-
» mini caro, separatim, et ex appetitu
» proprio, contrario nutui uniti sibi
» secundum subsistentiam Dei Verbi
» naturalem motum effecit.» Apparet igitur ex ipsa Sergii epistola, oblatam Honorio occasionem esse de una Christi voluntate disserendi, verum de una voluntate humanitatis solius.

Post ea, quae hactenus disputavimus, non oportet nos immorari in iis refellendis adversarii animadversionibus, quas exponit, ut Honorium Pontificem in errores monotheliticos lapsum esse demonstret. Patet enim ex iis quae exposuimus quantopere a veritate abhorreat, ex ipsis Honorii epistolis argumentum desumi iure posse, quo illum haereticum monothelitam fuisse ostendatur. Explicavimus enim, quae ille scripsit de una Christi voluntate intelligi de humanitatis simul, et Divinitatis voluntate non posse; sed de unius tantum humanitatis voluntate accipienda esse. Monothelitae autem unam dumtaxat in Dei Verbo incarnato voluntatem asserebant. Ostendimus, Honorium concessisse quidem Sergio ab unius vel duarum operationum vocibus abstineri posse, sed diserte ostendisse ac praedicasse, in una Divina persona in Christo, duas operationes humanitatis, et divinitatis credi omnino oportere. Eam autem sententiam perpetuo tradit Honorius in omnibus iis locis, quae appellat adversarius, prout Pontificis eiusdem epistolas legenti perspicue occurrit, quae loca omittimus, ne longior quam necesse sit evadat nostra disputatio.

Monothelitae vero non modo duarum operationum voces reiiciebant, verum etiam impudenter denegabant duas in Christo operationes intelligendas esse. De vocis autem silentio dumtaxat, non autem de re ipsa, accipi Honorii epistolas debere, praeter ea quae iam adduximus, id luculenter evincit, quod non modo duarum, sed etiam unius operationis voces relinquendas Grammaticis Honorius affirmaverit. Si enim non de voce tantum non adhibenda, sed de re ipsa intelligendus Pontifex esset, sequeretur, non solum duas, sed etiam unam in Christo operationem denegasse. Id vero non modo non Catholicum, non Monotheliticum erat, sed nec cum alio quolibet systemate componi potuisset, atque absurdum dumtaxat, et incredibile fuisset ab omnibus iudicandum.

Venio igitur ad alterum argumenti genus, quo ad Pontificem hunc haereticum fuisse evincendum Adversarius abutitur, ad ea, scilicet, quae in Concilio sexto generali decreta contra Honorium fuerunt. Atque hoc loco quaerere primum ab adversario possem, ut aliquod nobis Concilii sexti testimonium afferret, quo diserte dicatur, Pontificem vel Monotheliticos errores tradidisse, vel ob eam prorsus causam damnatum esse. Neque enim quaerimus dumtaxat, utrum Honorii epistolae ab Concilii VI Patribus reiectae fuerint, atque utrum Honorius demortuus, sit ibi revera damnatus, sed causa haec nostra in eo tota versatur, ut quoniam adversarius ex Synodo sexta demonstrari contendit, eum haereticum Monothelitam fuisse, docere debeat eius epistolas improbatas, et Pontificem damnatum in ea Synodo ob Monotheliticos errores esse. Atqui nullum eiusmodi adduci ex Concilii sexti actis testimonium potest.

Nonne vero afferri perspicua causa potest, cur Honorius damnatus sit, quin eum ob haeresis crimen damna-

tum fuisse statuamus? Concesserat Honorius Sergio id, quod ad Monotheliticas res iuvandas Sergius ipse maxime opportunum esse intellexerat. Homo enim imprimis callidus praeclare sentiebat, si R. Pontificis iussu indictum silentium esset circa unius, vel duarum operationum voces adhibendas, facile sibi esse futurum errores sectae suae propagare. R. autem Pontificis fuisset, Sergium diserte adigere ad duarum operationum vocabulum omnino usurpandum, praesertim cum Sophronius ostendisset, quam iniqua essent Sergii consilia. Id si Honorius fecisset, non tradidisset quidem luculentius, quam revera in epistolis suis exposuit, dogma de duabus operationibus, sed Episcopum Constantinopolitanum ceterosque Monothelitas repressisset, qui impetrato illo, de unius, vel duarum operationum vocibus omittendis, decreto, sibi proposuerant demonstrare, Pontificem Maximum eorum sententiae favere.

Fuissent Honorio ea prae oculis habenda, quae Caelestinus I in epistola ad Episcopos Galliae scripserat. « Timeo ne connivere sit, hoc tacere; timeo, ne magis ipsi loquantur, qui permittunt taliter loqui. In talibus rebus non caret suspicione taciturnitas.... Merito namque causa nos respicit, si silentio faveamus errori. » Haec, inquam, agendi ratio habenda prae oculis Honorio fuisset, non quod aperte, dilucideque non demonstraverit catholicam doctrinam de duabus operationibus, sed ut in iis rerum adiunctis, abstinendum sibi omnino esse intelligeret a silentio illo imperando, de quo tantopere Sergius laborabat. Haec cum Honorius non fecisset, habitus est a Patribus Concilii sexti tamquam Pontifex, qui muneris sui partes non expleverit, et dignus est iudicatus, qui damnaretur, quod catholicae Ecclesiae causam, qua necesse fuisset diligentia, non egisset, quodque haereticorum consilia conniventia sua iuvisse visus sit.

Haec, quae per se manifesta sunt, eorum testium etiam auctoritate confirmari perspicue possunt, quibus certa profecto, et explorata causa fuit, cur Honorius in Synodo sexta condemnatus sit. Etenim ii non ob haeresis crimen damnatum esse hunc Pontificem memoriae prodiderunt, sed quod negligentia, et conniventia in Monothelitica causa usus fuisset. Tale est testimonium ab ipso adversario nostro adductum, ex Constantini Pogonati edicto depromptum, quo decreta Concilii sexti servanda esse iussit. Eo enim in loco Imperator, cui res in concilio sexto gestae notissimae erant, eo quod plerisque eiusdem Concilii actionibus interfuerat, et nihil, eo inconsulto, actum in illo Concilio ab Episcopis erat, eo, inquam, in loco Imperator Monotheliticae sectae principes, tamquam haeresis auctores a Concilio sexto anathematizatos damnat, Honorium autem post eos damnatos numerat, tamquam Monothelitarum *fautorem, adiutorem, et confirmatorem.*

Leo II vero, qui sexti Concilii acta confirmavit, qui a Legatis suis iam acceperat, et diserte cognoverat, quae in eo Concilio gesta fuissent, aperte declarat in epistola ad Hispaniae Episcopos, Honorium, ideo fuisse in eo Concilio condemnatum, quod ob suam in Monothelitica causa negligentiam, haeresim fovere visus fuisset. « Condemnatione, inquit, fundati » sunt Theodorus Pharanitanus, Cy» rus Alexandrinus, Sergius, Pyr» rhus, Paullus, Petrus Constantino» politanus cum Honorio, qui flam» mam haeretici dogmatis, non ut de» cuit apostolicam auctoritatem, in» cipientem extinxit, sed negligentia » confovit. »

Exsistit ex his responsio, qua explicari ea loca debeant, quae ab adversario ex memorati Concilii actis afferuntur, ut evincat, Honorium ab ea Synodo damnatum omnino tamquam haereticum Monothelitam fuisse. Verum ut ad singula adducta loca nonnulla dicamus, non est ne-

cesse longa disputatione efficere, verba illa, quae ex act. 13 allata sunt, accipi debere, non de errore aliquo Monothelitico ab Honorio probato, sed dumtaxat de negligentia illa, et conniventia, qua ad morem Sergio gerendum permotus est, de unius vel duarum operationum vocibus praetereundis. Affirmant enim Patres ea in actione, Sergii, et Honorii epistolas continere doctrinas falsas, et traditioni contrarias. At certum omnino est, diversa ratione id pronuntiatum fuisse de alterutrius epistolis. Etenim Sergii litterae ab Apostolorum traditione abhorrebant, et falsas doctrinas omnino praedicabant, cum nefaria haeresis Monotheliticae dogmata in iis traderentur. Honorii vero epistolae catholicam prorsus, et haeresi Monotheliticae contrariam doctrinam tradebant, quemadmodum aliquando superius est demonstratum. In eo autem tantum huius Pontificis epistolae videri poterant ab Apostolica traditione, et disciplina alienae, quod, cum ea traditione et disciplina receptum sit, ut fortiter fidem defendamus, omniaque timida, et ignavia consilia in eius negotio pertractando declinemus, ibi Honorium reperiatur Episcopi Constantinopolitani callidissimo consilio assensum esse, et inopportunum, praeposterumque silentium, de duarum operationum vocibus adhibendis decrevisse.

Atque haec quidem eadem sententia est eorum verborum, quibus memorata actione, latine reddita, refertur, Patres Concilii sexti invenisse, Honorium in omnibus mentem Sergii sequutum esse. Eius scilicet consilium sequutus est, de silentio illo indicendo, quemadmodum disertius habetur eadem actione, graece scripta, qua lingua actorum originale exemplum compositum est. Etenim secundum actionis 13 locum graecum, Patres affirmarunt tantummodo se invenisse Honorium Sergii consilio fuisse famulatum. Hoc autem et nos concedimus, et ex Honorii epistolis perspicuum est, Sergii consilio Pontificem obsecundasse de memoratis vocibus praetereundis, quin inde sequatur haereticae Sergii doctrinae aliquando illum assensum esse, a qua perpetuo eum abhorruisse, ipsae eiusdem litterae ad Sergium manifeste demonstrant.

Neque quod Honorius haereticus act. 16 appellatus sit, id ostendit, eum revera Monotheliticos errores amplexum esse. Primo enim, id cum facto ipso pugnat, de quo disputamus; cum epistolis scilicet Honorii, ex quibus tota in eum accusatio desumpta est, quaeque non modo Monotheliticos errores non probant, verum etiam eos omnino refellunt. Deinde constat invidiosam huius appellationis significationem, eo in loco, illam dumtaxat esse, ut hominem indicet, qui licet haereticas sententias non tueatur, tamen iis faveat, qui eas retinent, earumque propagationem aliqua ratione iuvet. Ita locum ilium accipiendum esse, pluribus exemplis ex veteri historia Ecclesiastica depromptis, docere possemus, et manifestum esse contendimus ex superius adductis ad Honorium defendendum argumentis.

Quod denique spectat ad actionis 18 locum, quo post Monothelitas anathematizatos, Honorio anathema dictum est, et deinde iis generatim omnibus, qui unam voluntatem, et operationem in Christo docuerunt, id aliud non demonstrat, nisi nominatim fuisse ibi damnatos, tum eos, qui vere haereticos errores Monotheliticos praedicabant, tum eos, qui illis aliqua ratione favere visi sint, inter quos Honorius appellatus est, denique omnem Monothelitarum turbam ea poena mulctatam fuisse. Patet autem ea ratione illum locum intelligendum esse, ex eo, quod ibi non una, eademque oratione numerentur ii, quibus anathema dicitur, ut solum condemnentur illi omnes, qui vere Monotheliticos errores tuerentur, sed post damnatos nominatim eos, qui ibi recensentur, peculiari sententia anathema in o-

mnes haereticos, et in Monotheliticum vulgus omne sexti Concilii Patres eo loco tulerint.

Scio tandem in epistola Synodali ad Agathonem, Patres de Honorio damnato mentionem fecisse, eum etiam inter damnatos in Monothelitica causa Leonem II, Constantinum Pogonatum Imperatorem appellasse. At ea quae hactenus exposuimus, luculenter efficiunt, illos existimasse Honorium damnatum esse, non quod haereticus Monothelita fuisset, sed quod eorum causa, indicto de memoratis superius vocibus silentio, iuvisse censebatur. Eorum igitur testimonia argumentum, quod adversarius ex Concilii VI actis desumit, non modo gravius non efficiunt, sed potius afferri posse videntur, ut clarius appareat Concilii mentem non fuisse, Honorium tamquam haereticum damnare.

Sed satis haec sint de ista causa. Ea enim, quae attulimus demonstrant universam Emi de La Luzerne argumentationis rationem facile everti. Falsum enim est, ex epistolis Honorii ad Sergium ostendi aliqua ratione, eum haereticum Monothelitam evasisse: falsum praeterea Concilii 6 Generalis acta id umquam ostendere: argumenta vero quae ad Honorium vindicandum afferuntur, sunt eiusmodi, ut non modo non levia debeant iudicari, sed omnino ita sint gravia, ut extra omnem controversiam prorsus constituant, eum perpetuo ab erroribus Monothelitarum alienissimum fuisse, suisque epistolis, doctrinam catholicam Monotheliticae haeresi repugnantem diserte tradidisse. Deceptus igitur est adversarius, cum veterem suam de Honorio sententiam mutandam arbitratus est, et existimavit gravissima argumenta illa esse, quae hunc Pontificem in haeresim Monotheliticam lapsum fuisse doceant.

Deceptus denique vehementer est, ut ceteros praeteream, Potterius, qui cupiditate inflammatus de Romanis Pontificibus detrahendi, tom. 2 cap. 18 pag. 310 operis *l'Esprit de l'Eglise* etc. Bellarminum, Baronium, Pagium, ceterosque irridet, qui Honorium ab omni susceptae haeresis suspicione purgarunt, eosque, ait, sententiam hanc propugnantes, testimoniis hominum, Honorii aetati proximorum, adversatos esse, quae testimonia omnia Pontificem hunc tamquam verum Monothelitam describant, temperantiorem quidem, sed non minus, quam fuit Sergius, Cyrus, reliquique illius generis haeretici, erroribus eiusdem sectae addictum. Haec quam sint a veritate aliena, quam contraria testimoniis scriptorum, qui ea aetate vivebant, qua res gesta est, satis abunde est demonstratum.

CAPUT LXX.

DE HAERESI MONOTHELITARUM.

Permagnam calamitatem Ecclesia passa est saeculo septimo ob excitatam eo tempore, et acriter propugnatam haeresim Monotheletarum, seu ut communiori modo dici solent, Monothelitarum. Cum enim Monothelitae plurimum Constantinopoli gratia et auctoritate valerent, plurimum etiam ad Ecclesiam perturbandam valuerunt. Nam cum Sedes imperii quodammodo a Monothelitis teneretur, clarum est, Catholicos omnes, ac praesertim Ecclesiam Romanam eorundem opera valde vexari potuisse.

Disputarunt quidem inter se eruditi viri, in qua prorsus re, Monothelitarum haeresis proprius error constitui debeat, seu quid illi revera contenderint, quando, denegatis in D. N. I. C. duabus naturalibus voluntatibus, et operationibus, unam tan-

tummodo voluntatem, unam operationem credendam esse affirmabant. Verum apposite inter ceteros doctissimus Petavius *Theologicorum Dogmatum de Incarnatione* lib. 1 cap. 20 affirmavit, ut ex Eutychianorum, Severitarum, ac universe ex Monophysitarum stirpe, velut propago quaedam, Monothelitarum secta pullulavit, ita horum dogma illius appendiculam esse, ac sobolem haeresis, et ex eodem doctrinae fonte profluxisse.

Plura Petavius affert testimonia eorum, qui principes in ea secta fuerunt, quique in haeresi sua explicanda, quod ad rei summam pertinet, Eutychianum errorem ipsum, circa voluntatem, et operationem in Christo exposuerunt, et confirmarunt. Ad hoc ostendendum satis erit haec retulisse verba Cyri Episcopi Alexandrini, et Macarii Episcopi Antiocheni, qui duo certe fuerunt ex fortioribus Monothelitarum ducibus. Ille in anathematismo septimo ex illis novem, quos Alexandriae proposuit ad haereticos conciliandos, ille, inquam, eo loco, ait: « Hunc » ipsum Christum, unum, et filium, » tam illa, quae Deo conveniunt, » quam humana operari unica ope- » ratione *theandrica.* » Macarius vero obstinatissimus Monothelita in perlonga professione fidei, quam attulit act. 8 Concilii sexti « Non il- » lum (Christum), inquit, divina se- » cundum Deum, nec humana secun- » dum hominem egisse, verum, Deum » hominem factum, novam quandam » Deivirilem operationem, eandem- » que totam vivificam ostendere. » Eadem Macarius affirmat de Christi voluntate. Haec Monothelitarum sententia Ecclesiae Catholicae doctrinae erat penitus contraria. In Ecclesiae enim fide continetur, credendas esse in Christo duas naturales voluntates, et duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse, prout ex Sanctorum Patrum doctrina Concilium sextum affirmavit.

Post haec breviter significata, quae pertinent ad ostendendum de qua re quaestio illa tanto animorum motu pertractata sit, nunc praecipua, quae ad eiusdem haeresis historiam spectant, afferemus. Itaque omnibus nota sunt, quae Heraclii anno decimo nono, seu anno Christi 629 evenerunt, ut haeresi isti veluti fundamenta ponerentur. Ab Athanasio enim Patriarcha Iacobitarum, quocum Imperator loquutus erat, post confectum bellum Persicum, et quem hortatus fuerat ad Concilium Chalcedonense recipiendum, ab Athanasio, inquam, Imperator deceptus est et in Monotheliticum dogma factus est proclivis. Tum accesserunt Sergii Constantinopolitani Patriarchae litterae, quae Imperatorem in eodem errore confirmabant. Accesserunt praeterea fraudes Cyri antea Phasidis, tum Alexandrini Episcopi, ac Theodori Episcopi Pharanitani, qu in idem opus incubuerunt. Accessit denique Pseudo-Synodus Alexandrina ab Cyro ipso celebrata anno 633, in qua ad Theodosianos haereticos Acephalos conciliandos, quorum magna copia erat in ea regione, anathematismos illos protulit, unam in Christo operationem affirmantes, quorum superius meminimus.

Sophronius eo tempore aderat Alexandriae, Monachus doctrina, et sanctitate praestans. Is quanto studio potuit, Cyrum rogavit, et precatus est, ut a tali decreto, et ab his praescribendis abstineret. Cum nihil a Cyro impetraret, ad Sergium se convertit, existimans Sergii auctoritate, Cyrum in officio contineri posse, sed nihil a Sergio consequutus est; qui et ipse acerrimus erat Monothelita. Interea, Modesto Episcopo Hierosolymitano circa finem anni 633 mortuo, Sophronius suffectus est, qui Concilium Episcoporum Palaestinae continuo habuit, ex quo Synodicam ad Patriarchas de sua electione pulcherrimam epistolam misit, in qua duas operationes diserte demonstravit, quae epistola in Con-

cilio sexto act. 2 probata est. Misit praeterea ad Honorium I Pontificem litteras de ea causa per Stephanum Dorensem Episcopum perferendas. Tum vero evenerunt quae de Honorio agentes demonstravimus, ut Sergio deprecanti Honorius assensus sit, circa praetereundas duarum, vel unius operationis voces, licet Pontifex dogma catholicum manifeste tradiderit.

Mortuus interea est Honorius die 12 Octobris anno 638. Successor est ei destinatus Severinus, sed is non ante diem 28 Maii 640 Pontifex consecrari potuit, eo quod ob Monothelitarum artes, tamdiu debuerit exspectari Imperatoris confirmatio. Contigerat enim anno 638 exeunte, vel potius 639 ineunte, ut Heraclii nomine, sed Sergii opera, et scriptione *Ecthesis* fidei edita sit, seu *Expositio*, in qua una voluntas, et una operatio in Christo, quasi aliud agendo affirmabatur, sed diserte, et tamquam ex edicti instituto, iubebantur omnes, ab una, vel duabus voluntatibus, atque operationibus abstinere.

Legati Constantinopolim missi ad impetrandam Severini electi confirmationem, illam diu exspectare coacti sunt. Monothelitae enim, qui multum apud Imperatorem valebant, conati sunt Imperatorem ab ea concedenda retardare, antequam novus Pontifex se Ecthesim probaturum esse spopondisset. Id habetur ex epistola Cyri Alexandrini Episcopi ad Sergium Episcopum Constantinopolitanum scripta, quae affertur in Conc. Lateranensi sub Martino I Papa, secretario 3. Missa scilicet Ecthesis est ad Isaacum Ravennae Exarchum, *quam* profiteri deberet *communis frater noster Severinus Sanctissimus, Deo iuvante, qui creatur Romae.* Non dicitur enim qui *creatus est.* Id etiam habemus in epistola S. Maximi ad Abbatem Thalasium, edita a Sirmondo in collectanea Anastasii. « Protulerunt eis dog» maticam chartam, nunc ab eis ex» positam asserentes non aliter vo» bis in capitulo, pro quo tantum » transigentes navigium huc veni» stis, favorem praestabimus, nisi » prius vos suasuros ei, qui sacro» sanctus est, profiteamini, huic char» tae subscribere, et dogmatibus, » quae in ea continentur, exceptis » dilationibus consentire. » S. Maximus ait, Graecos ista petentes a Legatis, in errorem incidisse. Cum enim Legati respondissent, se Ecthesim Pontifici ob oculos delaturos, illi putarunt eos effecturos, ut subscriberet.

Frustra quidem Sedis Apostolicae inimici hoc facto abutuntur, quasi Severinus consenserit haereticis. Habemus enim ex Concilio celebrato sub Martino I, Pontifice isto fatente, eos e sua spe cecidisse. Habemus etiam ex *libro diurno* Rom. Pontificum professionem fidei emitti solitam a novo Rom. Pontifice ante Sextam Synodum generalem. « Pro» fitemur etiam (ita in ea legitur) » cuncta decreta Pontificum Aposto» licae Sedis, idest s. rec. Severini, » Ioannis, Theodori, atque Marti» ni custodire, qui adversus novas » quaestiones in urbe Regia exortas, » profitentes, iuxta duarum natura» rum motum, ita et duas naturales » operationes, et quaecumque damna» verunt, damnamus sub anathe» mate. »

Ex hac autem professione Pagius ad an. 640 concludit, non modo Severinum haeresim Monotheliticam damnasse, verum etiam Synodum habuisse, in qua illam damnaverit. Cum enim in professione fidei dicatur *decreta custodiri,* decreta vero nonnisi synodice tunc temporis a R. Pontifice fieri consuevisse Pagius contendat, ex hoc sequi arbitratur, a Severino Concilium contra Monothelitas habitum esse. Neque obstat, Severini Pontificatum duorum mensium, et dierum quatuor dumtaxat fuisse. Nam Ioannes IV, qui die 24 Decembris anno 640 creatus est, confodit certe synodice Monothelitas

ante mortem Heraclii, qui 11 die Februarii an. 641 mortuus est. Denique in professione illa fidei, eadem prorsus ratione sermo est de decretis contra Monothelitas a Severino latis, qua de Ioannis IV, Theodori, et Martini I decretis.

Sergius hanc Ecthesim confirmavit in Conciliabulo Constantinopoli habito anno 638, quo mortuus est. Eidem suffectus est Pyrrhus Constantinopolitanus Monachus, et Presbyter anno 639. Hic deinde Conciliabulum Constantinopoli quoque habuit ad Ecthesim confirmandam. Constat id ex disputatione cum Maximo, qui cum eum monuisset, ut Monothelitica dogmata damnaret, respondit, si id fieret, damnatum iri etiam *Synodum, se Patriarcha, habitam.*

Eodem anno, quo creatus est Episcopus Pyrrhus, creatus est etiam Papa Ioannes IV. Hic ubi Pontificatum iniit, Synodum Romae habuit, et Monotheliticam haeresim una cum Heraclii Ecthesi damnavit. De hoc Concilio Romae habito auctor est Theophanes ad annum Heraclii 20, et S. Maximus in actis. Probatur etiam id perspicue ex professione fidei, quam iam commemoravimus. Usus vero Ioannes est singulari prudentia in ea Synodo. Abstinuit enim a quoquam nominatim damnando. Id ostenditur ex epistola ad Constantinum filium Heraclii, qua Sergium appellat *reverendae memoriae Episcopum,* et ex dialogo S. Maximi cum Pyrrho, ubi modum hunc tantum reconciliationis esse ait: « alius non est modus, quam taceri personas, et anathemate affici talia dogmata. »

De hac Synodo habita certior factus est Pyrrhus, et Heraclius per eum. Heraclius scripsit de ea re epistolam ad Ioannem Pontificem, in qua affirmavit: « Ecthesis non est » mea, neque enim ego vel dictavi, » vel iussi, ut fieret. Sed cum hanc » Sergius Patriarcha composuisset » ante quinque annos, priusquam ab » Oriente repedassem, deprecatus » est me, cum ad hanc felicem per» venissem urbem, ut nomine meo » proponeretur cum subscriptione, » et suscepi deprecationem illius. » Nunc vero cognoscens, quod qui» dam super ea altercarentur, cunctis » facio manifestum, quia non est mea. » Hanc feci iussionem ad B. Ioannem » Papam condemnantem Ecthesim in » his, quae scripserat tunc ad Pyr» rhum. » Hoc autem testimonium ostendit, Ecthesim Heraclio confictam esse, et Rom. Pontificem de ea damnanda ad Pyrrhum ipsum scripsisse. Ecthesim vero penitus abrogatam fuisse constat ex epistola Constantis ad Ioannem IV, ubi eam igni traditam fuisse docet.

Pyrrho non licuit diutius Constantinopoli inter fraudes immorari. Mortuo enim anno 641 Heraclio, eiusque successore filio post quatuor menses Martinae novercae insidiis sublato, Pyrrhus vocatus est in suspicionem conspirationis cum Martina Augusta, et novo Imperatore renunciato, in eum populus impetum fecit. Fuga in templum salutem petiit, hinc Chalcedonem se contulit, mox in Africam transiecit. Pyrrho autem suffectus est Paullus maioris Ecclesiae Oeconomus, Patriarcha Constantinopolitanus Monothelita.

Eo tempore cum Pyrrhus in Africa versaretur, ibique adesset Maximus Constantinopolitanus Abbas Orthodoxus, auctore praefecto provinciae Gregorio Patricio, et Episcopis, disputatio inter eosdem habita fuit. Felix prima fronte visus est exitus disputationis, poenitens enim Pyrrhus errorem retractavit; et Romam veniens, oblato libello, a Theodoro Pontifice pacem obtinuit. At deinde mendacis ingenii homo, eo rediit, unde regredi visus erat. Theodorus vero Pontifex, prout refert Theophanes, Paulus Diaconus, aliique, « hoc comperto Papa Theodorus, » convocato Ecclesiastico coetu, ad » sepulcrum Principis Apostolorum » accessit, et divino calice expostu» lato, ac vivifico sanguine in atra» mentum stillavit, ac ita propria

» manu depositionem Pyrrhi, et ex-
» communicationem fecit. »

Paullus initio Episcopatus sui subdole ita se gessit, ut ab Theodoro laudes in responsionis epistola meruerit. Quaesivit tamen ab eo Theodorus cur Ecthesim e valvis templi non abstulerit. Questus est etiam de eius facta ordinatione, cum adhuc non legitime Pyrrhus depositus fuisset. Brevi tamen eius fraus comperta est: Africani enim Episcopi apud Theodorum, eum Monothelismi accusarunt, rogaruntque, ut nisi resipisceret, illum damnaret. Misit igitur Theodorus ad Paullum Apocrisiarios cum gravissimis litteris. His Paullus ita respondit, prout Sergius loquutus in Ecthesi fuerat. Verum deinde sibi timens etiam ab Orientalibus, pacem simulavit, Ecthesim deposuit, at *Typum* composuit, adiutus a Constante Imperatore. In Typo erat eadem fraudis ratio, ac in epistola Sergii ad Honorium: sed de Typo contigit id, quod evenerat de Zenonis *Henotico*. Displicuit enim Catholicis, neque placuit Monothelitis. Typus etsi a Paullo compositus, solet tamen Constantis appellari, eo quod Paullus Constantis patrocinio in eo edendo se muniisset. Eo edicto, seu Typo ad faciendam concordiam prohibebatur, ne quis unam, aut duas in Christo voluntates et actiones usurparet.

Visum est nonnullis, et inter ceteros Baronio, Theodorum Pontificem damnasse Typum in ea Synodo, in qua Pyrrhum damnavit. At in eius Synodi actis, nec de Typo, nec de Paullo est quidquam. Fortasse eo tempore ignorabatur Romae, cum critici constituant anno 648 celebratam hanc Synodum, quo Constantinopoli promulgatus est Typus. Praeterea si Theodorus Typum damnasset, certe Imperator, cum creatus Pontifex est Martinus I, non ut is probaret Typum, sed ut eius damnationem revocaret, postulasset.

Theodorus tamen quando Paullum excommunicavit, et deposuit, id extra Synodum fecisse videtur. Deposuisse illum constat ex testimonio Monach. et abb. Graec. recit. secr. 2 Synodi Later. sub Martino I, qui mentionem fecerunt, « Paulli depo-
» siti a praedecessore Vestrae San-
» ctitatis Theodoro ss. rec. Papa ve-
» strae Apostolicae Sedis. » Anastasius vero in Theodori vita, postquam sermonem de Synodo habuisset, et res alias a Theodoro gestas commemorasset, loquitur de depositionis Paulli rationibus. Paullus autem, ubi de Theodori decreto certior factus fuit, ultionem sumpsit de Apocrisiariis Pontificis. Diripuit altare, et oratorium ubi ipsi habitabant: Apocrisiarios eorumque amicos, verberibus, exilio, carceribus affecit. Haec vero non possunt intelligi de Apocrisiariis Martini Pontificis. Nam Pontifex hic loquens de rebus, quae, Pontificatus sui tempore, Constantinopoli evenerunt Monothelitarum causa, conquestus est Apocrisiarios suos corruptos fuisse.

Theodoro mortuo suffectus est Martinus I anno 649, atque ab initio Pontificatus sui, omnes promissionum, ac minarum rationes contempsit sibi propositas, ut Typum probaret. Immo quatuor post menses Concilium in Laterano habuit, quod quinque secretariis, seu consultationibus constat, et habitum est a 5 usque ad 31 Octobris 649, non obstantibus litteris Imperatoris, Exarchi Romae praesentia, ac seditione ab eo excitata.

Condemnati in ea Synodo fuerunt Theodorus, Cyrus, Sergius, Pyrrhus, Paullus cum eorum scriptis, Ecthesis Heraclii, et Typus Constantis. Abstinuit tamen Martinus a condemnandis Imperatoribus. Decreta autem Synodi subscripta sunt a 105 Episcopis. Ab eadem Synodo gravissima Synodica epistola ad omnes ubique fideles scripta est pro fide catholica contra errorem Monothelitarum. Magnam vero fuisse huius Synodi auctoritatem vetera omnia monumenta probant. Ex. gr. in libro Diurno, in tertia formula professionis fidei pro novi Pon-

tificis ordinatione legitur, Pontificem servaturum «praesertim quae a s.me. » Martino universali Papa definita » sunt, et decreta. »

Ut Imperatorem sibi conciliaret, ita inscripsit epistolam ad eundem Martinus de sua Synodo: « Domino » piissimo, et serenissimo, victori, » triumphatori, filio diligenti Deum » Constanti Augusto. » Verum Imperator graviter Martino offensus, sumendam de Pontifice ultionem, Monothelitis instigantibus, omnino decrevit. Itaque Constantis iussu Roma per vim abductus, in Insulam Naxos deportatus est, ex qua deinde Constantinopolim perlatus, in carcerem coniectus, omne calamitatum genus crudelissimum pro fide catholica perpessus, in capitis discrimen adductus, atque in exilium denique missus, miseria aerumnisque confectus, in Cherroneso Taurica die 16 Septembris anno 655 Ecclesiae Catholicae Martyr contra haeresim Monotheliticam obiit. Eodem ferme tempore Maximus etiam, cuius superius mentionem fecimus, martyrio pro Ecclesia Catholica contra Haeresim Monotheliticam functus est. Is nobilissimo genere Constantinopoli ortus, deinde Monasterii Chrysopolitani Abbas, doctrina, et vitae sanctitate praestitit. Acerrimus vero fuit Monothelitarum impugnator, et Martino Pontifici in illa haeresi condemnanda studiosus adiutor. Constantinopolim perductus, postquam plura passus esset, deinde linguae, et dexteri brachii amputatione mulctatus est, tum in miserrimam Lazicorum regionem deportatus, anno 661 mortuus est idibus Augusti, cum natus esset anno circiter 580. Opera istius celeberrimi contra Monothelitas Athanasii, doctissimus P. Combefisius Ord. Praedicatorum, Cleri Gallicani iussu, ex Graeco Latine vertit, ediditque anno 1675 Parisiis, atque eruditissimis dissertationibus, commentariisque ornavit ad illorum temporum Historiam Ecclesiae illustrandam utilissimis.

Ita res Monotheliticae gestae sunt, usque ad Constantini Pogonati imperium, cuius opera, Monothelitarum fortuna non conversa tantum, sed eversa est, prout agentes de Concilio sexto generali videbimus. Ceterum ad plenam huius haeresis notitiam habendam, praeter Baronii annales, et Pagii adnotationes, praeter mox recensitam P. Combefisii operum S. Maximi editionem, et scriptam ab eo *Historiam Monothelitarum*, adeundus Petavius ipse memorato lib. 6 Theol. Dogm. de Incarn. cap. 19 et seqq.; Natalis Alexander in Hist. saec. septimi, ac diss. illud respicientibus; Ioannis Baptistae Bartoli, quondam Episcopi Feltriensis, deinde Archiepisc. Nazianzeni, *Apologia pro Honorio I* aliique.

Antequam tamen hoc praecipuum saeculi septimi Historiae Ecclesiasticae caput concludam, arbitror non futurum esse inopportunum, de ea accusatione aliqua dicere, quae contra gentem Maroniticam allata est a pluribus, et aetate ipsa nostra, immo hoc eodem, quo scribimus anno, renovata est, Monothelitas scilicet, post Concilium sextum, Constantinopoli profligatos, in Montem Libanum, et Anti-Libanum confugisse, atque haeresi sua Maronitas, qui ea loca incolebant, infecisse. Ita quidem Ioan. Laurentius Moshemius, in Inst. H. E. saec. 7 part. 2 cap. 5 parag. 9, aliique contenderunt, atque ex ista accusatione evenit, ut temporibus recentioribus, atque hoc ipso anno, per errorem facti fortasse, non defuerit qui de Maronitarum fide detraxerit.

Fallitur enim non modo Moshemius, sed omnes prorsus, qui contenderunt Monothelitas iis temporibus Maronitas evasisse. Nam putavit Moshemius, atque inde ista tota accusatio deducitur, Maronitas ob hanc a Fide catholica defectionem, *Mardaitas* fuisse appellatos. Atqui certum omnino est non hanc *Mardaitarum* nominis derivationem esse,

Hoc enim nomen inductum est ex ea causa, quod a Constantino Pogonato Imperatore defecerint Maronitae, eo, quod aegre ferrent Imperatoris ignaviam, qui eorum regiones non tuebatur, licet videret occupatam a Saracenis Damascum, Phoeniciam incursionibus vexatam, Libani loca vastari. Igitur arma, Imperatore inconsulto, Maronitae ceperunt, Damascum occuparunt, et ingentem circum cladem, ac depopulationem fecerunt. Hinc *Mardaitae* dicti ex Syriaco verbo *Mrad,* ܡܪܕ *debellavit*, vel ex Arabico *Marada* مرد *Rebellis factus.* Docet id luculenter Faustus Naironus in Diss. *De origine, nomine, ac religione Maronitarum* Romae anno 1679.

In Chronico autem Maronitarum referuntur ea, quae hanc defectionem sequuta sunt; scilicet, Principem Maronitarum, Imperatoris insidiis interemptum fuisse, ei suffectum a Natione, et Episcopis alium Principem, decretum deinde ab iis, ut nullus vel haereticus, vel Saracenus, in Monte Libano habitaret; id factum esse praecipue Religionis Catholicae defendendae studio; vocatam ad arma totam Phoeniciam; 30000 mille militum copias comparatas; Saracenos victos, et e Libano pulsos, itemque omnes haereticos, qui ibi constiterant.

Haec causa fuit, prout Pagius notat ad annum 676 Baronii, cur Maronitas Haeretici Mardaitas vocaverint, ob singulare videlicet illud odium, quo propter haec omnia in eos inflammati sunt. Est etiam opportunum hic commemorare, quae Naironus animadvertit, huius gentis *Mardaitarum*, ante Constantinum Pogonatum nullibi mentionem in historia esse, neque illius deinde mentionem reperiri, postquam Imperatori iterum Maronitae paruerunt. Id, videlicet, ostendit, hoc nomen Maroniticae gentis proprium non esse, seu non idem esse Maronitas, ac Mardaitas appellare.

Sunt etiam ea non dicam confutanda, sed contemnenda, quae afferuntur, ut ipsum S. Maronem, ex quo gens Maronitica nomen suscepit, Monothelitismi reum fuisse ostendatur. Aetas ipsa, qua S. Maro iste vixit, et aetas, qua haeresis Monothelitica orta est, quam hoc falsum sit demonstrant. Sunt vero hic referenda ad manifestam rei confirmationem, quae Benedictus XIV in epist. scripta die 28 Septembris 1753 ad Nicolaum Lercarium tunc Summum Scribam ab Actis S. Consilii Christiano Nomini Propagando, deinde S. R. E. Cardinalem, tom. 4, Bull. eius n. 24, de ea re pertractavit.

Cum enim, amplissimo illo viro referente, Pontifex sapientissimus accepisset, Cyrillum Patriarcham Greco-Melchitam fregisse S. Maronis imagines, eundemque, excitatis gravibus Graecos inter et Maronitas controversiis, declarasse, inter Sanctos haberi non debere, quod haeresi adhaesisset, et in ea haeresi mortuus esset, vehementer commotus est ea narratione Benedictus XIV, quod de homine ageretur, cui, pluribus a saeculis, probante Sede Apostolica, Sanctorum honores tribui consueverant.

Eo autem loco Pontifex eruditissimus commemorat Theodoreti testimonium, qui, cum medio circiter saeculo quinto floruerit, omnem certe auctoritatem facit loquens de Marone, qui saeculo quarto desinente, et quinto ineunte vixit. Labeum deinde, Garnerium, Bollandistas ad diem 13 Februarii testes adhibet, qui Theodoreto fidem omnino habendam esse docent in iis, quae refert in libro de vitis Patrum, Romae autem sub Clemente VIII Pontifice concessum fuisse Missale Maronitarum edi, sed ea conditione, ut Missali S. Maronis vita praemitteretur ex Theodoreti historia deprompta. Commemorat praeterea Pontifex, a S. Ioanne Chrysostomo epistolam n. 36 Maroni scriptam esse, in eaque praeclaras Maronis laudes

commendari, et receptam hanc, tum apud Sedem Apostolicam, tum apud eruditos omnes viros sententiam, Maronem veluti Sanctum coli oportere.

Neque vero ex eo quod Maronitae, aliquando unionem cum Apostolica Sede renovarint, inde sequitur, eos antea ab ea unione defecisse. Affirmat enim Pontifex, hanc renovationem unionis, non defectionis quae antea obtinuerit, sed devotionis tantum, adhaesionis, atque observantiae argumentum suppeditare. Haec satis omnino esse debent ad memoratam accusationem refellendam.

Ad maiorem tamen rei demonstrationem legenda sunt, quae doctissimus Lequienius habet tom. 3 *Orientis Christiani in Ecclesia Maronitarum de Monte Libano.* Nam eo loco a col. 4 ad 40 de ea re eruditissime pertractat, ac calumniam refellit de haeresi Monothelitica, quam gens Maronitica susceperit.

Ostendit autem inter cetera Lequienius, nihili facienda esse ad hanc accusationem probandam, testimonia Eutychii Patriarchae Alexandrini, saeculi decimi scriptoris *lib. 2 Annal.*, vel Guillelmi Tyrii Scriptoris saeculi decimi secundi *lib. 22 Belli Sacri cap. 8.* Nam Eutychii opus mendaciis abundat, et circa factum hoc, de quo sermo est, totam penitus trium saeculorum historiam ille pervertit. Quod vero spectat ad Guillelmum Tyrium, narratio eius non est intelligenda, nisi de quodam Maronitarum numero, qui recentiori tempore, sed brevi, in Monotheliticum errorem inciderit, et Guillelmi aetate illum detestatus sit.

Valde gravis est etiam ad accusationem hanc reiiciendam, eruditissimi viri, et rerum Orientalium peritissimi Scriptoris, Iosephi Simonii Assemanii tom. 2 *Biblioth. Orientalis pag. 293* animadversio. Scilicet ille animadvertit, vetustissima Maronitarum Calendaria continere perspicua testimonia, quibus ostendatur, Maronitas a Monothelitica secta semper abhorruisse. Nam in iis Calendariis, memoria celebratur sextae Synodi, et ferme Sanctorum omnium, qui Monothelitis vehementius restiterunt, Sophronii Hierosolymitani 13 Martii, Andreae Canonographi 4 Iulii, Maximi 13 Augusti, Martini 3 Aprilis. In iisdem tamen Calendariis notat apposite Assemanius, nullum Monothelitarum Patronum recenseri.

CAPUT LXXI.

DE CONCILIO VI GENERALI.

Quae fuerit Ecclesiae Catholicae conditio, quandiu Constantinopoli in urbe Regia, apud Principem, qui Imperio praeerat, Monothelitae omnia arbitratu ferme suo gesserunt, satis constat ex iis, quae mox significavimus, haeresis Monotheliticae historiam referentes. Verum Ecclesia, et Catholici omnes recreati, ac refecti sunt, cum post Constantem mortuum, Constantinus Pogonatus imperium suscepit. Nam statim ab imperii sui initio, signum quodammodo ad bene sperandum elatum Catholicis esse visum est, eo quod haereticis se infensum, et erga Ecclesiam Romanam benevolum se Constantinus demonstraret.

Verum etsi in ea re quodcumque bonum Ecclesia posset a Constantino Pogonato exspectare, bellum tamen gravissimum, quod ab illo cum Saracenis gerebatur, impediebat, quominus totus in Ecclesiae causam incumberet. At factum tandem est, ut bello isto summa felicitate confecto, non modo Respublica, verum etiam Ecclesia respirare, ac gratulari po-

tuerit. De rebus enim Ecclesiasticis componendis continuo cogitavit Imperator.

Itaque scripsit ad Donum Pontificem Romanum epistolam, quae refertur ante acta Concilii VI, in eaque Donum precatus est, ut ad componenda Ecclesiastica negotia, et ad fidem catholicam contra Monothelitas asserendam, universalem Synodum Constantinopoli habendam indiceret. Ea epistola tamen, quam anno 678 Imperator scripserat, Donus tunc demortuus recipere non potuit: eam vero accepit Agatho Pontifex, qui Dono anno 678 suffectus fuit. Id autem, quod rei natura ipsa demonstrat, Constantinus Pogonatus etiam testatus est in litteris ad Georgium Cpolitanum Episcopum. «Iam enim, » ait, super hoc hortati sumus per pios » nostros apices adhuc inter vivos » exsistentem et Donum Apostolicae » Sedis antiquae Romae praesulem. » Et illo ex hoc saeculo migrante » Agatho SSmus nuper ordinatus » Papa in Apostolica Sede praedi- » ctae antiquae Romae, huiusmodi » nostros pios apices suscipiens, de- » stinavit in praesenti, propriam eius » indutos personam Theodorum, et » Georgium Deo amabiles presbyte- » ros, et Ioannem Deo amabilem dia- » conum. »

Agatho Pontifex alacri studio rem ad exitum perducendam curavit. Est autem illud praecipue commemorandum, scilicet Agathonem Episcopis Occidentalibus undique auctorem fuisse, ut una secum in tam gravi negotio pro fide, et Ecclesia laborarent. Quare ad Italiae, ad Galliae, ad Angliae Episcopos scripsit epistolas, eosque hortatus est ad habenda particularia concilia, in quibus de Monothelitico errore damnando tractaretur.

Itaque a. 679 habita est Synodus Gallicana ea de re. Actum est in illa de Monothelitis condemnandis, et de mittendis ad Synodum Romanam legatis Felice Arelatensi Episcopo, et Adeodato Tullensi, ac Taurino Diacono. Id patet ex subscriptionibus Episcoporum, qui interfuerunt Synodo Romanae. «Felix humilis Episcopus » S. Arelatensis Ecclesiae Legatus » venerabilis Synodi per Galliarum » provincias constitutae, in hanc sug- » gestionem subscripsi etc. »

Eodem anno 679 habita est, eodemque fere tempore Synodus Mediolanensis. In ea Synodo Mansuetus Archiepiscopus delegatus est ad Synodum Romanam paullo post eadem de re habendam. Missus est etiam Anastasius Ticinensis Ecclesiae Episcopus ad Synodum Romanam. Hic vero notanda sunt Paulli Diaconi l. 6, c. 4, haec verba, qui postquam loquutus est de Synodo ista Romana, ait: « Eo tempore Damianus Ti- » cinensis Ecclesiae Episcopus, sub » nomine Mansueti Mediolanensis Ar- » chiepiscopi hac de causa satis uti- » lem, rectaeque fidei epistolam com- » posuit, quae in praefata Synodo » non mediocre suffragium tulit. » Quomodo vero Damianus Ticinensis Episcopus scribere epistolam potuit, quae lecta sit in Concilio Romano, cum Anastasius ei adfuerit, subscripseritque tamquam Ticinensis Ecclesiae Antistes? De ea re tenenda est senioris Pagii, et Muratorii sententia, qui putant Paullum Diaconum commemorasse hanc epistolam, veluti a Damiano iam Episcopo scriptam, cum scripta ab eodem fuerit, quando Presbyter adhuc esset, scilicet ante mortem Anastasii, cui Damianus in Ticinensi Episcopatu successit.

Conciliis istis ante Synodi sextae celebrationem habitis adiungi debet Synodus Anglicana ob eandem causam celebrata, de qua Beda in recapitulatione ait: « Anno 680 facta est » Synodus in campo Hedfelda de fide » orthodoxa, praesidente Archiepi- » scopo Theodoro, in qua adfuit Io- » annes Abbas Romanus. »

Feria tertia Paschatis, quae anno 679 cadebat in diem 5 Aprilis, habita est Synodus Romana 125 Episcoporum. Beda l. 5, c. 20. « Quo in

» tempore idem Papa Agatho cum » Synodum congregaret Romae 125 » Episcoporum adversus eos, qui » unam in Domino Salvatore volun- » tatem atque operationem dogmati- » zabant.» Eddius vero in vita S. Wilfridi: « In sancto Pascha, tertia » die ter Beatissimi Agathonis Syn- » odus adversus pravitates Haereti- » corum cum 125 orthodoxis Episco- » pis constituta est.» Non est necesse ostendere, quid actum in ista Synodo Romana fuerit. Manifestum est enim, ibi concordem Episcoporum Occidentalium in Monothelitica haeresi condemnanda sententiam fuisse demonstratam, et ea fuisse gesta, quae ad universalis Synodi celebrationem erant statuenda, atque inter cetera, Legatos Apostolicae Sedis, et Concilii Italici ad Concilium Generale fuisse destinatos.

Post haec, quae diximus, ut operi manus omnino imponerentur, Agatho Pontifex ad Constantinum Pogonatum Imperatorem, ad Heraclium, et Tiberium Augustos epistolam scripsit, qua Synodum Generalem convocavit. Agatho amplissimas in ea facit Imperatoris ipsius laudes. Commemorat habita ea de re concilia particularia, ac Romanum praecipue. Exponit Catholicae Ecclesiae fidem de duabus in Christo operationibus, et voluntatibus; agit de legatis qui Synodo, suo nomine, praesint, eos autem haud ita doctos homines esse ingenue fatetur, id enim temporum, et *provinciae servilis* conditio non patiebatur. Eos vero vehementer Imperatori commendat: « Ut iuxta be- » nignissimam, atque augustissimam » imperialis sacrae promissionem, ac- » ceptione eos dignos efficiat Christi » imitabilis Vestra tranquillitas, at- » que placabiles auditus, eorum hu- » millimis suggestionibus accommo- » dare dignemini. »

Imperator humanissime Legatos accepit, qui Constantinopolim pervenerunt die 10 Septembris 680. Anastasius in vita Agathonis haec habet de ratione, qua ab Imperatore legati excepti sunt: « Et dans inducias ad re- » tractanda scripta, tribuit eis omnia, » quae ad sustentationem sufficiebant » in eorum expensas, in domo, quae » appellatur Placidia, die 18 mensis » suprascripti, die Dominico advocati » sunt in processione ad S. Dei Ge- » nitricem in Blachernas, in tanta » honorificentia, ut etiam in Palatio » caballos stratos dirigeret cum ob- » sequio pietas imperialis, et sic eos » dirigeret. »

Dies, quo legati ingressi sunt Constantinopolim statuendus est omnino decimus mensis Septembris 680. Id patet contra Anastasii locum, in vita Agathonis, ubi legitur, eos ingressos esse die 10 mensis Novembris. Hunc Anastasii locum depravatum esse apparet, tum quod die 7 Novembris inceperit Synodus sexta Generalis, atque ex ipso Anastasio constet, post eorum adventum in Urbem, diu illic commoratos esse antequam synodus inciperetur. Ex testimonio autem, quod mox retulimus, patet eos honorifice deductos, id autem, synodo iam incepta, factum non est. Deinde habemus Sacram Divalem missam a Constantino ad Georgium Patriarcham Constantinopolitanum, in qua refertur, Legatos iam in Urbem advenisse; verba Divalis Sacrae sunt: « Qui et nunc ad nostra pervene- » runt vestigia porrigentes nobis et- » iam duas suggestiones, unam qui- » dem eiusdem S. Agathonis Papae, » alteram vero Concilii eius. » Et commonet Georgium Imperator, ut Episcopos Constantinopolitano throno subiectos ad Synodum vocet. Ea vero Sacra Divalis data est 4 idus Septembris, legati igitur eo die iam Constantinopolim pervenerant.

Sexta Synodus habita est in Trullo. Ducangius in *Constantinopoli Christiana* lib. 3, pag. 32, explicat quid sit Trullus, seu Trullon. Ait igitur esse ingens Hemisphaerium quatuor maioribus arcubus incumbens, quod Trullum vocant, seu aedificium rotundum, ac teres, quod in immensam altitudinem educitur.

Huius paries in orbem ferebatur, sustinebatque testudinem orbiculatam. Ita, inquam, erat efformatum, ut nempe latior inferior in sphaeram desineret. Hic locus, ubi habita est Synodus sexta, in vita Agathonis dicitur *Basilica,* apud Anastasium vero *Palatium* in vita Leonis II.

Incepta est igitur Synodus sexta eo, quo diximus die, scilicet duos post menses, ex quo sacra Divalis ad Georgium missa est. Tantum enim temporis exspectandum iure fuit, cum postquam recepisset Sacram Divalem, Georgius Episcopos Patriarchatui suo subiectos vocare debuerit, ii vero Constantinopolim pervenire.

Itaque convenere Episcopi circiter 170. Primum locum Legati R. Pontificis obtinuerunt. Constantinus ipse interfuit undecim primis Actionibus, et postremae. Ceteris adfuere Proceres, et Magistratus, ordinis custodiendi causa. Ex universis autem Concilii actis constat, Agathonem vere per Legatos suos Concilio praefuisse, et secundum sententiam ab Agathone explicatam, fidei dogma contra Monothelitas definitum esse, duas videlicet in Christo voluntates naturales, duas operationes credi oportere. Legi potest Natalis Alexandri diss. *De convocatione, et praesidentia VI Concilii Oecumenici.*

In prima actione primi omnium loquuti sunt Legati R. Pontificis, ac congregatam fuisse Synodum praedicarunt, refellendae novitatis gratia, quam Patriarchae Constantinopolitani in Ecclesiam inducere conati sunt. Iussit Imperator Legatis ab adversa parte responderi, ac Macarius Patriarcha Antiochenus, cum ceteris Monothelitis clamavit, id Constantinopolitanos praesules praedicasse, quod non novum esset, sed depromptum ex Patrum, et Conciliorum definitionibus. Imperator ait non passurum se residere in concilio Macarium, nisi quae dixerat aperte probasset. Petiit ergo Macarius afferri codices ex Patriarchio, in quibus quinque Synodi descriptae erant. Lecta est in 1 actione Synodus Ephesina, ac confutatus Macarius, qui de una tantum voluntate interpretabatur quae ex ea Synodo legebantur, et minime probabant unam voluntatem ab Ephesina Synodo fuisse praedicatam. In 2 actione lecta sunt acta Synodi Chalcedonensis, et vehementer ex Epistola S. Leonis reprehensa est Macarii impudentia.

In 3 actione allata sunt acta Synodi V, in cuius exordio cum legeretur epistola Mennae Constantinopolitani ad Vigilium, in qua una asserebatur Christi voluntas, Legati intercesserunt, ac clamaverunt, eam a Menna Vigilio Pontifici scriptam non fuisse. Rem cognoscere voluit Imperator, et inventi sunt *tres quaterniones in principio libri non habentes subnotationem numeri, et dissimiles esse litteras.* Imperator hanc epistolam omitti iussit, ac cetera legi ex V Synodo. Ubi perventum est ad lectionem septimae actionis quintae Synodi et recitatae sunt litterae Vigilii ad Iustinianum, et Theodoram Augustam, clamaverunt Legati: *Non faciat Deus, Domine. Non dixit Vigilius unam operationem. Non sunt libelli Vigilii: falsatus est hic liber:* et Patres statuerunt codicem cassari in locis, in quibus depravatus est, et anathema dixerunt libellis, qui dicuntur scripti a Vigilio ad Theodoram Augustam, et Iustinianum.

Observat Pagius ex illa Legatorum intercessione, atque ex anathemate dicto a Patribus libellis Vigilii, non sequi eorum imminui auctoritatem. Ex editione quintae Synodi Balutiana Conciliorum tom. 1, atque ex controversia agitata tres ante Concilium sextum annos, inter Theodorum Patr. Const. et Macarium, atque ex codice graeco, revera constat eos libellos Vigilium scripsisse, et Constantinopoli asservatos esse. Legatos igitur dicendum est, aut usos fuisse codice, in quibus libelli illi non exstabant, aut non satis explicate eam rem illos cognovisse.

Praeterea constat ex actis, quanam de causa Legati lectioni intercesserint. Ubi contigit, ait Baronius, percurri scripta Vigilii in anathematismo adversus Theodorum Mopsuestenum, quod non confiteretur unam in Christo personam, lectum fuit ex additamento Monothelitarum *et unam operationem.* Legati igitur clamaverunt falsatum esse librum, ac Patres *conclamarunt, ex Monothelitarum vocabulis adversus recta dogmata haec interiecta esse.*

Tunc reprehensus est Macarius, ac rogatus, ut saltem ex Patribus ea, quae promiserat, probaret. Petiit vero Georgius, eiusque Episcopi legi primum epistolam Agathonis, et Synodi Romanae. Actione 4 epistolae lectae sunt. Actione 5 protulit Macarius duos libellos, quos continere aiebat Patrum pro sua sententia testimonia. Unus illorum lectus est.

Eadem actione 6 lectus est alter Macarii codicillus, ac iussu Imperatoris decretum est conferri testimonia, clamantibus Legatis: « Quae ad » divinitatem pertinent pro dispen- » satione D.N.I.C. protulerunt, quae » posita sunt pro dispensatione, tam » verba, quam sensum detruncave- » runt. Petimus Vestram piissimam » fortitudinem afferri codices, et » demonstramus quae ab eis in his » facta est celatio. »

In 6 actione, quae habita est die 12, 13 Februarii ut satisfieret Legatorum Romani Pontificis voluntati, et Imperatori, lecta sunt testimonia Patrum: *Legati protulerunt codicem inscriptum, testimonia Sanctissimorum Patrum demonstrantia duas voluntates, et duas operationes.*

Actione 7 Georgius collatione facta testimoniorum, se haeresim Monotheliticam detestari professus est. Lecta vero, ac considerata testimonia a Macario producta, cum invenirentur falsata, compulsus est haeresim abiurare. Ille vero respondit: « Non » dico duas naturales voluntates, aut » duas naturales in I. C. incarnatio- » nis dispensatione operationes, nec » si membratim incidar, et mittar » in mare. » Episcopi igitur clamaverunt: *Haereticum se ipsum manifeste demonstravit. Novo Dioscoro anathema. Huiusmodi deponatur. Novum Dioscorum foras mitte. Novo Apollinari malos annos. Merito ab Episcoppatu alienetur. Nudetur circumposito pallio.* Ei sic deposito suffectus est Theophanes Abbas Siculus. Act. 8 Stephanum discipulum Macarii *cervicibus a s. Synodo clerici Romani eiicientes expulerunt.* Ea ratione vero, condemnati sunt pertinaces haeretici, ii contra, qui resipiscere visi sunt, fuerunt absoluti. Deinde actum est de condemnandis iis, qui vel haeretici mortui erant, vel fautores haeresis fuerant.

In ceteris actionibus, fidei professio edita est contra Monothelitas. Tum scripta est epistola ad Agathonem more maiorum confirmationis petendae causa, ac rogatus Imperator, ut edicto suo Concilium servandum iuberet. Absoluta vero actione 18, Synodo finis die 16 Septembris anno 681, impositus est. Non multo post mortuus est Agatho Pontifex, et cum ei successisset Leo II, is accepta epistola, quae ad praedecessorem suum scripta fuerat, atque ea, quae ad ipsum missa est una cum Concilii actis, quae Legati Romam attulerant, Concilium confirmavit. Id vero ille fecit litteris ad Constantinum Pogonatum, ad Ervigium Hispaniae Regem, atque ad Hispaniae Episcopos. Accessit his Imperatoris edictum, quo Concilii decreta servari iussit.

Quod ad summam rerum spectat in Synodo sexta gestarum, ea, quae hactenus exposuimus, satis esse possunt, ut inde, quid Synodus illa contineat, intelligatur. Volumus tamen hic animadvertere, sententiam illam non posse probari, quam ad Honorium I Pontificem defendendum, scriptores aliqui propugnarunt, videlicet sexti Concilii acta in iis locis esse vitiata, in quibus de Honorii ipsius condemnatione sermo est.

Doctissimus Mamachius tomo 6 *Orig. et Antiq. Christianarum* §. 5, in quo de Honorii causa fuse pertractat, scriptores commemorat, quibus visum est opportunum eam sententiam amplecti ad Pontificis defensionem. Sed eodem loco vir eruditissimus argumenta perstringit, quibus sententia ista refellitur. Nam est incredibile prorsus, Legatos Romani Pontificis passos esse, sibi acta Synodi vitiata tradi, quae Romam afferrent, ut confirmarentur. Incredibile, immo nulla ratione contingere potuit, ut si acta illa vitiata non erant quando a legatis accepta sunt, vitiarentur deinde, et actorum depravatio accideret in ipsis Romanae Ecclesiae tabulariis. Concedi praeterea nullo modo potest, Monothelitas adeo fuisse felices, ut codices ii solum remanerent, in quibus depravatio actorum Concilii sexti contineretur; reliqui vero, qui in catholicorum erant potestate, omnes interierint.

His addendum est, litteras Leonis II ad Constantinum Pogonatum, ad Ervigium Hispaniae Regem, ad Episcopos Hispaniae de Concilii sexti confirmatione, testimonia perspicua afferre, Pontifici Leoni persuasum fuisse, a Concilio sexto revera Honorium esse condemnatum. Idem de septima, idem de octava Synodo dicendum est, in qua postrema Hadriani II Romani Pontificis alloquutio tertia ad Romanam Synodum lecta fuit; qua in alloquutione is affirmaverat, accessisse Sedis Apostolicae consensum circa ea, quae contra Honorium in sexta Synodo evenerant. Haec omnia testimonia essent in dubium revocanda, si memorata superius sententia teneret, vel potius de celeberrimo facto, historiae totius contextus esset evertendus. Quare acta Synodi etiam in memoratis superius locis integra servata esse credendum est. Consulendus est inter ceteros Garnerius append. ad not. cap. 2 Libri Diurni.

Cum causa non factae depravationis Actorum sextae Synodi Generalis, coniungi oportet id, quod statui debeat de litteris Honorii I Pontificis ad Sergium Episcopum Cpolitanum. Existimandum enim omnino est, vere Honorium scripsisse duas illas epistolas ad Sergium, de quibus egimus in Pontificis eiusdem causa pertractanda, neque concedi potest eas fuisse vitiata. Bartolus quidem, ut ceteros omittam, in recensita superius *Apologia pro Honorio,* ex duabus illis epistolis alteram vitiatam, alteram confictam fuisse iudicavit. Sed sententia ista probari non potest.

Nam Honorii litterae in concilio sexto coram Legatis Sedis Apostolicae, et Concilii Italici sunt recitatae, accurata comparatione facta cum exemplo litterarum, quod in Constantinopolitanae Ecclesiae tabulario exstabat. Legati vero diligentissime functi sunt munere suo in ea synodo; neque passi certe fuissent, aliquid Pontifici tribui, quod Pontifici non esset tribuendum. Praeterea certum est, neminem inter Romanos Pontifices, qui post Concilium sextum Ecclesiae praefuerunt, conquestum umquam fuisse, id in Honorii litteris, fraude Haereticorum accidisse, licet in promptu haberent Romanae Ecclesiae tabularium, ex quo facile Monothelitarum fraudem refellere potuissent, et licet pro sua erga praedecessorem Pontificem voluntate, et pro illo, quo animabantur Catholicae causae contra Monothelitas illustrandae studio, id omittere certe non voluissent. Ostendimus vero c. LXIX, concessa etiam litterarum Pontificis veritate atque integritate, eum gravissimis argumentis defendi ab accusatione, qua propter litteras istas impetitus est.

CAPUT LXXII.

DE SYNODO TRULLANA, SEU QUINISEXTA.

Dicenda nunc nonnulla sunt de Synodo, quae Trullana appellatur, quod et ipsa in Trullo celebrata sit, et *Quinisexta* etiam vocatur, et a nonnullis etiam *Erratica* dicta est. Etenim Graeci, qui hanc Synodum habendam curarunt, illam Quinisextam appellarunt, veluti quintae et sextae Synodi Generalis appendicem. Illius enim celebrandae hanc causam attulerunt, quod cum neque in quinta, neque in sexta Synodo disciplinae canones ulli conditi essent, occurrendum esse statuerint huic rei, conditis in hac Synodo disciplinae canonibus, qui ita quintam et sextam Synodum quodammodo absolverent. Verum, ut Pagii verbis utar in critica Baronii ad an. 692 n. 8, unde habuere Graeci, non posse celebrari Synodum Oecumenicam, absque canonum editione, cum eae, ut Leo M. docet, ad extinguendam haeresim, et fidem catholicam confirmandam indicantur? Quae vero esse causa, aut occasio poterat, ut de morum disciplina, vel in quinta, vel in sexta Synodo canones conderentur, cum quinta Synodus nonnisi ad condemnanda tria capitula celebrata sit, sextae autem habendae Synodi ratio esset dumtaxat Monothelitica haeresis condemnanda? Apparet igitur, Synodum Trullanam ea ratione a Graecis fuisse appellatam, ut eidem Synodo, de qua habenda solliciti vehementer fuerant, auctoritatem conciliarent.

Habita ea Synodus est Iustiniani II Imperatoris iussu anno 692. Haec Cardinalis Baronii sententia est, quam veram esse lib. 1 *Historiae Polemicae caelibatus sacri* ostendit eruditissimus Franciscus Antonius Zaccaria cap. 9 n. 1, praesertim in adnotatione 1 ei capiti subiecta, ubi doctissimos etiam scriptores recenset, qui eandem sententiam propugnarunt. Interfuerunt Episcopi 211, ut ex subscriptionibus colligitur. Paullus Episcopus Cpolitanus ei Synodo praefuit. Baronius quidem Callinicum Paulli successorem Concilio praefuisse arbitratur, eamque sententiam Christ. Lupus diss. de *Synodi Trullanae causa, et tempore* amplectitur, aitque existimare se « eius, ut viri infamis, nomen erasum » a posterioribus Synodi patronis, » et intrusum nomen Paulli.» At vero Callinicum nullum antiquorum alicuius criminis reum fecisse notat Pagius in critica Baronii loc. cit. n. 8, et gratis affirmari, nomen Paulli in locum nominis Callinici subrogatum fuisse. Constat autem, Paullum, eo tempore, quo Synodus Trullana habita est, adhuc Episcopum Constantinopolitanum fuisse. Etenim Paullus Constantinopolitanum Episcopatum susceperat anno 686, eumque annos sex, et menses quatuor retinuit, ita ut aliquot anni 693 mensibus Sedem illam adhuc occuparet. Quare eum, non autem Callinicum Synodo praefuisse manifestum est.

Quaerendum est utrum ei Synodo Rom. Pontificis Legati interfuerint. Etenim Balsamon in comm. Nomacanonis Photii, ait: «Synodo, quae in magni palatii Trullo congregata est, aderant Basilius Gortynae Cretae insulae Metropolis Episcopus, et quidam Ravennae Episcopus, totius Synodi Romanae vicem gerens. Et non solum ipsi, sed et qui tunc erant Papae Legati, Thessalonicensis, Sardiniensis, Heracleanus in Thracia, et Corinthius Episcopi. » Verum facile est intelligere, quidnam iudicandum sit de hoc Balsamonis testimonio: haec scilicet falso a Balsamone narrari. Certum est enim Heracleensem Episcopum numquam Apostolica legatione functum esse. Certum praeterea est, neque Thes-

salonicensem, neque Corinthium, Ordinarios Sedis Apostolicae Legatos, neque Ravennatensem, aut Sardiniensem Episcopos Synodo Trullanae interfuisse. Manifesto id colligitur ex catalogo Episcoporum, qui Synodo subscripserunt. Ut enim intelligatur, eos Episcopos a Concilio abfuisse, et eius decretis non potuisse subscribere, inter ceteras Episcoporum subscriptiones non invenitur, memoratos Episcopos subscriptiones suas decretis adiecisse, sed pro subscriptione cuiuscumque ex iis Episcopis, legitur: *Locus Thessalonicensis, locus Heracleensis, locus Sardiniensis, locus Ravennatis*, hoc est missa esse ad eos Episcopos Concilii decreta, ut, quo debebant ordine, nomina sua signarent. De uno Basilio Gortynensi Episcopo verum est, eum Synodo interfuisse, eiusdemque decreta subscripsisse. Etenim inter Episcoporum nomina Synodi decretis adiecta legitur Basilius Gortynae Cretae Insulae Metropolis *Episcopus locum tenens totius Synodi Sanctae Ecclesiae Romanae*. Verum explicandum est, qua legatione tunc Basilius functus sit.

Post habitum Concilium sextum Generale, extinctis iis, quae Monothelismi occasione excitatae fuerant, controversiis, Constantinus Pogonatus Responsalem, vel Apocrisiarium iterum a Sede Apostolica postulavit, sed a Pontifice Leone II petiit, ut libere, et nullis mandatis restricta legatio Apocrisiario concederetur; ita ut Legatus in omnibus quae occurrerent, negotiis, seu fidem, seu disciplinam illa respicerent, Pontificis personam referret. Haec habemus ex Imperatoris ad Leonem II epist. « Hortamur, inquit, vestram sanctissimam summitatem, ut quamprimum mittat designatum ab eo Apocrisiarium; ut is in Regia, et a Deo conservanda nostra urbe degat, et emergentibus, sive dogmaticis sive canonicis, ac prorsus in omnibus Ecclesiasticis negotiis Vestrae Sanctitatis exprimat, ac gerat personam. » Leo II non eam amplam, quam pro Apocrisiariis Imperator poscebat auctoritatem, sed eam, qua antea ii donari consueverant, Constantino Subdiacono concessit. « Exiguum peccatorem Constantinum Subdiaconum, Leo II respondit, Regionarium huius sanctae Apostolicae Sedis, qui cum Legatis Apostolicae memoriae Praedecessoris mei interfuit Sanctae Synodo inibi celebratae, clementia consueta dignum exceptione censeat Vestra Regalis magnanimitas, eiusque suggestionibus aurem pietatis accommodet, ut autem ministrum dignanter suscipiat. »

Ex hoc autem Pontificis responso apparet, Apocrisiarios, et Responsales Sedis Apostolicae post Synodum sextam mitti consuevisse iisdem facultatibus ornatos, quibus antea donari consueverant. Nihil etiam est immutatum circa rationem, qua antea Synodi Romanae Apocrisiarii, vel Responsales Constantinopolim mittebantur. Facultates vero, quas indicavimus, in eo versabantur, ut causas Ecclesiae Romanae proprias apud Imperatorem Apocrisiarii prosequerentur, et pro negotiis fidei, ac disciplinae excubarent. Iurisdictionis vero nullam partem attingebant, nisi ex speciali delegatione, quae aut a Principe aliquando, aut a Summo Pontifice ipsis fiebat. Legati ergo, qui eo tempore quo Synodus Trullana habita est, Constantinopoli morabantur, iis facultatibus potiebantur, quibus praediti fuerant Apocrisiarii ante Synodum sextam Generalem, scilicet munere tantum suggestionis fungebantur.

Etenim Sergius I Romanus Pontifex, qui tunc Ecclesiae universae praeerat, legationem specialem, ut Synodo illi adessent, Apocrisiariis non concessit: neque proprios, ut illi Concilio interessent, Legatos destinavit. Nam extra controversiam esse debet, Sergium huic Synodo repugnasse, eam reiecisse; et quamquam Iustinianus eum flagitaret, ut Synodi

decreta probaret, id illum fortiter recusasse, quemadmodum praeter ceteros luculenter ostendit Baronius ad annum 692 n. 34 et seqq. Proprie igitur appellati Sedis Apostolicae Legati, Synodo Trullanae non interfuerunt.

Quid est tamen, quod Anastasius Bibliothecarius in Sergii I vita refert: « Iustinianus Imperator Concilium in Regia Urbe iussit fieri, in » quo Legati Sedis Apostolicae con» venerunt, et decepti subscripse» runt »? Scilicet haec intelligenda sunt de Ordinario apud Imperatorem Synodi Romanae Ecclesiae Apocrisiario, vel Responsali Basilio Gortynensi Episcopo, qui cum aliquo fortasse Romani Pontificis Apocrisiario, vel Responsali, Synodo Trullanae interfuit, quique ob ordinarium suum Legati munus, tamquam Synodi Romanae vel Romani Pontificis Legatus Constantinopoli habebatur, eaque de causa in subscriptione sua, non quod specialem ullam ad Synodum Trullanam delegationem consequutus esset, sed quod Apocrisiarii munere fungeretur, ea formula uti se posse arbitratus est: *Locum tenens totius Synodi Sanctae Romanae Ecclesiae.*

Praetereo id, quod perspicuum est, si Basilius propriam, atque ut Concilio Trullano adesset a R. Pontifice delegationem consequutus esset, illum, non vero Paullum Constantinopolitanum, ei Synodo praefuturum fuisse. Dicam tantum ea, quae apposite Pagius notat memorato superius loco n.12, scilicet, Legati titulo Basilium ornatum quoque fuisse tempore sextae Synodi, ut patet ex eius subscriptione quae act. 18 habetur, eo tamen titulo auctum tunc non esse, ut una cum ceteris tribus Legatis vices Concilii Occidentalis in ea Synodo impleret, cum nec in litteris Agathonis, nec in epistola Constantini Pogonati inter eos recenseatur. Sed legatio quaedam ordinaria illi concessa fuit, ut Responsalem ageret ordinarium Synodi Romanae nomine, quemadmodum Diaconus a Papa mittendus, responsa Ecclesiastica nomine Pontificis facere debebat. Contigit autem, ut Basilius legationem illam ordinariam post solutam sextam Synodum retinuerit, qua defunctus est in Trullano Concilio. Ex iis autem intelligitur, quomodo Anastasius Sedis Apostolicae legatos huic Synodo interfuisse referre potuerit.

Nunc est agendum de canonibus a Synodo Trullana conditis. Etenim 102 canones illam Synodum edidisse explorata res est apud omnes veteres eruditos, recentioresque scriptores. Inter hos canones reperiri plures laude omnino dignos, vocari in controversiam non potest; verum inter eos sunt nonnulli, qui Ecclesiasticam disciplinam perturbant, Catholicam doctrinam offendunt, et Sedis Apostolicae sacra iura laedunt. Id cum Sergius I Romanus Pontifex intelligeret, cum ad eum Trullanae Synodi canones ab Iustiniano II missi essent, ut auctoritate sua firmarentur, singulari animi fortitudine id efficere recusavit.

Quanta constantia S. Sergius I Imperatori obstiterit, qui hos canones ab eo probari omnino contendebat, quid vero conatus sit Imperator contra Pontificem, quaque ratione ille incolumis fuerit, audiemus, omissis ceteris, ab Anastasio Bibliothecario in Sergii vita: « Qui Beatissimus Pon» tifex penitus eidem Augusto non » acquievit, nec eosdem tomos (qui» bus decreta Concilii continebantur) » suscipere, vel lectioni pandere pas» sus est. Porro eos ut invalidos re» spuit, atque abiecit, eligens ante » mori, quam novitatum erroribus » consentire. Qui Imperator, Sergium » Magistrianum in spretum prae» nominati Pontificis Romam mit» tens, Ioannem Deo amabilem Por» tuensem Episcopum, sive Bonifa» cium consiliarium Apostolicae Sedis » in Regiam abstulit Urbem. Deinde » Zaccariam immanem suum Proto» spatarium cum iussione direxit, ut

» praedictum Pontificem similiter in » Regiam deportaret Urbem. Sed, » misericordia Dei praeveniente, Beatoque Petro Apostolorum Principe » suffragante, excitatum est cor militiae Ravennatis, Ducatus quoque » Pentapolitani....qui non permisere, » Pontificem in Regiam adscendere » Urbem. Cumque ex omni parte multitudo militiae conveniret, Zaccarias Protospatarius perterritus, et » trepidans ne a turba militiae occideretur, portas quidem civitatis » claudi, et teneri Pontificem postulavit; ipse vero in cubiculum Pontificis ingressus tremebundus refugit deprecans lacrimabiliter, ut sui » Pontifex misereretur ... Exercitus » autem Ravennatis Urbem ingressus est per portam B. Petri Apostoli cum armis, et turba in Lateranense Episcopium venit aestuans videre Pontificem....Fores Patriarchii nisi velocius aperirentur, » in terram mittere minabantur. Prae » nimia timoris angustia, et vitae » desperatione Zaccarias Protospatarius, sub lectum Pontificis ingressus, se abscondit; ita ut mente excideret, et perderet sensum. Quem » Beatissimus Papa est confortatus » dicens, ut nullo modo timeret, etc.» Narrat deinde Anastasius S. Sergium ad populi tumultum sedandum, in Lateranense templum descendisse, ibi summa benevolentia populum, et milites amplexum eum esse, et praesentia sua suspicionem illam dissipasse, quae vulgi sermone percrebuerat, eum noctu per vim ab Urbe fuisse avulsum; populum vero ac milites a Patriarchio non discessisse, nisi post Protospatarium incredibilibus iniuriis affectum, ac Roma pulsum; Iustinianum denique, iniqui consilii sui poenam dedisse, cum imperio tunc privatus, et calamitate perculsus sit.

Quid Iustinianus II gesserit, cum imperio iam recuperato, et Ioanne VII Pontificatum gerente de canonibus Trullanis a Sede Apostolica probandis iterum laboravit, quae vero Ioannis VII agendi ratio fuerit in ea re habemus ex Anastasii verbis, quae sequuntur: « Imperator tomos, quos antea sub Domno Sergio Apostolicae memoriae Pontifice » Romam direxerat, in quibus altera » capitula Romanae Ecclesiae contraria scripta erant, per duos Metropolitanos Episcopos demandavit; » dirigens per eos et Sacram, per » quam Pontificem coniuravit, ac » adhortatus est, ut Apostolicae Ecclesiae Concilium congregaret, et » quaeque ei visa essent, stabiliret, » et quae adversa, renuendo excluderet. Sed hic humana fragilitate » timidus hos nequaquam tomos emendans, per suprascriptos Metropolitas direxit ad Principem.» Hoc autem testimonium ostendit, imbecillitatis Ioannem VII accusatum fuisse, non quod Trullanos canones probaverit, et auctoritate sua firmaverit, sed quod eosdem ad Imperatorem iterum mitti passus sit, quin diserte se eos improbare declaraverit.

Nihil de Sisinnio dicam Ioannis VII successore, qui 20 diebus Pontifex fuit. Neque enim Imperator temporis angustiis impeditus afferre molestias ullas Pontifici memoratam ob causam potuit. Ex his vero manifestum est, usque ad Constantini, qui Sisinnio successit, Pontificatum, nullos omnino canones Trullanos a Sede Apostolica probatos fuisse.

Constantinus Romanus Pontifex videtur prorsus fuisse is, qui ex canonibus Trullanis eos tantum non reiecerit, vel etiam probaverit, qui neque catholicae fidei, neque rectae morum doctrinae, neque Romanae Ecclesiae disciplinae, neque vetustioribus, probatisque canonibus adversarentur. Etenim de Constantino Pontifice ab Anastasio Bibliothecario accepimus, eum ab Imperatore Iustiniano vocatum Constantinopolim fuisse, et non modo perhonorifice pertractatum tum in itinere, tum in Oriente esse, sed etiam argumenta ab eodem Imperatore accepisse amicissimae erga Sedem Apostolicam voluntatis.

Nam postquam Anastasius narrasset, eum Roma profectum, Hydrunti hiemare debuisse, ait: « Dum vero » Hydrunti moras faceret, eo quod » hiems erat, illic suscepit sigil- » lum imperiale, continens, ut ubi » denominatus contingeret Pontifex, » omnes iudices ita eum honorifice » susciperent, quasi ipsum praesen- » tialiter Imperatorem viderent. » De ratione vero, qua suam erga Pontificem observantiam Iustinianus ostendit, ita Anastasius prosequitur: « Domnus Iustinianus Imperator au- » diens eius adventum, magno re- » pletus gaudio, misit Sacram gra- » tiarum actione plenam...In die au- » tem, qua se vicissim viderunt, Au- » gustus Christianissimus cum regno » in capite, sese prostravit pedes » osculans Pontificis. Deinde in am- » plexum mutuum corruerunt, et » facta est laetitia magna in populo » omnibus aspicientibus tantam hu- » manitatem boni Principis. Die vero » Dominico Missas Imperatori fecit... » omnia privilegia (Imperator) Ec- » clesiae renovavit, atque Sanctissi- » mum Papam ad propria reverti » absolvit. »

Vocatum fuisse Pontificem Constantinopolim ab Imperatore, ut quod ab Ioanne VII non impetraverat, tandem aliquando ab eo consequeretur, non est dubitandum. Eam controversiam pertractatam coram Constantino Constantinopoli a Iustiniano esse, luculenter apparet ex iis, quae habet Anastasius in Gregorii II vita, qui cum adhuc diaconus Ecclesiae Romanae esset, una cum Pontifice Constantino contulerat se Constantinopolim. Inquit enim eo in loco Anastasius: « Gregorius cum viro » Sancto Constantino Pontifice ad » Regiam profectus est urbem, atque » a Iustiniano Principe inquisitus » de quibusdam capitulis, optima » responsione unamquamque solvit » quaestionem. » Haec autem argumento sunt, Constantinum, cui Gregorii doctrina nota erat, eundem adhibuisse, cum controversia coram Imperatore ea de re pertractaretur. Hac narratione etiam ostenditur, ista Gregorii responsione, quae Pontifice auctore data sit, id contineri debuisse, ut canones ii Trullani tantum vel non reiicerentur, vel etiam probarentur, qui memoratis superius vitiis non peccarent. Etenim est incredibile, si Constantinus omnes omnino canones Trullanos reiecisset, Iustinianum, qui tantopere laborabat de eorundem canonum confirmatione, tanta benignitate Pontificem prosequuturum fuisse, et tam perspicua fuisse daturum suae in Sedem Apostolicam observantiae testimonia. Neque vero minus incredibile est, si Constantinus omnes indiscriminatim canones Trullanos probasset, Graecos perpetuum de hac impetrata ab eo Pontifice confirmatione silentium fuisse servaturos. Est igitur prorsus existimandum Constantinum vel non reiecisse, vel etiam probasse inter Trullanos canones, eos tantum, qui neque catholicae doctrinae, neque Ecclesiae universae disciplinae bonisque moribus, neque Sedis Apostolicae iuribus repugnarent, quemadmodum praecipue 2, 13, 16, 30, 36, 55, 67, 82 canones iis adversabantur.

Hanc ipsam Ioannis VIII Romani Pontificis de canonibus Trullanae Synodi fuisse sententiam colligitur a Pagio ad an. 692, aliisque ex verbis Anastasii Bibliothecarii in praefatione, qua eidem Pontifici, VII Synodi versionem latinam dicavit: « Apo- » stolatu Vestro decernente...Eccle- » sia recipit Sanctorum Conciliorum » regulas dumtaxat, quae nec rectae fi- » dei, nec probis moribus obviant, sed » nec Sedis Romanae decretis ad modi- » cum quid resultant, quin potius ad- » versarios id est haereticos potenter » impugnant. Ergo regulas, quas Grae- » ci a sexta Synodo perhibent editas, » ita in hac Synodo principalis Se- » des admittit, ut nullatenus ex his » recipiantur, quae prioribus canoni- » bus, vel decretis Sanctorum huius » Sedis Pontificum, aut certe bonis

» moribus inveniuntur adversae. » Ex his facile ostenditur, quae Sedis Apostolicae de Canonibus Trullanis sententia fuerit. Illud vero certum est, licet concedatur Sedem Apostolicam, ea ratione, qua diximus, Canones Trullanos probasse, inde tamen non sequi, eos canones a Sede Apostolica receptos, universam Ecclesiam respicere. Etenim Synodus Trullana, particularis Synodus fuit; neque Romanorum Pontificum aliquis iussit umquam, canones de disciplina ab eo latos, obtinere debere etiam extra eas regiones, quibus praeerant Episcopi, qui illos condiderunt.

CAPUT LXXIII.

DE HAERESI ICONOCLASTARUM.

Est hoc communiter receptum inter homines ab Ecclesia Catholica alienos, ut vel excitatas gravissimas de religione controversias, levitatis accusent, vel dissidia quae ob negotia magni momenti in Ecclesia sunt commota, imprudentiae, ac dominandi cupiditati praecipue tribuant, qua RR. Pontifices in iis rebus pertractandis animatos fuisse contendunt. Perspicuum huius rei continent testimonium, quae Protestantes passim affirmarunt de oborta saeculo octavo controversia inter sacrarum imaginum hostes, et catholicos, qui vetustissimum, piumque imaginum sacrarum cultum propugnabant. Superstitioni enim deberi cultum hunc acatholici affirmant, de superstitione tollenda adversarios imaginum laborasse, quaestionem de ea re non talem esse potuisse, ut Ecclesiae tranquillitas perturbaretur, RR. Pontifices praesertim imprudenter se, ac intoleranter in ea re gessisse.

Ad hoc confirmandum satis est ea legere, quae in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum litteraria* Guillelmus Caveus perstringit in *conspectu saeculi Eiconoclastici*. Contemnit enim ibi memoratum superius Imaginum cultum, per superstitionem illum invectum ait, leges contra imagines latas commemorat veluti sapienter promulgatas ab hominibus boni Reipublicae, et Ecclesiae studiosis, conventus ab Episcopis Iconoclasticis per vim, metumque habitos, veluti legitimos traducit, et tamquam auctoritate praeditos Ecclesiae conventus; catholicos vero vituperat, Romanos Pontifices cultus imaginum assertores aspernatur, atque oecumenicum Ecclesiae habitum in ea causa Concilium septimum irridet, cuius participes praesertim fuerint « Miselli utique Monachi patriarcharum nomina, ac personas splendide ementiti. » In eandem sententiam loquutus est de memorata controversia Moshemius in Inst. H.E. saeculi 8 parte 2 cap. 2 et 3. Totam denique, ut ceteros praeteream, totam, inquam, huius facti historiam Potterius perturbat tom. 2 *de l'esprit de l'église* etc. cap. 19 illamque in catholicorum dedecus convertere conatur.

Est vero hic opportunum brevi referre, quae haeresis huius historiae summam continent. Inde enim facile cuique apparebit de gravis momenti negotio, in quo iniuriam permagnam religio catholica patiebatur, in ea controversia pertractatum esse, Iconoclastas inique egisse, quae egerunt, Romanos Pontifices vero ea fortiter sapienterque gessisse, quae ad religionis defensionem, muneris amplissimi a Christo illis collati partes requirebant.

Licet sit omnibus facile cognitum, quae sit Ecclesiae catholicae doctrina de sacrarum imaginum cultu, erit tamen opportunum hic eam recensere prout a Concilio Tridentino sess. 25 decreto *de invocatione, veneratione et reliquiis sanctorum, et sa-*

cris imaginibus tradita fuit. Itaque Concilium Tridentinum postquam in eo decreto doctrinam catholicam de veneratione sanctis adhibenda, de eorundem invocatione, atque intercessione tradidisset, eos praeterea damnandos esse docuisset, qui affirmant, sanctorum reliquiis venerationem, atque honorem non deberi, vel eas, aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandae causa, sanctorum memorias frustra frequentari, haec de Imaginum sacrarum cultu docuit: « Imagines porro Christi, Deiparae » Virginis, et aliorum Sanctorum in » templis praesertim habendas, et » retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam. » Non quod credatur inesse aliqua in » iis divinitas, vel virtus, propter » quam sint colendae; vel quod ab » iis sit aliquid petendum, vel quod » fiducia in imaginibus sit figenda, » veluti olim fiebat a gentibus, quae » in idolis spem suam collocabant; » sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae » illae repraesentant: ita ut per imagines, quas osculamur, et coram » quibus caput aperimus, et procumbimus, Christum adoremus, et Sanctos, quorum illae similitudinem » gerunt, veneremur; id quod Conciliorum, praesertim vero secundae » Nicaenae Synodi decretis contra » imaginum oppugnatores est sancitum. »

Haec vera Ecclesiae catholicae de sanctorum imaginibus doctrina est. Hanc qui superstitionis accusaverit, nullam aliam, quam aut inscitiae, aut iniqui in Ecclesiam animi rationem afferre poterit. Erat id animadvertendum, ut luculentius constet, nonnisi inimico in Ecclesiam catholicam consilio evenire potuisse, ut aut veteres, aut recentiores huius cultus adversarii de Ecclesia ipsa detraxerint, veluti si, imaginum sanctorum cultu recepto, ac probato, aliquid commiserit, quod superstitionis accusationem pati posset.

Neque nobis contra saeculi octavi Iconoclastas cultum Imaginum sacrarum asserentibus, ac veram Ecclesiae doctrinam de ea re propugnantibus obiici posset, illorum temporum Ecclesiae mentem ex Concilii Tridentini tanto post tempore habiti testimonio, et decretis, non apposite demonstrari. Columna enim veritatis Ecclesia testimonium de sententia qualibet sua, Concilii Tridentini tempore explicare potuit, etiam ita, ut quolibet vetustiori tempore talem fuisse de eadem re Ecclesiae sententiam certissime confirmet. Concilium autem ipsum Tridentinum dum haec Ecclesiae doctrinae capita superius memorata sess. 25 credenda proposuit, *iuxta catholicae et apostolicae Ecclesiae usum, a primaevis christianae religionis temporibus receptum, sanctorumque patrum consensionem, et sacrorum Conciliorum decreta* doctrinam de his rebus tradendam curavit.

Haec perpetuo de sacris Imaginibus Ecclesiae catholicae sententia fuit. Ubi vero de sacrarum Imaginum usu sermo sit, manifestum est magnum interesse discrimen inter prima a religionis christianae ortu tempora, et posteriorem Ecclesiae aetatem. Iis enim temporibus, quibus tanta erat Ethnicorum in christianos crudelitas, et continua persequutio, non adeo frequens imaginum sacrarum usus fuit, prout temporibus posterioribus factum est. Etenim cum tandem aliquando, post ferme tria vexationum ac periculorum saecula, pacem Ecclesia consequuta esset, contigit, ut frequentius, ac deinde, pro locorum gentiumque diversarum ratione, ubique usus imaginum obtineret, qui ad propagandam, et augendam erga Christum Servatorem, Beatissimam Virginem, Martyres, ceterosque Sanctos venerationem, ac religiosam observantiam, atque ad excitandos animandosque eorundem exemplo christianos ad pietatis constantiam, imprimis conferebat. In ea autem re Con-

stantino Magno amplissima laus est tribuenda, qui teste Eusebio de vita eius lib. 3 cap. 35 novam urbem a se conditam Constantinopolim, atque loca urbis illius illustriora, et palatium praecipue imperatorium sacris imaginibus ornandum curavit.

Cum diu ob imaginum sacrarum cultum, atque usum, nullam vexationem passi essent Christiani, repente saeculo octavo ob eam rem, gravissimam, diuturnamque persequutionem perferre coacti sunt. Non immorabor in iis, quae Iudaei, ac Mohammedani contra imagines primum hac aetate moliti sunt. Itaque omittam ea singillatim referre, quae Iudaei cuiusdam hominis in christianos odio inflammatus Yesidus Mohammedanorum Califus concessit ad evertendas, deiiciendasque sacras Christianorum imagines iis in regionibus, quae eius potestati suberant; qua tempestate durante christiani, fortunarum, ac patriae iacturam, atque exilii poenam pati debuerunt, eo quod huic nefario Califi decreto non obtemperarent. Certum est vero hanc vexationem haud ita diuturnam fuisse prout Iudaeus ille speraverat. Yesidus enim, vix exactis duobus annis ac dimidio, ex quo imagines evertendas iusserat, mortuus est. Perfidus vero ille Iudaeus, qui Yesido diuturnum felicissimumque regnum dolo malo fuerat vaticinatus, si imagines christianorum delendas imperasset, iussu Walidi Califi, qui Yesidi filius erat, capite damnatus est, eo quod cum diu regnaturum patrem suum spopondisset, ille brevi mortuus esset. In his inquam non immorabor, quae velut teterrimi belli contra imagines sacras commoti prolusionem attulerunt.

Veniam igitur ad provincias, quae Imperio Romano suberant. Leonis III Isaurici Imperatoris iussione permagna vexatio contra christianos imagines sacras colentes decreta fuit, easque imagines evertendas ac confringendas esse, statutum est. Leo natus fuerat obscuro genere in Isauria, et multos vitae suae annos in ignobili fortuna ac conditione versatus erat. Nequissimi tamen duo Iudaei imperium illi fuerant vaticinati, quibus cum Leo promisisset se, si imperium consequeretur, quidquid in eorum gratiam esse facturum, ii petierunt, ut post imperium impetratum imagines delendas esse iuberet, quarum cultus perspicuam idololatriam contineret, et gravem idcirco Deo iniuriam irrogaret. Isti Iudaei dum haec Imperatori suadebant, odium illud acerbissimum explebant, quo eorundem natio semper fuit contra christianos inflammata. Intelligebant enim imaginum eversione magnam iniuriam christianorum religioni afferri, christianos vero luctuosam valde, et calamitosam tempestatem esse toleraturos, quos sciebant quidquid pati paratos esse, quam Imperatori ista iubenti obsecundare. Praeter Iudaeos vero, ad Imperatoris animum contra imagines commovendum accesserunt etiam alii scelesti homines, atque in his praecipue Constantinus Nacoliae in Phrygia Salutari Episcopus, qui cum Yesidi decreto imagines essent evertendae, easdem deiiciendas, contemnendasque curaverat. His hominibus auctoribus Leo imperii sui anno undecimo, Christi 726 edictum tulit, quo imaginum cultus in provinciis sibi subiectis prohibebatur.

Eo edicto ab Imperatore lato Populus Catholicus vehementer offensus est, et non modo Constantinopoli, sed etiam alibi, ad suam Imperatori resistentiam ostendendam, seditionem excitavit. Leo, qui in magno versabatur metu, ac discrimine, eo quod Mohammedani Costantinopoli imminerent, ad populum leniendum, subdola ratione edictum a se promulgatum interpretandum atque explicandum curavit, illud affirmans praesertim, mentem suam fuisse dumtaxat, ut imagines editioribus in locis ponerentur, ne populus eas posset osculari, quod ignominiosum, atque sanctis iniuriosum esse con-

tendebat. Haec tamen ille ad periculum declinandum falso affirmabat, re autem vera, prout in edicto statuerat, imagines deiici, earumque cultum tolli volebat.

Huius cultus interea defensionem pro muneris sui ratione Germanus Patriarcha Constantinopolitanus suscepit, qui penitus Imperatoris nefarium consilium intelligebat, et explicationem edicti ab eo datam, timori, ac periculo, in quod is inciderat, tribuendam esse videbat. Germanum vero in ea re deceptum minime esse, factum ipsum ostendit. Postquam enim Constantinopolis obsidione Mohammedanorum liberata est, et Imperator metum deposuit, facile intellectum fuit, num is in edicto suo promulgando mentem habuisset tantummodo imagines editiori in loco collocandi, atque impediendi, ne populus illas oscularetur. Itaque, prout superius significatum est, Germanus Imaginum defensionem peragendam suscepit, Episcopos quos Imperatori favere intelligebat, ad rectam sententiam, atque ad officium revocare conatus est, scriptis idcirco litteris studiosissimis, ad Constantinum praesertim, de quo antea loquuti sumus, et ad Thomam Claudiopolitanum Episcopum, quos errori studere sciebat. Tum ad Sedem Apostolicam se convertit, et Gregorii II, qui tunc Ecclesiae praeerat, auctoritatem atque sententiam imploravit. Gregorius autem, re cognita, gravissimis litteris ad Germanum missis, de eius virtute, constantiaque cum eodem gratulatus, doctrinam Ecclesiae catholicae de Imaginibus, quemadmodum dignitatis eius partes requirebant, fuse docteque tradidit, et confirmavit.

Ad ista tempora referuntur motus illi Italiae, quibus factum est, ut Imperatoris Graeci dominatus in his provinciis extingueretur. Nam cum non solum a Germano, sed etiam a Leone ipso Isaurico Gregorius II certior factus esset de iis, quae Imaginum sacrarum causam respiciebant, Pontifex ob apostolicae sollicitudinis rationem teneri se existimavit, ut Imperatorem ab errore revocaret; atque etiam apud illum, Imaginum cultum, quem Ecclesiae doctrina continebat, defendere conaretur. Plures igitur ad Leonem litteras de ea re scripsit, et Romae Concilium praeterea habuit, in quo sacrarum Imaginum oppugnatores damnati, et catholicum dogma de earundem Imaginum cultu confirmatum est. His Leo graviter indignatus, ultionem de Pontifice sumere statuit, eum iniquissime afflixit, insidias in illum molitus est, atque eius caedem tentavit. Quamobrem Populus Romanus universus, et incolae Pentapolis, atque Exarchatus, de Pontifice defendendo unanimi proposito studiosi, Leonis conatus impediverunt, Pontificem incolumem, et Imaginum cultum in pristino honore servarunt, atque interea Romanorum Pontificum in has Italiae provincias dominationem initium habuisse historia illius aetatis ostendit.

Summam vero in errore suo propugnando pertinaciam Imperator afferebat. Nam his malis minime fractus, crudeliorem se et scelestiorem erga Imaginum cultum earumque veneratores exhibuit. Itaque Germanum Patriarcham, quem memorati cultus assertorem fortissimum noverat, patriarchatu spoliavit, atque exilii poena mulctavit, eique Anastasium virum nefarium, Imaginum sacrarum acerbissimum hostem suffecit, ut expeditius posset cultum illum evertere, et catholicos ei cultui addictos crudelius vexare.

Praeter cetera scelera, quae tunc ille commisit, peculiarem mentionem meretur imperata ab eo Imaginis Christi Crucifixi eversio, quae antiquissima erat atque in aedis Imperatoriae vestibulo posita, et quam Populus Constantinopolitanus magna religione colebat. Patefacto Imperatoris consilio, ac mandato de huius Imaginis eversione, precibus primum,

deinde minis populus conatus est hoc scelus avertere. Cum nihil tamen minis suis, precibusque proficeret, ad facinus impediendum e scalis deiecit atque interfecit hominem, qui illas ad Imaginem evertendam ascenderat. Tunc vero Imperator in Imaginum cultores furiosius desaeviit, pluresque interfecit ex iis, qui huius facti, quod mox recensuimus, participes fuerant, vel ab Imaginum cultu desistere nolebant.

Addidit praeterea Leo crudelitati suae incredibile paene barbariei exemplum, cum publicam Constantinopolis bibliothecam combussit. In ea duodecim docti viri, Praefecto bibliothecae ipsius moderatore, ad litteras et religionem cives Constantinopolitanos informabant. Hi omnes, quod assentiri Imperatori noluissent in Imaginum cultu despiciendo, in bibliotheca inclusi, una cum bibliotheca, eo iubente, combusti sunt. Hoc autem tam atroci, scelestoque facto, ingens rarissimorum codicum copia deperdita est. Tanta Imperatoris facinora omnes ad indignationem contra illum commoverunt. Cum nuntius Romam allatus esset de deiecta Constantinopoli Servatoris imagine, Romani laureatas Leonis imagines, quae in urbe erant, ludibrio habitas everterunt. Pontifex vero suis ad Leonem, atque ad Anastasium invasorem Patriarcham litteris, Imaginum cultum ab omni superstitionis atque idololatriae accusatione defendit, et Leonem ineptum vanumque hominem esse declaravit, qui iterum caedis ipsius Pontificis inanes minas fecisset, de cuius incolumitate omnes Italiae populi solliciti erant, et nihil idcirco sibi poterat ab Imperatore timere.

Gregorio II anno 731 mortuo Gregorius III suffectus est; atque is non minorem, quam eius decessor curam in Imaginum sacrarum cultu propugnando demonstravit. Itaque statim ab initio pontificatus sui, missis legatis, scriptisque pluribus litteris, studuit Leonem ad sententiam catholicam perducere, et eundem ab Ecclesia diutius vexanda deterrere. Nihil tamen se proficere intelligens, nullamque spem superesse sentiens fore, ut Imperator mentem mutaret, Concilium Romae habuit, cui nonaginta tres Episcopi interfuerunt. In eo autem, Ecclesiae communione privati sunt quicumque aut Imagines evertere, aut aliquam iisdem iniuriam inferre ausi fuissent; quod Concilii decretum frustra quidem, sed tamen studiose ad Imperatorem, et ad Pseudo-Patriarcham deferendum curavit.

Leo interea, eiusque asseclae gravius catholicos insectari, et pertinacius consilio suscepto adhaerere visi sunt. Inflammatus indignatione contra Pontificem atque Italos Imperator plura molitus fuit, ut eos vexaret, et poenas darent, eo quod tanta constantia illi restitissent. Itaque comparata classe sperabat se Pontificem capturum, et urbem praecipue, finitimasque regiones vastaturum se esse. Contigit vero, Deo Ecclesiae opem ferente, ut classis in Hadriatico mari, oborta saeva tempestate naufragium fecerit. Cum iniquae spes Imperatoris fallaces ita fuissent, alia ratione Pontificem affligendum constituit. Epirum, Illyricum, Macedoniam e Patriarchatu Romano subtrahendam, et Constantinopolitani Patriarchae potestati subiicendas eas provincias iussit; quo facto schismati illi gravissimo viam stravit, quod saeculo nono Latinam Ecclesiam inter et Graecam conflatum est. Prohibuit denique quominus Pontifici in posterum quotannis solveretur magna auri summa, quam veteres scriptores veluti praestationem Pontifici quotannis numerandam significaverunt.

Quanta fuerit calamitas, quam Ecclesia perferre debuit ob Leonis Isaurici scelus, satis aperte demonstrant, quae de eiusdem regni historia perstrinximus. Nunc quae fuerit catholicorum conditio post Leonis mortem, referendum est. Successit

Leoni Constantinus eius filius, qui Copronymus est appellatus, eo quod cum baptizaretur adhibito Immersionis ritu, sacrum fontem stercore foedavisset. Cum primum Constantinus patri suffectus est, catholicos sibi valde iratos offendit, qui ex eiusdem moribus consiliisque intelligebant, quam adverso erga catholicam religionem esset animo. Hinc facile Artabasdo cognato suo fuit, qui a Constantino defecerat, Constantinopoli potiri, et ad Imperium quoque obrepere. Sed post biennium Constantinus, capto Artabasdo una cum liberis, et una simul omnibus obcaecatis, imperium recuperavit, cum magno catholicorum metu. Verum ille comprimere quodammodo virus animi sui compulsus est, quandiu teterrimum bellum cum Saracenis perduravit. Etenim missos a Zaccaria Pontifice legatos honorifice excepit, duos fundos Ecclesiae Romanae donavit, atque ita demum se gerere visus est, ut consilium mentemque mutasse censeri posset.

Sed haec a Constantino non propositi mutatio, verum formido ex belli periculis concepta extorquebant; etenim devicit ille tandem, ac fugavit Saracenos. Ea victoria parta, ut se metu liberatum sensit, expeditum etiam se existimavit ad renovandam Imaginum cultorum vexationem. Quo autem posset videri iuris ordine servato agere, statuit anno 754 Concilium oecumenicum Constantinopoli esse habendum. Quamquam vero ad legitimam oecumenicam Synodum celebrandam notum esset requiri generalem Episcoporum convocationem Romani Pontificis auctoritate faciendam, Pontificis Synodo praesidentiam, eiusque confirmationem: suam tamen Synodum Copronymus oecumenicam esse affirmavit, et septimae Synodi oecumenicae nomine ab eo atque ab Iconoclastis passim illa appellata est, licet ad Synodum, Orientis tantum Episcopi iconoclasticis rebus studentes, non consulto Romano Pontifice, atque ab Imperatore ipso vocati sint, qui Synodalibus actionibus interfuit.

Iconoclastarum haec Synodus, cui 338 quidem Episcopi, quorum nullus catholicus erat, interfuerunt, habita est partim in aede Imperatoria, quae erat in Asiae litore in Constantinopolis conspectu, partim in ipsa urbe, in Basilica, quae Blachernensis dicebatur, et cum die 10 Februarii coepisset, die 8 Augusti anno 754 absoluta est. Satis apparet ex consilio ab Imperatore eiusque asseclis suscepto Synodum istam celebrandi, quid in ea esset decernendum. Quare etsi Synodi acta interierint, tum ex scelestorum hominum proposito, qui eam habuerunt, tum ex monumentis veteribus ad factum istud pertinentibus colligitur, in ea Synodo haec gesta fuisse. Scilicet in definitione fidei Imaginum cultum delendum, easque evertendas esse decretum est, et gravissimae poenae sunt iis impositae, qui non obtemperassent. Anathema praeterea contra Imaginum cultores omnes pronuntiatum est, et singillatim in anathemate ferendo nominati sunt Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, Georgius Cyprius, Ioannes Damascenus monachus presbyter, qui in Imaginum sacrarum cultu defendendo constantiores se, fortioresque demonstraverant. Denique Anastasio Pseudo-Patriarcha Constantinopolitano mortuo, ab Imperatore in Synodo suffectus est Constantinus monachus, et Sylaei in Pamphylia Episcopus, homo nequissimus et Imaginum sacrarum apertissimus hostis. Synodo absoluta Imperator bellum contra catholicos quodammodo instauravit. Coram se, in media urbe Constantinopolitana, cum magno apparatu auctoritatis, decretum Synodi recitari iussit, illudque ad omnes Imperii provincias mittendum curavit. Tum Imagines sacrae generatim confractae, combustae, contemptaeque sunt, praesertim operam dante nefario Constantinopolis Pseudo-Patriarcha Constantino. Verum magno numero catholici resti-

terunt, et quodvis poenarum genus pati potius voluerunt, quam impio isti decreto morem gerere. In ea autem constantia confirmati sunt praecipue Paulli I Romani Pontificis auctoritate, et Patriarcharum Orientalium exemplo, qui Copronymi Synodo numquam assentiri voluerant. Imperator in catholicos crudelissimam egit persequutionem, praecipue vero monachos vexavit, quos graviores existimabat conatibus suis adversarios. Eos, quibus copia non fuit vel Romam, vel in alia tuta loca se recipiendi, non modo contumeliis atque aliis poenis, sed etiam morte mulctavit, interdicto simul monastico instituto, monasteriis, templis monachorum, sacra supellectili incensis, aut direptis, aut vastatis.

Peculiarem vero laudis mentionem meretur inter eos Stephanus monasterii S. Auxentii praefectus, cuius constantiam, atque in defendendo Imaginum cultu fortitudinem, nullo artificio, nullis Episcoporum Iconoclastarum hortationibus, exilii carcerisque squalore frangere Imperator potuit, atque idcirco ab eo die 28 Novembris 767 extremo supplicio mulctatus fuit.

Dici vix potest, quanta saevitia deinde Constantinus contra sacrarum Imaginum cultores furere progressus sit, praesertim, quod nonnullos ex administris suis huic cultui clam devotos compererit, quos suppliciis exquisitis, et morte affecit. Invehi etiam tunc incepit contra Sanctos, eorumque reliquias, contra Beatissimam Virginem, quam homo sceleratissimus palam offendit. Per eadem tempora conatus est Pipinum Francorum Regem in erroneam sententiam suam perducere. Sed legati Copronymi coram Romani Pontificis legatis confutati, et erroris convicti sunt. His conatibus reiiciendis accesserunt Episcopi Gallicani, qui conventui Gentiliaco praesentes eandem sententiam propugnarunt. Accessit Stephanus III Rom. Pontifex, qui in Concilio Romae habito anno 769, Copronymi nefaria Synodi acta rescidit. Dedit tandem scelerum suorum poenas iustissimas Constantinus, qui postquam Ecclesiam tantopere vexasset, et imperii sui provincias catholicorum sanguine replevisset, ex teterrimo morbo, cuius incredibilis acerbitas explicari vix poterat, tandem die 14 Septembris anno 775 mortuus est.

Eo sublato, videbatur Ecclesia respirare, quod Leo IV Copronymi filius benevolum se ab initio catholicis, et in Imaginum sacrarum cultum propensum ostenderet. Verum non multo post intellectum est, illum haec ficte agere. Cum enim sub Irenis uxoris suae pulvinari duas imagines sacras fortuito reperisset, vehementer excanduit, illam consortio, et consuetudine sua privavit, atque in eos graviter animadvertit, quos imagines illas Ireni tradidisse intellexit. Parabat etiam patris sui facinora renovare, sed pestilentia correptus an. 780 obiit, atque ita novis calamitatibus Ecclesiam liberavit.

Quae hactenus perstrinximus praecipua continent eorum, quae post ortam haeresim iconoclasticam usque ad Concilii VII Generalis tempora evenerunt, in quo Concilio sacrarum Imaginum cultus vindicatus est. Hoc autem fuse, doctissimeque inter ceteros, a Cardinali Baronio, Pagio, Natali Alexandro, Cardinali Orsio pertractatur.

Iam vero harum rerum expositio satis per se demonstrat, num de re parvi momenti ageretur, et num tantus iste motus imprudentiae catholicorum, an potius Iconoclastarum nequitiae tribui debuerit. Facile intelligitur legitimum Imaginum sacrarum cultum, quem Ecclesia catholica profitetur, nihil superstitiosum, aut quod idololatriae suspicionem afferat, continere. Is cultus ad observantiam sanctis exhibendam, ad pietatem fovendam, ad virtutum exempla fidelium imitationi proponenda, est opportunissimus. Agebatur de cultu ubique in Ecclesia re-

cepto, cuius eversionem Iudaei primum, tum homines improbi machinabantur. Romanorum praesertim Pontificum proprium erat, fideles in Ecclesiae doctrina de ea re confirmare, eos ab errore arcere, traditam iis a Domino potestatem coercendi errorum disseminatores, ubi Ecclesiae causa id postulat, exercere. Haec omnia ex adducta superius historia exsistunt. Reliquum est, ut concedatur, ipsam factorum narrationem, manifestam adversariorum confutationem suppeditare.

CAPUT LXXIV.

DE CONCILII VII GENERALIS AD SACRAS IMAGINES RESTITUENDAS CELEBRATIONE.

Synodum Episcoporum Iconoclastarum illegitimam, sed valde numero copiosam, Constantini Copronymi iussu habitam esse, superius tradidimus, atque illam ab Iconoclastis honorifico Concilii septimi Generalis nomine appellari consuevisse. Loquamur nunc de vero, ac legitimo Concilio septimo Generali, quod anno 787 habitum fuit ad sacrarum Imaginum restitutionem.

Leo IV Imperatore mortuo, imperialis potestas ad eius filium Constantinum devenerat. Sed cum is decennis esset, Irenes illius mater, suo et filii nomine imperio praeesse coepit. Irenes quidem imaginum sacrarum cultus fuerat perpetuo studiosa; ab initio tamen suae administrationis reipublicae, minime potuit id omne statim efficere, quod eius erga imagines observantia postulasset. Plane sentiens, quam difficilia essent tempora, eo se aliquandiu continere debuit, ut libertatem omnibus impertiretur de eo cultu loquendi ac iudicandi pro arbitrio, et monachorum etiam institutum amplectendi.

Cum vero anno 784 Paullus, qui Nicetae Constantini successori in patriarchatu Constantinopolitano suffectus fuerat, in morbum incidisset, et abdicans patriarchatu Constantinopolitano, ad monasterium confugisset, ac praeterea coram Imperatrice et Senatu deplorans, se aliquando Iconoclastis adhaesisse, atque affirmans necesse esse Synodum oecumenicam celebrari, inter istas querelas suas mortuus esset, Irenes his excitata, die 29 Augusti ad Hadrianum I Romanum Pontificem, qui tunc Ecclesiae praeerat, se convertit. Exposito in suis litteris consilio suo de Concilii oecumenici celebratione, a Pontifice petiit, ut hoc fieret ex eius auctoritate, et Concilio sive per seipsum, sive per legatos praeesset. Praeter istas Irenis litteras accepit etiam Hadrianus epistolam a Tarasio, qui intimus Imperatoris administer fuerat, quique invitus, sed ea conditione, ut oecumenica Synodus haberetur, patriarchalis dignitatis sibi collatae acceptationi consenserat. Is igitur missa ad Hadrianum fidei suae professione, eundem precabatur, ut Synodum habendam indiceret.

Hadrianus his litteris respondens, in ea praesertim epistola, quae die 26 Octobris anno 785 ad Constantinum, et Irenem scripta est, sententiam suam patefecit, assentiri se affirmans, ut oecumenica Synodus ad restituendas Imagines sacras celebraretur, de qua re catholicae Ecclesiae doctrinam explicavit, illud inter cetera animadvertens, cultus istius sanctitatem argumento gravissimo ex traditione Successorum D. Petri desumpto confirmari. Praeterea concedens, ut oecumenica Synodus haberi posset, conditionem adiecit, ut antea Synodi adversus sacras Imagines habitae abrogarentur, atque ut Imperator, eius Mater, Patriarcha, ac Senatus iuramento promitterent, se Episcopis, et Legatis Sedis Apostolicae libertatem omnem

tributuros esse ad dogma catholicum aperte propugnandum.

Post haec Hadrianus Legatos suos Constantinopolim misit Petrum Archipresbyterum S. Petri, et Petrum Romani monasterii S. Sabbae Abbatem, qui nomine et auctoritate sua concilio praeesse debebant. Eo autem tempore, quo Legati Constantinopolim pervenerunt, Episcopi magno numero, et Legati reliquorum Patriarcharum eo profecti fuerant. Quare cum omnia rite peracta esse viderentur, quae spectare poterant ad incipiendam Concilii celebrationem, statutum est, ut calendis sextilibus anni 786 illud inchoari deberet, prout revera Constantinopoli in Basilica SS. Apostolorum fieri coepit.

Verum cum haec evenirent, Episcopi Iconoclastae, qui intelligebant, eorum factioni ex istius concilii celebratione extremam perniciem imminere, milites praesidiarios in urbe Regia commorantes, qui Constantini Copronymi erroribus erant infecti, facile excitaverunt. Hi autem ad Basilicam, in quam Episcopi convenerant, se contulerunt, et gladiis intentatis, summa audacia minati sunt, eos saluti suae non consulturos, si decreta contra Imagines antea lata obrogare voluissent. Timuit Irenes, ne si eo tempore his militibus acrior resistentia opponeretur, gravius aliquod malum oboriri posset. Prudentissimum ergo esse iudicavit, ut concilium tunc dimitteretur; quamobrem Episcopi plerique Constantinopoli discesserunt, Legati vero Romani Pontificis in Siciliam se contulerunt.

Brevis tamen fuit Iconoclastarum ob Concilii dimissionem gratulatio. Illi quidem sibi in animum induxerant fore, ut diu iste rerum status perduraret, eo quod scirent, milites praesidiarios Iconoclasticae factioni addictos, et tumultuosos esse; ac simul animo reputarent, militari hoc praesidio se consequuturos esse, ut Episcopi iterum ad concilium habendum convenire non possent. Sed eorum spem frustrata est singularis in illo negotio gerendo Irenis prudentia. Nam primum misso Stauracio Patricio, et publici cursus Logotheta in Thraciam ad legiones ibi considentes, duces omnes sibi devinxit, atque in consilium suum coniunxit, ut curarent milites Iconoclasticos ab urbe Regia pelli; deinde simulata contra Saracenos expeditione, effecit, ut milites praesidiarii Constantinopoli educerentur, dum legiones illae mox memoratae, Imperatrici obtemperaturae urbem occuparunt. Hoc autem facto, cum milites tumultui dediti ad certum locum pervenissent, ignominiose ab exercitu dimissi, et domum redire coacti sunt.

His rebus feliciter gestis, et reliquis omnibus recte comparatis, quae felicem negotii exitum certo sponderent, Episcopi undique Nicaeam Bythiniae convocati fuerunt, quo etiam Pontificis Romani Legati ex Sicilia profecti sunt, et ceteri Patriarcharum Orientalium Legati se contulerunt. Concilio autem praeter Legatos, ac Tarasium Patriarcham Constantinopolitanum, pluresque monachos, interfuerunt Episcopi tercenti quinquaginta, vel tercenti septuaginta septem. Venerunt etiam ad Synodum duo Imperatoris administri, qui eo missi fuerunt, ut tranquillitati et quieti consulerent. Haberi Synodus coepit die 24 septembris anno 787, et post septem sessiones Nicaeae habitas, octava et postrema sessio, ut Irenes, eiusque filius Constantinus adesse possent, die 23 Octobris Constantinopoli habita est. Praefuerunt perpetuo Romani Pontificis Legati; omnia rite, et secundum canones gesta sunt; religionis causa propugnata, et Ecclesiae doctrina de Imaginibus confirmata est. Petita fuit a Romano Pontifice, eorum, quae decreta sunt, confirmatio per epistolam, quam Hadriano Concilii nomine Tarasius scripsit. Sedem Apostolicam vero auctoritate sua Concilium probasse in posterum videbimus.

Recensebimus tamen breviter rerum in Synodo gestarum summam. In prima actione Tarasius linguae graecae peritissimus orationem habuit de Concilii celebrandi causa, et opportunitate. Hac recitata oratione post lectas Augustorum litteras ad Concilium datas, causa lapsorum Episcoporum, qui conciliabulo Copronymi subscripserant, in utramque partem est perpensa. Restitutis quibusdam, eiurata haeresi, in sedes suas, causa eorum, qui diutius ac pertinacius haeresi adhaeserant, in aliam sessionem dilata est. In secunda, tamquam reus adducitur in Concilium Gregorius Neocaesareensis Episcopus, Iconoclastarum coryphaeus, et conciliabuli praedicti veluti praeses. Rogat veniam et gratiam, sed reiicitur in sequentem actionem. Leguntur Hadriani Papae epistolae ad Augustos, et ad Tarasium, quibus honorifice a Concilio acclamatur, et subscribitur.

In tertia actione Gregorius Neocaesareensis, et alii Episcopi de criminibus suis dolentes, sedibus suis restituuntur. Tarasii litterae leguntur ad Patriarchas scriptae, quibus eos ad Synodum invitaverat, et patriarcharum ad Tarasium responsiones, quibus ob barbarorum tyrannidem, se ad Synodum venire non potuisse testabantur, neque absentiam suam obfuturam asserebant, ne Synodus oecumenica esset, quod probarunt sextae Synodi exemplo, a qua Alexandrinus, et Hierosolymitanus Patriarcha aberant; cetera enim suppleri potuisse Romani Pontificis auctoritate. In quarta Sacrae Scripturae, et Patrum testimoniis ostenditur usus et veneratio sacrarum Imaginum iam inde a primaeva Ecclesiae aetate recepta, et traditione continua propagata. Tum lectis Gregorii Pont. ad S. Germanum, atque huius ad plures Episcopos litteris, in Iconoclastas a Concilio pronuntiatum est anathema, atque edita fidei professio, cui primo loco ante Tarasium ipsum, subscripserunt Romani Pontificis Legati. In quinta demonstratum est, impium de abolendis sacris Imaginibus dogma, ab Haereticis, Iudaeis, et Saracenis haustum fuisse. Concilium definivit etiam, angelos quoque depingi posse. Dum hoc affirmavit Concilium, minime probavit Ioannis Thessalonicensis sententiam, qui Angelos corporeos esse dixerat; immo actione 4 Concilium expresse dixit angelos incorporales. Quare rursus praeeuntibus Legatis Apostolicae Sedis editum est decretum de restituendis sacris Imaginibus, renovatumque in Iconoclastas anathema.

In actione 6 perlecta pseudo-Synodus Constantinopolitana sub Constantino Copronymo coacta, eaque per singula capita confutata est. Ad Synodum illam reiiciendam ostensum est, nullum Episcoporum conventum mereri nomen oecumenicae Synodi, si defuerit R. Pontificis confirmationis auctoritas. Praeterea confutatum est inter alia, quod Iconoclastae SS. Eucharistiae sacramentum imaginem vocassent in sua pseudo-synodo, cum alioquin veritatem Corporis et Sanguinis Christi in sacramento confiterentur, ut dissertatione singulari probat Natalis Alexander. Actione 7 tertio idus octobris habita, condita est fidei definitio, qua 6 Concilia oecumenica recepta sunt et confirmata. Deinde statutum sacras Imagines in templis esse collocandas. Tandem conclusum per haec verba: « Quanto enim frequentius per imagi- » nalem formationem videntur, tan- » to qui has contemplantur alacrius » eriguntur ad prototyporum memo- » riam, et desiderium, et ad honora- » riam his adorationem tribuendam, » non tamen ad veram latriam, quae » solam divinam naturam decet, im- » pertiendam; ita ut istis sicut figu- » rae pretiosae, ac vivificae cruci, » et sanctis evangeliis et reliquiis, sa- » cris monumentis, incensorum et » luminum oblatio exhibeatur, quem- » admodum et antiquis piae consue- » tudinis erat. »

CAPUT LXXV.

DE LITTERIS HADRIANI I R. P. CONTRA HAERESIM ICONOCLASTICAM IN SYNODO VII RECITATIS.

Cum Concilium VII habendum erat, Hadrianum I R. P. ad Imperatores, et ad Tarasium Constantinopolitanum Episcopum litteras scripsisse vidimus, iisque veram de sacrarum Imaginum cultu doctrinam Pontificem exposuisse. Eas litteras antequam a Concilio reciperentur, synodice examinatas esse contenderat Auctor defensionis declarationis Cleri Gallicani anni 1682 part. 3 lib. 7 c. 30 et seq. eique responderat Cardinalis Iosephus Augustinus Orsius tom. 1 part. 2 cap. 3 lib. 1 art. 1 operis *de irreformabili Romani Pontificis iudicio in definiendis fidei controversiis.* Cardinali Orsio respondendum existimavit Cardinalis de la Luzerne in opere Parisiis edito anno 1821, de eadem Cleri Gallicani declaratione parte 3 cap. 18, quo loco, quemadmodum fecerat cum de litteris Caelestini I ad Synodum Ephesinam primam, et de Leonis Magni epistola ad Flavianum Constantinopolitanum Episcopum actum est, in quas iuridicum examen institutum esse a Conciliis contenderat, ita etiam actum fuisse ait erga Hadriani I litteras in Concilio VII Generali.

Memoratus auctor ut vere scriptum esse demonstret ab Defensore declarationis Cleri Gallicani, litteras Hadriani in septima Synodo fuisse examini subiectas, adducit verba, quibus usi sunt Legati Sedis Apostolicae act. 2 cum Patriarcham Tarasium rogaverunt post lectas eas litteras, utrum iisdem assentiretur. « Dicat nobis sanctissimus Patriar- » cha Tarasius Constantinopolitanae » urbis Episcopus, si consentiat lit- » teris Ssmi Papae Senioris Romae.» Contendit deinde ex Tarasii responso patere, eum non existimasse Hadriani litteras in se ipsis habere vim cogendi absolutam, quae proficisceretur ex Pontificis ipsius personae auctoritate, sed quae manaret ex auctoritate Romanae Ecclesiae, neque eum loqui de Pontificis infallibilitate in controversiis fidei dirimendis, sed de fidei indefectibilitate, quae in D. Petri Successorum serie semper futura est. « SS. Paulus Apostolus (inquit Ta- » rasius), qui illustratus est lumine » Christi, et genuit nos per evange- » lium, cum Romanis scriberet appro- » bans studium sincerae fidei eorum, » quam in Christum verum Deum ha- » bebant, sic ait: *Fides vestra annun- » tiatur in universo mundo.* Hoc te- » stimonium sequi necessarium est, et » inconsulte agit, qui huic conatur » resistere. Unde Hadrianus Praesul » Senioris Romae cum esset parti- » ceps eorum, qui praedicto testimo- » nio muniri meruerunt, scripsit ex- » presse, et veraciter piis Imperato- » ribus nostris, atque ad humilitatem » nostram, affirmans, bene ac optime » se habere antiquam traditionem » Ecclesiae Catholicae. Nam et ipsi » nos scrutantes Scripturas, et syl- » logistice approbando rimati sumus, » sic quod confessi sumus, confite- » mur et confitebimur, consonamus, » et vim litterarum confirmamus, at- » que permanebimus in significatione » litterarum quae lectae sunt, imagi- » natas descriptiones suscipientes se- » cundum antiquam patrum nostro- » rum traditionem.» Praeterea idem scriptor ait, Legatos qui concilio aderant, atque ipsam Sedem Apostolicam per ea tempora existimasse Concilium ius habere examinandi Romanorum Pontificum dogmaticas litteras. Etenim postquam statutum esset Hadriani litteris assentiri, Legati act. 2 ita loquuti sunt: « Dicat » nobis Sancta Synodus si admittat » litteras Papae Senioris Romae, an » non. Sancta Synodus dixit: Sequi-

» mur, et suscipimus, et admittimus.» Per ea autem verba *an non,* significari putat scriptor, de quo loquimur, Concilium non existimasse epistolas Hadriani irreformabile decretum continere.

Haec sunt praecipua quae memoratus auctor adducit, ut sententiam suam propugnet. Verum est facile eidem respondere, atque ostendere falsum esse, istas Hadriani litteras antequam reciperentur, a Synodo VII examini subiectas fuisse. Ut brevi tamen rem efficiamus, testis est primo loco ipse Tarasius, quid egerit VII Synodus cum allatae sunt Hadriani litterae. In epistola enim ad Hadrianum habet: «Quum omnes sedissemus, » caput fecimus Christum. Iacebat » enim in Sancta Sede Evangelium » sanctum etc. Et cum perlatae pri» mitus Vestrae Fraternae Sanctita» tis litterae legerentur, communi » considebamus corona, spiritualibus » eduliis tamquam in regalibus coenis » fruentes, quae Christus per litteras » tuas epulantibus praeparabat, et sic» ut oculus, totum corpus rectitudi» nis et veritatis semitam ostendebas. » Sic ergo dirupta membra in unum » conveniebant, sic vera constantia » confirmabatur, sic catholica Ec» clesia unitatem recipiebat. » Haec autem Tarasii verba, ut apparet, sunt eiusmodi, ut nihil aliud ostendant, nisi cum summo observantiae testimonio a Synodi Patribus Hadriani litteras acceptas esse, et Hadrianum ipsum ibi habitum fuisse tamquam omnium Christianorum magistrum.

Praeterea agendi ratio, qua Synodus VII usa est, perspicue demonstrat, Patribus illius Synodi, ne in mentem quidem venisse, antequam litterae Hadriani probarentur, in easdem examen instituere. Etenim Synodi Patres, quae Hadrianus iusserat, servanda omnino esse statuerunt vel ab ipso Concilii initio. Nam Hadriani litterae continebant doctrinam de sacrarum Imaginum cultu certissimam esse, et Ecclesiae propriam. Eodem autem modo Episcopi, qui Concilio interfuerunt, sentire se de eo cultu semper ostenderunt. Nulla praeterea in Hadriani litteras instituta quaestione, quae Pontifex iusserat in litteris suis, implenda curarunt.

Etenim Hadrianus ipse in litteris ad Tarasium iussit, ut antequam Concilium celebraretur, pseudo-Synodus Copronymi damnaretur. « Pseu» do-Synodus illa quae sine Aposto» lica Sede, inordinate, et insyllogi» stice facta est adversus venerabi» lium patrum traditionem, contra » divinas imagines, anathematize» tur. » Aperte quoque declaravit neminem frui posse Sedis Apostolicae communione, nisi fidem ab ea propositam amplecteretur: Iconoclastarum denique sententiam *malignorum,* et *haereticorum errorem* vocavit. Haec Hadrianus. Patres autem Synodi in omnibus Hadriani iussa sequuti sunt. Nam prima actione quaesitum est, qua ratione Episcopi Iconoclastae recipiendi essent, et statutum est, ut non aliter reciperentur, quam ut haeretici, aut ab haeresi revertentes; iussique sunt plures anathematismos in suos errores, et pseudo-Synodum Copronymi proferre. Id patet ex confessione fidei Basilii Ancyrani, quae prima actione lecta est, ubi sic ait: « Proiicio, et » anathematizo ex tota anima, et » mente Synodum, quae ex stolidi» tate, et dementia congregata est, » et septima Synodus nominata. » Et postea: « Christianorum calumniato» ribus, idest Imaginum confractori» bus anathema. » Similis est professio fidei, quae in eadem actione a Theodosio Ammorii Episcopo oblata est: « His, qui non adorant venera» biles icones, anathema . . . . His, » qui ambigui sunt, et non ex ani» mo fatentur se sacras Imagines ve» nerari, anathema. » Haec ostendunt Iconoclastas pro haereticis habitos, et coactos fuisse proprios errores veluti haereticos abiicere, et detestari, Ecclesiaeque dogma de culto sacrarum Imaginum suscipere velut ad fidem pertinens, et illis omnibus

anathema dicere, qui aliquando ab hac fide discederent. At gesta sunt haec antequam ullum a Synodo hac de re institueretur examen. Itaque Patres non solum examini subiiciendam esse Hadriani epistolam non existimarunt, verum etiam in omnibus eius iussa sequuti sunt, et haereticos eos habuerunt, qui doctrinam ab eo expositam non amplecterentur.

Itaque cum haec ita se habeant, quis est, qui non videat levia esse, quae opposita sunt? Nam si Legati Pontificii primum Tarasium, deinde Patres reliquos interrogaverunt, an susciperent epistolam Hadriani, id eo tantum fine fecerunt, ut omnes qui Synodo aderant, veram hanc esse fidem faterentur, atque etiam ut solemni Synodi iudicio ea confirmarentur, quae antea certa, ac rata erant, ut vel ex ipsius Synodi agendi ratione constat. Nec vero maioris est momenti, quod Tarasius, et postea Synodus Legatis Pontificiis respondit, se, nempe, accipere, et probare quae a Romano Pontifice scripta erant. Tarasius enim in verbis ipsis, quae superius allata sunt, duplicem affert rationem, ob quam Hadriani epistolae adhaerere necessarium esse ait; quarum prior ex auctoritate Romanae Ecclesiae petebatur, cuius fidem Paullus Apostolus commendaverat, cuius et testimonium necessario sequendum Tarasius pronuntiat. Itaque ne Paullo contradicat, et illius testimonio resistat, Ecclesiae Romanae fidem ab Hadriano expositam se amplecti profitetur, quae verba eum ostendunt a mente adversariorum longe abhorruisse. Alteram rationem ex eo Tarasius desumpsit, quod ipse Scripturas, et Patrum dicta scrutatus esset, quam addit rationem non quod de auctoritate Pontificis dubitaret, sed ut ostenderet fidem suam rationabilem esse, et ut omnem ansam Iconoclastis detraheret querendi, se nullo praemisso examine damnatos fuisse.

Quod si valeret illud argumentum, quod ex Tarasii responsione desumitur ad Romanorum Pontificum infallibilitatem denegandam, eadem prorsus ratione ostendi posset, Tarasium licere putavisse de re definita a Concilio oecumenico dubitare. Etenim act. 2 epistolae Hadriani subscriptum est, et anathema in haereticos dictum; et tamen actione 4 Tarasius Synodo persuasit, ut sacrorum librorum, et veterum patrum testimonia in medium proferrentur, quibus errores iam damnatos repugnare ostenderetur, quod alio spectare non poterat, quam ad ampliorem veritatis iam cognitae declarationem, ut ex ipsis Tarasii verbis patet. « Per antecedentes proximas » actiones, ait, flatu Domini nos do- » cente.... quia veritatem meditatum » est guttur nostrum, qui litteris, » quae lectae sunt, ss. virorum Oc- » cidentis, et Orientis concordes af- » fecti sumus. » Itaque non dubitabat de veritate eorum dogmatum, quae antea exposita fuerant. Quid ergo sibi voluit cum petiit, ut Sacrarum Scripturarum, et Patrum loca in medium proferrentur? Seipsum Tarasius explicavit: « Ut ex » ipsis haurientes potemus singuli » gregem nobis commissum. Taliter » in omnem terram exibit sonus no- » ster, et in fines terrae verborum » virtus nostrorum. »

Praeter ista, quae hactenus animadvertimus, illud etiam adiungi iure potest, nullo modo apparere, quanam ratione memoratus scriptor sententiam suam probare possit ex Tarasii testimonio a se adducto. Etenim quaestio, quam ipse scriptor pertractat, in eo versatur, ut ostendat, Hadriani litteras, antequam iis Episcopi Nicaenae II Synodi adhaererent, examini iuridico fuisse subiectas, adhaesionem vero istam, Episcoporum examine peracto, habitam fuisse. Iam vero etiamsi concedi vellet, id quod ex Tarasii verbis minime colligitur, Tarasium affirmasse, assentiri oportere litteris Hadriani, tantummodo eo quod indefectibilis

Christi fides sit in Romanorum Pontificum successione, non autem quod infallibilia sint quocumque tempore cuiuslibet Romani Pontificis iudicia in controversiis fidei morumque dirimendis; ex hoc tamen numquam sequeretur, adductum Tarasii testimonium ostendere, in Hadriani litteras de Iconoclastica causa, examen in Concilio institutum esse. Etenim si testimonium illud accurate perpendatur, hoc unum perstringit, scilicet, litteris illis assentiri necesse esse, eo quod talia responsa sint eiusmodi, ut sine dubio veram Christi fidem contineant. Quod si vero testimonium illud Tarasii in oratione ad Synodum consideretur una cum alio eiusdem Episcopi testimonio a nobis allato ex epistola ab eo scripta ad Hadrianum, luce clarius omnibus erit, Tarasii mentem semper fuisse, litteras Hadriani per se ipsas continere irretractabile, et errori minime obnoxium in ea causa iudicium. Restat igitur, ut concludamus, scriptorem, quem meminimus, ex Concilii septimi Generalis facto sententiam suam de ista re probare prorsus non posse.

CAPUT LXXVI.

DE HIS, QUAE POST ABSOLUTAM SEPTIMAM SYNODUM GENERALEM, CIRCA CONTROVERSIAM DE SACRIS IMAGINIBUS EVENERUNT.

Cum Synodicam iam superius memoratam Tarasius ad Hadrianum Pontificem epistolam scripsisset, accepit Pontifex etiam ab Imperatore litteras per legatos suos, et acta Synodi septimae, quorum confirmatio petebatur. Hadrianus ea acta latine reddi, et in bibliotheca Pontificia condi iussit. Contigit vero, ut qui faciendam actorum versionem latinam suscepit, sententiam actorum non accurata, sed prorsus depravata ratione reddiderit: ex quo factum est, ut Anastasius Bibliothecarius in posterum novam eorundem latinam versionem emendatiorem faciendam curaverit. Responsum interea de petita Concilii septimi confirmatione Hadrianus distulit, quod aliquanto posterius datum est.

Existimavit enim opportunum esse versionem illam actorum latinam antea in Galliam praesertim mitti, atque ab Episcopis Gallicanis considerari quae Nicaeae decreta fuerant. Nam sciebat, Caroli Magni patrocinio, in Gallia praesertim homines peritos reperiri, atque ibi quantum tempora patiebantur, studia florere. Verum consilium hoc ab Hadriano initum non levis deinde negotii pertractandi causa fuit. Etenim Episcopi Gallicani cum erroneam illam versionem accepissent, valde commoti sunt. Existimantes enim, id actum esse Nicaeae, quod versio actorum Synodi Nicaenae in Galliam missa continebant, arbitrati fuerunt Episcopos, qui Concilio interfuerant, in decretis suis errasse, et circa cultum Imaginibus sacris tribuendum absonam a doctrina Ecclesiae Catholicae sententiam tradidisse. Quare circa annum 790 opus editum est, quod cum Caroli Magni nomine inscriptum esset, et quatuor libros contineret, librorum Carolinorum appellatione usurpatur. Illorum autem librorum auctor vehementer indignatus ob ea, quae in versione latina actorum septimae Synodi legerat, de ipsa Nicaena Synodo detraxit. Praeter haec cum anno 794 concilium Francofordiense haberetur, atque ad illud magno numero Episcopi ex Gallia Germaniaque venissent, in eo decretum a Nicaena Synodo conditum de Imaginum sacrarum cultu, prout in versione latina habetur, condemnaverunt.

Ex his, quae contra septimam Synodum in libris Carolinis aut a Concilio

Francofordiensi scripta, et decreta sunt, occasio sponte sua nascitur illius Synodi auctoritatem defendendi. Id autem agendo demonstrabitur, neque librorum Carolinorum auctorem, neque Episcopos, qui tanto numero Concilio Francofordiensi interfuerunt, ab Ecclesiae sententia circa Imaginum sacrarum cultum discrepasse.

Non est necesse immorari in argumentis afferendis, quibus efficitur libros Carolinos Caroli Magni aetate scriptos esse, et nullo modo tribui eos posse vel Iconoclastae illorum temporum, vel alicui homini haeretico temporum recentiorum, qui Carolo Magno illos adscripserit, quo suos contra Imagines sacras errores, illius nominis, et aetatis auctoritate tueretur. Ut enim ceteros praeteream, Petavium, Pagium, Trombellium, aliosque, satis est consulere Natalis Alexandri dissertationem sextam in historiam Ecclesiasticam saeculi octavi, quae est de sacris Imaginibus contra veteres et recentiores Iconomachos, ac praesertim contra Ioannem Dallaeum Calvinistam. In ea dissertatione §. 5 et seq. Natalis Alexander omnia erudite perstringit argumenta, quae id, quod dicimus, prorsus evincunt. Certum est enim plura in iis libris esse, quae cum sententiis veterum Iconoclastarum, aut haereticorum saeculi decimi sexti, ac posteriorum temporum componi non possunt, immo iis manifeste repugnant. Certum est aetatis ipsius Caroli Magni scriptores gravissimos illud opus commemorasse, ipsiusque Hadriani I Pontificis testimonio demonstrari, illos libros ad Pontificem Caroli Magni iussu missos esse.

Loquamur potius de librorum istorum sententia, et rationes explicemus, quamobrem factum sit, ut Episcopi, qui Concilii Francofordiensis participes fuerunt, de decreto a Nicaena secunda Synodo circa sacras Imagines promulgato detrahere potuerint.

Itaque non est dubium Episcopos Francofordienses canone 2 ita pronuntiasse: « Allata est in medium » quaestio de nova Graecorum Synodo, quam de adorandis Imaginibus Constantinopoli fecerunt; in » qua scriptum habebatur, ut qui » Imaginibus Sanctorum, ita, ut Deificae Trinitati servitium, aut adorationem non impenderent, anathema iudicarentur. Qui supra Sanctissimi Patres nostri omnimodis » adorationem et servitutem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt. » Apparet ex his perspicue, quid existimaverint Episcopi Francofordienses a Synodo septima circa Imagines esse decretum, et qua de causa Synodi illius decretum improbaverint.

Quod spectat vero ad Carolinos libros, certum est eos contra Synodum septimam memorata de causa fuisse scriptos. Testis huius rei est inscriptio operis ipsa, quae ita habet: « In nomine Domini, et Salvatoris Nostri Iesu Christi, opus illustrissimi, et excellentissimi, seu » spectabilis viri Caroli, nutu Domini, Regis Francorum, Gallias, » Germaniam, Italiamque, sive harum finitimas provincias, Domino » opitulante, regentis, contra Synodum, quae in partibus Graeciae » pro adorandis Imaginibus stolide, » sive arroganter gesta est. » Exponit vero in operis praefatione auctor operis illius, quid sibi in scribendo proposuerit. Agit enim de Concilio sub Constantino Copronymo contra Imagines celebrato, et de eo his verbis loquitur: « Gesta sane est ante » hos annos in Bithyniae (Constantinopolis) partibus quaedam Synodus tam incautae, tamque indiscretae procacitatis, ut Imagines in » ornamentis Ecclesiae, et memorias » rerum gestarum ab antiquis positas abolerent abdicatione; quodque » Dominus de idolis praecepit, hoc » illi de cunctis Imaginibus perpetrarent. » Errorem contrarium aliam Synodum, quae septima oecumenica

est, amplexam esse memoratus auctor illius operis veluti certum ponit. Inquit enim eodem loco: « Gesta » praeterea est ferme ante triennium » et altera Synodus illis in partibus, » ab eorum, qui priorem gesserant, » successoribus, vel a plerisque, qui » in priore fuisse narrantur; quaeque » tamen quamquam a priore distet » voto, non tamen distat errore; et » si dispar est negotio, est tamen » compar flagitio; et cum sit po» sterior tempore, non tamen est » posterior crimine..... haec enim, » anathematizata, et abominata cum » suis auctoribus priore, Imagines, » quas prior nec etiam cernere per» miserat, adorare compellit; et ubi» cumque, sive in Divinae Scripturae » locis, sive in Sanctorum Patrum » commentariis, quamcumque repe» rerunt Imaginum mentionem, erga » suae voluntatis arbitrium vertunt » in adorationem. Nec minoris ab» surditatis spiris hi connectuntur » in habere, et adorare, quam illi » connexi sunt in Imagine, et idolo; » cum illi imaginem, et idolum, isti » habere, et adorare, unum esse pu» tarint. » Concludit denique praefationis auctor affirmans se hanc « Synodum veluti purgamentum sus» cipere.» Ineptissimam denique eam Synodum appellat, in qua cum Copronymus in sua decrevisset Imagines frangi, statutum ex contrario errore fuerit, adorationis cultum Imaginibus exhiberi.

Haec, quae mox retulimus, in Carolinis libris, et in Concilii Francofordiensis canonibus continentur. Hinc est factum, ut Catholici sacrarum Imaginum propugnatores contra Protestantes, illos libros non Carolo Magno, sed haeretico alicui, vel antiquiorum, vel recentiorum temporum adscribendos putaverint, ne Carolo Magno tribuentes, viderentur concedere, Carolum ab Imaginum cultu abhorruisse. Contra vero Protestantes multum causae suae prodesse iactantes, si ad impugnandum hunc cultum, afferre possent Caroli Magni, et Concilii Francofordiensis auctoritatem, quasi Carolus, et Francofordienses Episcopi, eandem, quam ipsi tenent, contrariam Imaginibus sententiam defendissent, laetati sunt vehementer haec in libris illis, quos Carolo ipsi adiudicant, et in Francofordiensis Concilii canonibus reperiri. Testis omnium loco adduci potest Dallaeus lib. 4 cap. 2 memorati operis de Imaginibus.

Sed ostendi potest perspicue librorum illorum auctorem minime reiecisse doctrinam Ecclesiae catholicae de Imaginibus, aut ob veram doctrinam istam ab eo Nicaenam secundam Synodum improbatam esse. Certe si auctor librorum ab Imaginum cultu non erat alienus, quomodo concedi Protestantibus poterit, ab eo ob hunc cultum Nicaenam Synodum reiectam esse? Atqui lib. 4 cap. 21 haec ille habet: « Esto, Imago Dei » Sanctae Genitricis adoranda est. » Unde scire possumus, quae sit eius » imago, aut quibus indiciis a ceteris » imaginibus dirimatur?» Ita etiam lib. 3 cap. 46 concedit, relativum Imaginum cultum non esse improbandum, quando omne absit superstitionis periculum. Denique in testimonio, quod tamquam ab iis libris petitum Hadrianus Pontifex Carolo Magno respondens adduxit, haec leguntur: « Ultimum capitulum est, ut » sciat Domnus Apostolicus, et Pater » Noster, et cuncta simul Romano» rum Ecclesia, ut secundum quod » continetur in epistola Beatissimi » Gregorii, quam ad Serenum Mas» siliensem direxit, permittimus ima» gines Sanctorum quicumque eas » formare voluerint tam in Ecclesia, » quamque extra Ecclesiam propter » amorem Dei, et Sanctorum; ado» rare vero eas nequaquam cogimus, » qui noluerint. »

Haec autem cum ita sint, apparet quomodo evenire potuerit, ut librorum, de quibus agimus, Auctor Nicaenam Synodum vehementer reprehendat? Idcirco accidit, videlicet, quod versio illa latina Synodi Ni-

caenae secundae in Galliam perlata, in errorem adduxisset scriptorem memoratum, ab ea Synodo non veram Ecclesiae doctrinam de Imaginibus, sed sententiam de ea re valde diversam, atque Ecclesiae doctrinae contrariam expositam fuisse. Collegerat enim scriptor ille ex depravata versione latina, non relativum tantum, sed absolutum etiam Imaginibus cultum tribuendum esse, eademque ratione Imaginibus sacris cultum exhiberi debere, qua SSm̃ae Trinitati tribuitur. Id praesertim sibi persuaserat ex corrupta versione verborum concionis habitae a Constantino Constantiae Episcopo, cui concilium adhaeserat. Ut vero abstineam ab afferendis testimoniis in re per se clara non necessariis, satis ostenditur, ob hanc causam de Nicaena Synodo scriptorem illum detraxisse, ex locis illis, quae superius allata sunt, pluribusque aliis, quae in dissert. Natalis Alexandri iam memorata referuntur. Nihil igitur Carolinorum librorum Scriptor iuvat causam, quam contra Ecclesiae catholicae doctrinam de Imaginibus Protestantes propugnant.

Eadem responsio, quam de Scriptoris librorum Carolinorum sententia attulimus, eadem, inquam, de Francofordiensis Concilii decreto afferenda est. Primo loco responderi facile potest iis, quae a pluribus adducta sunt, ut universa difficultas ex Francofordiensium Episcoporum facto evanesceret. Scilicet, etsi pateat Francofordiense Concilium Imaginum sacrarum cultum legitimum non improbasse, dubitatum est tamen, num Francofordienses Episcopi in canone superius adducto, oecumenicam septimam Synodum, an potius pseudo-Synodum Constantini Copronymi reiecerint. Etenim in eo canone Francofordienses Episcopi improbant Synodum Constantinopoli habitam ad Imaginum sacrarum causam pertractandam. Iam vero Copronymi quidem Synodus Constantinopoli habita erat, Oecumenica vero septima Synodus Nicaeae fuerat celebrata. Praeterea incredibile videtur Francofordiensem Synodum peculiarem, de Generali Synodo septima iudicare voluisse; erat vero obvium Francofordienses de Synodo Copronymi voluisse, et potuisse iudicare, quam illegitimam fuisse sciebant, et nullius auctoritatis.

Verum his responderi ita potest, ut appareat Episcopos Francofordienses in suo secundo canone non de Synodo Constantini Copronymi, sed prorsus de Synodo Nicaena secunda loquutos fuisse. Etenim ipsa canonis Francofordiensis verba hoc aperte demonstrant. Nam affirmant in eo canone Episcopi, qui aderant Francofordiensi Concilio, « allatam esse » in medium quaestionem de nova » Synodo Graecorum, quam de ado- » randis Imaginibus Constantinopoli » fecerunt, et hanc Synodum se con- » demnare.» Iam vero Synodus Francofordiensis habebatur anno 794. Non poterat ergo eo anno *Novae* Synodi nomine intelligi Synodus Constantini Copronymi, quae anno 754 celebrata fuerat, recte autem nova poterat intelligi Synodus Nicaena secunda, quae anno 787 habita erat. Praeterea Francofordienses Episcopi Synodum damnarunt, quae *de adorandis Imaginibus* habita a Graecis fuerat, atque ita adorandis, ut per errorem crederent eundem cultum tributum Imaginibus ab ea Synodo fuisse, qui soli SSm̃ae Trinitati exhiberi potest. Haec vero de Synodo Constantini Copronymi dici nullo modo poterant, sed de Nicaena secunda manifeste explicantur. Nam Copronymi Synodus habita est non *de adorandis,* sed *de evertendis* omnino sacris Imaginibus; in Nicaena autem Synodo, Episcopi Francofordienses depravata versione decepti putabant, decretum esse conditum de vera sacrarum Imaginum adoratione.

Praeterea etiamsi Francofordienses Episcopi in suo secundo canone mentionem faciant Synodi *Constantinopoli* a Graecis celebratae, et

hanc Synodum condemnent, inde tamen non sequitur eos loquutos esse de Synodo Copronymi Episcoporum Iconoclastarum. Primum enim semper idem est animadvertendum, eos anno 794 loqui de nova Graecorum Synodo; deinde poterat etiam de septima oecumenica Synodo dici, habitam Constantinopoli esse. Etenim haec Synodus primum in ea urbe celebrari coeperat, et nisi Iconoclastarum tumultus intercessissent, ibi tota Synodus illa oecumenica celebrata esset. Deinde ultima sessio Synodi Constantinopoli habita est, ut Constantinus et Irenes ei possent interesse. Cum igitur Synodus septima Generalis Constantinopoli haberi coepisset, atque in ea urbe esset absoluta, satis probabilem Episcopi Francofordienses habebant rationem, ut de ea loquentes, se loqui dicerent de Synodo, quae Constantinopoli a Graecis habita est.

Profecto Aeginardus in annalibus diserte loquens de Nicaena secunda Synodo habita sub Irene, et Constantino filio, dici non potest eo loco loquutos de Copronymi Synodo. Atqui hanc Synodum sub Constantino et Irene habitam, Constantinopoli congregatam esse affirmat. « Synodus » etiam, ait, quae ante paucos annos » in Constantinopoli sub Irene, et » Constantino filio eius congregata » est, et ab ipsis non solum septima, » verum etiam universalis appellata, » ab omnibus abdicata est. » Scriptor quoque Saxonicus a Petavio de Incarn. l. 15 c. 12, Natali Alexandro, aliisque citatus, eodem urbis Constantinopolitanae nomine Synodum septimam generalem commemorat. Inquit enim: « Constantinopoli ce» lebrari fecit in urbe Graecorum » Princeps, qui Constantinus habe» bat nomen, et eiusdem Genitrix » Irene vocata. » Qua ratione igitur hi potuerunt septimam Synodum Constantinopoli celebratam dicere, quin idcirco eorum testimonia intellecta a quolibet sint de Copronymi Concilio; ita quoque Francofordienses Episcopi, cum in suo canone Synodum Constantinopoli a Graecis celebratam condemnaverunt, non de Copronymi, sed de Nicaena secunda Synodo loquuti esse dicendi sunt.

Aliam Petavius de Incarn. lib. 15 cap. 13 adducit responsionem, videlicet Episcopos Francofordienses non proprie Synodum Nicaenam, aut decretum ab ea latum de Imaginibus, sed Constantini Episcopi Constantiae Cypri peculiarem sententiam improbasse, quem ita de cultu Imaginibus tribuendo loquutum esse, depravata latina actorum versio ferebat, ut videretur cultum eundem Imaginibus tribuere, qui SSmae Trinitati exhibendus est. Verum his alii respondent, hanc quidem depravatam versionem illorum praesertim verborum Constantini Episcopi Constantiae fuisse causam, cur Episcopi Francofordienses per errorem putaverint talem cultum Imaginibus fuisse ibi decretum, sed ex altera simul parte constare, Episcopi Constantiae sententiae, quae deinde depravate reddita latine est, Episcopos Nicaenos adhaesisse, et apparere ex canonis secundi Francofordiensis loquendi ratione, Episcopos Francofordienses non de peculiari alicuius Episcopi sententia, sed de ipsa Synodo improbanda loquutos fuisse. Restat igitur, ut ita canon Francofordiensis ille explicari debeat.

Afferri etiam facile potest responsio alteri illi difficultati, quae superius commemorata est, ut ostenderetur, Francofordiensium Episcoporum mentem esse non potuisse Synodum Nicaenam improbandi, cum incredibile sit, eos hoc audere voluisse contra Synodi Generalis auctoritatem. Nam constat pluribus ex testimoniis librorum Carolinorum, qui libri, probantibus Episcopis Gallicanis, quatuor ante annos editi fuerant, Episcopos illos, qui Concilio Francofordiensi interfuerunt, eo tempore non existimasse Nicaenam Synodum oecumenicam fuisse. Hoc

autem maxime eveniebat ob actorum versionem latinam, quae Nicaenae Synodi sententiam erronea prorsus ratione reddiderat. Praeterea, ut omittam cetera, scilicet, Episcopis illis Gallicanis satis innotuisse, Hadrianum acta Synodi latine reddita in Galliam misisse ea mente, ut ibi perpenderentur; eundemque Pontificem respondentem Carolinis libris, oecumenici Concilii nomen Synodo Nicaenae non tribuisse; ut ista, inquam, omittam, illud tantummodo dicam, quod gravissimum est. Videlicet, eo tempore, quo ista eveniebant, nondum a Sede Apostolica, solemni, publicoque decreto Synodus Nicaena fuerat confirmata, sine quo decreto, nulla Synodus licet iuste riteque habita, oecumenicae Synodi auctoritatem sibi vindicare potest. Nondum vero hoc confirmationis decretum a Sede Apostolica datum tunc esse, testis est ipse Hadrianus I Pontifex in epistola ad Carolum Magnum, qua Carolinis libris respondit. « Nam, inquit in ea epistola, » Synodum istam, secundum nostram » ordinationem fecerunt (Graeci), et » in pristino statu sacras, et vene- » randas Imagines susceperunt... et » ad fidem catholicam sanctae catho- » licae, et apostolicae reversi Eccle- » siae, per libellos eorum fecerunt » rectae fidei confessionem, et ideo » ipsam suscepimus Synodum... Nos » vero adhuc pro eadem Synodo nul- » lum responsum hactenus eidem Im- » peratori reddidimus, metuentes, ne » ad eorum reverteretur errorem.» Patet igitur ex his, Episcopos Francofordienses non existimasse eo tempore Synodum Nicaenam oecumenici Concilii auctoritate potiri, et patet ob non tributam eousque ab Apostolica Sede confirmationem, eam Synodum non potuisse tunc sibi vindicare Concilii oecumenici auctoritatem. Haec autem efficiunt, ut mirari non debeamus, Francofordiensem Synodum ea ratione se gessisse, quam commemoravimus. Haec confirmatio perspicue ab Apostolica Sede, deinde et a Concilio VIII Generali facta est.

Etsi ista vera sint, constat tamen Synodum Francofordiensem canonem illum secundum minime edidisse, quod ipsa ab Imaginum sacrarum cultu abhorreret. Primo enim certum est, Synodum Francofordiensem compositam maxime fuisse ab Episcopis, qui regno Caroli Magni subditi erant. Hos Episcopos ab Imaginum sacrarum cultu alienos fuisse nullo modo dici posset. Praeter alia plura, quae hoc ostendunt, satis erit animadvertere, Episcopis illis probantibus, libros editos esse, qui Caroli Magni nomine, quatuor ante annos missi ad Pontificem Hadrianum fuerant, prout praefatio ipsa declarat his libris praeposita: «Quod opus » aggressi sumus cum conniventia » Sacerdotum in Regno a Deo nobis » concesso catholicis gregibus prae- » latorum, non arrogantiae super- » cilio. » Cum vero ex librorum Carolinorum lectione appareat in iisdem Imaginum cultum non reiici, sed potius confirmari; sequitur, Episcopos, quorum sententia hi libri probati sunt, ab eo cultu certe alienos minime fuisse.

Est autem perspicua ratio cur Episcopi Francofordienses canonem illum secundum tulerint. Videlicet et ipsi a depravata actorum Nicaenae secundae Synodi latina versione in errorem inducti fuerant, ut putarent ab ea Synodo absolutum latriae cultum Imaginibus sacris esse tributum, qui SSm̃ae Trinitati tantum exhiberi potest. Id ex verbis ipsis canonis memorati aperte demonstratur; in quo canone scribendo, Episcopos Francofordienses prae oculis habuisse perspicuum est verba Constantini Constantiae Episcopi, quae in vitiata illa versione latina ita reddita fuerant, ut Constantinus professus esse videri omnino posset, latriae cultum memoratum Imaginibus tribui debere. Hac enim ratione latinus interpres verba Constantini Episcopi vitiose reddiderat: « Suscipio, et

» amplector honorabiliter sacras, et » venerandas Imagines, secundum » servitium adorationis, quod con- » substantiali, et vivificatrici Trini- » tati emitto. » Ut appareat vero quantopere verba ista latine reddita, discreparent a germana Nicaenae secundae Synodi sententia, opportunum erit eundem locum ex accurata latina versione hic afferre. « Ego etiam indignus his consentio. » et eiusdem sum sententiae, susci- » piens et honorare amplectens sa- » cras, et venerabiles Imagines; et » adorationem, quae fit secundum la- » triam, supersubstantiali, et vivi- » ficae Trinitati emitto. » His autem ita explicatis, constat, ex facto Francofordiensis Concilii nullum argumentum contra legitimum, atque ab Ecclesia Catholica probatum Imaginum sacrarum cultum desumi posse.

Haec saeculo octavo post secundam Nicaenam Synodum absolutam, in controversia de Imaginibus sacris evenerunt. Quae nunc perstringemus, saeculo quidem nono contigerunt; sed hic commemoranda videntur, eo quod ad unam, eandemque causam pertineant.

Itaque post Synodum Nicaenam habitam, dici iure potest usque ad annum 814, quo Leo Armenus imperare coepit, vix quidquam catholicos ob Imaginum sacrarum cultum passos esse. Sed Leone isto Armeno imperante, qui Leonem Isauricum, et Constantinum Copronymum in ea causa imitandos sibi proposuisse videbatur, ea fere omnia catholici tolerarunt, quae sub duobus illis principibus pati debuerant. Inter ceteros vero catholicos, qui Imaginum cultum contra huius Imperatoris conatus propugnarunt, praecipuam laudem certe merentur Theodorus Studita, et Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus, qui Tarasio suffectus erat. Leoni Armeno anno 820 interfecto, Michael Balbus successit. Is autem ab initio se benevolum erga catholicos simulavit, prout Constantinus Copronymus fecerat; sed deinde cum liberatum se intellexit ab eo metu, quem illi incusserat Thoma Dux, qui seditionem, ac bellum civile contra eum commoverat, tunc demum ostendit confictam penitus fuisse eam benevolentiam, quam erga catholicos significaverat, quos acriter vexavit ob iconoclasticum errorem, cui impense studebat. Exilio enim, spoliatione bonorum, capitis etiam poena Michael Balbus ob Imaginum cultum in catholicos animadvertit.

Imperator hic Michael Balbus conatus est etiam Ludovicum Pium Imperatorem, et Eugenium II Pontificem Romanum, qui tunc Ecclesiae praeerat, decipere. Etenim cum Imperator optaret, sibi praesidium Ludovici Pii, et Romani Pontificis Eugenii comparare, opportunum existimavit Legationem ad eos destinare, vota sua iis significandi gratia, ut inter utrumque imperium concordia instauraretur, atque omnis prorsus de religione controversia extingueretur. Itaque litteras ad Ludovicum Imperatorem, atque ad Pontificem Eugenium afferendas Legatis suis dedit; in quibus scribendis magnam calliditatem adhibuerat. Etenim, quod spectat ad cetera doctrinae catholicae capita, de quibus tunc quaestio non erat, ita Michael Balbus in litteris ad Ludovicum loquebatur, ut penitus in iis cum Ecclesia catholica se consentire significaret. Quod vero pertinet ad controversiam de sacris Imaginibus, nihil ille omnino de iconoclastico errore suo affirmabat, nihil de iis, quae gesserat in illa causa, sed in recensendis potius nonnullis ritibus immorabatur, quos superstitiosos esse dicebat, atque ad periculum superstitionis avertendum, affirmabat a se decretum esse, ut Imagines in editioribus tantummodo locis haberentur, et idcirco illae, quae in inferioribus locis erant positae, removerentur. Ita enim fieri posse contendebat, ut populus a superstitiosis ritibus circa Imaginum cultum abstineret. Certiorem denique Ludovicum Pium faciebat, se Legatis suis

mandasse, ut Romam se conferrent, ac ad Pontificem Maximum Eugenium litteras suas et munera afferrent. Precabatur vero Ludovicum, ut apud Pontificem pro se ipso humaniter ageret, quo finis imponi posset tandem aliquando discordiae, et excitatae circa fidem controversiae. Ludovicus facilem se erga Michaelem Balbum ostendit, et benevole se in illius gratiam apud Pontificem acturum promisit. Misit ergo ad Pontificem legatos, et per istos ab Eugenio petiit, ut concederet conventum haberi Episcoporum, in quo veterum testimonia circa Imaginum sacrarum cultum seligerentur, quae deinde Romam ad Pontificem mitti deberent.

Huic Ludovici Pii petitioni cum Pontifex Eugenius II assensus esset, habitus est anno 825 Parisiis, Episcoporum, atque aliorum doctorum hominum conventus, qui solet etiam Concilii nomine appellari. In eo congressu, Nicaenae Synodi auctoritatem se non accipere illi ostenderunt, Imaginum cultum absolutum reiecerunt, relativum vero ita licitum esse pronunciarunt, ut periculosum dicerent, et nonnullos ritus erga Imagines adhibitos improbarunt, qui superstitiosi ipsis videbantur. Non desunt certe gravia argumenta, ut credi omnino debeat illum Episcoporum conventum vere habitum esse, atque ista, quae diximus, ibi acta fuisse. Sed haec Ecclesiae sententiae de cultu Imaginum minime officiunt.

Afferam praecipua, quae ostendunt de huius congressus veritate non posse dubitari. Editus est libellus Francoforti anno 1546 hac inscriptione: «Synodus Parisiensis de Imaginibus anno Christi 824 ex vetustissimo codice descripta, ac nunc primum in lucem edita.» Petrus Delalande Thesaurarius Ecclesiasticus S. Frambaldi Silvanectensis eandem edidit ex codice Bibliothecae Thuanae n. 270. Si de huius praeterea congressus Episcoporum veritate dubitandum esset, quamplurium etiam monumentorum ad ea tempora pertinentium veritas in discrimen vocari deberet, quae superius indicavimus, quae tamen conveniunt cum universa Gallorum illorum temporum historia, quae depromitur ex Aeginardo, Agobardo, annalibus Francorum Bertinianis, Fuldensibus, Hincmaro, aliisque. Legendus est Mabillonius in praef. ad priorem partem saec. IV Bened., Pagius ad ann. 825, n. 2 et seq.; Trombellius diss. 10 de cultu sanctorum c. 22 et seq.; Nat. Alex. diss. 6 in saec. 8, §. 9 et 10. Ostendit perspicue Pagius Episcopos congressus Parisiensis participes, ex veteri errore ob depravatam versionem superius memoratam existimasse Nicaenos Patres deceptos esse: credidisse autem Michaeli Balbo iactanti abusus in Imaginum cultum invectos; relativum cultum non improbasse, sed periculosum putasse, latriam soli Deo reservasse; offensos esse maxime voce adorationis, qua Graeci utebantur.

Fallitur vero graviter Dallaeus cum de Imaginibus agens, vehementer hac Synodo Parisiensi laetatur, eamque obiicit tum Nicaenae Synodi secundae, tum Romanorum Pontificum Hadriani I, Leonis III, Stephani IV, Paschalis I, Eugenii II auctoritati.

Primum enim conventus hic Parisiensis, Synodus proprie dici non potest. Constat id ex ep. Ludovici Pii ad Eugenium, et huius ad Imperatorem responsione, qua ostenditur tantummodo fuisse datam facultatem, ut de Imaginum causa ageretur in Episcoporum conventu, et de ea re, veterum testimonia colligerentur. Ludovicus ipse in epistola ad Eugenium II haec loquitur: «Nos » tamen non Synodum congregando, » sed quemadmodum a vobis postu- » lavimus, licentiamque agendi per- » cepimus, una cum familiaribus no- » stris, filiis vestris studuimus, quid » Almitati vestrae de tanta neces- » sitate significaremus. »

Deinde ea, quae in conventu acta sunt, Eugenii II iudicio fuere reser-

vata. Patet ex epistola Ludovici, et Lotharii Imperatoris, praesulum consilio scripta ad Eugenium: qua aiunt, se collegisse testimonia de Imaginum causa, ut Pontifici ea subiicerent, et concordia tandem iniretur. « Quibus perlectis, ea vestrae San» ctitati legenda, atque examinanda » per legatos nostros Ieremiam, et » Ionam Episcopos mittere curavi» mus... Quos non ob hoc ad vestrae » Almitatis praesentiam misimus, ut » aliquo velut magisterii officio fun» gerentur, aut docendi gratia di» recti putarentur, quia sicut iam » commemorati sumus, nos debitores » exsistere, ut huic S. Sedi in qui» buscumque negotiis auxilium ferre » debeamus. »

Tandem ex pluribus eiusdem conventus locis apparet Episcopos non fuisse hostes legitimi Imaginum cultus. Etenim in ep. ad Ludovicum, et Lotharium hanc esse summam doctrinae suae dicunt, ut « Imagines » Sanctorum stulta praesumptione » non sint confringendae, et ad in» iuriam Sanctorum abolendae, et » penitus despiciendae, nec asser» tione superstitiosa colendae, aut » adorandae, sed superstitione re» mota, iuxta veram religionem Ima» gines habendae, sicut a B. Gre» gorio satis catholice declaratur. » Haec habentur etiam in epistola, quam ii composuerant a R. Pontifice ad Michaelem, et Theophilum mittendam, quod consequuti non sunt.

Cum congressus iste absolutus esset, Ludovicus Pius acta eiusdem Romam misit, et Legatis suis, quos ad urbem destinavit, socios addidit etiam Michaelis Balbi Legatos. Nihil tamen in urbe apud Pontificem proficientes, re infecta discesserunt. Conati quidem illi sunt Pontificem flectere, atque ad assentiendum perducere. Eugenius tamen singulari sapientia praeditus declaravit, se intelligere Gallicanos in veteri concepto errore adhuc versari, Michaelem Balbum autem dolo malo egisse, quae gesserat. Itaque constanter his restitit, et affirmavit, se nihil umquam facturum, quod aut Concilii II Nicaeni auctoritati iniuriosum esset, aut Ecclesiae catholicae disciplinae de Imaginibus adversaretur. His positis, manifeste apparet, neque Dallaeum, neque alium quemlibet Imaginum cultus adversarium, de Parisiensi isto congressu posse gloriari.

Post Michaelis Balbi mortem, infelicior sub eius filio Theophilo catholicorum conditio fuit. Is enim sibi proposuerat omnino catholicam religionem delere, atque eius conatus contra catholicos, quod Imagines aut colerent, aut retinerent, aut pingerent, vel etiam quod contumeliis eas non afficerent, eo spectabant, ut religionem catholicam in provinciis illis everteret, in quibus imperabat. Acerbissimum se praesertim contra Monachos exhibuit, quos ob eam causam omni malorum et poenarum genere vexavit. Praeclara tamen fuerunt exempla constantiae et fortitudinis, quae pro religione defendenda catholici praebuerunt. Inter eos autem, qui praecipuam laudem merentur, Lazarus ille monachus fuit, quem eo crudelius Imperator insectatus est, quod pingendi arte plurimum praestans, non modo nollet Imagines sacras a se antea depictas iniuriis afficere, sed in proposito eas pingendi perseveraret. Illum igitur exquisitissimis cruciatibus vexatum ac paene interfectum, atrocissimo etiam supplicii genere affecit, cum laminis ferreis candentibus eiusdem manus combussit. Lazarus his cruciatibus singulari virtute toleratis, superstes fuit Theophilo; alias, et multum commendatas sacras Imagines pinxit, quas inter laudata praesertim fuit illa Praecursoris Domini, atque ea SSmi Salvatoris imago, quae in aedis Imperatoriae vestibulo posita est, unde Leonis Isaurici aetate, alia similis Imago eversa fuerat. Theophilus denique, scelerum, et crudelitatis suae poenas dedit,

cum anno 841 confectus torminibus, mortuus est.

Extincta tunc in Orientalis imperii provinciis est haeresis Iconoclastica. Nam mortuo Theophilo, Constantinus Porphyrogenitus eius filius in imperio succedebat. Is autem cum quadriennis tantummodo esset, Theodora illius mater Augusta declarata, Reipublicae praefuit. Huius vero Augustae feminae virtute factum est, ut calamitas Iconoclastica, quae ferme annos 120 Ecclesiam tantopere turbaverat, finem haberet. Nam Ioanni pseudo-Patriarchae haeretico, Theodora curante, Methodius, qui pro sacrarum Imaginum defensione, acerbe sub Michaele Balbo et Theophilo vexatus erat, Patriarcha Constantinopolitanus electus est. Universis deinde Reip. Ordinibus, Senatu, Populoque sibi conciliatis, habitaque anno 842 Synodo, in antiquum honorem Imagines sacrae sunt restitutae, solemni pompa, communique plausu per urbem delatae, atque iis in locis iterum erectae, ac statutae, unde ablatae antea fuerant. Ad huius facti perpetuum monumentum, anniversaria est instituta solemnitas, quae *Orthodoxia* appellata est.

Ex harum rerum narratione apparet, in hac quoque controversia contigisse id, quod Vincentius Lirinensis de baptismo ab haereticis collato loquens affirmavit: *retenta est antiquitas, explosa novitas.* Etenim, etiamsi omnes adhibiti sint conatus ad Imaginum cultum evertendum, atque ad persuadendum in eo cultu superstitionem contineri, vicit tamen veritas, et Ecclesiae doctrinae sanctitas de errore et calumnia triumphavit. Immo Imaginum sacrarum causae non parum honoris accessit ex hominum, qui de eo cultu inter se pugnarunt, qualitate. Nam cum catholici, qui cultum Imaginum defendebant, magna religionis, pietatis, fortitudinis exempla praeberent; Orientales interea Iconoclastae, crudeles se, Religionis inimicos, superbos, vitiisque aliis deditos passim demonstrabant. Meretur inter cetera, ut legatur epistola 14, tom. 2 operis inscripti *Discussion amicale sur l'etablissement, et la doctrine de l'Eglise Anglicane, et en général sur la Réformation* Londini editi anno 1817 a Ioanne Francisco Maria Lepappe Trevernio, nunc Episcopo Argentinensi, in qua epistola controversiam totam de Imaginum cultu contra recentiores Heterodoxos fuse atque erudite pervolvit.

CAPUT LXXVII.

DE RELIGIONIS PROPAGATIONE IN GERMANIA.

Inter ea, quae saeculo octavo feliciter Religioni christianae evenerunt, numerari certe debent progressus, quos illa fecit in Germaniae regionibus. Multo quidem vetustius Religio Christiana in iis regionibus propagata fuerat, prout inter cetera constat legenti caput 20, lib. 2 *Originum et antiquitatum Christianarum,* eruditissimi viri Thomae Mariae Mamachii, qui eo loco, a primis Ecclesiae temporibus ad posteriora, recenset progressus, quos in Germania Religio fecerat, eiusque vicissitudines. Commemorat etiam vir doctissimus in adnotationibus ei capiti subiectis scriptores, qui de ea re pertractaverunt. Verum cum detrimentum gravissimum Religio in Germania temporum vicissitudine, et pravorum hominum scelere accepisset, saeculo tandem octavo amplissime propagata est. Hi autem progressus laboribus praecipue S. Bonifacii Martyris Archiepiscopi Moguntini, eiusque singulari Religionis amplificandae studio debentur. Eum vero in gravissima ista re pertra-

ctanda Romani Pontifices Gregorius II ac III, et Zacharias plurimum auctoritate sua, doctrina, ac benevolentiae significationibus iuverunt; adeo autem de Religione in iis regionibus Bonifacius meritus est, ut Germaniae Apostolus iure fuerit appellatus.

Dum hoc Moshemius concedit in Inst. H. Eccl. saec. 8, parte I, cap. 1, ita tamen de Bonifacio loquitur, ut eo ipso loco, quo videtur illum laudare, vehementer potius eiusdem res gestas, virtutemque vituperet. «Meruit Bonifacius, ait, propter tot » labores pro Christo in Germania » susceptos nomen Apostoli Germa- » norum, neque prorsus eum hoc vo- » cabulo indignum pronuntiabunt, » qui res ab eo gestas aequo animo » consideraverint. At ab illo exem- » plo, quod primi et veri nobis Apo- » stoli reliquerunt, multis modis di- » stat. Nam ut taceam, dignitatem, » et maiestatem Romani Pontificis, » cuius minister, et legatus erat, » aeque, immo plus etiam, curae ipsi » fuisse, atque gloriam Iesu Christi, » ac Religionis; non illis semper » armis superstitionem oppugnabat, » quibus veteres usi sunt Apostoli, » sed vi saepe ac metu populorum » mentes terrebat, saepe arte, ac » insidiis quasi capiebat. Epistolae » eius deinde animum passim produnt » dominandi cupidum, et superbum, » vafrum, subdolum, immodicum ho- » noris, et iurium sacerdotalium di- » latandorum studium, magnam de- » nique, cum multarum rerum Apo- » stolo necessariarum, tum verae Re- » ligionis christianae ignorantiam.» Possuntne plures et graviores iniuriae simul, tam brevi oratione perstringi? Potestne magis inimice de aliquo homine, nulla virtute ac meritis praestante iudicium pronunciari? Potestne magis confidenter accusationibus calumniosis alicuius fama vituperari? Certum est tamen, hoc, quod Moshemius affert de S. Bonifacio tantopere infensum iudicium, cum factorum veritate, et cum eiusdem vitae ratione penitus pugnare.

Primo loco non poterat certe Moshemio vel cuiquam afferre legitimam sanctissimi viri accusandi rationem singularis illa observantia, quam perpetuo Bonifacius erga Apostolicam Sedem demonstravit, cui in toto propagandae Religionis negotio addictum se semper ostendit. Hoc enim agens Bonifacius, faciebat id, quod ceteri omnes praeclari viri fecerunt, qui vel antiqua, vel recenti memoria, propagandam apud exteras gentes Christianam Religionem susceperunt. Etenim quanam ratione gessit se Patritius, cum Christianae Religionis propagandae causa, in Hiberniam se contulit, atque universam illam gentem catholicae fidei comparavit? Nonne a Caelestino I Pontifice missus in eam insulam, observantissimum se semper in tota procuratione sua Apostolicae Sedi comprobavit, atque in ista erga D. Petri Sedem observantia, gentem illam constantissimam esse docuit? Quae alia fuit Augustini Anglorum Apostoli agendi ratio, cum ad Anglo-Saxones Christianae Religioni conciliandos, in insulam Britanniam peragravit? Nonne Augustinus una cum sociis suis a S. Gregorio Magno ad insulam illam missus, ut ibi propagandam Christi fidem curaret, constanter se Gregorii, et Apostolicae Sedis observantissimum praebuit, et tam grave illud opus ex Sedis Apostolicae auctoritate gessit? Idem de S. Stephano I Hungariae Rege dici debet, ac de iis, qui Regis huius studio, et cura, in Hungaria tota ad Ecclesiam catholicam convertenda laborarunt. Constat enim ex universa illius facti historia, totum istud negotium, tum aliorum Pontificum Romanorum, tum praesertim Silvestri II auctoritate gestum esse. Quod si de iis sermo sit, qui recentiori aetate, in quaslibet remotissimas orbis partes missi sunt Christiani nominis propagandi causa, eos oculis ipsis nostris dicere possumus nos perpetuo vidisse, in

tam difficili rerum agendarum perfunctione, ex Apostolicae Sedis auctoritate, cuncta gessisse.

Neque vero res poterat alia ratione legitime evenire. Quem enim alium veluti ducem, quem alium auctoritatis fontem sequi praeclari isti viri potuerunt, cum apud gentes adeo longinquas fidem catholicam intulerunt, atque in regionibus iis ecclesiastica negotia pertractarunt, nisi eum, qui in universam Ecclesiam iurisdictionis obtinet a Christo traditam potestatem? Quem ii consulere in rebus arduis, cuius responsis obtemperare debuissent, nisi illius, quem fides catholica docet omnium *Christianorum patrem et doctorem exsistere?* Haec autem cum ita sint, non modo Bonifacius Germanorum Apostolus accusari non potest, eo quod in expeditione sua, numquam intermissa erga Romanos Pontifices exhibuerit observantiae testimonia, sed hoc imprimis eius laudi, atque honori tribuendum est.

Esset vero hic referenda universa Bonifacii vitae historia, ut perspicue pateret quam aliena fuerint ab eius ingenio, ac moribus, ea vitia, quae propria Bonifacii fuisse Moshemius affirmat, prout ex monumentis patet, quae sive Baronius in annalibus, sive Mabillonius in saeculi tertii Benedictini historia, sive Henschenius in actis Bollandianis de Bonifacio Germanorum Apostolo commemorarunt. Patet autem ex iis Bonifacium in Anglia anno circiter 680 natum, qui antea Vinfridus, seu Winfrethus appellabatur, a primis aetatis suae annis singulari pietatis studio fuisse animatum, monasticum institutum a prima aetate amplexum esse, innocentissime gessisse adolescentiam, Religionis operibus, et litterarum ac scientiarum studiis semper intentam, reliquis etiam monachis instituendis permagna cum utilitate illum operam dedisse. Constat eum sacerdotio insignitum in id maxime curas suas convertisse, ut Ecclesiae incrementum procuraret, et proximorum saluti prodesset. Certum est praeterea eum, quando primum ab Episcopis Angliae adhiberi coepit ad publicum aliquod negotium pertractandum, tantam virtutis, peritiaeque suae opinionem omnibus attulisse, ut deinde rerum omnium gravium gerendarum ille particeps semper fuerit.

Id vero, quod maxime Bonifacium illustravit, continetur in consilio, quod suscepit, et quod tam feliciter ad exitum perduxit, totum se fidei catholicae propagationi in Germaniae regionibus devovendi. Primum suscepti huius consilii experimentum fecit Bonifacius, cum anno 715 in Frisiam ex Anglia venit, ut ibi statim operi manus imponeret. Sed in iis rerum adiunctis ad Frisiam ille pervenit, ut impossibile ei prorsus fuerit tunc aliquid ad Religionem propagandam ibi agere. Omnis enim illa provincia bello flagrabat, quod Carolus Martellus *Maior Domus* Regni Francorum cum Radbodo Frisiae duce gerebat. Itaque cum inter belli motus non posset id Bonifacius tunc agere, quod sibi proposuerat, neque quidquam ad hoc agendum a Radbodo ipso, quem Ultraiecti commorantem adivit, assequi potuisset, in Angliam ad suum monasterium reversus est.

Sed haec minime Bonifacii vota retardarunt fidei catholicae propagationis apud exteras gentes procurandae. Ubi ergo primum potuit, ad Gregorium II Pontificem anno 719 Romam se contulit, ut eo praecipue auctore, consilium susceptum impleret. Ab illo autem Pontifice summa benevolentia exceptus, cum Sedis Apostolicae Legati munere, atque amplissima potestate in Germaniam missus, singulari studio, quod iamdiu cupiebat, in iis regionibus curare coepit. Primo igitur, Gregorio II ita iubente, Thuringiam petiit, in qua, antiquiori tempore praedicatam fidem catholicam, sed in posterum ferme extinctam, excitandam atque iterum amplificandam curavit. Deinde cum mortuum esse Radbodum

accepit, et eo mortuo impedimentum sublatum esse intellexit in Frisia religionem christianam stabiliendi, in Frisiam iterum venit et labores suos ac sollicitudinem cum S. Willebrordi Ultraiectensis Episcopatus fundatoris virtute coniungens, brevi tempore eam regionem ad christianam religionem amplectendam perduxit, tanta felicitate, ut nisi ipse restitisset, Willebrordus eiEpiscopatum resignasset. Post haec in Hassiam se contulit, atque in ea regione non minori cum fructu catholicam fidem praedicavit.

Tum Gregorio II volente, anno 723 Romam reversus, rerum a se gestarum Sedi Apostolicae relatione facta, atque Episcopali dignitate auctus, in Germaniam denuo reversus est. Hoc autem tempore, cum Episcopus a Gregorio consecraretur, Bonifacii nomen susceptum ab eo fuisse memoriae proditum est, ita suadente Pontifice. Tunc Caroli Martelli patrocinio etiam adiutus, inceptum apud Hassos religionis amplificandae opus prosequutus est, incredibilibus laboribus toleratis, et magnis exhibitis patientiae ac charitatis exemplis, ut Ethnicos, atque Religionis Christianae inimicos, vel ad fidem perduceret, vel ab impediendo eiusdem incremento coerceret. Post haec a Gregorio III, qui anno 731 Gregorio II successerat, pallium de D. Petri corpore sumptum accepit, atque in Bavariam pergens, fructus permagnos ex laboribus suis ibi collegit; deinde tertio Romam anno 738 se contulit, unde in Germaniam redux, in eodem studio impense perseveravit Religionis propagandae, ita ut Archiepiscopus Moguntinus factus, plures Episcopatus auctoritate Gregorii III, et Zachariae Pontificis, Herbipolensem, ex. gr., Buraburgensem, Erfordiensem, Eichstadiensem, aliosque ibi instituerit; Abbatiam Fuldensem erexerit, aliaque plura perfecerit, quae ad Religionis propagationem ampliorem, stabilicremque posteriori tempore in Germania efficiendam, inservire possent.

Omitto Concilia a Bonifacio celebrata. Omitto quae Caroli Martelli filiorum, id est, Carolomanni ac Pipini, qui Francorum Rex anno 751 factus est, patrocinio Bonifacius gessit in regionibus, in quibus ii dominabantur; commemorabo demum, Bonifacium aetatis gravitate licet, ac laboribus fractum, anno 754 in Frisiam reversum, in ea regione iterum magnam utilitatem Ecclesiae attulisse, quod opus dum feliciter prosequebatur, a Christianae fidei hostibus circumventus, martyrio functus fuit. Interfectus enim est Religionis causa eo anno, die 5 Iunii, una cum quinquaginta duobus, partim ecclesiasticis, partim laicis catholicis, qui cum eo ab impia sceleratorum manu comprehensi, lapidibus obruti, et armorum ictibus trucidati sunt.

Dum tantis laboribus distineretur Bonifacius, mirum est quantam simul sollicitudinem exhiberet in iis procurandis, quae ad rectam regiminis ecclesiastici formam pertinere poterant. Hinc factum est, ut saepenumero Romanos Pontifices per litteras consuluerit, et in negotiis, quae aliquam difficultatem afferebant, eorundem sententiam postulaverit, praesertim in illud intentus, ut omnes Sedis Apostolicae responsa, veluti certissimam agendi ac credendi normam amplecterentur.

Haec brevi a nobis ex historia tantarum rerum a Bonifacio gestarum deprompta sunt. Sed haec, licet cursim significata, seu potius numerata, satis per se sunt ad ostendendum, num veritas, aut humanitas ipsa patiatur, iudicium tale de Bonifacio ferri, quale verba Moshemii superius allata continent. Multo autem luculentius demonstraretur, nonnisi per iniuriam ea vitia Germanorum Apostolo tribui, quae adscribit illi memoratus scriptor, si fuse rerum quae Bonifacius gessit et totius eiusdem vitae rationis histo-

ria hic posset afferri. Habent id acta Bollandiana ad diem 5 Iunii, ubi in Anacletis Bonifacianis, atque in vita S. Bonifacii scripta tum a Willibaldo Presbytero, tum a S. Martino Ultraiecti Presbytero, tum denique ab historico Monasteriensi, atque a S. Ludgero Monasteriensi Episcopo, ostenduntur praeclara sancti Martyris ornamenta. Illustrantur ea etiam ex actis saeculi Tertii Ordinis S. Benedicti a Mabillonio scriptis.

Antequam vero omittamus de Bonifacio loqui, opportunum erit, aliquod exemplum afferre ex iis, quae adducuntur, ut probetur, eum vel assentatorem Romanorum Pontificum fuisse, vel magnam, prout Moshemius affirmat, in suis litteris ignorantiam illum demonstrasse. Ita enim facto ipso apparebit, haec de Germanorum Apostolo per iniuriam pronuntiari. Itaque dicam aliquid de iurisiurandi religione, qua se Romae, cum a Gregorio II Episcopus consecraretur, erga Romanum Pontificem et Apostolicam Sedem Bonifacius devinxit. Formulam iuramenti, quam Bonifacius pronunciavit, refert *Liber Diurnus* Romanorum Pontificum a Garnerio editus cap. 3 tit. 2. Si vero formula illa legatur, constabit, quod ad summam rei pertinet, nihil aliud Bonifacium Gregorio spopondisse, nisi id, quod pertinere poterat ad explicandam suam erga Apostolicam Sedem observantiam, atque ad affirmandum, se in unitate fidei ac communionis cum Pontifice Maximo semper permansurum, eaque omnia pro viribus impediturum esse, quae debitae ab omnibus erga Apostolicam Sedem venerationi obessent, vel Romani Pontificis primatus iuribus resistentiam afferrent.

Iam vero si haec, praeiudicatis opinionibus depositis, perpendantur, apparebit nihil in iis esse, ex quo Bonifacius assentationis accusari queat. Certe per iniuriam Episcopi omnes assentationis accusarentur, qui cum Episcopalem consecrationem suscipiunt, a tot saeculis, eiusmodi iuramentum Romano Pontifici faciunt. Eadem ergo ratione non poterit Bonifacius accusari, veluti si assentandi studio, memoratum iuramentum in consecratione recipienda pronuntiaverit. Neque vero Bonifacii tempore induci primum coeptum est, ut Episcopi in consecratione sua, iurisiurandi religione, se Romano Pontifici devincant. Legi potest, ut id perspicue constet, eruditissimi Francisci Antonii Zaccaria dissertatio *De iureiurando, quo Archiepiscopi pallio donati, et Episcopi in sacra ipsorum ordinatione, obedientiam Romano Pontifici pollicentur,* quae dissertatio n. 13 est inter latinas eiusdem dissertationes *de rebus ad historiam, atque antiquitates Ecclesiae pertinentibus.* Commemorantur autem in ea dissertatione exempla iuramenti eiusmodi, quae sunt certe Bonifacii aetate antiquiora, et quae ostendunt consuetudinem iam tunc in Ecclesia vigentem, ut tale iuramentum Episcopi facerent, cum consecrarentur.

Haec ad Bonifacium ab omni accusatione vindicandum in ista re satis sunt. Si esset vero hic locus de instituto ipso pertractandi, ut tale iuramentum ab Episcopis fiat, cum consecratione Episcopali donantur, demonstrari facile posset, Romanos Pontifices in eo accipiendo, nihil aliud sibi proposuisse, nisi Religionis catholicae bonum, et eo tantum spectare ut quo devinctiores sedi Apostolicae sunt Episcopi, eo tutior sit Ecclesiae Catholicae status, atque expeditius incrementum. Ostenderetur etiam, falsum omnino esse, hoc institutum Ecclesiae canonibus repugnare. De his vero rebus memoratus superius doctissimus scriptor agit in recensita 13 dissertatione cap. 6.

Nunc breviter alterum afferamus, ut ab hoc exemplo, ceteris omissis, ostendatur, quam falso affirmetur, Bonifacium in epistolis suis, summam rerum ignorantiam demonstrare. Recensebo igitur id, quod ex Bonifacii epistola ad Zachariam Pontificem desumitur, videlicet Bonifa-

cium adeo ignorantem hominem fuisse, ut veluti haereticum accusaverit Virgilium quendam apud Pontificem, eo quod diceret esse Antipodas, scilicet, prout certissimum est, homines, qui in terrae parte nobis subiecta, et opposita habitent, et adversis vestigiis contra nostra vestigia stare videantur. Licet Bonifacii epistola de hac re interierit, eam tamen ab illo scriptam esse constat ex Zachariae ad Bonifacium responsione; cum autem hic Pontifex condemnandam iudicaverit hanc Virgilii sententiam, hinc in accusatione ista, ut apparet, etiam Zacharias accusatur, veluti si sententiam certissimam, tamquam haereticam improbaverit. Verum facile ostenditur frustra ex hoc facto argumentum desumi, vel ad Bonifacium, vel ad Zachariam Pontificem accusandum, prout iniuria fecit inter ceteros Dalambertius tom. 1 Dictionarii Encyclopedici verbo *Antipodes*. Refellit penitus hanc accusationem praeter Baronium ad an. 744 eruditissimus P. Eduardus De Vitry Societatis Iesu in dissertatione de Antipodibus edita in *Ephemeridibus Trivultiensibus* mense Ianuario ac Februario an. 1708.

Ceterum est enim, Zachariae aetate, idcirco denegatam esse Antipodum exsistentiam, quod Antipodes existimarentur homines, qui ab Adamo originem non habuerint, neque peccati originalis participes sint. Cum vero fidei dogma sit id, quod Actorum Apostolicorum cap. 17 legitur: « Fecitque ex uno omne genus » hominum inhabitare super univer- » sam faciem terrae, » mirum esse non debet, haereticam sententiam de Antipodum exsistentia fuisse iudicatam, cum ea aetate, hoc nomine intelligerentur homines diverso ab Adami genere orti. Ut autem appareat tali ratione fuisse adductum Bonifacium ad accusandum Virgilium apud Zachariam, argumento esse possunt verba, quibus Virgilii sententiam de hac re exposuit Bonifacius, prout Pontifex habet in sua epistola: « quod alius mundus, et » alii homines sub terra sint, seu » sol, et luna.» Etenim viri, quos intelligimus, Antipodes, hunc ipsum quem nos incolunt, et incolere debent mundum, eodem quo nos sole, eadem luna illuminantur, eodem quo nos ex Adami genere orti, eiusdem peccati originalis participes, reique nascuntur. Virgilii autem opinionem de Antipodibus diversam esse a nostra sententia circa Antipodas, verba mox allata significant.

CAPUT LXXVIII.

DE FELICE URGELLITANO EPISCOPO, ET ELIPANDO ARCHIEPISCOPO TOLETANO.

Cum Carolus Magnus in Galliis regnaret, Ecclesiae vero praeesset Hadrianus I, Felix Episcopus Urgellitanus, et Elipandus Archiepiscopus Toletanus errorem gravissimum spargere coeperunt. Videlicet D. N. I. Christum, Deum, hominemque confessi, totidem, quot naturae sunt, in eo filios Dei inesse docebant: alterum naturalem, qui Deus est, et Verbum; alterum Adoptivum, qui homo est.

Quae occasio fuerit huius erroris spargendi, refert Eginhardus in annalibus ad annum Christi 792. « Or- » gellis, inquit, est civitas in Py- » renaei montis iugo sita, cuius Epi- » scopus nomine Felix, natione Hi- » spanus, ab Elipando Toleti Episcopo » per litteras consultus, quid de hu- » manitate Salvatoris Dei, et Domini » Nostri Iesu Christi sentire debe- » ret, utrum, secundum quod homo » est, proprius, an adoptivus Dei Filius » credendus esset ac dicendus; valde » incaute, atque inconsiderate, et

» contra antiquam Catholicae Ecclesiae doctrinam, adoptivum non solum pronuntiavit, sed etiam scriptis ad memoratum Episcopum libris, pertinacissime pravitatem opinionis suae defendere curavit.»

Felici Urgellitano facile assensus est Elipandus Toletanus, de quo apposite animadvertit Petavius Theol. dogm. de Incarn. l. 1 cap. 22 eandem Elipandi fuisse opinionem, quae Felicis Urgellitani erat, colligi ex eiusdem symbolo, quod ex Elipandi dictis Etherius Examensis Episcopus redegit. Colligitur etiam ex epistola, quam Albinus Flaccus, seu Alcuinus ad Elipandum humanissime scripserat, et qua conatus est illum ad sincerae fidei confessionem revocare, cui tamen summa superbia atque arrogantia Elipandus respondit.

Haec autem cum ita sint, tum Felix, tum Elipandus duos in Christo filios discernebant. Ex quo, ut eiusdem Petavii verbis utar, Nestorii consequens est haeresis, qui naturas duas ita quidem in Christo profitebatur esse consociatas, ut reipsa totidem, quot naturae sunt, personas inesse crederet. Agobardus certe Lugdunensis Episcopus, cui notus apprime Felix Urgellitanus fuit, affirmat, in libro contra eundem scripto, hunc Nestorii dogma sequutum fuisse: « et dum timet permixtio» nem Eutychetis incurrere, corruis» se in divisionem Nestorii.» Et iure ista quidem. Nam testimonia scriptorum omnium, Felici et Elipando aetate parium, in id conveniunt, ut ostendant, eos dum Proprium ab Adoptivo Filio Dei in Christo distinguebant, loquutos esse de Christo prout hic homo est, *in concreto. Terminus autem Filiationis,* prout Theologi animadvertunt, per sónam afficit. Dum ergo duo in Christo distinguebantur filii, duo simul distinguebantur personae, id quod est Nestorianum.

Multo luculentius haec ita intelligenda esse demonstratur, si erroneas reliquas sententias consideremus, quas de Christo homine in concreto, Felicem atque Elipandum docuisse, scriptores illius aetatis retulerunt. Alcuinus ex. gr. init. l. 4 operis, quod adversus Felicem scripsit, haec Felicis ipsius verba retulit: « Secundo mo» do nuncupative Deus dicitur (Iesus » Christus), sicut superius dictum est » de sanctis praedicatoribus, de qui» bus Salvator Iudaeis ait: Si enim » illos dixit Deos, ad quos Dei ser» mo factus est, qui tamen non na» tura, ut Deus, sed per Dei gra» tiam ab eo, qui verus est Deus, » deificati, Dii sunt sub illo vocati; » in hoc quippe ordine Dei Filius » Dominus, et Redemptor Noster iux» ta humanitatem, sicut in natura » ita et in nomine, quamvis excellen» tius cunctis, electus, verissime ta» men cum illis communicat, sicut » et in cetera omnia (hoc est), in » praedestinatione, in electione, in » gratia, in susceptione, in assum» ptione nominis servi, ut idem, qui » essentialiter cum Patre, et Spiritu » sancto in unitate Deitatis verus » est Deus, ipse in forma humanita» tis cum electis suis, per adoptio» nis gratiam deificatus, fieret et » nuncupative Deus. »

Haec sunt certe perspicua, sed his adiungi quoque possunt quae Hadrianus I Pontifex in epistola ad Episcopos Hispaniae contra Elipandum scripta recensuit, quae epistola t. 7 coll. Conciliorum Labbei pag. 1117 legitur. « Tanta vos, inquit Hadria» nus, temeritatis dementia deludit, » ut aequari cum nubibus et legisla» toribus non erubescatis: adoptivum » eum filium, quasi purum hominem » calamitati humanae subiectum, et, » quod pudet dicere, servum eum, » impii, et ingrati tantis beneficiis » liberatorem nostrum non pertime» scitis venenosa fauce susurrare.» Egobardus praeterea in memorato superius libro contra Felicem n. 6 et 7, ait: « Quibusdam adhuc vivens » aliqua improbanda conatus est per» suadere (Felix)....post mortem ve» ro huius cognovi per quosdam fi-

» deles fratres, qui ab illo audierant, » quod dixerit, Deum Dei Patris Fi- » lium, nullatenus dici debere pas- » sum, aut crucifixum, sed ab eo » hominem assumptum. Haec autem » faciebat saepedictus Felix quia nul- » latenus acquiescebat sentire, nec » suadere sibi ita volebat, ut cre- » deret in uno D. N. I. Christo dua- » rum naturarum unitionem substan- » tialiter factam, et Deum Verbum » secundum subsistentiam carni uni- » tum. »

In his referendis et confutandis coaevi scriptores conveniunt, prout, si necesse esset, aliorum illius aetatis scriptorum testimoniis ostendi facile posset. Haec autem talia sunt, ut non possit intelligi quomodo homines ista scribentes, aut affirmantes, haeresim Nestorianam non renovarent.

Haec autem continent confutationem prorsus illius sententiae, quam Gabriel Vasquesius, vir ceteroquin doctissimus, et magni ingenii defendit, et propugnare conatus est, in 3 part. D. Thomae tom. 1 qu. 23 disp. 89 cap. 8, videlicet Felicem et Elipandum Nestorianis non esse adnumerandos. Haec enim sententia primum repugnat communi scriptorum auctoritati, qui tempore ipso vixerunt, quo memorati duo Episcopi, eosque accurate confutarunt; deinde non potest ullo modo componi cum Felicis et Elipandi assumpto, qui de divina et humana Christi natura in concreto loquentes, duas personas in Christo inducebant.

Intelligitur autem, quam longe diverso a Vasquesii mente, Walchius in sua *Adoptianorum Historia*, et Iacobus Basnagius egerit animo, cum tom. 2 *veterum lectionum Canisii* pag. 284 Adoptianorum defensionem suscepit, et Felicianam haeresim in mera logomachia versatam fuisse contendit. Hoc enim ii, ceterique eiusdem generis scriptores, ideo fecerunt, ut de Ecclesia detraherent, eamque de inscitia reprehenderent, quae tanto studio, tot conciliis habitis, de re gravissima quaestionem esse arbitrata sit, cum controversia esset tantummodo de diversa verborum acceptione et explicatione. Ita ii agunt per arrogantiam, et calumniam, sed argumentis gravissimis refelluntur, prout de Felicis et Elipandi errore demonstratur, et prout ostenditur de ipsa Nestoriana causa et controversia, quam etiam Protestantes in logomachia versatam esse affirmarunt, ut iniuriam Ecclesiae irrogarent. Legi potest Natalis Alexandri dissertatio *de haeresi Feliciana, et Elipandiana,* in qua §. 4 ostendit Felicem atque Elipandum haeresim Nestorianam propugnasse. Legi praeterea potest eruditissima Ioannis Francisci Madrisii Utinensis Congregationis Oratorii Presbyteri *de Felicis, et Elipandi haeresi* dogmatica dissertatio, quam Fr. Ant. Zaccaria tom. 9 Thesauri Theologici sui pag. 353 etiam retulit. In ea autem dissertatione n. II et seqq. eadem de Felicis et Elipandi erroribus sententia demonstratur.

Refert vero Ionas Aurelianensis Episcopus lib. 1 de cultu Imaginum, duos hos Episcopos, facta quodammodo provinciarum partitione, errorem suum per Hispaniam, Gallias, et Germaniam disseminandum curasse. Sed Carolus Magnus minime passus est haec ab illis impune fieri. Eginhardus enim in annalibus, loco superius citato, de Felice haec habet: « Huius rei causa ductus ad pa- » latium Regis, qui tunc apud Re- » ginum Baioariae civitatem, in qua » et hiemaverat, residebat. Ubi et » congregato Episcoporum concilio » auditus est, et errasse convictus, » ad praesentiam Hadriani Pontificis » Romam missus, ubi etiam coram » ipso in Basilica S. Petri Apostoli » haeresim confessus est, atque ab- » dicavit. Quo facto, ad civitatem » suam reversus est. »

Verum non Caroli Magni cura tantummodo factum est, ut Felix et Elipandus non possent impune errorem hunc spargere, sed quod ma-

xime erroris propagationem repressit, fuit Ecclesiae Catholicae auctoritas. Etenim ubi primum percrebuit duos istos Episcopos hunc errorem docere, non solum gravissimi, et illorum temporum doctissimi viri sententiam ab iis praedicatam impugnaverunt, sed Ecclesia ipsa erroris pravitati se opposuit, et catholicam de Verbi Incarnatione doctrinam contra eos asserendam curavit. Ut id perspicuum sit, recensebo concilia, in ea causa, pluribus in locis habita, atque apparebit, Episcopos undique, Sede Apostolica probante, errorem, eiusque propagatores condemnasse.

Itaque de Adoptianorum haeresi primum anno 791 in Concilio Narbonensi die 27 Iunii habito, cui viginti sex Episcopi aliique duo Episcoporum Legati adfuerunt, actum est, et haeresis ibi reiecta, licet non appareat, Felicem, qui praesens aderat, damnatum in eo Concilio fuisse.

Post haec anno 792 mense augusto exeunte, Synodus Ratisbonensis habita est. Hanc synodum ab Eginhardo in annalibus commemoratam esse superius vidimus. Certum est vero, in ea synodo Felicem erroris convictum, damnatum, atque ad Hadrianum Pontificem missum fuisse, coram quo in Basilica S. Petri haeresim confessus est, et abiuravit. De ea re Alcuinus scribens lib. 1 contra Elipandum ait: « Vestri erroris se» cta.... ventilata est in celeberrimo » loco, qui dicitur Raiginisburg, et » synodali auctoritate Sacerdotum » Christi, qui ex diversis christiani » imperii partibus convenerant, ana» themate damnata. Immo et a bea» tae memoriae Hadriano Papa, qui » tunc temporis Sanctae Romanae » Ecclesiae, Apostolica auctoritate » rexerat Sedem, funditus extermi» nata; donec idem Felix, infeliciter » ad vestras refugiens partes, sopi» tos infidelitatis errores, vobis ex» hortantibus, resuscitare intendit.» Idem refert Poeta Saxonicus lib. 3 de gestis Caroli Magni ad annum 792: « Praesul nomine Felix - A multis » ibi praesulibus, synodoque fre» quenti - Est auditus, et errorem » docuisse nefandum - Convictus; post » haec Hadriano mittitur almo, - Se» dis Apostolicae fuit hoc qui tem» pore praesul, - Quo praesente, Pe» tri correctus in aede Beati, - Pon» tificum coram sancto, celebrique » senatu, - Damnavit Felix prius in» feliciter a se - Ortam perfidiae se» ctam. »

Cum vero Felix in patriam reversus errorem suum iterum spargere coepisset, et librum contra Alcuinum de ea re scripsisset; Elipandus vero litteris ad Carolum Magnum missis, se suumque collegam excusandum suscepisset petita novae synodi celebratione, in qua coram Principe disertius eorum causa pertractaretur, habita est anno 794 Synodus Francofordiensis, ad quam Episcopi Galliae, Aquitaniae, Germaniae, Caroli Magni Regno subditi, convenerunt. Misit etiam ad eam synodum legatos suos Hadrianus Episcopos Stephanum et Theophylactum.

In ea autem Synodo « haeresis » Elipandi et Felicis Urgellitani im» pia ac nefanda » damnata est, ut constat ex primo Synodi canone. Sunt praeterea anathemate mulctati Felix et Elipandus, una cum eorum asseclis, nisi ab errore destitissent, ut apparet *ex libello sacrosyllabo*. Verum Episcopi, qui Synodo intererant, debitam Apostolicae Sedis iudicio observantiam, publico testimonio professi sunt. Sententiam enim de his latam supremo Hadriani Pontificis iudicio, atque auctoritati reservare se affirmaverunt: « Reservato » per omnia iuris privilegio Summi » Pontificis, Domini, et Patris No» stri Hadriani, Primae Sedis Bea» tissimi Papae.» Haec quoque Poeta Saxonicus memorato libro ad annum 794 descripsit: « Catholicus » Princeps Synodum celebrare vo» catos - Undique Pontifices iam di» ctam fecit ad aulam; - Nec non » affuerat Stephanus cum Theophy» lacto: - Nam fuit Antistes Sedis

» Legatus uterque - Romanae, quos » Papa Sacer mittens Hadrianus, - » Rite suam servare vicem manda- » verat illic. - Tunc igitur cuncti » cum decreto generali - Hanc con- » demnarunt heresim, scriptusque » libellus - Est illam contra. » Post absolutam vero Synodum, Carolo Magno iubente, ad Felicem atque Elipandum, eiusdem Synodi decretum, una cum Episcoporum, et Hadriani Pontificis litteris missum est.

Licet haec satis esse debuissent ad cuiusvis hominis pertinaciam frangendam, apparet tamen ex totius facti decursu, duos illos Episcopos in proposito erroris sui retinendi perseverasse. Hinc videmus esse factum, ut Paulinus Aquileiensis Patriarcha, vir ea aetate doctissimus, qui Felicis opus confutavit, quod ille contra Alcuinum celeberrimum etiam veritatis huius catholicae defensorem scripserat, hinc, inquam, videmus esse factum, ut anno 796 Foroiuliensem Synodum Paulinus habuerit, in qua iterum Adoptianorum haeresis condemnata est.

Interea Felix libellum ediderat contra Alcuini epistolam, in quo haeresim omnem suam antea eiuratam arroganter confirmabat. Hadriano I autem Leo III successerat, qui ad hominis petulantiam coercendam, et ad catholicum dogma iterum apostolica auctoritate vindicandum, Concilium anno 799 Romae habuit, in quo Felix denuo, et liber eius contra Alcuinum condemnatus, atque Ecclesiae fides asserta est.

Habita est etiam non multo post Synodus Urgellitana a Laidrado Lugdunensi Archiepiscopo, qui eo missus fuerat una cum delectis viris a Leone III et Carolo Magno, in qua Synodo Adoptianismus est iterum condemnatus. Cum vero Felix spem aliquam praeseferret, consilii, sententiaeque mutandae, illum Laidradus invitavit Aquisgranum, ut ibi coram Carolo Magno, in concilio, libere posset mentem suam explicare. Contulit se Aquisgranum Felix, atque in Synodo Aquisgranensi eodem anno celebrata, ab Alcuino plenissime confutatus, et erroris convictus, novam haeresis abiurationem fecit, quam manu sua scripsit, quae deinde ad Clerum, et Populum Urgellitanum missa est. Verum etsi mentem mutasse Felix videretur, Episcopatu tamen spoliatus est, et Lugdunum relegatus, cuius rei ratio fuit, quod neque Leo, neque Carolus, neque Episcopi, experientia edocti, multam Felicis abiurationi fidem praeberent.

Obiit autem Felix in relegatione sua, anno circiter 815, sed Agobardus Archiepiscopus Lugdunensis, in libro contra Felicem, satis gravia attulit argumenta, ut valde dubium sit, num ille in sententia catholica mortuus fuerit. Dubium est etiam num Elipandus, qui anno circiter 809 vita functus est, in fidei catholicae professione obierit. Post haec, in docenda de hac re fidei suae sanctitate, ac veritate, Ecclesia tranquilla fuit, qua profitetur, Christum esse Unicum Dei Filium Naturalem in duabus naturis, divina atque humana, quae simul hypostatice iunctae, non sunt nisi Unus Christus.

CAPUT LXXIX.

DE ROMANO PATRICIATU, QUEM R. PONTIFICES SAECULO OCTAVO GALLIARUM PRINCIPIBUS CONTULERUNT.

Cum de persequutione contra Catholicos a Leone Isaurico excitata egimus, de eius etiam conatibus loquuti sumus, quibus curavit in Italiam quoque Iconoclasticam haeresim inducere. Vidimus etiam quantopere cuperet, de Romano Pontifice Gregorio II et III ultionem sumere, quos sciebat errori Iconoclastico repugnare, et maritimae classis expe-

ditione eum molitum esse, urbem, et finitimas regiones vastare. Iis temporibus evenisse significavimus, ut Imperatoris Graeci potestas in his regionibus, quas ille minime defendebat, immo et vexabat, extincta sit; atque initium habuerit Romanorum Pontificum potestas in urbem, finitimasque provincias, de qua re praesertim legi merentur, quae eruditissime pertractavit Cardinalis Iosephus Augustinus Orsius in suo opere italico *de Origine Dominationis Romanorum Pontificum* etc.

Non modo autem Orsius, sed et Natalis Alexander, aliique ostenderunt, nonnisi per calumniam affirmari posse, Gregorium II aliquid commisisse, quo populum contra Imperatorem commoveret, atque ita potestatem politicam in has regiones consequeretur. Immo vero, si Paullus Diaconus lib. 6 de gestis Longobardorum cap. 49, et Anastasius Bibliothecarius, seu eiusdem Pontificis vitae scriptor consulatur, vel epistolae legantur ad Imperatorem a Pontifice scriptae, constabit omnino, eum fortissimum quidem in Religionis causa defendenda fuisse, sed perpetuo populum ad tranquillitatem servandam hortatum esse, et ea tantum egisse, quae pro Religionis bono eius supremi muneris partes requirebant.

Itaque ut omittam cetera, haec Paullus Diaconus loco citato habet: « Omnes Ravennae exercitus, vel Venetiarum, talibus iussis (Leonis Isaurici), uno animo restiterunt, et nisi eos prohibuisset Pontifex, Imperatorem super se constituere fuissent aggressi. » Anastasius vero, seu scriptor vitae illius Pontificis refert: « Cumque (Leo) mitteret hominem proprium Romam cum scriptis suis, in quibus continebatur, ut Pontifex occideretur cum Optimatibus; Romae cognita crudelitatis insania, protinus ipsum Patricium (Spatarium Marinum) occidere voluerunt, nisi defensio Pontificis nimia praepediisset... His ita se habentibus elegit maius praesidium Pater ille, distribuere pauperibus largissima manu, quae reperiebat, incumbens orationibus, et ieiuniis, et litaniis Deum quotidie deprecabatur, et spe ista manebat semper fultus plusquam hominum, gratias tamen voluntati populi referens pro mentis proposito, blando omnes sermone, ut bonis in Deum proficerent actibus, et in fide persisterent rogabat. Sed ne desisterent ab amore, et fide Romani Imperii admonebat, sic cunctorum corda molliebat, et dolores continuos mitigabat. »

Gregorius denique II ad Leonem Imperatorem scribens, ait, se optare Martinum I imitari, qui pro catholica fide contra Monotheliticam haeresim martyrio functus erat, sed se debere simul populi curam gerere, qui tantam in fide constantiam, et erga Pontificem ipsum observantiam praeseferebat. « Atque utinam, inquit, Dei munere nobis contingat, ut per Martini viam incedamus, tametsi ob plebis utilitatem vivere volumus, et supervivere, quandoquidem Occidens universus ad humilitatem nostram convertit oculos. »

Cum res ita essent, libera deditione hominum has provincias incolentium, qui non modo se desertos videbant ab Imperatore, sed etiam has provincias vexari ab eo conspiciebant, dum quotidie Longobardi eorum cervicibus imminerent, Romani Pontifices, in quos omnium spes erant conversae, et quos veluti perfugium in tantis calamitatibus Itali respiciebant, originem habuerunt dominationis suae in urbe, et regionibus quae Ducatu Romano comprehendebantur. Haec autem potestas ob easdem causas, sensim quotidie ita aucta est, ut ab anno circiter 754 Romani Pontifices veluti Supremi Urbis, et Ducatus Romani Domini habiti sint, eandemque dominationem obtinuerint in Exarchatu Ravennatensi, et Pentapoli, qui-

bus provinciis Bononia, Ferraria, Aemilia, Ducatus Urbinas, et magna Piceni pars continebatur. His accesserunt Pipini et Caroli Magni in Ecclesiam Romanam merita, quorum primus, pulso Aistulpho Longobardorum Rege ab Exarchatu, alter devicto Desiderio eiusdem gentis postremo Rege, et Longobardorum Regno deleto, civitates Ecclesiae Romanae ereptas reddiderunt, et donatione quoque sua Carolus Sedis Apostolicae ditionem politicam auxit. Haec autem fuse a Pagio in notis ad Baronium, a Cardinali Orsio in memorato superius opere, a Cardinali Stephano Borgia in historia Beneventana pertractantur.

Dum ista rerum conversio in Italia eveniret, Carolus Martellus primum, tum Pipinus, deinde Carolus Magnus hoc saeculo, Romanis Pontificibus opem contra Longobardos non solum, sed generatim ad defendenda Sedis Apostolicae iura utiliter attulerunt. Eos autem Romani Pontifices Patriciatu Romano donarunt, quo munere, Ecclesiae Romanae Defensores ii constituti sunt. Per istam vero Patriciatus Romani collationem, propriam in has regiones potestatem ii minime consequuti sunt. Nimis longum esset de singulis iis Principibus disputationem instituere. Agemus igitur tantummodo de Patriciatu Romano, qui Carolo Magno collatus est. Ostendemus vero ob hoc munus Carolo tributum, potestatem veram in has regiones ei non fuisse communicatam, et licet Carolus Patricius Romanorum esset, et magna auctoritate idcirco praestaret, supremam tamen potestatem Romanos Pontifices retinuisse.

Non est necesse hic longa disputatione ostendere, Carolum Magnum dici non posse hanc potestatem consequutum esse, eo quod non solum Patricius, sed etiam Consul appellaretur, veluti si Imperator factus anno 800, Consulis nomine, potestatem intelligeret propriam Imperatoris. Constat enim Patricios fuisse appellatos Consules, etiam cum Imperatores non essent, et Carolum Magnum fuisse Consulem appellatum multo antequam Imperatoriam dignitatem consequeretur. Annalista enim Metensis agens de patriciatu, qui Carolo Martello a Gregorio III collatus est, Consulatum nominat. Carolum etiam Magnum, qui a Stephano III, et Hadriano I Patricius factus fuerat, scimus appellatum esse Consulem vel ab anno 780. Ita habent carmina inscripta libri evangeliorum anno 780 exarati, ut videre est apud Duchesnium tom. 1 pag. 187. – Tempore vernali transcensis alpibus ipse – Urbem Romuleam voluit quo visere Consul. – Profecto cum Carolus nonnisi anno 800 Imperator acclamatus fuerit, auctor illorum carminum anno 780 Consulatus Caroli Magni nomine, Patriciatum intelligere solum debebat.

Eundem vero Consulatus, seu Patriciatus honorem Carolo Martello, ac Carolo Magno collatum fuisse probatur etiam ab effectibus. Idem dicit Carolus Magnus in divisione Regni sui inter filios anno 806 facta, de sua, ac de Caroli Martelli dignitate: « Super omnia autem iubemus, ut » ipsi tres fratres, curam et defen- » sionem Ecclesiae S. Petri simul » suscipiant, sicut quondam ab Avo » Nostro Carolo, et b. mem. Genitore » Pipino Rege, et a nobis suscepta » est, et ut eam cum Dei adiutorio ab » hostibus defendere nitantur, et iu- » stitiam suam, quantum ad ipsos » pertinet et ratio postulaverit, ha- » bere faciant. »

Ostendamus vero, per patriciatum hunc nullam in Urbem, ceterasque provincias Carolo Magno proprie dictam supremam potestatem esse collatam. Est grave quidem argumentum quod nascitur ex ipsa generatim patriciatus natura. Mabillonius l.23 n.2 ann. Bened. affert formulam, qua Principes creabant Patricios. « Hunc » honorem tibi concedimus, habet » formula, ut Ecclesiis Dei, et pau- » peribus legem facias, et inde apud

» altissimum iudicem rationem red-
» das. Tunc induat eum Imperator
» mantum , et ponat ei in dextero
» indice annulum, et det ei bomba-
» cinum propria manu scriptum. Esto
» Patricius misericors , et iustus.
» Tunc ponat ei in caput aureum
» circulum, et dimittat. » Ex hac Patricii creandi forma patet supremam in eo contineri potestatem, qui Patricium instituit, munus autem Patricii in defensoris officio versari.

Ex iis vero quae scripsit Stephanus III Pipino, cum Aistulphus moras traheret in Exarchatus occupatione, constat etiam , hoc unum in Patriciatus dignitate contineri. Ita habet ep. 9 cod. Carolini: « Dum ve-
» stris mellifluis obtutibus praesen-
» tati sumus, omnes causas Principis
» Apostolorum in vestris manibus
» commendavimus; quoniam quidem
» inspirati a Deo aurem petitionibus
» nostris accommodare dignati estis,
» et vos B. Petro polliciti estis eius
» iustitiam exigere, et defensionem
» S. Dei Ecclesiae procurare. » Item ep. 6: « Quoniam nulli alii nisi tan-
» tummodo tuae amantissimae Apo-
» stolicae , vel dulcissimis filiis , et
» cunctae genti Francorum per Dei
» perceptionem, et B. Petri, sanctam
» Dei Ecclesiam, et nostrum Romano-
» rum Reipublicae populum commi-
» simus protegendum. »

Hoc idem vero confirmatur ex ep. 55 Cod. Carol. ab Hadriano I ad Carolum Magnum scripta. « Ut ho-
» nor, inquit, a Patriciatus vestri a
» nobis irrefregabiliter conservatur,
» simili modo ipse Patriciatus B. Pe-
» tri fautoris vestri tum a s. mem.
» D. Pipino, Magno Rege, Genitore
« vestro in scriptis, in integro con-
» cessus, et a vobis amplius confir-
» matus , irrefragabili iure perma-
» neat.... Sed sicut nostri homines,
» qui apud vos venire cupiunt, cum
» nostra absolutione, et epistola ve-
» niant. » Mutua inde eruitur promissa defensio, ac summum in Romano Pontifice imperium demonstratur.

Hadriano mortuo Carolus Magnus Angilbertum misit ad Leonem III, ac in epistola ad eum Pontificem missa ait, se Angilberto communicasse « omnia, quae vel vobis neces-
» saria esse videbuntur, vel nobis
» necessaria, ut ex collatione mutua
» conferatis, quidquid ad exaltatio-
» nem S. Dei Ecclesiae, vel ad sta-
» bilitatem honoris vestri, vel patri-
» ciatus nostri firmitatem necessa-
» rium intelligeretis. Sicut enim cum
» Bm̃o Praedecessore Vestrae Pater-
» nitatis pactum inii, sic cum Bea-
» titudine Vestra, eiusdem fidei, et
» caritatis inviolabile foedus statue-
» re desidero, quatenus Apostolicae
» Sanctitatis Vestrae, divina donante
» gratia, SS. Advocatorum me ubi-
» que Apostolica Benedictio conse-
» quatur, et SS. Romanae Ecclesiae
» Sedes, Deo donante, nostra semper
» devotione defendatur. Nostrum est
» secundum auxilium divinae pieta-
» tis, Sanctam ubique Christi Eccle-
» siam ab incursu paganorum, et ab
» infidelium devastatione armis de-
» fendere; foris, et intus catholicae
» fidei agnitione muniri. »

Haec ostendunt, quid Carolus a Leone III postulaverit. Quid vero egerit Leo, habent annales Bertiniani, et Metenses ad an. 796. Afferam quod Eginhardus in annalibus habet: « Leo per Legatos suos claves con-
» fessionis S. Petri, ac vexillum Ro-
» manae Urbis cum aliis muneribus
» Regi misit, rogavitque, ut aliquem
» de suis optimatibus Romam mit-
» teret, qui populum Romanum ad
» suam fidem, atque subiectionem ,
» per sacramenta firmaret ; missus
» est ad hoc Angilbertus Abbas Mo-
» nasterii S. Richarii. » Iure autem Pagius ad an. 796 n. 5 haec animadvertit: « Obtinuit Carolus a Pontifice
» quod petebat, confirmationem nem-
» pe sui Patriciatus, ac tituli Prote-
» ctoris Ecclesiae Romanae, non vero
» dominium urbis, quod non petebat,
» et de quo in ultimis foederibus cum
» Hadriano sancitis actum non fue-
» rat. »

Nihil ergo in Patriciatus natura immutatum esse Leo III declaravit. Neque enim ex eo, quod Romanus ipse Pontifex Carolum rogavit, ut a Romanis iuramentum obedientiae exigeret, inde sequitur, eum idcirco Romanorum Principem evasisse. Hoc enim refertur ad auctoritatem, quam Patricii, Romano Pontifice probante, consequuti sunt. Est vero Carolus ipse auctor huius rei, qui sibi hos titulos in posterum retinuit: *Carolus Dei gratia, Rex et Defensor S. Ecclesiae Dei. Ego Carolus Devotus S. Dei Ecclesiae, Humillimus Adiutor filius, S. Dei Ecclesiae Defensor Devotus.*

Petrus De Marca, ut ostenderet l. 3 de Conc. c. II n. 9 Carolum una cum Leone dominii potestatem in urbem exercuisse, ait, ante Leonem III nullum Pontificem *Dominum Nostrum* acclamatum fuisse, numisma cusum fuisse in cuius altera facie imago S. Petri erat cum clavibus humero impositis, in adversa *D. N. Leoni Papae,* etiam Carolum appellatum esse in ea inscriptione *Dominum,* et in Breviatione festi Carolo dicata, Paullum Diaconum appellasse Romam, *vestram Romuleam Civitatem.* At Pagius respondet haec non esse talia ut magnam afferant difficultatem. Carolum vocatum *Dominum* uti *Patritium*, non ut Urbis principem. Patriciatus enim etiam erat amplissima dignitas. Verba vero Paulli Diaconi latiori sensu sunt intelligenda, secus vel ab anno 774 aut saltem ante annum 791 Romae Dominus Carolus fuisset, quod nec ipse De Marca contendit, qui hoc refert ad tempus susceptae a Carolo Imperatoriae potestatis. Constat vero ex factis, etiam Praedecessores Leonis III *Dominos Nostros* appellatos fuisse, ut patet ex ep. S. P. Q. R. ad Pipinum Cod. Carol. 36 de Paullo I: « a Deo decretus » Dominus Noster Paullus Summus » Pontifex » « Coangelicus Pater Do» minus Noster Paullus Summus Pon» tifex » dicitur. Patet etiam ex diplomate a. 786 privileg. concessi ab Hadriano I Monasterio S. Dionysii, quod inscribitur *anno Pontificatus Domini Nostri XV.*

Neque ex opere Musivo in Triclinio Lateranensi a Leone III aedificato, grave argumentum desumi potest ad probandum memoratam potestatem Carolum Magnum consequutum esse. Duae sunt tabulae in eo opere, a dextris, et a sinistris. In dextera Christus sedet, cui genuflectit Silvester, et Constantinus. In sinistra Petrus sedet, genuflectunt vero Leo, et Carolus. A Christo Silvester claves, Constantinus vexillum accipit. A Petro Leo orarium, Carolus vexillum excipit. In dextera haec una est inscriptio: *R. Constantinus.* In sinistra haec suo loco: *Sanctissimus D. N. Leo PP: D. N. Carulo Regi.* In fronte autem: *Beate Petre dona bitam Leoni PP; et bictoriam Carulo Regi dona.*

De Marca, et Cointius putant hanc tabulam demonstrare innovationem, quae post colloquium Angilberti cum Leone, in Romanae Civitatis imperio acciderit; Alemannus de *lateranensibus parietinis* c. 3 et seqq. plura de eo Triclinio habet, quod et *Basilica Leonina, Aula Leonina* audit, ac contendit hoc monumentum esse positum a Leone postquam anno 800 Carolum Imperatorem appellavit, ac id eum fecisse, ut Caroli imperium denotaret.

Haec, quae Alemannus disputat, confutantur a Pagio ad ann. 796 n. 7, 8, 9, 10; et ad ann. 801 n. 3: quibus locis ostendit errare eundem, cum putat imagines has cum inscriptionibus positas esse anno 800 postquam Carolus imperii coronam adeptus esset. Anastasius enim Bibliothecarius, ut est in exemplari editionis Regiae, primum enumerat opera publica a Leone III absoluta ante suum ab Urbe discessum, tum toleratam ab eo persequutionem, discessum ab Urbe, et reditum, denique praeclara munera pluribus templis donata. Itaque anno 799 abiit Roma, et rediit

Leo III. Antequam vero haec describeret Anastasius, iam loquutus fuerat de Triclinio Lateranensi iussu Leonis aedificato. « Fecit et in Pa» triarchio Lateranensi Triclinium » maius super omnia triclinia, nomi» nis sui magnitudine decoratum, » ponens in eo fundamenta firmissi» ma... Cameram cum absida de mu» sivo, et alias duas absidas, diver» sas historias pingens. » Ibi ait Anastasius Leonem IV epulari solitum die Natali Christi.

Alemannus arbitratur memoratas imagines pictas esse postquam Leo, Caroli virtute, urbi restitutus esset, et Carolus Imperator factus fuisset; vexillum autem illud significare imperium Carolo collatum. Ut probet *Regem* appellatum etiam postquam Imperator factus esset, utitur Alemannus dextera tabula triclinii, in qua legitur, *R. Constantinus*, putans iis verbis Constantino Regis titulum tributum esse. At haec interpretatio cum iis, quae habet Anastasius stare nullo modo potest. Littera *R. Constantinus*, inscripta non Regem, sed *Romam* indicat. Id autem respondet Romanorum observantiae erga Constantinum. Exstant vero nummi Ludovici Pii Romae cusi, in quibus legitur *Roma Ludovicus*.

Neque vero in aliquo nummo, inscriptione, aut scriptore latino quoquam, Constantinus Rex appellatus est. Graeci quidem, Imperatores etiam Reges appellant, Latini numquam. Videt autem Alemannus difficile esse ostendere in inscriptione, quae posita sit Carolo M. post susceptam imperii coronam, eum Regem appellari potuisse. Primum ergo, idem sonare contendit Regem, ac Imperatorem, deinde c. 13 ait, Caroli modestiae causa, quae Leoni nota erat, Regem potius, quam Imperatorem Carolum in Triclinio appellatum fuisse. At ex Anastasio constat, falsum omnino esse, post annum 799 monumentum hoc positum fuisse. Deinde in inscriptionibus verba adhiberi tantummodo solent secundum obvium, planum, ac genuinum sensum; quare, etsi quandoque scriptores promiscue nomen Regis, cum Imperatoris nomine usurpent, certum est tamen hoc in inscriptionibus non fieri. Tandem incredibile est, Leonem, eo ipso anno coronationis, in publico monumento in honorem Caroli posito, atque ut ei magis placeret, Carolum Regem inscripsisse, cum in omnibus suis litteris eum semper Imperatorem dicat.

Quid igitur eo anno fecit, eo posito monumento, Leo? Notum posteris voluit esse, confirmatum Carolo ius defensionis a se fuisse. Vexillum vero illud S. Petri, illa acclamatio *Bictoriam Carulo Regi dona,* nihil ostendunt aliud nisi patriciatum Carolo confirmatum; Vexillum etiam commemorat Carolo concessum anno 772, ut Pagius docet ad an. 774, vetus inscriptio, quae habetur in appendice Ant. Lectionum pag. 1163. – Quin et Romanum largitur in urbe fideli – Vexillum, famulis, qui placuere sibi. – Quod Carolus mire praecellentissimus hic Rex – Suscipiet dextra glorificante Petri. –

Difficultas denique, quae affertur ex iuramenti religione, qua se Romani erga Carolum obligarunt, facile solvitur, modo haec perpendantur. Certum est hoc factum quandoque fuisse postulantibus omnino rerum adiunctis, et ita volentibus Pontificibus. Leo III autem voluit hoc Romanos Carolo Magno praestare anno 796, cum tumultus in urbe frequentes essent, et Zachariae, seu Hadriani necessarii dominatum affectarent. Stephanus V ut est apud Theganum, in vita Ludovici Pii cap. 16 voluit illud Ludovico praestari durantibus adhuc seditionibus contra gratiosos Leonis III. Hoc vero Pontifices Patriciis tantummodo concesserunt. Constat denique hoc iuramentum quod Patriciis exhibebatur, diversum ab eo fuisse, quod Pontifici tamquam Principi fiebat. Haec vero fuse tractantur a Baro.

nio, a Pagio, loco citato, Octaviano Gentilio *de Patriciorum origine* etc. lib. 3, Ioanne Antonio Bianchio Ord. Min. S. Francisci Observantium tom. 2 operis *de Ecclesiae potestate, et politia* lib. 5 §. 3, quo loco scriptores etiam recenset, qui de ista re ex instituto pertractaverunt.

CAPUT LXXX.

DE CAROLO MAGNO.

Cum tanta fuerint Caroli Magni in Ecclesiam merita, quae iam satis abunde significavimus in pertractandis praecipuis saeculi octavi Historiae Ecclesiasticae capitibus, videtur iure requiri posse, ut de rebus ab eo gestis singillatim agatur. Id vero eo magis faciendum esse videtur, quod Historiae Ecclesiasticae Scriptores, soleant epocam quandam eiusdem historiae, peculiari mentione dignam, in Caroli Magni regno, imperioque defigere. Itaque hoc agemus; sed omittemus res ab eo in republica recte feliciterque procuranda, et in bello praeclare gestas. Nam ab anno 768 quo Pipino Patri suo, una cum Fratre Carolomanno successit, vel triennio post, cum, mortuo Carolomanno, solus in Galliis regnare coepit, usque ad annum 814, quo mortuus est; tot tantisque recte factis eius vita illustrata fuit, ut eorundem narratio cum brevitatis a nobis servandae necessitate non possit convenire. Dicam tantum, cum iure potentissimum aetatis suae principem habitum fuisse, et in tanta regionum amplitudine, qua in Gallia, in Hispania, in Germania, et in Italia dominatus est, praeclara fortitudinis, et Reipublicae bene gestae monumenta ubique reliquisse.

Commemoranda potius a nobis sunt quae ille gessit ad utilitatem Religionis, cuius studiosissimus erat. Huius autem rei testimonia iam saepissime vidimus in rerum Ecclesiam respicientium pertractatione. Adiungam ergo nonnulla ex Hadriani I et Leonis III pontificatu deprompta, quorum Pontificum res gestae, cum Caroli Magni vitae historia magnopere coniunctae sunt. Hoc autem luculentius ostendet, quantam Carolus Magnus erga Sedem Apostolicam observantiam perpetuo demonstraverit.

Itaque cum Desiderius Longobardorum Rex plures Urbes Ecclesiae Romanae Imperio subiectas invasisset, neque Hadrianus I posset Regem adducere ad eas Sedi Apostolicae restituendas; Caroli Magni virtute easdem Pontifex recuperavit. Nam Carolus Pontifici obsequutus, primum legatione ad Regem missa, tum exercitu in Italiam perducto, anno 773 Ticinum obsedit, quo Desiderius se receperat, ac deinde anno 774 cum Desiderius se dedisset, ac regno spoliatus et relegatus esset in Galliam, ipse Hadriano I restituit regiones, quas Desiderius abstulerat, et Longobardico regno deleto, non solum Francorum, sed Longobardorum quoque Rex appellatus est. Tanta vero fuit Carolum Magnum inter et Hadrianum I Pontificem animorum coniunctio, ut ille pluries Romam venerit, hoc est, primum anno 774 cum Ticinum adhuc obsideret, ac in posterum anno 781 atque 786, quibus annis, quae Pipinus pro Sedis Apostolicae iuribus assèrendis fecerat, ipse confirmavit, atque alias Pontifici benevolentiae ac devotionis suae erga Apostolicam Sedem significationes Carolus exhibuit.

Non minorem erga Sedem Apostolicam animi sui devotionem Carolus Magnus ostendit, cum, Hadriano I, exeunte anno 795, mortuo Leo III suffectus est. Plura de ea re commemoravimus agentes de Romano Ca-

roli Magni patriciatu; singulari autem constantia Carolus se Romanae Ecclesiae defensorem, Leonis Pontificatu durante, demonstravit, qui ut Carolum in eo munere, quod hactenus gesserat, a se confirmari significaret, Claves Confessionis S. Petri et vexillum ad eum misit.

Quanta vero prudentia Leo egisset cum Caroli Magni benevolentiam sibi conciliandam curavit, factum ipsum ostendit. Nam Caroli virtute, ea factio compressa est, quae ducibus Paschali Primicerio, et Campulo Sacellario, in Pontificem conspiraverat, et die 25 Aprilis anno 799 cum solemnem supplicationem peragaret, Leonem aggressa est, et in summum vitae discrimen adduxit. Leo ad Carolum se contulit, atque ab eo honorificentissime exceptus, ac deinde a nobilissimis viris Romam, Carolo iubente, deductus, in Pontificia cathedra restitutus est. Tum Paschalis et Campulus in Galliam relegati, et Carolus die 24 Novembris anno 800 Romam veniens effecit, ut civitas pristinam tranquillitatem penitus recuperaret.

In ea autem re quanta simul esset Leonis gravitas, atque apud omnes auctoritas, demonstratum est, cum accusationes contra eum allatae, ab omnibus veluti falsae reiectae, ac contemptae sunt, eo quod Leo, in frequenti Episcoporum conventu, qui de Pontificis causa cognoscere eis fas non esse professi sunt, se ab iis criminibus innocentem esse iuraverit, de quibus accusabatur. Eo ipso anno 800 die Natali Christi Domini, Occidentale Imperium, quod iamdiu cessaverat, in Carolo Magno instauratum est. Nam eo die Leo III Carolum ad sepulcrum D. Petri in genua provolutum, Clero, Populoque Romano plaudente, et sacram caeremoniam pie comitante, imposito diademate Imperatorem appellavit, et adhibito chrismate consecravit.

Antequam caput istud concludamus, videtur omnino opportunum aliqua notare de agendi ratione a Carolo Magno erga Saxones adhibita. Vetus enim est illa querela, Carolum crudelissime cum Saxonibus egisse, et ab eo per vim, et metum, Religionem Christianam in Saxoniam inlatam esse. Itaque haec breviter afferam, quae ad rem explicandam, et ad accusationem refellendam possunt inservire.

Ioannes Albertus Fabricius in opere inscripto *Salutaris lux Evangelii* etc. c. 19 de Saxonibus ait: « Certum est, longe ante tempora Carolina Religionem Christianam Saxonibus, Anglis, et Frisiis esse commendatam, ut patet ex Marcellino de vita S. Suiberti, item ex vita Lugderi, Beda Venerabili, aliisque, quos citat Schatenius in historia Westphaliae. Quid quod ipse Conringius non diffitetur, ab Anglo-Saxonibus, et suis Frisiis fidem Christianam in Westphalia aliquatenus fuisse propagatam? Quod quoque constat ex vita D. Bonifacii, et litteris PP. Gregorii I sive Zachariae Pontificis ad Primores Saxoniae datas, apud Serarium rerum Moguntinarum lib. 3.»

Haec, quae iacta iam fuerant Religionis fundamenta apud Saxones, Caroli Magni opera confirmata sunt, et aucta. At haeretici ut Religionis in Saxonia propagationem irrideant, aiunt, id obtinuisse Carolum Magnum apud Nobiles praemiis et opibus, apud Populum vero vi et armis. Ita Moshemius, ita Iacobus Basnagius in historia Iudaeorum. Voltairius vero id omne tribuit minis et suppliciis, quae Carolus Magnus adhibuerit. At hi homines, ac praesertim Voltairius facile refelluntur. Profecto Voltairius Caroli Magni conatus in *specimine historiae universae* ita refert, ut veluti is primus existimandus sit, qui de Saxonibus Christo adiungendis cogitarit. Id vero ex expositis refellitur. Deinde Carolum Magnum ita pingit, ut hominem crudelissimum faciat, quod cum eius historia pugnat, prout doctissime refertur a Schatenio in *Historia Westphaliae*, a Serario in *rebus Moguntinis*, a Guil-

lelmo Goedelio in *notis ad Conringium*. Annalista Metensis praeterea ad an. 745 haec habet de prima Caroli Magni in Saxoniam expeditione. « Adunata, inquit, manu valida, in » Saxoniam ingressus est: captisque » habitatoribus, qui suo Regno affi» nes videbantur, absque ullius belli » discrimine feliciter conquisivit. Plu» rimi eorum, Christo duce illustra» ti, sacramenta baptismatis conse» quuti sunt. »

Ea, quae Carolus Magnus fecit ad Saxones in officio continendos, Voltairius retorquet veluti ab eo facta ad Religionem Christianam persuadendam. Etenim iamdiu Saxones irruptionibus in finitimas gentes, vastatione, depopulatione regionum innotuerant. Romani autem Imperatores ab Augusto ad Honorium, coacti sunt in eorum finibus copiosos exercitus habere. Caroli Magni temporibus Saxones idem saepe tentarunt in terris Francorum, atque omni vastationis genere eas vexarunt. Carolus arma in eos tulit, custodias Eresburgi interfecit, ceteris pepercit, in Italiam venit. Eo digresso, Saxones iterum arma susceperunt: Carolus reversus eos fudit, iisque pepercit. Quinto tamen perfidos gravissima poena mulctavit, praesertim quod iuramenta violassent, et magnum eorum numerum interfecit. Eo supplicio terrorem inferre se posse putavit. Post haec consilium mutavit: severitatem seposuit, verba pacis conciliandae cum Saxonibus habuit, et eos ad tractatus vocavit, obsides dedit, plurimos Christo comparavit, in his Witikindum celebrem eorum ducem; plures deinde Episcopos apud eos constituendos curavit, et quietos Saxones esse voluit. Haec ex iis deducuntur, qui de Carolo Magno scripserunt. Nihil apud eos de poenis quas Saxones passi fuerint, qui christiani esse noluerint.

Opponi tantum potest haec Caroli lex an. 780 lata: « Si quis deinceps » in gente Saxonum inter eos latens » non baptizatus, se abscondere vo» luerit, et ad baptismum venire » contempserit, paganusque perman» serit, morte moriatur. » Verum de hac lege, iure responsum affertur, probari non posse eam ad effectum esse perductam. Condita vero est, cum post bellum, ut veniam impetrarent, plurimi ex Saxonibus baptismum susceperant, et omnes se christianos fore promiserant. Existimabat autem sapientissime Carolus, spem nullam firmam esse posse, fore ut Saxones mitescerent, et mores mansuetiores inirent, nisi si Christianam Religionem suscepissent. Eventus autem rei veritatem probavit.

EX SAECULO NONO

CAPUT LXXXI.

DE IMMEDIATA BENEDICTI III POST LEONEM IV IN SERIE RR. PONTIFICUM SUCCESSIONE.

Si vetera monumenta consulantur, quae ad alicuius facti veritatem evincendam idonea sunt, summa reperietur eorundem consonantia ad demonstrandum, immediate post Leonem IV Pontificem, die 16 Iulii anno 855 mortuum, in Romanorum Pontificum serie Benedictum III successisse. Scriptores enim, qui sive Romae tunc morabantur, sive cum Sede Apostolica eo ipso tempore de negotiis ecclesiasticis agebant, publica denique facta in eo conveniunt, ut certum esse omnino debeat, ea aetate extra omne dubium fuisse positum, vere Leoni IV mortuo statim Benedictum III esse suffectum.

Haec autem cum ita sint, vix credibile esse videtur, potuisse narrationem quandam obtinere, qua con-

tineretur, post Leonis IV mortem, Feminam quandam, quae Ioanna dicitur, annos duos, menses quinque, et dies quatuor, ante Benedictum III Pontificatum gessisse. Et sane doctissimus Le-Quienius Ord. PP. Praed. t. 3 *Orientis Christiani,* ubi de rebus a Ioanne VIII Pontifice in Photii causa pertractatis sermonem habet, a coll. 380 ad 460 de hac re eruditissime agit, Le-Quienius, inquam, excogitatae huius narrationis causam afferre probabilem nullam se posse affirmavit. Pagius vero ad an. 879 n. 9 aliud non coniicit, nisi Valdensium fortasse in Romanam Ecclesiam haereticorum odium, quod in posterum imitati alii Sedis Apostolicae inimici, libenter hac fabella abusi sint ad iniuriam eidem irrogandam. Reliquae enim coniecturae, quae adductae sunt, cum respiciant facta, aut ad initium, aut ad finem saeculi noni pertinentia, non possunt, ut Pagius animadvertit, adhiberi ad explicandam originem fabulosae huius narrationis, quae ad annum 855 refertur.

Edidit Romae anno 1749, et Benedicto XIV Pont. Max. dicavit vir singulari eruditione praeclarus Cardinalis Iosephus Garampius dissertationem inscriptam *De nummo argenteo Benedicti III Pont. Max.,* atque ex eo nummo perspicuum, novum, et eius doctrina dignum addidit robur argumentis, quibus narratio illa falsitatis revincitur. Demonstrationis autem, quae a Garampio ex eo nummo desumpta fuit ad fabulosam narrationem istam refellendam, haec summa est.

Nummi illius argentei, cuius sinceritas extra controversiam posita est, haec forma habetur. Videlicet in anterioris partis gyro, verba inscripta sunt *ScS. Petrus;* in medio eiusdem partis monogramma insculptum est, cuius coniunctae litterae sunt *Be.Pa.* In adversae autem partis gyro verba sunt *Hlotharius Imp.,* in medio demum monogramma est, quod continet vocem *Pius.* Est vero perspicua ratio, cur in nummo, Pontificis et Lotharii Imperatoris nomen inscriptum reperiatur: scilicet, quod Pontifex supremam in Urbem potestatem obtineret, Lotharius vero esset eo tempore Romanae Ecclesiae Defensor.

Iste autem nummus ineluctabile affert argumentum, quo fabulosa narratio de Ioanna, quae post Leonem IV et ante Benedictum III pontificatum, annos duos, menses quinque, et dies quatuor gesserit, luculentissime refutatur. Non est necesse demonstrare, nomina Benedicti, et Lotharii, quae in nummo leguntur, Benedictum III et Lotharium I significare. Agitur enim de Pontifice, qui Benedictus appellatur, et Lothario Imperatore Pontificatum gesserit, id quod, si Benedictum III, et Lotharium I Ludovici Pii filium excipiamus, de nullo alio Pontifice reperiemus.

Iam vero, ut ostendatur num Ioannae Papissae, Leonem IV inter et Benedictum III inveniri locus possit, quae memorato superius temporis spatio pontificatum gesserit, quaerendum est, quo tempore ob Leonis IV mortem Sedes Apostolica vacaverit, et quando nummus ille Romae cusus sit. Itaque apud accuratum quemque chronographum est exploratum, quo die et anno Leo IV obierit, scilicet 17 die Iulii anno 855 illum mortuum esse. Satis est autem ea verba referre, quae Anastasius Bibliothecarius in eius Pontificis vita habet. « Ssmus Dominus Leo IV Papa » non post multos dies obdormivit » in Domino 16 calendas Augusti. » Scriptor vero Annalium Bertinianorum, qui ea ipsa aetate vixit, haec refert: « Anno octingentesimo quin- » quagesimo quinto, mense Augusto » (16 Cal. Augusti) Leo Apostolicae » Sedis Antistes defunctus est, eique » Benedictus successit. »

Ex his patet quo tempore Sedes Apostolica ob Leonis IV obitum vacaverit. Cum nummus vero ille argenteus, de quo Garampius in dis-

sertatione sua agit, sincerus omnino sit existimandus, de qua re controversiae locus non est, illud quoque debet esse certissimum, cusum illum esse cum Benedictus III iam Pontificatum invisset, et cum Lotharius Imperator hactenus viveret, vel saltem cum de eius morte nuncius Romam non advenisset. Est enim etiam illud extra controversiam, in Romanorum Pontificum veteribus nummis, in quibus Imperatorum Romanae Ecclesiae Defensorum nomina simul saepenumero inscribebantur, nomina certe illorum principum non fuisse inscripta, quos mortuos esse Romae constaret. Iam vero legatur Baronius, ceterique, qui de Lotharii morte scripserunt: apparebit ex illorum temporum monumentis, 3 vel 4 calendas Octobres anno 855 in Monasterio Prumiensi, quinque circiter millibus passuum ab urbe Trevirensi, in quo Monasterio paullo ante Monachorum vitam in iverat, illum mortuum fuisse.

His autem ita declaratis, facile est intelligere num post Leonem IV, atque ante Benedictum III fabulosa Ioanna illa pontificatum, non dico duos annos mensesque, et dies aliquot, sed etiam num aliquo die Pontificatum gesserit. Certum est enim, ante mensem Octobrem, vel ineunte saltem mense Octobri anni 855 iam cusos nummos esse, pontificatum gerente Benedicto III, qui ante diem 17 Iulii eius anni, quo Leo IV mortuus est, inire Pontificatum non potuerat. Non est deinde verosimile, nummos illos cusos esse statim post absolutam electionem Benedicti III, et peractam eiusdem consecrationis caeremoniam; nemo autem tradidit, eum expedire se debuisse ab Ioanna ista, antequam libere posset etiam nummos suo nomine cudere. Certum est igitur, ex eo nummo excludi penitus Ioannae istius Pontificatum.

Haec autem multo clarius intelliguntur, si consideretur, initio Pontificatus Benedicti III excitatum esse schisma ab Anastasio presbytero, qui Pontificatum invadere studebat; huius conatus ab illius aetatis scriptoribus fuisse commemoratos; ac memoriae prodita quae Benedictus Pontifex, Clerus, ac Populus Romanus gesserunt ad schisma illud extinguendum: nihil vero ab iis scriptoribus affirmari de Ioanna quadam, quae eo tempore se veluti Pontificem gesserit.

Huic argumento, quod gravissimum certe est ad narrationis istius falsitatem ostendendam, adiungi debent praeter alia rationum momenta, quae, inter ceteros, Le-Quienius, memorato superius loco, exponit, tot illa scriptorum, qui ea aetate vivebant, testimonia, quique in referenda Romanorum Pontificum illorum temporum successione, statim post Leonem IV Benedicti III mentionem faciunt, veluti Pontificis, qui proxime illi, ac nullo prorsus interposito, suffectus fuerit. Neque vero horum testimoniorum ea vis est, ut argumentum tantummodo negativum constituant. Nam cum ii in numerandis illius aetatis Pontificibus, Leoni Benedictum statim successisse dicant, non negative tantum, et silentii ratione habita, sed positive, et recta prorsus Ioannam Papissam excludunt.

Certe talis est sententia testimonii Adonis Viennensis, qui iis temporibus Romae fuerat, et in chronico, quod ad annum usque 875 perducit, haec habet: « Pontifex Romanus Gre» gorius moritur, atque ipsius loco » Sergius ordinatur; illo defuncto » Leo succedit, quo obeunte, Bene» dictus in Sede Apostolica substi» tuitur. » Anastasius Bibliothecarius praeterea, sive Benedicti III vitae scriptor, qui Romae eo tempore aderat, et totius rei gestae testis certissimus erat, fuse et perspicue narrat, Leoni IV Benedictum III suffectum esse. Constat vero nunc, et communiter apud eruditos veluti exploratum habetur, corruptos esse eos Anastasii codices, in quibus Ioannae Papissae fabula legitur, et adeo manifesta sunt depravationis istius ar-

gumenta, ut supervacaneum prorsus sit in ea re demonstranda immorari.

Itaque Anastasius seu vitae Benedicti III scriptor, haec refert: « Leo » quidem ubi hac luce subtractus » praesul occubuit, mox omnis Clerus istius Romanae a Deo protectae » Sedis, universique Proceres, cunctusque Senatus, ac populus congregati sunt Domini clementiam » exorantes, ut Beatificum illis omnibus demonstrare dignaretur pastorem, qui culmen Apostolatus regere valuisset tranquille. Divinitus igitur aethereo tunc lumine » inflammati, uno consensu, unoque » cum conamine Benedictum pro tantis, quibus pollebat, sacris operibus, Pontificem promulgaverunt » eligere. Illico vero alacri universa » studio plebs, et populi coetus ad » Callisti titulum properantes, Deo » illum Omnipotenti, ut solitus fuerat, invenerunt fundentem orationem. Surgens autem, et populi » densissima cernens agmina, rem » cognovit, et mente concepit. Interea multis cum lacrimis genuflectens omnes deprecabatur taliter » dicens: Non me a mea deducatis » Ecclesia, rogo, quia tanti culminis » non sufficio sustinere, nec baiulare » gravamen. Illi vero nullatenus acquieverunt, sed.... cum hymnis, » et canticis spiritualibus, ampla » exsultatione, et ineffabili gaudio in » Patriarchium Lateranense perducentes, pontificali solio, ut mos est » Pontificum, canaque consuetudo » demonstrat, posuerunt etc. His ita » peractis, Clerus, et cuncti Proceres decretum componentes, propriis » manibus roboraverunt, et consuetudo prisca ut poscit, invictissimis » Lothario, ac Ludovico destinaverunt Augustis. »

Similia sunt quae Nicolaus I ad Michaelem Imperatorem Constantinopolitanum scripsit epist. 2 tom. 8 Conc. Labbei col. 273, et ep. 8 ac 9 ad eundem de causa Photii et Ignatii. Ita enim de Benedicto pluries in iis Nicolaus loquitur, ut proximum Leonis successorem illum fuisse manifeste declaret. Praeter haec, idem Nicolaus in epist. 46 cum de Hincmaro Rhemensi Archiepiscopo conqueritur, affirmat, eum, cum frustra conatus esset in sententiam suam pertrahere Leonem IV, idem molitum esse apud Benedictum III, qui Leoni successerat *in ordine Pontificatus*. Confirmat hoc ipsum Hincmari Rhemensis epistola 26, qua se ad Leonem IV Legatos misisse narrat, qui in itinere Romam versus, mortuum esse Leonem audierunt, et ad Urbem cum pervenissent, Benedictum III ei suffectum fuisse compererunt.

Denique Photius, ut omittam cetera plura, quae possent afferri, in libro de *Spiritus sancti Processione* adversus Latinos, Benedictum III appellat *Secundum post Leonem in Archieratico throno*. « Heri, inquit, » et nondum secunda generatio praeteriit, nobilis ille Leo, qui et miraculis editis potest gloriari, omnem » omnium excidens praetextum hominum..... sed et mitis et mansuetus, » et asceticis certaminibus illustris; » inclytus Benedictus, post eum in » Archieratico throno Successor, hoc » idem, et amplectendo, et confirmando haud secundus esse nitebatur, licet tempore secundus esset. »

His, aliisque argumentis facile hanc narrationem veluti fabulosam demonstraverunt Baronius ad annum 853, Pagius ad eundem annum, Onuphurius Panvinius in not. ad Platinam, Leo Allatius in confutatione fabulae de Ioanna Papissa, Lambecius Bibl. Vindob. lib. 2 c. 8, Labbeus in Cenotaphio Ioannae Papissae t. 8 coll. Concil., Natalis Alexander diss. 3 in saec. 9, Io. Georgius Eckardus tom. 2 Hist. Franc. Orient. l. 30 pag. 119 aliique plures. Inter Protestantes quoque David Blondellus singulari libro, Petrus Baylius in Dictionario voce *Papesse*, Chr. Aug. Heumannus in sylloge diss. sacr. t. I p. 2, Guillelmus Godefridus Leibnitius apud Eckardum in op. manuscripto

aliique. Indignati tamen hanc suorum sinceritatem plures ex Heterodoxis fuere, qui dolebant ita sibi eripi occasionem de Romana Ecclesia detrahendi. Hos inter commemorari possunt Fridericus Spanhemius in dissert. primum 1691 Lugduni Batavorum edita *de papa femina* etc., quae deinde pluries Amstelodami, et Hagae Comitum, Gallice reddita a Iacobo Lenfantio, una cum eiusdem, et Vignolii Ministri Brandemburgici accessionibus edita est; Ioannes Christophorus Wangenseilius Diss. *pro Ioanna Papissa* t. I *amoenitatum litterar.*, Io. Georg. Scelhornii. Moshemius denique in Inst. H. Eccl. saec. 9 parte 2 cap. 2 etsi narrationis istius defensionem non suscipiat, et doctissimos viros existimare affirmet litem non terminatam esse, Wangenseilii tamen dissertationem laudat, cum ait, eum concinne utriusque partis argumenta exhibuisse, id quod cum indigesta dissertationis illius scriptione prorsus non convenit. Wangenseilius autem dissertationem scripsit, ut narrationis istius veritatem omnino probaret.

Sunt autem levissima, quae ad sententiam istam confirmandam ab iis afferuntur argumenta. Etenim quod de Anastasii Bibliothecarii testimonio commemorant, id nullam vim habet, cum apud eruditos omnes constet, codices Anastasii, in quibus ea narratio continetur, fuisse depravatos. Quae autem de temporis spatio afferunt ad ostendendum inter Leonis IV mortem et Benedicti III electionem, locum Ioannae pontificatui posse reperiri, id certum est esse factum, chronologiam Romanorum Pontificum illius aetatis penitus perturbando. Quae denique de pluribus scriptoribus adducunt, qui Ioannam Papissam fuisse retulerunt, ea ad id probandum non sunt idonea, quando ii scriptores comparari certe non possunt cum gravissima hominum, aetate aequalium auctoritate, ac publicis monumentis, quae historiae huius falsitatem evincunt.

Consuli praeterea potest inter cetera caput 10 n. 3 et 4, l. 3 operis doctissimi *De Servorum Dei Beatificatione* etc. Benedicti XIV, quo loco Pontifex, breviter, sed singulari eruditione affert argumenta, quibus ostenditur, Martini Poloni, qui saeculo 13, et Mariani Scoti, qui saeculo 11 vixit, opera fuisse vitiata « ab haereticis fabulam Ioannae Pa» pissae obtrudere volentium. » Hoc autem opportune est animadvertendum, ut etiam illorum Scriptorum auferatur auctoritas iis, qui narrationem de Ioanna Papissa confirmare voluerunt. Cum vero fabulosae huius historiae origo codicibus per fraudem depravatis debeatur, apparet, nonnisi per iniuriam, Moshemium loco superius citato §. 4 affirmare potuisse: « Sexcentos esse per quinque sae» cula insoliti eventus huius testes, » nec quemquam ante sacrorum in» staurationem a Luthero susceptam, » rem vel incredibilem, vel Ecclesiae » ignominiosam credidisse. » Profecto cum narratio ista scriptoribus auctoritate praestantibus repugnet, et dolo malo in posteriorum scriptorum opera illata sit; satis apparet, si apud plures scriptores ea historia reperitur, id minime evenisse, quod nemo illam ignominiosam existimaret.

Et quoniam adversarii confidenter Martini Poloni praesertim testimonio gloriantur, veluti si is vere in Chronico Ioannae mentionem fecerit, non erit inopportunum praeter ea, quae Benedictus XIV loco citato, et Pagius ad annum 853 n. 14 attulerunt ad hoc refellendum, non erit, inquam, inopportunum ea etiam commemorare, quae Le-Quienius t. 3 *Orientis Christiani* pag. 788 refert, ut ipse quoque ostendat, in Chronicon Martini esse per fraudem illata ea omnia, quae Ioannam Papissam respiciunt. Itaque Le-Quienius, qui colum. 381 et seqq. pluribus argumentis hoc demonstraverat, in appendice p. 788 affirmavit, se in posterum reperisse in Bibliotheca Parisiensis conventus SS. Annuntiatae PP. Praedicatorum, in col-

lectione Scriptor. German. t.9 *Rerum Germanicarum Argentorati* a. 1685, editionem Chronici Martini Poloni, in quo Romani Pontifices, et Imperatores recensentur usque ad Clementis IV mortem, atque in ea editione nihil omnino esse de Ioanna Papissa. Addit praeterea Le-Quienius ad latus Chronici memorati, eo loco, ubi Leonis IV, et Benedicti III eiusdem Successoris Pontificatus numeratur, addit, inquam, reperiri monitum Ioannis Caesaris, qui probabiliter volumen ediderat. Haec autem Ioannes Caesar monebat: « Candide » lector, ne mireris hoc loco praeter» mitti Ioannem, quem vocant VIII » feminam, ortam, ut fabulantur, » Moguntiae. Non erasimus e codice » nostro, ut fortassis criminaberis, » verum candide ea, quae inveni» mus, edimus. »

CAPUT LXXXII.

DE PHOTIANO SCHISMATE.

Gravissimum illud dissidium nunc est commemorandum, quod Ecclesiam Catholicam vehementer saeculo nono perturbavit, Photianum videlicet, quod Photii praesertim opera excitatum illud, amplificatumque fuerit. Equidem arbitror non pari ratione dici dissidium istud Latinam inter et Graecam Ecclesiam excitatum esse. Nihil enim Latini commiserunt, quo iure possent Graeci irasci, atque inde occasionem suscipere ad schisma conflandum. Neque Graeci, quando sub Photio duce, Sedi Apostolicae repugnarunt, quidquam aliud egerunt, quod diversum sit ab eo tam gravi crimine, cuius gens quaelibet rea evaderet, quae Romano Pontifici D. Petri Successori, iurisdictionis primatum in Ecclesiam universam a Christo traditum obtinenti subesse recusaret. Schismatis scilicet gravissimi rei facti sunt Graeci: in ea tamen re nihil habent, ut iure possint de Ecclesia Romana conqueri. Graecorum enim erat Sedi Apostolicae obtemperare; atque ii resistentia sua schisma commoverunt, non autem Latina Ecclesia quae Romani Pontificis primatum iurisdictionis aspernantes homines, veluti schismaticos habere necessario debuit.

Est hic breviter tanti huius dissidii historia referenda. Neque gravis quidem causa deest, ut hoc agere imprimis opportunum esse videatur. Nam licet ex iis, quae paullo post sumus narraturi, facile appareat, Romanum Pontificem, illud, habita supremi muneris sui ratione, agere in ea re debuisse, quod egit, ad Sedis Apostolicae iura propugnanda, ad disciplinam Ecclesiasticam asserendam, ad canonum instituta, iustitiamque defendendam; certum est tamen Pontificii Primatus inimicos, de negotio isto tantae celebritatis, ita loquutos esse, ut, si eorundem narrationi fides habeatur, minime tam iustis de causis Sedem Apostolicam ea egisse credi debeat, quae agenda esse iudicavit.

Etenim ut significem quantopere diversa, et a veritate prorsus aliena ratione de rebus a Sede Apostolica in hac causa gestis scriptores isti loquantur, satis est unum, alterumve ex iis commemorare. Moshemius, ex gr. in Inst. H. E. saec. 9 part. 2 cap. 3 ita rem describit, tamquam si aequo iure Nicolaus I Pontifex, qui Ignatium Constantinopolitanum Patriarcham, per vim dignitate spoliatum tuebatur, et Photius contra Nicolaum ageret. Narrans enim, a Nicolao Photium anathemate mulctatum esse, subdit continuo: « Fulmen hoc tantum abest, ut Pho» tium terreret, ut is potius quod » acceperat, redderet, et Nicolaum » vicissim in Concilio Constantino» politano anno 866 exsecraretur. »

Veluti si eiusmodi scelus a Photio aptratum quod nullam poterat contra Pontificem Maximum vim habere, possit opponi sententiae, quam cum summa potestate contra illum tulerat Nicolaus. Pontificem praeterea Moshemius in ea re aperte calumniatur, cum illum non iniuriam, quam passus erat Ignatius, sed proprias acceptas iniurias ulcisci voluisse contendit. Inquit enim: « Obtentus belli a Nicolao I moti, iustitia » erat causae Ignatii . . . Verum aequo animo tulisset iniuriam Ignatio illatam Nicolaus, si a Graeco » Imperatore, ac Photio ereptas Romanis Pontificibus a Graecis provincias recuperare potuisset, Illyricum, puta, Macedoniam, Epirum etc. » Haec vero cum Moshemius ait, non modo chronologiam facti pervertit, sed etiam affirmat id, quod cum tota schismatis istius excitati historia manifeste pugnat, in qua nihil clarius esse potest, quam Nicolaum Pontificem, Ignatii veram defensionem, atque eiusdem iuris vindicationem constanter gessisse.

In eandem ferme sententiam Guillelmus Caveus loquitur in *conspectu saeculi Photiani* historiae litterariae suae, et Carolus Villersius 3 parte historiae ecclesiasticae speciminis, quod adiectum ab eo est operi Parisiis anno 1808 a se tertium edito, quod inscribitur: *Essai sur l'esprit, et l'influence de la reformation de Luther,* quod historiae specimen, nulla veritatis habita ratione scriptum, omnino spectare dici potest ad perstringendam contra catholicam Ecclesiam, ac Romanos Pontifices congeriem iniuriarum. Ii quidem scriptores ita huius schismatis originem derivant, tamquam si tunc primum Ecclesia Graeca audierit, Romanum Pontificem in universam Ecclesiam iurisdictionis habere primatum, et Photius ideo restiterit Nicolao, perinde si tunc primum Romani Pontificis potestas iurisdictionis, etiam in Ecclesia Graeca inciperet exerceri. Potterius denique, ut ceteros praeteream, tom. 2 cap. 20 operis *l'Esprit de l'Eglise* etc. veram schismatis huius causam sitam esse contendit in Orientalis imperii ab Occidentali facta separatione.

His, aliisque ut respondeamus, praecipua referemus, quae excitatis istius schismatis originem, causamque respiciunt, quaeque fuse a Baronio, et Pagio ad 857 et seqq. a Le-Quienio tom. I Orientis Christiani, col. 245 et seqq. tom. 3 col. 377, et seqq., a Natali Alexandro in Diss. de Schismate Photiano, aliisque pertractantur, et allatis monumentis demonstrantur.

Methodio Patriarchae Constantinopolitano die 14 Iunii anno 846 mortuo, Ignatius filius Michaelis I, qui Rhangabe, et Curopalata dictus est, die 4 Iulii eiusdem anni suffectus est, suffragantibus Episcopis, et Clero Constantinopolitano, ac populo gratulante. Narrat Nicetas in eius vita, Ignatium, cum esset consecrandus, prohibuisse quominus Gregorius Asbesta Syracusanus praesul caeremoniae interesset, ac deinde habita synodo, Gregorium plurium criminum reum ab illo depositum fuisse. Post haec Ignatius undecim annos, et nonnullos menses Ecclesiae Constantinopolitanae, singulari cum religionis, et disciplinae ecclesiasticae studio praefuit. Eo autem anno gravissimam vexationem pati coepit.

Theophilo Imperatori Michael III eius filius sexennis successerat. Primis vero annis Theodora Augusta eius mater imperium sapienter administraverat; sed deinde Michaelis Bardae Caesaris, qui ipsius Theodorae Augustae frater erat, artibus et potentia, ea remota fuerat; et summa rerum in Bardae ipsius potestatem devenerat, cuius arbitrio omnia gerebantur. Erat Bardas Ignatio Patriarchae imprimis infensus, eo quod illum Praesul ob perditos mores reprehendisset, et tandem eum communione, atque ad altaria accedentem Eucharistia privasset, ob turpem cum nuru publicam consuetu-

dinem. Alia etiam inimicitiae causa fuerat, quod cum Bardas optaret expedire se a Theodorae metu, et idcirco vellet eam monasticam vitam profiteri, suaserat Imperatori, ut Patriarcham ad illam velandam cogeret. Ignatius autem eam invitam velare recusaverat, licet Imperatoris, seu potius Bardae iussu in monasterium esset relegata.

Itaque Bardas Ignatium Maiestatis accusavit, veluti si Gebonem quendam hominem obscurum, qui Theodorae se filium iactabat, ille moliretur ad imperium provehere. Fuit ergo die 23 Novembris anno 857 deportatus in insulam Terebyntum, et monasterio inclusus. Triduo post missi sunt ad eum Episcopi, qui illum adducerent ad Episcopatum dimittendum, nisi vellet extremo discrimini se obiicere. Fortiter vero Ignatius obstitit, plane sentiens gravissima mala Ecclesiae Constantinopolitanae imminere, si morem Bardae gessisset. Bardas autem effecit, ut convocato episcoporum, quibus metus incussus erat, conventu, contra omnes Ecclesiae leges, Ignatio dignitas abrogaretur, et ei in Episcopatu Constantinopolitano sufficeretur Photius, cui ipse addictissimus erat. Iuvat hic Metrophanis Smyrnaei verba referre ex epistola ad Manuelem Patricium, quae ostendunt, per vim et metum, Episcopos, derelicto Ignatio, in posterum Photio adhaesisse. Ait enim, statim ac Ignatius a Barda eiectus est, eique Photius subrogatus, « Episcopos » omnes Constantinopolitanae ditio- » nis convenisse, et Photium anathe- » mate perculisse, depositum dicen- » tes in nomine Patris, et Filii, et » Spiritus sancti. Quin et Episco- » pos omnes una conspirantes, se- » ipsos diris devovisse, si quis ipso- » rum Photium Patriarcham profite- » retur.»

Photius vero erat quidem vir nobili genere, et ingenio ac singulari eruditione praestans, rerum civilium et politicarum usu, ac peritia insignis, sed vehementer ambitiosus. Is igitur, qui Protospatarius erat, et primus Imperatori a secretis, sex dierum spatio ex Laico Episcopus factus est. Nam eo anno, mense Decembri, prima die Monachus, altera Lector, tertia Subdiaconus, quarta Diaconus, quinta Presbyter, sexta denique, hoc est, ipso die festo Natali Christi Domini, a memorato superius Gregorio Asbesta Syracusano, Episcopus consecratus est. Interea Ignatius primum in Hieriam insulam deportatus est, et vinctus in stabulo agrario fuit inclusus; tum, in Mitylenem insulam est perductus. Habita est vero a Photio an. 859 pseudo-synodus in Blachernis, in qua Ignatium patriarchatu depositum declaravit, et praeter inceptam Ignatii ipsius vexationem, eos etiam acerbe insectari, ac malis omnibus afficere coepit, quos ab Ignatio non deficere, et sibi non adhaerere intelligebat.

Cum sentiret autem Photius non posse se dignitatem tuto retinere, nisi Nicolai Pontificis auctoritate se munitum esse doceret, conatus est Pontificem decipere, ut litteras ab eo consequeretur, quae ipsius confirmationem in Patriarchali dignitate continerent. Legatis igitur, litterisque Romam missis affirmabat, Ignatium senio, et infirma valetudine confectum sponte patriarchatu abdicasse, se autem invitum, et frustra obnitentem, communi omnium suffragio coactum fuisse ad patriarchalem dignitatem suscipiendam. Petebat praeterea, ut Constantinopolim Legatos Pontifex mitteret, qui Iconoclasticam haeresim penitus profligarent, ac disciplinae ecclesiasticae consulerent.

Minime deceptus a Photio est Nicolaus, sed Constantinopolim Legatos misit Rhodoaldum Portuensem et Zachariam Anagninum Episcopum, quibus commiserat, ut « Ignatii Pa- » triarchae causam diligenter inve- » stigarent, et Sedi Apostolicae ple- » nis, ac veracibus referrent indi- » ciis. » Legati cum Constantinopo-

lim venissent, fracti partim metu, partim muneribus, praevaricati sunt. Photius vero latrocinalem Synodum in templo SS. Apostolorum anno 861 habuit, cui adesse coactus est Ignatius, et in qua introductis hominibus ex infimo genere, qui testimonium falsum dixerunt, Ignatius ipse depositus est, consentientibus turpiter Nicolai Pontificis Legatis, dignitate sua spoliatus, verberibus, aliisque cruciatibus vexatus, et cum fere exanimis esset, compulsus est in charta crucem signare, cui Photius verba adiecit, quae illum abdicare se, et Synodi decreto assentiri significarent. Nisi vero servili, sordidaque veste indutus deinde fugisset, saluti suae non consuluisset. Itaque recepit se in Propontidis regionem, aliaque deserta loca, ubi ignotam, pauperemque vitam diu toleravit.

Sed potuit interea Ignatius Nicolai opem implorare, atque in eius suprema auctoritate perfugium contra tantam calamitatem requirere. Itaque una cum decem Metropolitis, et quindecim Episcopis epistolam ad Nicolaum scripsit, in qua de tota re gesta, deque turpi agendi ratione, quam Legati ab eo missi, Constantinopoli adhibuerant, eum certiorem fecit, et Sedis Apostolicae auxilium postulavit. Nicolaus in Legatos animadvertit, et convocatis Episcopis qui Romae aderant, ac praecipuis ex Clero Romano, rescidit omnia, quae Constantinopoli contra Ignatium facta fuerant. In Concilio autem anno 863 Romae habito, acta pseudo-Synodi Constantinopolitanae irrita esse decrevit, Photium tamquam sedis alienae invasorem damnavit, et Ignatium in pristinam dignitatem restituit. Haec Photius audiens summopere indignatus, duas Synodos Constantinopoli habuit, in quibus, prout superius significavimus, eo usque audaciae insolentiaeque progressus est, ut contra Nicolaum Pontificem sententiam tulerit excommunicationis.

Haec cum Photius agebat, errorem etiam contra Fidem propugnabat. Nam Latinos accusabat, veluti si a fide defecissent, eo quod Spiritum sanctum non a Patre solum, sed etiam a Filio procedere crederent. Scripta simul ad Patriarchas Orientales epistola *Encyclica,* conatus est eos contra Latinam Ecclesiam commovere. Sed rationes, quas ad dissidii sui defensionem in illa afferebat, tales erant, ut manifeste omnibus ostenderent, se nonnisi iniuria de Romano Pontifice, ac de Latinis conqueri, et nullam se legitimam consilii a se inique suscepti rationem afferre posse. Cum enim de Latina Ecclesia conquereretur, eo quod Spiritum sanctum a Filio quoque procedere Latini crederent, ostendebat, in schismate suo etiam evenisse, quod schismatis cuiusque proprium esse solet, ut cum haeresi coniungeretur. Quando autem propter Sabbati ieiunium, propter vetitum Sacerdotibus coniugium, Latinam Ecclesiam reprehendebat, profecto se inique agere palam demonstrabat, cum sanctissima instituta improbaret. Haec vero omnia, quomodo poterant Photium excusare ab eo crimine, quod patraverat, per vim manifestamque vexationem, alienam Cathedram usurpando? Quomodo poterant ista probare, Nicolaum Pontificem potestatem non habuisse, ut Ignatium restitueret, Photiumque cogeret ad Constantinopolitanam sedem dimittendam?

Sed rerum facies repente immutata est. Anno enim 867 Bardas Proditionis accusatus, morte mulctatus fuit, ac deinde Imperatore Michaele interfecto Basilius Macedo imperio potitus est. Hic autem cum semper Ignatii studiosus fuisset, statim in imperii sui initio, eundem revocavit, et Photio deiecto, atque in monasterium *Scopen* relegato, effecit, ut, habito Constantinopoli concilio, pristinam suam cathedram ille recuperaret. Post haec de tota re ad Romanum Pontificem scripsit, et missa etiam Romam legatione, ab eo pe-

tiit Concilii Generalis convocationem. Hadrianus II, qui Nicolao I interea successerat, Imperatori libenter assensus est. Itaque Romae anno 868 concilium habuit, in quo Nicolai I decreta, circa Photii causam confirmavit: Photio tamen communionem laicam permisit, si facti eum poenituisset, et voce ac scripto profiteretur, se Nicolai decretis obtemperaturum esse. Ea omnia vero Hadrianus iussit, quae ad Concilii Generalis celebrationem erant necessaria, de qua re paullo post agemus.

Haec autem, quae hactenus commemoravimus, satis ostendunt, quam longe a veritate sint ea, quae Moshemius, Caveus, Villersius, Potterius de isto schismate affirmarunt. Est enim perspicuum, universum istud dissidium commotum esse ob vim Ignatio illatam, et ob eundem iniuste spoliatum Episcopatu; minime vero ob politicas utriusque Imperii controversias, vel quod tunc primum Romanus Pontifex potestatem suam in Orientalem Ecclesiam vellet exercere. Praeter historiam vero superiorum temporum, quae contrarium evincit, ipsum Ignatii factum una cum Metropolitis et Episcopis Nicolai Pontificis auctoritatem implorantis, atque ipse Photius, qui ad gradum, quem occupaverat, retinendum, arbitratus est, necessarium esse, se Pontificis auctoritate tegere, demonstrat quanto in errore Scriptores illi versentur.

CAPUT LXXXIII.

DE SYNODO VIII GENERALI CONTRA PHOTIANUM SCHISMA, HADRIANI II R. P. AUCTORITATE CELEBRATA.

Hadriani II Pontificis auctoritate Synodum VIII Generalem contra Photianum schisma habitam esse, in historia saeculi Ecclesiae noni res explorata est. Si praecipua vero commemorentur, quae in eo concilio gesta et decreta sunt, facile est intelligere, quamobrem homines schismatici de eius auctoritate detrahere conati semper fuerint. Actum enim de causa, quam defendunt, omnino esse sentiunt, modo Synodum illam vere oecumenicam habendam esse fateantur. Quae enim causa fuit, cur Concilium hoc convocaretur? Profecto ut remedium afferretur gravissimis malis, quae ex Photiano schismate in Ecclesiam manaverant. Etenim erat Photii audacia comprimenda, et potestas illa firmanda, quam non ita pridem Ignatius recuperaverat. Atqui haec quidem, sapientissima gravissimaque ratione gesta sunt in ea Synodo. Erant cetera statuenda, quae eiusmodi malum impedirent in posterum, quaeque Ecclesiae catholicae incolumitati prospicerent, atque ea etiam in memorata Synodo decreta sunt. Cum nos eius auctoritatem simus propugnaturi, videtur esse opportunum, ea primum referre, quae rerum in Synodo gestarum veluti summam continent.

Itaque Constantinopoli in templo S. Sophiae celebrata ea Synodus est, ac incepta die 5 Octobris anno 869, habitis decem actionibus, die postremo mensis Februarii, anno proximo absoluta fuit. Confirmata est autem in ea Hadriani II sententia, qua decernebatur, ut Ignatius in pristinum dignitatis gradum restitueretur, quo iniuria fuerat exspoliatus, utque Photius iniustus Sedis Constantinopolitanae invasor, in omne tempus, in ordinem redigeretur, eique ad communionem laicam aditus tantum pateret, modo ea verbis ac chirographo improbaret, quae gesserat. Veteribus Episcopis, qui nempe non a Photio, sed ab Ignatio, vel eius decessore Methodio defecerant, Ecclesiastica communio concessa, et facultas etiam facta est, ut suos Epi-

scopatus retinerent, dummodo libello subscripsissent ex Urbe a Pontificiis Legatis allato, in quo omnes haereses reiiciebantur, Photii gesta damnabantur, et in ipsum Photium anathema dicebatur, donec ad saniorem mentem reversus resipisceret. Quocirca, qui hanc conditionem repudiarunt, reiecti quidem sunt, suisque Episcopatibus exciderunt. Ad Episcopos vero ceterosque Clericos quod attinet, qui a Photio fuerant ordinati, imperatum est, ut exauctorati in laica communione manerent. Illius tandem concilii Patres doctrinae etiam Christianae, et universae Ecclesiae disciplinae consulere cupientes, utrumque ut efficerent, damnatis haereticis omnibus, et praecipue Iconoclastis, fidei definitionem, et 27 canones ediderunt.

Haec profecto Haereticis et Schismaticis placere certe non poterant, qui idcirco, nisi causa cadere voluissent, Oecumenicam illam Synodum fuisse denegaverunt. Nihil vero potest esse tam certum, quam hanc Synodum Oecumenicam fuisse. Quid est, quod huic concilio desit, ut iure eidem possit Oecumenici auctoritas denegari? Commemoretur enim eius habendi decretum. Recolantur illa, quae eius respiciunt celebrationem, quaeque post celebratam Synodum contigerunt. Ea omnia profecto qui recenseat, intelliget sane esse eiusmodi, ut certissimum iudicari debeat Synodum istam vere Oecumenicam fuisse.

Est hoc in Oecumenica Synodo praecipuum, ut illam habendam Romani Pontificis indixerit auctoritas. At nemini dubium esse potest octavam Synodum Hadrianum II habendam decrevisse. Continet convocandae Synodi decretum Hadriani ad Basilium Imperatorem epistola, quae in primam Synodi actionem relata est. «Volumus, inquit, per vestrae » pietatis industriam Constantinopoli » numerosum celebrari Concilium, » cui nostri quoque Legati praesi- » dentes, delictorum, hominumque » discrimine perspecto, statim cuncta » impii conciliabuli exemplaria ab » iis, qui illa retinent, ablata, igni- » bus cremanda tradant.» Consonant his Anastasii Bibliothecarii verba in praefatione octavae Synodi ita Hadrianum alloquentis. «Missisque cum » auctoritate Apostolica Vicariis, et » epistolis decretalibus, iussisti fieri » Constantinopoli Synodum.» Nihil his certe magis perspicuum afferri posse videtur ad ostendendum, Rom. Pontificis auctoritate concilium hoc indictum fuisse.

Summa quidem laus Imperatori est tribuenda, quod acceptis Pontificis Maximi litteris, omnem operam suam ad Episcopos Constantinopoli colligendos adhibuerit: « Non modi- » cum certamen certavimus (quem- » admodum ipse de se fatetur in al- » loquutione ad Synodum), neque » labori cuilibet cessimus, ut et ipsi » nobiscum nostis, ad congregandum » eos, qui a Romana, et ab Oriental- » libus Patriarchalibus sedibus con- » venerunt.» Ea autem de causa amplissimis verbis act. praesertim 1 a Patribus, 6 a Metrophane, 8 ab Ignatio in acclamatione ad Synodum Imperator laudatus est. Nemo tamen dubitabit, licet praeclare se gesserit in ea re ad exitum perducenda Imperator, ac magnopere laborarit, ut Synodus haberi posset, illum tamen, nonnisi auctore Rom. Pontifice Hadriano, Episcopos Constantinopolim vocasse, quare oporteat omnino concludere, Synodum Romani Pontificis auctoritate convocatam fuisse.

Neque vero minus esse certum debet, Concilio VIII Hadrianum II per Legatos suos praefuisse. Fuere illi Donatus Episcopus Ostiensis, Stephanus Episcopus Nepesinus, et Marinus E. R. Diaconus. Omnes autem litterae, quae de Synodo illa loquuntur, tres illos viros Synodo praefuisse testantur. Cetera ego relinquens, commemorabo primum Hadriani ad Imperatorem epistolam, quam anno 869 scripsit, quaque Legatos indicat, qui Synodo erant prae-

futuri. Recensebo ea, quae in Hadriani II vita refert Anastasius Bibliothecarius. Basilius enim Augustus postridie, quam Legati Constantinopolim pervenissent, haec cum iis verba fecit: « Nos cum omnibus O» rientalibus Patriarchis, Metropo» litis, atque Episcopis censuram » S. matris nostrae Romanae Eccle» siae, per biennium praestolantes, » propter Deum petimus, ut Dei ne» gotium utiliter peragatur, et tan» dem aliquando auctoritate vestri » S. Collegii tam pestifera Photianae » tergiversationis scandala propel» lantur, quatenus unitas et tran» quillitas optatae diutius, iuxta de» cretum SSmi PP. Nicolai restau» rentur. » Haec autem Imperatori roganti Legati responderunt: « Et » nos ideo venimus, ideo missi su» mus: sed neminem Orientalium ve» strorum umquam in nostram Syn» odum suscipere possumus, nisi, » oblato libello, cuius formam de » scrinio S. Sedis Apostolicae sum» psimus, nobis fuerit satisfactum.»

Non possunt vero fingi clariora testimonia, ut cuique pateat per Legatos suos Rom. Pontificem Synodo praefuisse. Neque enim Imperator ea ratione, qua retulimus, cum Legatis loquutus esset, nisi in iisdem praesidendi auctoritatem agnovisset. Neque Legati adeo erant inepti, ut dicerent posse se prohibere Synodi ingressu eos, qui Pontificiis decretis non paruissent, nisi suam in Synodum auctoritatem exploratam, planeque cognitam habuissent.

Atque eorum quidem auctoritatem in Synodum, Patres, qui interfuerunt, professi fuerunt. Sunt in omnium manibus eius concilii acta, ac perspicua sunt, quae passim in iisdem testimonia occurrunt, quae docent Legatos Synodo praefuisse. Tale est quod actione 3 habetur. His enim constat verbis eius actionis exordium: « Convenientibus Donato, » Stephano Episcopis, et Marino Dia» cono, locum tenentibus Hadriani » Archiepiscopi senioris Romae, et » Ignatio etc. » Ea autem verba indicant omnino, Concilii Patres habuisse Rom. Pontificis Legatos veluti sacri Conventus duces. Tale est etiam quod eadem actione deinde refertur, ita scilicet Legatos fuisse loquutos, ut oratione sua argumentum afferant se Concilio praesidere. « Vi» carii senioris Romae dixerunt: Ergo » et omnem dubitationem amittamus » e cordibus vestris, et verbis, et » operibus certificemus vos, quia se» cundum ea, quae mandata et iussa » sunt nobis, ita disponemus. Ergo » habemus epistolas etc. » Praetereo actionem septimam, et nonam. Eadem enim ratione, ac in tertia vidimus, res gesta in his actionibus est. Decimam potius commemorabo, in qua Hadriani Legati Concilii decretis, Episcoporum omnium primi subscripserunt. Haec enim omnia, quae diximus, manifeste confirmant, Legatis vere proprieque praesidentibus, Synodum istam octavam habitam esse.

Restat nunc illud quaerendum, fueritne octava Synodus Rom. Pontificis sententia confirmata. Hic vero locus brevi explicatur. Docet enim id Hadrianus in sua post confectam Synodum, ad Basilium Imperatorem scripta epistola. « Ab illis, inquit, » sacratissimis constitutis, quae vel » Apostolicae memoriae praedecessor » noster Nicolaus antea salubriter » sanxit, vel nos postea dispensato» rie protulimus, nulla motione, vel » mutatione discedemus, aut ad dex» teram, aut ad sinistram quoquo » modo declinabimus. Quae videli» cet iamdudum probavit Ecclesia, » et immutilata servanda nuper ge» stum generale statuit Concilium.» Docet professio Fidei, quam faciebant saeculo nono Rom. Pontifices cum Pontificatum inibant, quamque edidit Garnerius in libro diurno Rom. Pontificum tit. 9. Praeter cetera enim, quae Rom. Pontifices mox electi iurabant, haec quoque in ea, quam diximus formula profitebantur: « Sanctaque octo universalia Conci-

» lia, id est, Nicaenum, Constanti-
» nopolitanum, et Ephesinum pri-
» mum, Chalcedonense, quintum quo-
» que et sextum, item Constantino-
» politanum, et septimum item Ni-
» caenum, octavum quoque Constan-
» tinopolitanum, usque ad unum api-
» cem immutilata servare, et pari
» honore, et veneratione digna ha-
» bere, et quae praedicaverunt, et
» statuerunt, omnimode sequi, et
» praedicare; quaeque condemnave-
» runt, condemnare ore, et corde.»
Necesse vero non est, post ista adeo perspicua, rei longius insistere, ut confirmatam a Rom. Pontifice eam Synodum fuisse efficiatur.

Post haec tam gravia testimonia, ex quibus luculenter cuique constat Synodum hanc, quae R. Pontificis auctoritate convocata, habita et confirmata est, vere Oecumenicam fuisse, facile est schismaticorum clamoribus occurrere, eaque praecipua refellere, quae iisdem plaudens in *appendice ad Delicias Eruditorum Ioannis Lami t. 2* obiicit Fontanius. Neque enim ego puto necesse esse illa loca explicare, atque argumenta, quae inde nascuntur, refellere, ex quibus concludere fortasse quisquam posset, Imperatorem ipsum Synodo praefuisse. Sunt enimvero nonnulla actorum Synodi loca, in quibus habitas actiones fuisse dicitur *Imperatore praesidente*. Certum est deinde, primum acclamatum Imperatori, quam Legatis fuisse; certum denique est, a Legatis Imperatorem fuisse rogatum, ut primus omnium ipse subscriberet. Haec vero omnia argumento esse tantummodo possunt honoris a Legatis, et Synodo Imperatori habiti, non autem Principis in Synodum praesidentiae auctoritatis. Possunt vero haec cum Imperatore agi, tamquam cum Principe, qui de Ecclesia ob huius Synodi celebrationem optime merebatur, non possunt tamen umquam illius in Synodum ostendere auctoritatem.

Ipse vero Imperator nobis huius rei est auctor. In alloqutione enim ad Synodum profitetur, se, utpote laicum, de Ecclesiasticis causis iudicandi auctoritatem non habere. «Hoc,
» inquit, investigare et quaerere,
» Patriarcharum, Pontificum et Sa-
» cerdotum est; non nostrum, qui
» pasci debemus, qui sanctificari, qui
» ligari, vel a ligamento solvi de-
» bemus... Quantaecumque enim re-
» ligionis, et sapientiae Laicus exsi-
» stat, vel etiamsi universa virtute
» interius polleat, donec laicus est,
» ovis vocari non desinet.» Eadem prorsus de causa Imperator intellexit, honoris gratia tantum se rogatum a Legatis fuisse, ut primus omnium subscriberet; respondit tamen, se id non esse facturum. Act. enim 10 haec referuntur: « SSm̃i Vi-
» carii senioris Romae dixerunt...
» volumus ut subscribant primitus
» Christi amatores Imperatores, et
» deinde secundum ordinem S. haec
» Synodus. Basilius piissimus, et
» Christi amicus Imperator dixit:
» Tranquillissimum Imperium No-
» strum, secutum praecedentes iu-
» stissimos Imperatores, Constanti-
» num videlicet Magnum, et Theo-
» dosium, et Marcianum, et ceteros,
» vult subscribere post subscriptio-
» nes omnium SSrum Vicariorum.»

Neque minus est obvium, honoris causa tantum, non vero auctoritatis, Basilio ante Legatos fuisse acclamatum, idque minime ostendere eum Synodo praefuisse. Ante Legatos enim etiam Eudoxiae Augustae acclamatum est, *Eudoxiae piissimae Augustae multos annos*. Nemo tamen inde concluderet Eudoxiam quoque Synodo praefuisse. Sequitur igitur, iudicandum omnino esse, R. Pontifices tantum per Legatos suos Concilio praefuisse. Sed haec omittamus: Fontanium potius refellamus, schismaticorum causam in praefatione operis, quod indicavimus, defendentem, et Concilii octavi auctoritati omni studio detrahere conantem.

Mitto dicere de iis, quae ille disputat ut suadeat, Nicolaum I non ea prudentia usum fuisse cum Pho-

tianum dissidium excitatum est, quae in R. Pontifice, cum ceteris temporibus omnibus, tum maxime ubi contentiones eiusmodi commoventur, requiritur. Ea enim ille praedicat, ut Photii scelus imminuat, ac Pontificem Nicolaum in invidiam vocet malorum illorum gravissimorum, quae ex Photiano schismate in Ecclesiam manarunt. Consideranti vero cuiquam illorum temporum historiam Ecclesiasticam, ac calamitatis illius adiuncta omnia perpendenti, patebit omnino, haec a Fontanio per calumniam dici; Photii iniquitati, ceterorumque eius rebus studentium mala illa omnia adscribenda esse; Nicolaum vero Pontificem sapientissime se gessisse; ac si animadvertere in Photium, illiusque sectatores decrevit, id ab eo, constantiam Pontifice Maximo dignam, ac officium defendendae iustitiae, Ecclesiasticae disciplinae servandae, fidei sanctitatis custodiendae, Ignatii Patriarchae a Photio violati dignitatis restituendae necessitatem ab eo postulasse.

Dicamus de iis, quae causam, quam in manibus habemus proximius attingunt, et efficiamus ea, quae ille scribit Synodi octavae auctoritatis extenuandae gratia, concilii huius oecumenici auctoritatem non infirmare. Quid est enim quod Fontanius tantopere irascitur octavae Synodo Oecumenicae? Ablatam primum vehementer dolet Patribus omnibus Synodum ingrediendi libertatem, eosque solum Concilii ingressu non fuisse prohibitos, qui primum spopondissent se omnia in Nicolai I sententiam, et Hadriani II arbitratu esse facturos. Hoc cum ait, reprehendit R. Pontificis Legatos, qui neminem Synodo interesse passi sunt, nisi antea libello illi subscripsisset, quem Nicolaus confecerat, Hadrianus vero Constantinopolim miserat, et in quo Ignatii restitutio, Photii depositio, eius schismatisque damnatio continebatur. Commotum quidem ea re fuisse Imperatorem narrat, ac obiecisse Legatis rei novitatem, et conditionem a conciliorum consuetudine prorsus alienam. Legatorum deinde verbis honorificentiae, assentationisque plenis adductum illum fuisse ut libellum Legati in ipso Concilii exordio omnibus offerrent.

Factum ita fuisse ait, ut omnia in Concilio nutu Rom. Pontificis, ac Legatorum gererentur, Photius indicta causa damnaretur ab Patribus, qui, nisi se illum damnaturos iurassent, in Synodo locum non habuissent. Atque ea quidem in re indignatur Synodi huius Censor subscribendi rationem, quam Patres in Photii depositione adhibuerunt. «Subscripsere » enim, narrat Nicetas, depositioni, » calamis non nudo atramento, sed, » in quo penitus contremiscas, ipso » Salvatoris Sanguine tinctis. » Miratur deinde Fontanius, ac contemnit Episcoporum qui Synodo interfuerint parvum numerum, cum certum sit, non umquam frequentiores, quam centum et octo Concilio illi adfuisse. Numerum autem Episcoporum, qui centum et octo non praetergrediatur, difficile videtur probari posse Fontanio, universae Ecclesiae conventum constituere.

Quid vero, quod plures etiam ex iis, qui Concilio adfuerant, eiusque actis subscripserant, poenituit deinde subscriptionis suae, atque ita poenituit, ut cum nullum afferre remedium aliud rei gestae possent, Imperatorem vehementer precati sint, ut exemplum actorum Concilii, in quo subscriptiones continebantur Legatis tollendos curaret? Flecti se passum esse his precibus Imperatorem putat Fontanius, *ac vix dubitare* se posse ait, *eius, sive iussu, sive consensu, ereptum fuisse codicem,* cum ea Legatis contigerunt, quae de eorum ad urbem reditu narrat Continuator Anastasii Bibliothecarii in vita Hadriani II. « Post dies aliquot » legati navigantes, in Slavorum de» ducti manus, proh dolor! incide» runt, bonisque omnibus, ac authen» tico, in quo subscriptiones omnium » fuerant, exemplari denudati sunt.»

His, quae adduximus, robur accedere putat adversarius ex iis, quae Nilus Metropolita Rhodiorum, et Marcus Eugenicus Metropolita Ephesinus contra hanc Synodum dixerunt. Alter enim octavam, non hanc, de qua quaerimus, sed illam, in qua deinde Photius restitutus est, octavam Oecumenicam appellavit. Alter vero in Concilio Florentino, Cardinali Iuliano ad acta Concilii huius provocanti respondit, eam Synodum abrogatam fuisse, neque tamen ea de causa a Cardinali illo reprehensus confutatusque est. Addit tandem, et Latinos de Synodo octava non honorifice sentire, ac commemorat in annalibus Bertinianis ad an. Ch. 872, et lib. 5 de gestis Francic. c. 28 plures de eadem Synodo res haud ita commendatione dignas narrari.

Haec sunt praecipua, quibus Fontanius conatur Synodi octavae auctoritati detrahere. At mirari possumus scriptorem, qui tanta confidentia, tantaque inconsideratione de re gravissima agens utatur. Etenim potestne aliquid ita esse tam falsum, quam Episcopis, qui Concilio interfuerunt, libelli oblatione libertatem ademptam fuisse? Longum esset libellum ipsum hic referre, ac legi potest tom. 8 coll. conc. ed. Labbei ed. Paris 1671 col. 988, et 989. Si referretur autem, appareret, in eo aliud Episcopos profiteri non debuisse nisi quod removendae omni schismatis et haeresis suspicioni inserviret. Postquam enim in illo assertus est R. Pontificis in universam Ecclesiam primatus, necessitas cum R. Pontifice in fide, et communione conveniendi; post damnatas haereses omnes, Photii damnatio repetitur, ac Ignatii restitutio. Id vero in controversia non erat, mereretur ne damnari Photius, ac Ignatius restitui. Erat enim exploratissima iniuria a Photio Ignatio illata, erat omnibus cognita sententia a Nicolao et Hadriano in Romanis Conciliis lata, de altero exauctorando, altero restituendo. Neque minus erat necesse certo cognoscere, ad-haererent ne schismaticis illi Episcopi, qui Concilio interesse volebant, cum notum omnibus esset, quanta audacia res gesta a Photio suisque fuisset, quantaque temeritate ipsum R. Pontificem excommunicassent.

Iam vero libellus eiusmodi, cuius subscriptione revera aliud R. Pontifex non requirebat intelligere, nisi utrum Episcopi, qui Synodo adesse debebant, ab omni haeresis et schismatis labe essent alieni, libellus, inquam, eiusmodi poteratne Episcopos, qui subscripsissent, libertate privare? Neque vero in Synodo actum est tantum de Photii depositionis, ac Ignatii restitutionis sententia iam pluries lata, in publico totius Ecclesiae conventu recipienda. Canones enim 27 conditi sunt, iisque fides catholica universa praedicata est, haereses omnes, ac diserte Iconoclastica damnatae, actum de disciplina in ordinibus conferendis, de Ecclesiae bonis conservandis, de Clericorum honestate, deque aliis pluribus ad Ecclesiam bene gerendam magnopere opportunis. Est vero prorsus a ratione absonum contendere, libertate spoliatos fuisse Episcopos ad haec sapientissima decreta constituenda, eo quod in ipso Concilii exordio, se neque haereticos, neque schismaticos esse professi fuissent. Quae recta disputandi ratio id patitur?

Quamquam non video, cur nos argumentando efficere debeamus, libelli illius oblatione imminutam Synodi Patribus non fuisse libertatem, perinde quasi nobis ex Concilii ipsius historia non constet, libellum illum a Synodo ipsa probatum fuisse. Legatur enim actio I Concilii VIII apud Labbeum tom. cit. colum. 991. Haec enim in rem nostram occurrent. Lecto siquidem libello, « SSmi Vicarii » senioris Romae dixerunt: Placet » omnibus vobis libellus a Romano» rum Ecclesia missus? Tota Sancta » Synodus exclamavit: Iuste, et con» venienter lectus nobis libellus ex» positus est a Romanorum Ecclesia; » et propterea placet omnibus . . .

» cum Ecclesia Romanorum concor-
» damus. » Fuere quidem nonnulli, ut refertur col. 990, qui post libelli subscriptionem apud Ignatium, et Imperatorem, ea de re conquesti sunt; at ii non de libertate violata conquesti sunt, sed quod nimis superbe de Ecclesia Constantinopolitana sentirent, et fortasse etiam, quod schismaticorum querela commoti, asserebant, Episcopos Graecos pati non debuisse, ut libellus ab iis subscribendus Roma Constantinopolim mitteretur. Impositum igitur subscribendi onus non libertati, sed dignitati Episcoporum quodammodo detraxisse lamentabantur.

At enim adversarius obiicit libelli oblationem Imperatorem arguisse novitatis, eaque de causa illi obstitisse. Haec vero quid efficiant, non video. Aestimaverit enim licet Basilius, novum esse, Episcopis ad Synodum convenientibus libellum proponi; potest tamen ostendi, Ecclesiam, etiam vetustioribus temporibus consuevisse ab hominibus lapsis in haeresim aut schisma, sive Episcopi illi essent, sive Clerici, sive Laici, scriptum poenitentiae libellum, ac orthodoxae fidei, communionisque professionem exigere. Scio, quid his respondere adversarius possit, libellum, videlicet, consuevisse in Synodo ipsa confici, non vero Roma mitti ad Episcopos, qui Synodo interesse voluissent. At sufficient omni hac de re dubitationi tollendae, demonstrandaeque consuetudini, ut a Rom. Pontifice ipso etiam vetustiori aetate, libelli componerentur, et subscribendi ab iis mitterentur, qui haeresis, vel schismatis rei evaserant, vel in gravem haeresis, aut schismatis venerant suspicionem; illa commemorare, quae de Pontificibus Hormisda et Damaso, memoriae prodita sunt.

Sane certum est, atque ex Acaciani schismatis historia constat, Hormisdam Pontificem composuisse libellum, eiusdem schismatis eiuratorium, eum in Orientem missum Roma esse, eundemque ab Episcopis omnibus ad unionem revertentibus fuisse receptum. In quinto autem I Constantinopolitani Concilii canone laudatur *libellus Occidentalium*. Hic vero Occidentalium libellus, ut pluribus adductis gravissimis argumentis ostendit Christianus Lupus in adnot. ad memoratum canonem Concilii Constantinopolitani tom. 1 operum ed. Venetae an. 1724 part. I pag. 336 et seq. hic, inquam, libellus, aliud non est, nisi solemnis illa professio fidei, Romae a S. Pontifice Damaso composita, atque in Orientem, ad Paulinum Patriarcham Antiochenum missa, de qua inter ceteros Rufinus in epistola 2 ad Macarium, « Damasus, inquit, Episcopus, » cum de recipiendis Apollinarianis » deliberatio haberetur, editionem » Ecclesiasticae fidei, cui subscribere » deberent, conscribendam manda- » vit. » Non indigebant igitur Hadriani Legati verba assentationis plena adhibere, ut Imperatori persuaderent, libellum offerre, novum non esse; ac Hadrianus Pontifex non minorem certe causam habuit subscriptionem ab Orientalibus exigendi, ac Hormisdas et Damasus habuerant iis temporibus, quae mox indicavimus.

Post haec non moror adversarium, Photii conditionis miserentem, qui indicta causa fuerit condemnatus. Esse enim arbitror ex iis, quae diximus, cuique cognitum, de eius causa in Concilio quaestionem institui non debuisse. Nam erat absoluta Romae, ac tum Nicolai, tum Hadriani sententia, in Conciliis Romae habitis lata, Photius fuerat condemnatus. Neque aliud in Octava Synodo agendum supererat, nisi Rom. Pontificum de ea re sententiam in universae Ecclesiae publico Conventu recipere. Neque etiam est, cur Fontanius indignetur quodammodo, Episcopos calamis ipso *Christi Sanguine tinctis* Photii depositioni subscripsisse. Primum dicam, adhibitam hanc subscribendi rationem, nihil cum Synodi auctoritate vel augenda, vel

minuenda, habere commune. Deinde hoc, quod in actis ceteroquin non legitur, non novum in illorum temporum historia esse, ut, cum de gravissimis criminibus puniendis ageretur, praesertim ad ceteros in officio continendos, timoremque omnibus, ne malo exemplo deciperentur, incutiendum, ea ratione damnationis sententia in aliquem haereticum lata subscriberetur. Sufficiat hanc in rem commemorare Theodorum Pontificem ita an. 648 in Concilio Romae habito, Pyrrhi damnationi subscripsisse, qui postquam a S. Maximo erroris convictus fuerat, ac Monothelismum eiurarat, iterum Monotheliticam haeresim professus est.

Illud vero inconsiderate commemoravit adversarius, quod ait de parvo numero Episcoporum, qui Synodo interfuerint. Utitur enim Anastasii continuatoris testimonio, quo et causa parvi huius numeri Photio crimini refertur, et Synodum tamen Oecumenicam fuisse demonstratur. Sane Anastasius in praefatione ad Synodum ostendit, eam generalem esse appellandam, tum pluribus aliis de causis, tum praecipue, quod omnium patriarchalium Sedium Legati ei adfuissent. Addit autem eius continuator in Hadriani II vita, loco ab adversario adducto: « Non te scandalizet subscribentium paucitas, quia » cum Photius diu tyrannidem exercuisset, et paene omnes a piis Decessoribus suis sacratos deposuisset, et in loca eorum, fautores » suos tantummodo provexisset, quorum nullus in hac Synodo est receptus, isti soli ex priorum Patriarcharum consecratione superstites sunt inventi. » Certum igitur est, si parvus numerus Episcoporum fuit, hoc ostendere tantum, plures Episcopos ei non interfuisse, quod schismati addicti ita essent, ut noluerint libelli subscriptione ad unitatem Ecclesiae redire. Deinde exploratum omnibus est, modo constet Concilium generale convocatum esse a Romano Pontifice, habitum esse ea ratione, qua habitum dicimus Octavum, confirmatum tandem a Rom. Pontifice fuisse, illud omnino veluti universale habendum esse.

Neque gravius est illud, quod obiicitur de Actis Synodi a Legatis Romam redeuntibus amissis, cum in Slavorum manus inciderunt. Non quaeram ego huius depraedationis crimen sitne Basilio tribuendum. Scio eum in magnam huius rei suspicionem iure venisse, praesertim quod Legatis valde erat iratus ob defensionem, quam ii susceperant Ludovici Augusti. Neque etiam morabor, utrum Episcopi Imperatorem ad id consilii adduxerint, subtrahendorum libellorum causa. Quidquid id fuerit, numquam nocebit Synodi ipsius auctoritati. Synodus enim iam erat absoluta, neque Episcoporum ad fraudes reditus post Synodum habitam, officere potest iis, quae in Concilio gesta sunt; quemadmodum ex eo, quod Graeci post habitam Synodum Florentinam, fidei et promissis non steterint, Synodus illa non desiit esse Synodus Unionis, vereque Generalis.

Restat, ut ostendamus Fontanio nihil probare, quod ille argumentatur ex eorum auctoritate, qui Synodum hanc inter Generales non numerant, vel qui illam contemnant. Id vero est facillimum. Quis enim existimaret Tridentini Concilii auctoritatem imminui, si homines Protestantibus studentes, eam Synodum contemnere affirmarem? Quomodo igitur detrimento octavae Synodi auctoritatis esse poterit, Nilum Metropolitam Rhodiorum, et Marcum Archiepiscopum Ephesinum in Concilio Florentino asseruisse, non eam, de qua quaerimus, sed illam, in qua Photius restitutus est, Octavam appellandam esse? Hoc omnium schismaticorum est proprium, idque iis quae diximus facile confutatur. Quid vero erat necesse cum Marco Ephesino etiam de illa re in Concilio Florentino contendere, quae licet notissima esset, tamen ab homine adeo in schismate pertinaci contemnebatur?

Vix tandem est, ut adversario responderi debeat, cum Auctorem Annalium Bertinianorum ad ann. 872, vel Aimonim de gestis Francorum l. 5 c. 28 contra Synodum nostram appellat. Uterque enim errat, cum ait, Synodum octavam proprie de adorandis sacris Imaginibus decrevisse; nonnisi enim relativum cultum Sanctorum Imaginibus tribuendum esse censuit. Quemadmodum vero Gallorum opinio existimantium a Patribus secundi Nicaeni Concilii, latriae cultum Imaginibus fuisse decretum, non effecit umquam, ut revera crederetur, Concilii septimi Patres errasse; ita ex eo, quod duobus illis in locis ab adversario citatis, vel etiam in aliis, asseratur, Patres octavae Synodi adorandas Imagines iudicasse, non exsistet umquam, re ipsa hanc Synodum in illum errorem lapsam esse. Legenti enim Synodi octavae canonem de Imaginum cultu, occurrit continuo, Patrum eam sententiam fuisse de cultu illis adhibendo, quae semper Catholicae Ecclesiae sententia fuit. Est vero iam alio loco explicatum, unde erronea ista opinio de Concilii septimi sententia circa Imaginum cultum in Galliis orta fuerit. Cum denique nos agamus de demonstranda Concilii octavi Oecumenici auctoritate, idque perspicuis argumentis effectum sit, non potest ea auctoritas in dubium vocari, eo quod scriptores aliqui non accurate de illo Concilio loquuti sint.

CAPUT LXXXIV.

DE VOCIS FILIOQUE ADDITIONE, QUAE SYMBOLO CONSTANTINOPOLITANO FACTA EST.

Quemadmodum ex Graeci schismatis historia constat, plures querelas Graeci attulerunt, quibus conati sunt dissidii sui rationem aliquam afferre, et gravibus de causis adductos se esse demonstrare, ut a Latina Ecclesia separarentur. Non est hic locus omnes eorundem accusationes persequi. De eo tantum dicemus, quod in praecipua illorum querela continetur, iniuria Latinos Symbolo Constantinopolitano vocem *Filioque* addidisse; atque ostendemus ex agendi ratione, qua Sedes Apostolica hac in re usa est, quam iniuste ii, ob additam illam vocem, Latinam Ecclesiam reprehendant. Opportunum autem esse visum est hoc loco, de ista re agere, cum de iis pertractemus quae schisma excitatum a Photio respiciunt. Photius enim dogma ipsum denegavit de Spiritus sancti a Filio quoque processione, deque consuetudine conquestus est, quae, licet non eatenus, prout Baronius animadvertit, obtineret in Urbe, apud Latinos tamen iam induci coeperat, ut Symbolum cum voce *Filioque* recitaretur.

Indicemus primum ea, quae ad memoratae vocis additionis historiam pertinent. Legebantur antiquitus in Symbolo Constantinopolitano de Processione Spiritus sancti haec verba: *Qui ex Patre procedit*. Sensim in posterum in Occidentali Ecclesia receptum est, ut legatur: *Qui ex Patre Filioque procedit*. Doctissimus Petavius Theologicorum dogmatum de Trinitate l. 7 cap. 2 Manuelis Calecae opinionem refellit, qui libro contra Graecos, Damasum eius additionis auctorem facit. Ut cetera omittantur quae ad huius opinionis falsitatem ostendendam conferrent, illud satis est commemorare, Romanum Pontificem, cum post aliquot saecula hac de re consultus esset, huic additioni aliquando non assensum esse.

Neque vero, uti idem eruditissimus scriptor Petavius docet, intelligi debent de voce *Filioque* primum addita, verba S. Maximi Martyris

in epistola ad Marinum, aut, quae a Synodis nonnullis mox indicandis, in fidei professione, de Spiritus sancti a Filio processione posita sunt. « De Symbolo, et additione Maximus verbum nullum, inquit Petavius, sed de solo dogmate, cuius apud Latinos antiquissima est professio. Quare nihil ad rem, Maximi locus ille spectat. Est illud quidem satis exploratum, non solum veteres Patres privatim, ac singulos in Occidente, longe ante docuisse, Spiritum sanctum ex ambobus procedere, sed etiam Synodos integras, id in fidei professione posuisse, ut inter alias Toletana prima fecit an. Christi 400, vel potius (ut recte Petrus Pithaeus vir eruditissimus in opusculo de Processione sancti Spiritus animadvertit ex Bracarensis primi praefatione) Calleciensis anno Christi 447, Toletana tertia Reccaredo Rege regnante anno Christi 589, et quarta anno 633 Maximi Martyris tempore, et undecima anno 675. Verum in Symbolo ipso nihil adiecerunt, neque publice in Ecclesia cani praeceperunt. »

Incertum est quidem, quo revera tempore hoc primum institutum sit; sed constat prius hoc in aliis Occidentis Ecclesiis, quam in Romana obtinuisse. Ineunte saeculo IX in Gallicana Ecclesia iam facta erat additio, de qua loquimur. Habemus id ex actis legationis a Synodo Aquisgranensi ad Leonem III missae Carolo M. imperante anno 809. Post longum enim rei tractatum, Pontifex de ea re ita loquutus est, ut inductum in Gallicana Ecclesia ita symbolum cantandi morem sibi exploratum esse ostenderit, eum tamen morem in Ecclesia Romana non esse, ac curandum, ut in Gallia, prudenti aliqua adhibita ratione tolleretur. « Si prius, quam ita cantaretur, in» quit Pontifex, rogatus essem, ne » insereretur, utique respondissem. » At nunc, quod tamen non affirman» do, sed vobiscum pariter tractando » dico quantum menti occurrit, ita » mihi videtur posse utrumque fieri, » ut paullatim in palatio, quia in no» stra sancta Ecclesia non cantatur, » cantandi consuetudo eiusdem sym» boli intermittatur. »

Per eadem tempora vox *Filioque* ab Hispanis iam frequentata videtur, et aetate Photii in Germania, et ab Episcopis Regni Longobardici adhibita fuisse. Ut enim apposite notat ad memoratum caput 2 lib. 7 Petavii de Trinitate Franciscus Antonius Zaccaria citans etiam P. Io. Bernard. De Rubeis dissertationem, de addita iis in regionibus voce *Filioque*, intelligenda sunt haec, quae Photius aiebat in Encyclica epistola ad Archieraticos Thronos. « Praeter illa, » ait, quae commemoravimus, absur» da, sacrum etiam et sanctum sym» bolum, cui Synodica omnia, et oe» cumenica suffragia inexpugnabile » robur addiderunt, adulterinis ra» tionibus, et non sinceris sermoni» bus, non sine incredibili audacia » falsare aggressi sunt. O mali dae» monis machinamenta! Spiritum » sanctum non ex Patre solum, sed » etiam a Filio procedere vanissime » praedicantes. »

Iure autem Baronius ad ann. 883 n. 35 et seqq. ubi de additione, de qua loquimur, fuse et erudite pertractat, negat, vel ab ipso Nicolao I Pontifice adiunctam illam vocem Symbolo fuisse, ac idcirco iam ab eius Pontificatus tempore, Ecclesiae Romanae auctoritate vocem eam symbolo adiectam esse. « Si id fuisset, » ait Baronius, certe Photius, altius » in ipsum Nicolaum Pontificem de» clamasset, qui ea in Symbolum » intulisset. Sed cum duabus episto» lis acerbissime in Romanam Ec» clesiam invehatur, numquam eam » eo nomine sugillat, quod ea in Ni» caenum Symbolum intulisset. » Illud potius asseri omnino posse videtur, de quo memoratus P. Zaccaria in citata adnotatione se minime dubitare affirmat, serius prorsus Nicolai I aetate, ac fortasse XI tantum saeculo a Rom. Ecclesia factam Symbolo adiectionem illam fuisse. Certe

Michael Cerularius inde etiam praetextum arripuit schismatis renovandi, prout constat ex actis Synodi ab ipso anno 1054 celebratae apud Leonem Allatium Diss. 2 de libris Ecclesiae Graecae, atque ex epistola ad Petrum Patriarcham Antiochenum apud Cotelerium t. 2 monum. Ecclesiae Graecae.

Haec, quae diximus, eo pertinent, ut ostendant, qua ratione, et quo tempore facta fuerit Symbolo illa additio, de qua disputamus. Videamus nunc quam iniuste Graeci schismatici agant, cum ea de causa, tam graviter Ecclesiae Latinae succensent. Nihil dico de re, quam Latini explicandam addita illa voce luculentius susceperunt. Cum enim Catholicum dogma sit, Spiritum sanctum non a Patre solum, sed a Filio etiam procedere, quis non videt, iure optimo Ecclesiam potuisse eam vocem adiungere, quae ipsum dogma expressius demonstraret? Cum vero tanta esset Schismaticorum impudentia, ut Spiritus sancti a Filio processionem denegarent, nonne sapientissimum fuit illam vocem addere, quae Catholicae Ecclesiae sententiam aperte doceret, et Schismaticorum audaciam refutaret?

Est vero levissimum quod Graeci schismatici contendunt, Synodi tertiae Oecumenicae, hoc est Ephesinae decreto prohibitum fuisse, quidquam novi Symbolo addere. Scio hoc ab Schismaticis summa confidentia iactari, eosque inniti his Ephesinae Synodi verbis part. 2 act. 6: « Alteram fidem nemini licere proferre, vel conscribere, aut componere » praeter eam, quae definita est a » SS. Patribus Nicaeae congregatis » cum sancto Spiritu. Qui autem » ausi fuerint vel componere fidem » alteram, aut proferre, vel offerre » converti volentibus ad agnitionem » veritatis, sive ex gentilitate, sive » ex Iudaismo, sive ex qualicumque » haeresi; hos quidem, si sunt Episcopi, aut Clerici, alienos esse Episcopos ab Episcopatu, et Clericos a Clericatu decrevit; si vero Laici fuerint, anathemati subiici. » Possemus nos cum D. Thoma Quaest. X de pot. art. 4 ad 15 cumque iis qui act. 6 Synodi Florentinae Latinorum causam privatim egerunt, possemus, inquam, contendere vocis *Filioque* adiunctionem factam Symbolo, non additionem, sed declarationem potius, et explicationem vocandam esse, atque ita defendere, non quidquam novi in eatenus usitatam fidei professionem inductum esse, sed priorem tantummodo, ac veterem explicatam fuisse. Ostenderetur hac responsione, Ephesini Concilii decreto nihil contrarium Latinos egisse.

Sed videamus potius quid Synodi III decreto superius allato statutum sit. Apparebit profecto, eiusdem Synodi decreto non esse vetitum, Ecclesiae auctoritate ad fidei professionem aliquid addere, sed prohiberi tantummodo, ne professio nova, et a veteri dissidens, eique contraria cudatur; quod tunc fit, cum dogma aliquod ab Ecclesiae doctrina alienum in fidei formulam inducitur. Ita prorsus intelligenda esse verba decreti superius adducti, patet ex iis, quae in Synodi Ephesinae actis continentur, quaeque causam praebuerunt decreti ipsius edendi. Nestorius quandam fidei expositionem condiderat, cui ab haeresi ad Catholicam fidem revertentes subscribere deberent, eamque Charisius Philadelphiensis presbyter Ephesinae Synodi Patribus obtulerat. Expositionem hanc Patres, postquam veluti haereticam reiecissent, decretum illud ediderunt, cuius verba paullo ante recitavimus. Synodi igitur sententia fuit, non quamlibet novam fidei professionem, sed eam, quae Nicaenae doctrinae opposita esset, omnino vetare, cuiusmodi illa erat, quam Charisius obtulerat, quaeque Catholicae doctrinae erat adversa. Si rei gestae igitur narrationi pressius insistere velimus, intelligemus, Ephesinos Patres, non de Symbolo praecise, sed de quacumque fidei professione verba fecisse.

Iam vero quis inde non intelligat, mentem Ephesinorum Patrum eo in loco fuisse, non quamlibet additionem in fidei professione prohibere, sed illam tantummodo, quae cum Ecclesiae Catholicae doctrina pugnaret? Nam certum est in Ecclesia consuevisse exigi ab iis, qui a secta, et haeresi aliqua ad Catholicam fidem redire cuperent, non ut veterem tantum, et ante hortam haeresim, a qua recedebant, editam fidei formulam acciperent, sed ampliorem etiam aliam, in qua nominatim nova haeresis anathemate damnaretur. Hoc autem adeo est certum, et adeo notis constat Historiae Ecclesiasticae monumentis, ut necesse non sit in re demonstranda immorari. Dubium igitur esse non potest, Ephesinos Patres, cum prohibuerunt ne *altera fides a quoquam proferretur,* loquutos esse de professione, quae cum Ecclesiae doctrina repugnaret, non vero de illa, quae etsi aliquid novi ad explicandum exhibet, nihil tamen affert, quod priori, ac veteri expositioni non sit consentaneum.

Haec adducta ostendunt, quam iniuste agant, qui asserunt, additionem vocis *Filioque,* contra Ephesinum decretum factam fuisse, cum huius vocis additio non modo nihil contrarium Ecclesiae doctrinae contineret, sed etiam Catholicum dogma luculentius explicaret. Illud vero praeteriri silentio non debet, adiectionem vocis, de qua loquimur, non privati alicuius hominis decreto, sed primum Hispaniae, Galliae, Germaniae Episcoporum, tum Romani Pontificis auctoritate factam esse. Non modo igitur nullum Ecclesiae praeceptum, illius vocis additione violatum est, sed etiam publica Ecclesiae auctoritate additio illa facta fuit, quod luculentius ostendit nihil contra Ephesini decretum fuisse innovatum.

Quamquam nihil arbitror tam aperte demonstrare, quantopere iniuste Graeci schismatici, ob hanc causam, Ecclesiam Latinam reprehendant, quam si ratio consideretur, qua se in praesenti negotio Sedes Apostolica gessit. Nihil ea ratione sapientius, nihil humanius excogitari potest. Ne longior sim, quam par est, perstringam ea, quae Benedictus XIV habet hac de re in Constit. *Allatae sunt* tom. 4 Bull. sui Constit. 47 n. 30. Quoties de Graecis reconciliandis Ecclesiae Latinae actum est, praecipue de processione Spiritus sancti a Patre, et Filio actum fuisse, doctissimus ille Pontifex auctor est; huius vero rei tractationem ad tria capita referri posse: « Primum an processio Spiritus » sancti a Patre, et Filio esset fi» dei dogma....Alterum, an posito, » hoc esse unum ex fidei dogmati» bus, licuerit Symbolo Missae su» peraddere verbum *Filioque,* quam» vis, neque in Nicaena, neque in » Constantinopolitana Synodo illud » reperiretur.... Tertium denique, » utrum posita pro indubio Fidei » dogmate de processione Spiritus » sancti a Patre, et Filio, agnita» que insuper in Ecclesiae potestate » addendi Symbolo vocem *Filioque,* » permitti posset, ut Orientales, et » Graeci in sacrificio Missae Sym» bolum recitarent ad eum modum, » quo prius, et ante schisma con» sueverant, quod perinde est, ac di» cere, praetermissa voce *Filioque.*»

Ad primum quod spectat, responsum constanter, perpetuoque ab Apostolica Sede fuisse docet Pontifex, Spiritus sancti a Patre, et Filio processionem, unum ex Catholicae fidei dogmatibus constituere, neque Catholicum revera iudicari posse, qui illud non reciperet, et profiteretur. Alterum vero caput quod respicit, non modo licuisse, sed et valde conveniens fuisse, ut huiusmodi additio fieret Nicaeno Symbolo, eamque additionem cum Ephesini Concilii decreto, quod superius a nobis allatum est, minime pugnare. Ad tertium denique quod attinet, ostendit Pontifex pluribus ex historia ecclesiastica adductis monumentis, non idem semper mandas-

se Sedem Apostolicam in ista re, sed Romanos Pontifices unionis stabiliendae studiosos, prudentissime salva fidei veritate, agendi normam moderatos esse. «Quandoque Sedes » Apostolica Orientalibus, et Graecis, » Symbolum absque voce *Filioque* » recitare permisit; tunc nimirum » cum certo constiterat, priora duo » capita, seu articulos ab illis recipi, » noveratque omnino fore, ut si iis» dem denegaretur id, quod tanto » studio deposcebant, exoptatae unio» ni aditus intercluderetur. Nonnum» quam vero Symbolum cum addi» tamento recitare, quod adhaererent » errori opinantium, ac asserentium, » Spiritum sanctum a Patre, et Fi» lio non procedere, vel ab Ecclesia » additionem illam *Filioque* Sym» bolo fieri non potuisse.» Permisere quidem Graecis, ut ab adhibenda in Symbolo voce illa abstinerent, adducti causis, quas indicavimus, Gregorius X, et Eugenius IV, alter in Concilio Lugdunensi, alter in Florentino, prout constat ex tom. VII Collect. Conc. Harduini pag. 698, et t. 9 eiusdem collect. p. 395. Clemens VIII vero in constit. 34 veteris Rom. Bullarii tom. 3 §. 6, atque ipse Benedictus XIV in Constit. *Etsi Pastoralis* t. I Bull. sui §. 1, quarum utraque pro Latinis Episcopis edita est, in quorum Dioecesibus versantur Graeci, aut Albanenses Graecum ritum servantes, minime iusserunt hos homines Symbolum cum memorata additione recitare, modo faterentur Spiritus sancti a Filio etiam processionis dogma, et agnoscerent Ecclesiae potestatem fuisse, vocem illam Symbolo adiungendi. Haec vero licet ii Pontifices minime iusserint, excipiendum tamen iudicarunt a permissione sua, si forte ex vocis praetermissione scandalum oriturum esset: «aut certo aliquo in loco, pe» culiaris consuetudo iam invaluis» set recitandi Symbolum cum addi» tione *Filioque,* aut deinde neces» sarium putaretur, ut Symbolum » cum ea additione recitaretur ad » eliciendam indubiam rectae ipso» rum fidei probationem.»

Eadem ratione, qua in Constitutionibus, Romani Pontifices Gregorius XIII, et Urbanus VIII se gesserunt in formulis professionis fidei, quarum altera Graecis, altera Orientalibus praescripta est: nihil enim aliud in iis continetur, quam quod in Florentino Concilio fuerat constitutum. Atque haec quidem ostendunt, Sedem Apostolicam aliquando voluisse cum Graecis benignius agere, atque ubi salva fide, ceterisque, quae diximus, vel erroris vel scandali periculis remotis, potuerunt, Graecis indulgere, opportunum Rom. Pontifices iudicasse, ut ab adhibenda illa voce abstinerent, ne unionis stabiliendae spes claberetur. Id vero Sedes Apostolica non concessit ubi vel de Orientalibus non adeo ab recipienda illa voce alienis actum est, vel iure timendi ratio fuit ne idcirco illi Graeci a voce *Filioque* abhorrerent, quod errores Schismaticorum sequerentur. Profecto Eugenius IV qui in Florentino Concilio Orientalibus veniam fecerat, ut sine voce *Filioque* Symbolum recitarent; cum actum est vero de Armenis ad unitatem Ecclesiae recipiendis, prout videre est in Coll. Conc. Harduini tom. 9 p. 435, iussit eos illam vocem in Symbolo adhibere, quod Armenos non aeque ac Graecos additioni illi adversos comperisset.

Habemus autem apud Raynaldum ad ann. 1278 §. 7, Nicolaum III ubi intellexit Michaelem Imperatorem bona fide non agere, neque iis stare, quae promiserat cum de unione tractavit, Gregorio X Pontificatum gerente, omnino coegisse Graecos vocem *Filioque* recitare. Habemus Martinum IV et Nicolaum IV dubitantes an Orientales de quibus agebatur, orthodoxam de Spiritus sancti processione doctrinam sequerentur, vocis de qua loquimur recitationem exegisse. Habemus denique ex memorata Benedicti XIV Constitutione, «Cal» listum III Romanum Pontificem

» cum fratrem Simonem ex Ordine
» Praedicatorum munere Inquisito-
» ris decoratum in Cretam ablegaret,
» quam in insulam se receperant plu-
» res Graeci aufugientes ex urbe Con-
» stantinopolitana, cuius ante bien-
» nium Turcae mox potiti fuerant,
» iussisse eum vigilem adhibere cu-
» ram, ut iidem Graeci Symbolum
» cum additione *Filioque* recitarent;
» fortasse enim Pontifex suspicaba-
» tur, ne praedicti Graeci, quippe ex
» urbe Constantipolitana advenerant,
» in eo fidei dogmate minus firmi
» essent. »

Praeter haec quae attulimus, alia plura adduci quoque possent, ex quibus appareret quanta sapientia Sedes Apostolica in hoc negotio tractando se gesserit. Verum nobis ea, quae commemoravimus, satis esse videntur ad id demonstrandum, quod proposuimus. Principio enim, cum processio Spiritus sancti a Filio, dogma catholicum sit, non video, quomodo Ecclesia Latina reprehendi iure posset, etiamsi generatim ab omnibus Graecis, dogmatis huius disertam professionem, per vocis *Filioque* recitationem postulasset. Deinde quoniam ob erroris suspicionem, scandali metum, aliaque eiusmodi vocem illam Ecclesia Latina recitandam Graecis esse iussit, minime vero hoc ab iis Graecis, et Orientalibus quandoque postulavit, qui catholice de Spiritus sancti a Patre, et a Filio processione sentirent, a ceteris erroribus abhorrerent, et iis in adiunctis non essent, ut silentio suo scandalum afferrent; facile est inde demonstrare, Romanos Pontifices prudentiam hac etiam in re, gradu suo dignam adhibuisse.

Nonne enim sapientissimum fuit, cum nulla esset, vel haereticae sententiae suspicio, vel alicuius periculi metus, permittere vocis, de qua loquimur, silentium, ne pacis conciliandae spes deficeret? Nonne vero officium doctrinae catholicae omni studio custodiendae, a Romano Pontifice omnium Christianorum Patre, ac Doctore requirebat, ut cum, vel de erroris suspicione tollenda, vel de scandalo vitando ageretur, disertam a Graecis, dogmatis, de quo sermonem facimus, professionem postularent? Atqui haec, ut vidimus, fuit Sedis Apostolicae agendi ratio. Concluditur ergo Graecos iniuste facere, cum ob vocis memoratae additionem, de Ecclesia Latina, et de Romanis Pontificibus conqueruntur.

CAPUT LXXXV.

DE PHOTII RESTITUTIONE, ET DE CETERIS, QUAE DEINDE IN EIUSDEM CAUSA EVENERUNT.

Quam esset vafro Photius ingenio, tum maxime is ostendit, cum se a Concilio VIII damnatum esse sensit. Itaque omne artificii, et assentantionis genus adhibendum existimavit, ut Basilii Imperatoris sibi benevolentiam compararet. Erat is obscuro loco natus, et vehementer dolebat, illustris generis sui nullum argumentum se posse afferre. Photius igitur, cui nota erant haec Imperatoris inepta vota, adiutus iis artibus, quas in erudita calliditate sua potuit excogitare, effecit, ut genealogia quaedam, dolo malo a se conficta, Basilio offerretur, in qua eiusdem genus a Tiridate Arsacidum Rege, recta derivabatur. Hoc autem artificio captus Imperator, non modo facultatem Photio tribuit Constantinopolim redeundi, sed eum etiam in negotiis consulendum, atque ei filiorum suorum institutionem committendam iudicavit. Quare in Imperatorio palatio degens, Ignatio insidias iterum moliri, et ordinationes etiam, eo invito, facere non dubitavit. Tandem mortuo die 23 Octobris an. 877

Ignatio, Photius Sedem Constantinopolitanam, triduo post, Basilio favente, iterum occupavit.

Cum vero Basilii benevolentiam sibi Photius plurimam comparasset, eum facile adduxit ad Ioannem VIII Pontificem precandum, ut auctoritate sua Photii restitutionem in cathedra Constantinopolitana confirmaret. Itaque missis Legatis, et scriptis litteris, Imperator Pontificem, ut hoc efficeret, vehementer precatus est. Affirmabat autem Basilius Photium emendatum, eius restitutionem pacem Ecclesiae allaturam esse, id omnes petere, etiam eos, qui ab Ignatio, et a Methodio fuerant ordinati, ita denique pacem esse ineundam, ut etiam Bulgariae dioeceses ad Romanum Patriarchatum in posterum deberent pertinere.

Valde recens erat memoria eorum, quae Basilius in imperii sui initio gesserat, tum ut schisma tolleretur, tum ut Concilium Generale VIII posset celebrari; atque his de causis Imperator, veluti de Ecclesia optime meritus habebatur. Haec igitur cogitatio primum Ioanni Pontifici ultro occurrit, curandum esse, ut cum Imperatore, quantum Ecclesiae bonum pati poterat, benevole ageretur. Itaque respondit Imperatori assensum suum significans de Photii restitutione, sed ita respondit, ut adiectis nonnullis conditionibus, suam in agendo gravitatem, et in Praedecessorum suorum decretis servandis constantiam demonstraret.

Nam primum adductis Leonis Magni, Felicis, et Gelasii Pontificum, ac Concilii Africani testimoniis confirmavit, ob gravia temporum adiuncta, quandoque ea concedi oportere, quae non fierent, si adiunctorum eiusmodi gravitas non exstaret. Hac ratione permotum se, Basilio Photii restitutionem flagitanti assentiri, ita tamen ut, quae Nicolaus I et Hadrianus II de Photii causa decreverant, rata haberentur, ac iuste sancita; itemque servarentur ea, quae Concilium Generale VIII statuerat. Iussit praeterea Synodum haberi debere, in qua Photius Apostolicis istis decretis adhaerere se fateretur, ut post petitam coram Synodo veniam eorum, quae contra leges patraverat, anathemate solveretur, et catholicae communionis particeps effectus, haberi posset veluti Episcopus Constantinopolitanus.

Versabantur Constantinopoli duo Episcopi, Apostolicae Sedis Legati, Paullus Anconitanus, et Eugenius Ostiensis. His Ioannes VIII alium Legatum Apostolicum adiunxit Petrum S. Chrysogoni Rom. Ecc. Cardinalem Presbyterum. Cui litteras ad Imperatorem, et Photium Constantinopolim perferendas, et commonitorium Legatis communicandum commisit. Cum Petrus Constantinopolim venisset, litterae illae cum commonitorio Photio traditae sunt, qui Graece illa scripta redditurum se affirmabat, revera tamen ideo a Legatis ea petiit, ut commode posset illa depravare. Cardinalis Baronius ad annum 879 accurate, eruditeque, comparatione facta versionis a Photio elaboratae cum germanis litteris et commonitorio Ioannis VIII, ostendit, quam foede ea monumenta Photius vitiaverit, ut quae sibi non arridebant, auferret, quae ambitioni autem, et iniquitati suae magis placebant, in eadem fraudulenter induceret.

Ut nonnulla ex. gr. commemorem, quae Photius ab iis litteris, et commonitorio abstulit, recensebo in illis fuisse suppressa quae continebant, Sedis Apostolicae decreta de Photiana causa, rata haberi debere, itemque ea, quae Concilium octavum Generale statuerat de eo negotio. Illud etiam deletum est in iis litteris, quod spectabat ad Ioannis VIII iussionem, qua Photio mandabatur coram Synodo veniam petere illum debere earum rerum, quas contra leges gesserat. Talia praeterea, de rebus a Nicolao I, et Hadriano II gestis ea versio ferebat, ut Pontifices

illi iniuste cum Photio egisse videri possent. Quae denique Apostolicae Sedis iura Patriarchica in Bulgariam respiciebant, ita erant Graece reddita, ut Romani Pontificis auctoritas, in eam regionem diverso plane modo referretur, ac Ioannes VIII statuerat, qui Sedis Apostolicae iura servanda esse iusserat.

Cum Apostolicae Sedis Legatos Photius suis artibus corrupisset, eo usque progressus est, ut Synodum habuerit anno 879, cui ipse praefuit, assidentibus Pontificiis Legatis, Imperatore praesente cum filiis, et permagna Episcoporum copia, quos 380 fuisse ferunt, quosque sibi Photius comparaverat. « Graeca huius Synodi » gesta, aite L-Quienius t. 1 col. 249, » prae manibus habeo, ad scenicae » fabulae normam composita, prae» ter epistolarum Ioannis Papae, » quae in ea lectae sunt, apertissi» mas corruptelas. » Itaque in ea Synodo Ioannis Pontificis litterae, eo modo, quo Photius illas vitiaverat, sunt recitatae, Legatis minime intercedentibus, immo Patriarchalia insignia Photio afferentibus. Pontificis nomine in cathedra Constantinopolitana Photius restitutus est, veluti si quae Pontifex statuerat, impleta fuissent. Concilium Generale VIII abrogatum est, et quae Nicolaus I atque Hadrianus II gesserant, improbata. Consulatur Leonis Allatii opus *De Octava Photiana Synodo.*

Reversi ad Urbem Legati omnia rite Constantinopoli acta esse retulerunt, pacem Ecclesiae Constantinopolitanae redditam ob Photii restitutionem, Bulgariam Sedi Apostolicae restitutam, Imperatorem comparatam classem ad Italiam a Saracenis defendendam mittere. His consonabant Basilii litterae; sed Photii epistola in suspicionem falsitatis Legatos apud Pontificem adduxit. Affirmabat enim arroganter Photius, minime se veniam in Synodo petiisse, cum hoc ii facere debeant, qui antea deliquissent. Intellexit ergo Pontifex minime servata ea fuisse, quae ad concedendam Photii restitutionem praescripserat. Itaque alium Apostolicae Sedis Legatum Constantinopolim misit, Marinum illum, qui Concilio VIII Generali cum duobus aliis legatis praefuerat. Ei litteras ad Photium, atque ad Imperatorem perferendas tradidit, in quibus de iis, quae contra mentem suam Constantinopoli acta fuerant, conquerebatur. Commisit etiam Marino ut omnia rescinderet, quae, non servatis Apostolicae Sedis mandatis, in causa Photiana a Legatis Eugenio, Paullo, ac Petro acta reperisset. Disertis enim verbis Pontifex in litteris suis affirmavit: « Si fortasse » nostri Legati in eadem Synodo » contra Apostolicam praeceptionem » egerunt, nos nec recipimus, nec » iudicamus alicuius exsistere fir» mitatis. »

Singulari fortitudine commissum sibi munus Marinus implevit. Nam ubi Constantinopolim venit, et ea vidit omnia, quae in Photii causa, Legatis Pontificiis probantibus, contra Ioannis VIII mentem facta fuerant, universa rescidit, et sententiam a Concilio VIII Generali, et ab Apostolica Sede contra Photium latam confirmavit. Eo autem facto Basilius indignatus, cum manifesta iuris Gentium violatione, Legatum Marinum comprehendit et in carcerem coniecit, quod tamen scelus triginta dierum spatio toleratum, minime fregit Marini constantiam: a quo Ioannes accepta totius facti relatione, in Legatos secundum canones animadvertit, et solemnem contra Photium sententiam tulit, vel potius antea ab Apostolica Sede, et a Synodo VIII latam confirmavit.

Praeter cetera monumenta, quae id ostendunt, habetur hoc perspicue in epistola Formosi Pontificis ad Stylianum Neocaesareae Metropolitam, cui adiecta est *Series Synodicarum sententiarum*, quae contra Photium latae sunt. « Hanc senten» tiam (ita in eo antiquo monumento

» legitur) promulgavit Papa Hadria-
» nus, et Archidiaconus eius Ioannes,
» qui illi successor fuit, atque alta
» voce coram ipso ita proclamavit:
» In Photio completum videmus, Do-
» mine sanctissime, et oecumenice
» Papa, illud Psalmi 35: *Dixit pec-*
» *cator ut delinquat in semetipso:*
» *non est timor Dei ante oculos*
» *eius*... accendatur itaque ut ignis
» zelus tuus... anathematis vinculo
» constringe... Qui haec dixit Ioan-
» nes Hadriano in Sede successit, et
» anathemate Photium damnavit,
» quando ille seduxit Eugenium, et
» eius socios, qui pro rebus Bulga-
» riae venerant. Quum enim acce-
» pisset evangelium, et ambonem
» conscendisset, omnibus audientibus
» ita dixit: Quicumque non habet
» damnatum Photium divina senten-
» tia, sicut ipsum reliquit Nicolaus,
» et Hadrianus sanctissimi Papae
» praedecessores mei, sit anathema.»
In hac vero sententia Ioannem VIII permansisse, ut quoad vixit in posterum, excommunicatum semper Photium existimaverit, iure animadvertit Baronius ad an. 880 num. 13 colligi ex eo, quod ab hoc tempore, videlicet ex quo ista evenerunt, quae mox commemoravimus, nulla occurrat amplius mentio de Photio in Ioannis litteris, eo quod sublata prorsus esset cum eo, Pontificis quaecumque communicatio.

Si haec vero, quae recensuimus, accurate perpendantur, non ita certe facile intelligetur, quomodo Ioannes passim imbecillitatis accusari potuerit. Etenim historia huius facti ostendit, eum ad annuendum Basilio circa Photii restitutionem, adductum fuisse ob gravia prorsus rerum adiuncta, cum Ignatius iam mortuus esset, cum Imperator id vehementer peteret, cum petitio ista reliquorum etiam Patriarcharum consensu fieret, prout in germana Ioannis VIII epistola a Photio non vitiata continetur, id quod Petrus de Marca praecipue notat lib. 3 de concordia c. 14 n. 4, ubi Pontificem defendit. Permotum autem his rerum adiunctis Pontificem, et ad restituendam Ecclesiae pacem id fieri opportunum esse iudicasse, demonstrat diversa penitus eiusdem sententia, cum diversa essent adiuncta; in quo animi proposito plures annos post Pontificatum susceptum perseveravit. Antequam vero Imperatori assentiretur, in sua ad eundem epistola Pontifex satis indicat, se rem cum Clero Romano communicasse. Conditiones denique, quas adiecit ut Photius restitutus apostolica auctoritate haberetur, omnino opportunas, et ad servandum S. Sedis honorem, atque ad disciplinae Ecclesiasticae tutelam idoneas fuisse Photius ipse ostendit, qui eas implere recusavit. Denique fortis illa agendi ratio, quam Pontifex adhibuit cum servatas conditiones non esse intellexit, et Legatos suos fuisse praevaricatos vidit, Pontificem certe demonstrat, qui non inconsiderate, aut imbecilliter ageret.

Haec autem cum ita sint, iure dici potest, non facile intelligi quomodo evenerit, ut Pontifex iste imbecillitatis passim accusaretur. Est vero iniqua in Pontificem illa loquendi ratio qua Potterius tom. 2 cap. 20 utitur. Agens enim de Photiana pseudo-synodo habita anno 879, in qua Concilium VIII Generale abrogatum est, affirmat: « mirum magnopere est,
» Pontificem Ioannem VIII sine ullo
» scrupulo minime dubitasse, in com-
» munionem suam in ista Photiana
» synodo Photium accipere per Le-
» gatos, quos hac de causa miserat
» Constantinopolim. » Immo vero respondeo, mirum maxime est scriptores eiusmodi reperiri posse, qui tantopere veritatem aspernentur, et lectorum patientia abutantur. Profecto ea, quae breviter retulimus de depravatis a Photio Ioannis VIII litteris, de Legatorum Pontificis turpi praevaricatione, de conditionibus a Pontifice impositis, sed minime servatis, de rescissis vero a Pontifice, eiusque Legato Marino Synodi Photianae Actis, de confirmata a Ioanne

in Photium sententia excommunicationis, de Legatorum, qui prævaricati fuerant, punitione, deque sublata penitus qualibet cum Photio pontificia communicatione, manifeste ostendunt, num sine scrupulo minime dubitaverit Ioannes, in pseudosynodo, per Legatos suos, Photio favere, atque assentiri.

Neque minus a vero abhorret Potterius cum loco citato ait, Cardinalem Iulianum Caesarinium in Concilio Florentino, adductum rationibus, quas Marcus Ephesinus afferebat, dereliquisse, et condemnasse Concilium VIII sub Hadriano II habitum. Nam Iulianus minime condemnavit eam Synodum, sed tantummodo, prout debuisset, eius auctoritatem non propugnavit, neque Marcum refellit, quod fuisset facillimum. Baronius ad an. 689 num. 63 ideo reprehendit Iulianum, quod ea negligentia Ecclesiae causam, prout oportuisset, non defendit, et quod « quasi per » transitum (ut dici solet) rem agens, » cuncta, quae obiicienda erant in » Marcum, omittens, ad praecipuam » quaestionem, cuius causa Synodus » illa fuerat convocata, se contulit.» Responsio tamen Iuliani, quam Baronius affert, nihil habet quod condemnatam ab eo fuisse octavam Synodum ostendat. Subdit denique Cardinalis eruditissimus memorato loco: « At in sequenti sessione quod Iu- » lianus inconsiderate prodegerat, » Andreas Colossensis Episcopus, vir » doctissimus aeque ac maxime pius » restituit, qui omnino negavit per » Ioannem VIII abolitam esse octa- » vam oecumenicam Synodum sub » Hadriano II Romano Pontifice ha- » bitam. » Neque Potterius vero, neque Fontanius, neque alius quislibet poterit umquam persuadere, octavam Synodum non fuisse vere oecumenicam, quia Iulianus, id quod iam erat notissimum, non confirmavit.

Quam Ioannes VIII renovaverat in Photium condemnationis sententiam, eam Ioannis successores confirmaverunt, prout facile patebit consulenti Baronii annales, ubi agit de Ioannis VIII proximis successoribus, Le-Quienium locis superius citatis, et Natalem Alexandrum in diss. de Photiano schismate §. 28, Leonem Allatium de Ecclesiae Occidentalis, et Orientalis perpetua consensione lib. 2 cap. 6. Talis fuit Marinus qui anno 882 Ioanni suffectus est. Talis Hadrianus III Marini successor anno 884, tales denique Stephanus VI qui Hadriano an. 885, et Formosus qui Stephano mortuo an. 891 Pontifex factus est. Haec vero perspicue refellunt Graecos illos Schismaticos, qui in Sedis Apostolicae communione mortuum Photium esse iactarunt. Certe, ut reliqua omittantur, Breviarium Synodi VIII ad valvas Magnae Ecclesiae Constantinopolitanae appensum, cuius auctor una cum Photio vixit, annos 40 numerabat, perveniendo ad tempus quo illud scriptum est, quo temporis spatio a Leone IV usque ad Formosum, Romanos Pontifices semper Photium anathemate mulctasse referebat. Apposite vero Schismaticos istos irridet Allatius, qui profecto, si Photius in Romanae Ecclesiae communione vita functus esset, eius etiam exemplo condemnarentur.

Narrandum nunc restat quomodo Ecclesia Catholica liberata tandem sit importuna, ac nimis molesta Photii pertinacia. Itaque Basilius Imperator contumeliosas Hadriano III litteras scripserat, in quibus Marinum quoque maledictis lacessiverat. Hae litterae Stephano VI redditae sunt, qui Hadriano mortuo suffectus fuerat. Stephanus autem apologeticam responsionem, praesertim pro Marino ad Imperatorem misit. Leo Sapiens Basilio patri suo die 1 Martii anno 886 mortuo in imperio successerat. Ad eum Stephani Pontificis litterae sunt allatae. Imperator vero, re tota considerata, lectis, ut Le-Quienius habet, in Magnae Ecclesiae Ambone per Andream Domesticum Scholarem, et Ioannem Acropo-

litam publici cursus Logothetam criminibus, quorum Photius reus erat, eundem Photium, qui post mortuum Ignatium, alios annos octo, et menses undecim, Sedem Constantinopolitanam occupaverat, eiecit, et in Monasterium Armeniacorum quod *Bardi* dicebatur, relegavit. Anno denique 891 circiter Photius obiit.

Photio eiecto Leo Sapiens Stephanum Principem fratrem suum Episcopum Constantinopolitanum designavit. Petiit autem Imperator ab Episcopis, et Monasteriorum Praepositis, quos Photius vexaverat, ut in Stephani electionem pro Ecclesiae bono convenirent. Quoniam vero Photius, postquam in Basilii benevolentiam obrepserat, Stephanum Principem Diaconum, et Syncellum suum fecerat, ordinationes autem a Photio factae, a Concilio VIII, et ab Apostolica Sede fuerant improbatae, petita est ab Stephano VI in ea re dispensatio. Legati ob eam causam Romam missi, cum Formoso Pontifice egerunt. Hic autem Pontifex per Legatos suos cum Styliano Neocaesareae, et Theophylacto Ancyrae Metropolita, salva Photii condemnatione, rem componendam decrevit. Ita schisma sublatum est, quod tamen saeculo XI a Michaele Cerulario fuit renovatum.

Concludemus hoc caput aliqua breviter recensendo de controversia, quae iis temporibus petractata est, ad quem Patriarchatum Bulgariae dioeceses pertinere deberent, ad Occidentalemne, an potius ad Constantinopolitanum. Certe Illyricum totum in Occidentali Patriarchatu contineri, usque ad Leonis Isauri tempora extra controversiam fuit. Valde opportunum est ad rei istius notitiam accuratam habendam, consulere eruditissimi viri Caroli a S. Paulo Congregationis Fuliensium quondam Superioris Generalis, deinde Episcopi Abricensis opus inscriptum *Geographia sacra, sive Notitia antiqua dioecesium omnium Patriarchalium, Metropoliticarum, et Episcopalium veteris Ecclesiae, cum notis Lucae Holstenii: Amstelodami* ann. 1703 lib. 3 et 8. Leonis autem Isauri iussu, cum Apostolicam Sedem ob sacrarum Imaginum cultum is persequeretur, Illyrici provinciae a Romano Patriarchatu per iniuriam avulsae sunt. Demonstrat suis locis Baronius in annalibus saec. 8 et Pagius, Bulgaros, qui origine Scythae erant, atque a civitatis Bulgaris nomine, quam aedificaverant, Bulgaros appellatos, posterioribus temporibus provincias Daciam, Praevaliam, Dardaniam, et Moesiam superiorem occupasse, atque iisdem Bulgariae nomen indidisse, Regem Bogorim anno 864, Michaelis nomine assumpto, baptizatum esse, eoque tempore circiter, Bulgaricam gentem Christianam Religionem suscepisse, Nicolaum I Pontificem eo misisse Sacerdotes, et Episcopos Paullum Populoniensem, et Formosum Portuensem, qui illius gentis conversionis negotium feliciter absolverunt, et eas provincias, tamquam Patriarchatu suo comprehensas, habuisse, multaque sapienter prospexisse per responsa sua, quae ad Ecclesiasticam disciplinam ibi recte instituendam spectabant.

Photius cum schisma adversus Nicolaum conflavit, Bulgariae dioeceses tamquam ad Constantinopolitani Episcopi iurisdictionem pertinentes invasit; apud illas gentes, accusationes a se excogitatas sparsit contra Ecclesiam Romanam, ut Bulgari multo facilius adducerentur ad obedientiam Episcopo Constantinopolitano tribuendam. Haec constant ex epistola, quam ad Hincmarum Rhemensem scripsit Nicolaus I, cui Bulgarorum Rex litteras miserat, quas Photius, Imperatorum nomine, in Bulgariam intulerat. Itaque Nicolaus primum, deinde Hadrianus proximus eius successor Photii conatibus restiterunt.

Ob sparsas a Photio contra Romanam Ecclesiam querelas, et ob ea, quae scripserat, ut Bulgariam Con-

stantinopolitano Episcopo subesse persuaderet, exorta est ea dubitatio, quae Regem Bulgarorum adduxit, ut Legatos Constantinopolim mitteret, cum Concilium VIII Generale haberetur, ac peteret sibi responderi, cui Patriarchatui dioeceses illae subesse deberent. Triduo post absolutam Synodum, de ea re pertractatum est coram Apostolicae Sedis Legatis, et Episcopis Orientalibus.

Legati Pontificii fortiter responderunt iis, quae Graeci obiiciebant, et gravibus argumentis depromptis ex antiquitate potestatis, quam in eas regiones Apostolica Sedes exercuit; ex Bulgarorum facto, qui Romano Patriarchatui se subditos demonstraverant; ex conversionis negotio per Presbyteros, et Episcopos Latinos in Bulgaria peracto, ostenderunt dioeceses illas ad Patriarchatum Romanum pertinere. Huic autem Legatorum sententiae Ignatius, qui aderat, assensus est. Apostolicae Sedis iura deinde Hadriani II Successores defendenda curarunt contra Graecorum conatus, quemadmodum, ceteris omissis, apparet ex iis, quae Ioannes VIII gessit vivente adhuc Ignatio, et in posterum, eo mortuo, cum Photii restitutio ab eo Pontifice petita est. Missis enim Legatis, scriptisque gravissimis litteris, Patriarchatus Romani iura in eas regiones constanter asseruit. Haec vero praeter Baronium et Pagium superius memoratos, fuse pertractant Le-Quienius t. 1 Orientis Christiani praef. ad Patriarchatum Constantinopolitanum cap. 14, Natalis Alexander diss. de Photiano schismate §.23, Thomas Maria Mamachius lib. 2. Originum et Antiquitatum Christianarum cap. 17.

CAPUT LXXXVI.

DE COLLECTIONE EPISTOLARUM DECRETALIUM VETERUM RR. PONTIFICUM ISIDORI MERCATORIS.

Catholicum dogma est, Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum Successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum Patrem, et Doctorem exsistere; et ipsi in B. Petro, pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam, a Domino Nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse. Ita Concilium Generale Florentinum definivit, atque ea semper Catholicae Ecclesiae fides de Romani Pontificis potestate, iuribusque fuit.

Hinc factum esse videmus, ut a primis Ecclesiae temporibus, summa semper fuerit habita Romani Pontificis auctoritas. Hinc ob amplissimum munus Romano Pontifici B. Petri Successori a Christo traditum, factum est, ut vel a prima Ecclesiae aetate, si quae de fide, deque disciplina, Ecclesiae regimen respiciente, excitatae sunt controversiae, eae ad Sedem Apostolicam fuerint allatae. Haec ratio fuit, ut in ecclesiasticis iudiciis, appellationes ad Rom. Pontificem, ex qualibet Orbis parte fuerint interpositae. Haec denique, ut cetera omittam, ratio fuit, ut vel ab antiquis Ecclesiae temporibus, maiora negotia Sedis Apostolicae iudicio fuerint reservata, atque ad eam de Religionis statu mitterentur undique relationes. Quae hic breviter attigimus, certissima sunt, et vere facta esse, Historiae Ecclesiasticae perspicua monumenta demonstrant.

Haec qui consideret, facile intelliget, quam falso Scriptores in Apostolicam Sedem male animati affirmaverint per editam ab Isidoro Mercatore collectionem epistolarum veteribus Pontificibus, a Clemente I

ad Silvestrum tributarum, factum esse, ut Romanorum Pontificum augeretur plurimum potestas, cum veteris de Ecclesiastica potestate disciplinae maximo detrimento. Ut omittam Febronium, Tamburinium, Villersium, Potterium, aliosque ita dictitantes, unum commemorabo Moshemium in Inst. H. E. saec. 9 part. 2 cap. 2 §. 7 et seqq. Is igitur contendit auctam iis temporibus vehementer Romani Pontificis potestatem fuisse, atque ad eum gradum devenisse, quem videmus. Subdit tamen: « Quo faciliores autem aures, et animos novum istud Ecclesiae ius a » priori valde diversum reperiret, » antiquis opus erat documentis, et » tabulis, quibus stabiliri, et contra » hostium insultus muniri posset. » Hinc Romani Pontificis foedera, » concilia, epistolas, et alia documenta per homines fideles confingi » curabant, ex quibus intelligi posset, primis rerum Christianarum » temporibus eadem iam maiestate, » ac potentia Romanos Pontifices » fuisse, quam sibi hoc tempore arrogabant. Haec inter dolosa Romanae Potentiae fulcra, *Decretales,* uti vocantur Epistolae, primorum saeculorum Pontificum, praecipuo fere loco sunt, quas quidem » obscurus quidam homo (Isidorus » *Mercator,* seu *Peccator*) suo ex ingenio conscripsit. »

Haec legenti cuilibet statim occurrit, non posse confidentiori modo gravissimam calumniam spargi. Inde enim exsisteret Isidori Mercatoris collectionem Romanis Pontificibus deberi, qui, ea edita, conati essent potestatem adipisci, quam iure non habebant. Nihil vero est adeo certum, quam Romanis Pontificibus eiusmodi consilium, nonnisi per apertam calumniam tribui posse. De qua re legendus Baronius ad annum 865, Ballerinii Fratres *De antiquis collectionibus, et collectoribus canonum* parte 3 cap. 6, Blasci commentarius *de collectione canonum Isidori Mercatoris,* Diss. 21 in Hist. Ec. saec. 1 Natalis Alexandri, Francisci Antonii Zaccaria Antifebronium Dissertatione 3 cap. III, Ioannis Marchetti Archiepiscopi Myrensis *Commentarium Criticum in H. E. Claudii Fleury;* ac demum Petri Ballerinii *Vindiciae auctoritatis Pontificiae contra opus Iustini Febronii* cap. 5 §. 1, 2, et 3. Augustae Vindelicorum anno 1770. Consulentibus doctissima haec opera omnino erit exploratissima haec Moshemii, Febronii, aliorumque calumnia, asserentium collectionem istam, quae post annum 829, et ante annum 845 auctore homine Germano-Franco edita est, consilio a Romanis Pontificibus suscepto tribui posse, qui hac ratione conati sint potestatem suam amplificare. Falsum etiam esse ibidem demonstratur, Nicolaum I eas Decretales authenticas declarasse.

Nos hic illud tantummodo evincendum suscipiemus, exploratis Historiae monumentis constare, apertissimam esse calumniam, per eam Decretalium collectionem, fuisse immutatam veterem de Ecclesiastica potestate disciplinam, atque auctam RR. Pontificum potestatem. Apposite Cardinalis Baronius ad annum 865 num. 8 ait: « Multis epistolas eas » reddi suspectas, quae dicta sunt » secundo Annalium tomo, dum de » illis singulis mentio facta est, satis est demonstratum, simulque » ostensum illis non indigere S. Romanam Ecclesiam, ut, si falsitatis » arguantur, suis ipsa destituatur » iuribus et privilegiis, cum etsi illis » careat, ex legitimis, germanisque » aliorum Pontificum Romanorum » epistolis Decretalibus, satis superque corroborata consistat. »

Est quidem ad excludendam accusationem memoratam opportuna illa animadversio, quae etiam Davidi Blondello in *Isidoro, et Turriano vapulantibus* non displicet, Decretales istas quodammodo coalescere ex verbis, atque sententiis, quae in canonibus, legibus, et scriptoribus IV, et V praesertim saeculi reperiuntur. Hoc enim ostendit Decretales istas

ea tradere, quae in Ecclesiae disciplina iam antiquitus erant recepta. Illud etiam plurimum valet ad excludendum, Rom. Pontifices potestatem suam ita amplificasse cum iurium ad alios spectantium detrimento, quod nemo interea de hac innovatione, iis temporibus conquestus sit. Denique illud quoque grave est, quod ex manifesto Isidori proposito desumitur argumentum, ut haec a Rom. Pontificibus reiiciatur accusatio: Isidorum videlicet aperte demonstrare, operis sui hunc esse tantummodo finem, ut Episcoporum tranquillitati consuleretur, atque ii ab importunis hominibus liberarentur, qui eos saepe in iudicium vocabant. Haec, inquam, sunt imprimis gravia, atque ad illud ostendendum, quod proposuimus, valde opportuna. Sed graviora, et luculentiora etiam possumus afferre. Scilicet argumentis ex Historia Ecclesiastica petitis evincitur omnino, ea potestatis capita, quae per decretales Isidorianas in Romanis Pontificibus aucta fuisse contendunt adversarii, vetustissimis Ecclesiae monumentis inniti.

Itaque nemo potest iure contendere, Isidorianae collectioni acceptum referri debere, *causas maiores* in Ecclesia, Romani Pontificis iudicio esse reservatas; cum vetusta monumenta, id in Ecclesia iam receptum fuisse demonstrent. Nam Innocentius I in epistola anno 404 ad Victricium Rothomagensem scripta haec habet: « Si maiores causae in » medium fuerint devolutae, sicut » Synodus statuit, et vetus (seu beata) » consuetudo exigit, ad Sedem Apo» stolicam, post episcopale iudicium, » referantur. » Concors autem Scriptorum sententia est, Synodum Sardicensem intelligendam esse eam, cuius mentionem Innocentius facit. Quemadmodum ad Victricium Innocentius de maioribus causis scripsit, ita idem Pontifex fecit in litteris ad Concilium Carthaginiense, et Milevitanum. Ita Zosimus ad Episcopos Galliae, Sixtus III ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem, Leo Magnus ad Episcopos Illyrici, et ad eundem Anastasium scripserunt. Causae ergo maiores, seu graviora Ecclesiae nogotia Rom. Pontificis iudicio reservari, cognitum antiqua Ecclesiae aetate, exploratumque erat.

Neque haec reservatio causas maiores tantummodo in provinciis Romano Patriarchatui subiectas respiciebat. Febronium autem haec cap. 4 affirmantem eruditissimus Zaccaria accurate refutavit, cum Innocentius Victricium Rothomagensem de ea reservatione monens, de omnibus generatim huiusmodi causis loquatur, et Concilii Generalis praeterea auctoritatem, et veterem consuetudinem commemoret, cumque Romani Pontifices, quos mox recensuimus, causas maiores Sedi Apostolicae reservatas esse dicant ob primatus D. Petro collati rationem.

Quod si his adductis perspicue ostenditur causarum maiorum reservationem ex Isidoriana Collectione non esse profectam, id etiam facile evincitur de querela illa, qua dicitur, per Decretales istas induci primum coepisse, ut ad concilia quoque provincialia habenda, rogari oporteat R. Pontificis auctoritates. Nam, ut cetera praetereantur argumenta, quae docent hanc vel ab antiquissima aetate sententiam in Ecclesia fuisse, afferam id, quod est omnibus notissimum in Arianorum Historia. Videlicet Iulius I Pontifex in epistola, qua Eusebianos graviter reprehendit, agens de synodo ab iisdem ad iudicandum Athanasium habita, ita eos alloquitur: « An ignoratis, » hanc esse consuetudinem, ut pri» mum nobis scribatur, et hinc quod » iustum est, decernatur? » De hac re Sozomenus scribens lib. 3 Hist. Eccl. cap. 10 habet, ideo a Iulio Eusebianos fuisse reprehensos, quod contra legem egissent in Athanasio iudicando. « Esse enim, ait, legem sacer» dotalem, ut irrita habeantur, quae » praeter sententiam Episcopi Ro-

» mani fuerint gesta.» Eadem ratione de hoc Eusebianorum facto, et de facta a Iulio Pontifice eorundem reprehensione Socrates scribit Hist. Eccl. lib. 2 cap. 17, et auctor *Historiae Tripartitae* lib. 4 cap. 9. His vero luculentis scriptorum veterum testimoniis non est necesse quidquam addere, ut in isto accusationis capite adversarii falsitatis revincantur.

Post haec vix est aliquid dicendum de criminalibus Episcoporum causis R. Pontificis definitivo iudicio reservatis. Conqueruntur quidem adversarii per Isidorianam collectionem esse factum, ut sine R. Pontificis sententia, eae causae non possint definitive absolvi. Sed querela ista veritati prorsus repugnat. Etenim primo certum est, Episcoporum criminales causas constituere unam ex iis, quae *Maiores* vocantur. Cum vero sit indubium, idque superius ostenderimus, Maiores causas R. Pontificis iudicio ab antiquissimis Ecclesiae temporibus reservatas esse; manifestum etiam est, causas Episcoporum criminales quoque, a vetusta illa aetate sine R. Pontificis sententia absolvi non potuisse. Deinde ut exemplum aliquod ex vetustate commemorem, brevitatis gratia referam tantummodo id, quod respicit Episcopos Catholicos Athanasium Alexandrinum, Marcellum Ancyranum, Lucium Hadrianopolitanum aliosque ab Arianis in eorum Synodis damnatos. Iis Iulius pristinas Sedes Episcopales restituit, atque Eusebianos, prout Sozomenus narrat Hist. Eccl. lib. 3 cap. 8, reprehendit, «quod se inconsulto de hisce viris iudicassent.» Hoc idem habetur in epistola Iulii superius recensita. Quod ergo spectat ad Episcoporum causas criminales Sedi Apostolicae reservatas, hanc reservationem ex Isidorianis decretalibus profectam esse perspicue falsum est.

Restat ut de Appellationibus ad Sedem Apostolicam loquamur. Nam si non primum ex Isidorianis Decretalibus invectum, saltem nimis auctum illarum a Rom. Pontifice accipiendarum ius esse adversarii contendunt. Est autem facillimum his respondere. Nam primum ostendunt Theologi, et iuris Pontificii Tractatores, in iurisdictionis Primatu divinitus instituto, qui RR. Pontificum proprius est, hoc contineri, ut ex quolibet ecclesiastico iudicio appellationes recipiant, et definitive iudicent de causis, in quibus ad eos appellationes fuerint interpositae. Si hoc autem Primatui ipsi est ingenitum, ineptum est prorsus, ex Decretalibus Isidori hoc ius vel derivare, vel amplificatum esse contendere.

Deinde sunt omnibus in promptu ex qualibet Ecclesiae aetate, quae Isidorum praecessit, exempla appellationum ad Apostolicam Sedem delatarum, in quibus vere RR. Pontifices iudicaverunt. Sunt omnibus noti Sardicensis Concilii Canones de appellationibus ad Sedem Apostolicam deferendis, quibus canonibus non novum ius inductum est, prout suo loco demonstravimus, sed Concilii etiam Oecumenici auctoritate, hoc ius in Romano Pontifice praedicatum est, et nonnulla sunt decreta, quae ad iudicium in appellationis negotio exercendum spectabant. Quid est vero, quod post commemoratos Sardicenses canones, ego immorer ut ostendam, hoc ius Isidoriana collectione antiquius esse? Nihil dico de iure mittendi Legatos ad Synodum. Primum enim hoc ius coniunctum est cum Romani Pontificis potestate vel iudicandi in causa appellationis, vel de reliquis Ecclesiae negotiis decernendi. Deinde hoc ius etiam in concilio Sardicensi canone 7 Romani Pontificis proprium esse demonstratum est.

Haec vero cum ita sint, possumus Adversarios derelinquere, et simul affirmare, falsum apertissime esse, Isidorianae collectionis auxilio RR. Pontificum potestatem auctam esse; atque inter praecipuas calumnias illud numerari oportere, hanc colle-

ctionem Decretalium fuisse compositam ut augendae Pontificiae potestatis argumenta tamquam ex antiquitate deprompta suppeditaret. Consulantur vero doctissimi scriptores superius memorati apud quos rei fusior pertractatio, causae veritatem magis perspicuam ostendet.

EX SAECULO DECIMO

CAPUT LXXXVII.

DE SAECULI DECIMI STATU.

Etsi negari non potest infelicem fuisse saeculi decimi, et proximorum temporum conditionem, non est tamen existimandum nihil prorsus boni aetatem illam continere, sed malis tantummodo, et summa rerum ignorantia redundasse. Certum est inimicos Catholicae Religionis abusos esse hac opinione generatim recepta de summa saeculi X et proximorum temporum ignorantia, ut inde concluderent in tam gravi rerum inscitia evenire potuisse, ut nova dogmata inducerentur. Verum hi homines invictis confutati sunt argumentis, et ex omnium temporum historia contra illos est demonstratum, nullum doctrinae caput tunc primum invectum esse, sed quae a Christo, et ab Apostolis Ecclesia accepit, ea in Ecclesia fide perpetua perseverasse. Legendus praesertim est liber octavus operis inscripti: *La perpetuité de la foi de l'Eglise Catholique touchant l'Eucharistie, defendue contre le livre du Sieur Claude Ministre de Charenton,* quo libro omnia eruditissime pertractantur quae pertinent ad ostendendum contra Claudium Ministrum, aliosque eiusdem generis haereticos, traditam in Paschasii Radberti Corbeiensis Abbatis libro *De Sacramento Corporis, et Sanguinis Christi* an. 831 edito doctrinam de praesentia reali corporis et sanguinis Christi in Eucharistia, et de Transubstantiatione, eam ipsam esse, quam Ecclesia catholica quacumque aetate professa est, et veluti talem ab omnibus fuisse agnitam. Legi quoque potest hac de re Bercastellii dissertatio Ecclesiae Historiae saeculi IX subiecta. Patebit ex ea, aliisque eruditorum hominum operibus, qui de hac haereticorum querela praeclare scripserunt, quantopere ii, qui haec affirmarunt, a veritate abhorreant.

Certum est praeterea recentioribus temporibus, et praesertim eruditissimi Muratorii studio, ac laboribus, plura vetera scripta in lucem edita fuisse, quibus ostenditur non adeo miseram Urbis Romae fuisse conditionem saeculo X, ut omnia arbitratu potentium mulierum gererentur. Profecto Annalium Italiae tomum 5 legenti, ubi Muratorius de Sergii III, Ioannis X, Ioannis XI pontificatu agit, apparet, praesto nunc esse indubia testimonia, quae antea non erant in promptu, et ex quibus generatim sparsae querelae de his, aliisque Pontificibus refelluntur.

Certe lugubrem Cardinalis Baronius ad an. 900 num. 1 descriptionem saeculi X facit, cum illud appellat « sui asperitate, ac boni ste» rilitate ferreum, mali exundantis » deformitate plumbeum, inopia scri» ptorum obscurum. » Neque doctissimo viro, ac Religionis amantissimo deerant rationes, ut ita illam aetatem deploraret; praesertim si infelix ille status, in quem litterae, et bonae artes inciderant, ac morum depravatio, quae obtinuerat, consideretur. Sed non desunt quae ostendunt, non adeo rigoroso sensu ea Baronii verba esse intelligenda.

Sane Pagius ad an. 900 num. 2

non modo Baronio, qui ea quae attulimus de saeculi decimi inscitia habet, sed etiam Bellarmino respondens qui lib. 4. de Rom. Pont. affirmat cap. 12 nullum eo saeculo *indoctius* fuisse, aperte dicit: « Hoc saeculum subsequentibus doctrina non cessit. Neque saeculum inscitiae et ignorantiae vocari potest nisi ob scriptorum paucitatem, si eius cum praecedentibus, aut subsequentibus comparatio fiat; complures enim in eo floruisse longe hodie notius, quam Bellarmini aetate, ut catalogos scriptorum Ecclesiasticorum percurrentibus planum fit. » Quae Pagius pertractat, universam respiciunt illius temporis Ecclesiasticam historiam. Nos ut afferamus in hanc rem nonnulla, de Italia tantummodo aliquid dicemus, de illa scilicet orbis terrae regione, quae omnium fortasse molestius, et gravius illorum temporum perturbatione, et vicissitudinibus afflicta, et iactata est.

Iam vero si legantur non modo Muratorius tomo superius a nobis indicato, ex quo deduci passim possunt monumenta plura ad hanc rem confirmandam opportuna; verum etiam eruditissimi Tiraboschii Historia Litteraturae Italicae tom. 3 lib. 3 cap. 1 num. 26 et seq., intelligetur ea etiam aetate repertos in Italia viros esse, qui bonas artes, et humaniores disciplinas colerent, et docerent. Auctor huius rei nobis gravissimus esse potest Raterius Veronensis Episcopus qui, ut tum erant tempora, magnam doctrinae suae laudem iis operibus reliquit, quae accuratissime anno 1765 Ballerinii Veronae ediderunt. Ex Raterii autem Synodica num. 13 constat, aetate sua plures Veronae scholas fuisse, quae litterarum addiscendarum causa frequentarentur. In itinerario autem ostendit sibi persuasum esse, Romae potissimum in sacrarum litterarum studiis profici posse. Huic adiungendus Atto Vercellensis Episcopus, qui non modo summam eo saeculo de quo dicimus, sapientiae laudem adeptus est, verum etiam, ut ad bonas artes informarentur ii, qui in sua dioecesi versabantur, in capitulare suum cap. 61, scholas in civitatibus, et in oppidis a sacerdotibus instituendas, et omnium commoditati aperiendas praecepit. Mitto, ex Bulla Benedicti IV anno 903 promulgata constare, Pisis, etiam ineunte decimo saeculo, canonicos nonnullos Theologiae, et iuris canonum prudentiae tradendae operam dedisse. Mitto litterarum studia praeceptore quodam Vilgardo, exeunte saeculo decimo, Ravennae fuisse. Illud dicam, quod fortasse honorabilius Italiae est, Ottonem I cum studeret bonas artes in Germania excitari, atque augeri, eo primum invitasse Gunzonem Novariensem Diaconum, tum secum eundem ex Italia in Germaniam Gunzonem ipsum perduxisse. Dicam tandem ex actis SS. Ord. S. Benedicti saec. 5 p. 813 a Mabillonio scriptis, constare, Italum quoque fuisse Stephanum illum, qui anno circiter 994 Herbipoli publice disciplinas tradebat.

Haec profecto, quae illustrari possent eorum scriptorum enumeratione, quos Tiraboschius, aliique docti viri commemorant, ostendunt, nisi fallor, obscurum quidem saeculum fuisse, de quo loquimur, non adeo densam tamen eidem offusam esse ignorantiae caliginem, ut iacuerint in tenebris omnia, et nulla doctrinae lux, ne languida quidem affulgeret. Quid si his addatur praeclarum illud studium, quo in Italia praesertim, Monachi tantopere de Christiana, et Civili Republica meriti sunt, ut libros, atque opera a maioribus accepta conservarentur, et in tam misera litterarum calamitate non amitterentur? Singularis huius studii ac Monachorum laboris monumentum est, quod Muratorius edidit Antiq. Ital. tom. 3 p. 840, Catalogus, scilicet, librorum Monasterii Bobiensis, decimo prorsus saeculo, ut ipse putat, exaratus, ex quo constat, Monachorum certe opera et industria, non solum sacros, sed

et profanos Historicorum, Oratorum, et Poetarum libros servatos fuisse.

Docent autem Monasterii Novaliciensis tabularii litterae a Bingonio citatae, quanta cura permagnus librorum numerus Taurini collectus, et servatus fuerit a Monachis, qui Saracenorum metu, Novalicia Taurinum fugerant. Docet praeterea Gerberti, qui deinde Silvester II fuit, epistola 47, omni studio, ac diligentia, in Italia quodammodo domicilium constitutum fuisse, quo libri undique in tanto naufragio dispersi, collecti servarentur. Manifestum denique est ex serie Praefectorum Bibliothecae Pontificiae Vaticanae, quae in praef. ad catalog. c. 4 eiusdem Bibliothecae ab eruditissimis viris Stephano Evodio, et Iosepho Assemanio confecta est, ab anno 815 ad annum 993 saltem viginti tres numerari viros, qui Bibliothecarii munere functi sunt. Servata igitur per ea tempora Vaticana Bibliotheca est, neque certe defuisse putandi sunt, qui ex illo celeberrimo, ac vetustissimo litterarum domicilio, per illud tempus sibi proficiendum curaverint.

Reliquum est nunc, ut nonnulla breviter dicamus de boni sterilitate, ob quam ferreum saeculum decimum appellatum est. Cui rei, quae miserrimam afferret de saeculo decimo opinionem, explicatio quaedam subiicienda omnino est. Neque enim existimari debet, putasse Baronium ita sterile, et improbum saeculum illud fuisse, ut nullum omnino bonum, vel Ecclesiae vel Reipublicae paruerit. Profecto, si iis tantum verbis insistere velimus, quibus Hugo Antisiodorensis in Chronico usus est, vel iis, quae in Malmesburiensi Lib. 4 de Reg. cap. 2 scripta sunt, nihil nisi pravum, nisi a bonis moribus abhorrens, eo saeculo contigisse iudicandum esset. At res, ut Pagius, animadvertit ad annum 900 n. 3, non ex iis loquendi modis definienda est, quibus Historici utuntur, qui aliquando cum vitia aetatis alicuius commemorant, ita generatim illa describunt, et veluti propria praeteritorum temporum fuisse affirmant, ut neminem excipere videantur.

Etsi enim negari minime possit, depravatos illorum temporum hominum mores fuisse, certum tamen haberi debet, non paucos etiam tum, insigni pietatis, et sanctitatis laude floruisse. Non est huius temporis, eos percensere numerando. Ex iis autem, quae de toto saeculo decimo habet suis locis ipse Pagius, aliisque, colligi facile potest, non parvo numero Episcopos, Clericos, Abbates, Monachos, et laicos magna virtutum laude dignos vixisse. Neque vero iudicandum est ita comparatos homines ea aetate fuisse, ut, licet non pauci privatis virtutibus suis florerent, publico tamen bono amplificando non studerent. Constat enim his temporibus Normannos, Moschovitas, Svevos, Polonos, Hungaros, Christiana sacra amplexos esse. Has autem gentes Christianas factas fuisse, nonne praecipuo et Religiosae, et Civili Reipublicae commodo, atque utilitati fuit? Restat igitur, ut concedamus, quantumvis misera illorum temporum Ecclesiae conditio fuerit, illo tamen quoque tempore, sanctitate vitae commendatos viros, et permagnum Religionis incrementum non defuisse.

CAPUT LXXXVIII.

DE IOANNIS XII PONTIFICIS CAUSA.

Etsi explorata res sit, Synodum, quae Ottone I imperante anno 963 Romae habita est, auctoritate destitutam penitus fuisse de Ioannis XII Pontificis causa iudicandi, atque ei per irritum decretum deposito novum Pontificem sufficiendi, qui Leo VIII appellatus est; quoniam tamen praeteriri a nobis non potest de hoc tam gravi facto agere, eiusdem historiam breviter referemus, quae ipsa per se satis esse potest, ad hoc, quod diximus, demonstrandum.

Itaque post mortuum, primis anni 956, ut Pagius putat, mensibus Agapetum II Octavianus Alberici Patricii filius ad Pontificiam dignitatem ascendit. Eum legitimum Pontificem, prout Baronius ad an. 955 num. 4 recte animadvertit, Ecclesiae consensus effecit, quae schisma vitandum curavit. Octaviani nomine relicto, Ioannis XII nomen suscepit, et iure creditur, eum vere primum fuisse, qui morem induxerit, ut Pontifices Maximi, cum ineunt Pontificatum, nomen immutent.

Ut se a Berengario Italiae Rege Ioannes XII expediret, a quo multa tolerare cogebatur, et graviora etiam permulta metuebat, Ottonis I Germaniae Regis auxilium postulandum putavit. Eum igitur Romam invitatum Imperatoria dignitate ornavit, quo Pontificis facto, Imperatoria dignitas a Leone III in Carolo magno excitata a Gallis ad Germaniae Reges translata est. Licet concordia inter Pontificem, et Imperatorem tanta esset, ut servanda perpetuo videretur, ortum tamen est inter eos tale dissidium, ut inde grave schisma conflatum sit. Ac prima quidem inter eos simultatis origo fuit consilium ab Ottone initum de Pontifice hortando ad vitam meliorem, cum relatum Imperatori esset, Ioannem vitam gradu suo minime dignam agere. Cum nimis molestae Ioanni Imperatoris hortationes essent, foedus cum Adalberto Berengarii filio inivit, eaque ratione se ab Ottonis importunitate facile liberatum iri speravit. Otto hac Ioannis agendi ratione offensus, ac plane sentiens, quae mala sibi ex hac Pontificis cum Adalberto coniunctione possent imminere, venit Romam anno 963, ex qua urbe, eo accedente, tum Ioannes, tum Adalbertus fugerant, et postquam omnes urbis ordines iurare coegit, se deinceps nullum Pontificem electuros, nisi ex eius, et Ottonis filii auctoritate, Concilium mense Novembri habuit, in quo pluribus criminibus Ioanni obiectis, Pontificatus ei abrogatus est, novusque Pontifex electus Leo Lateranensis tabularii praefectus, sed nondum in Clericorum numerum relatus, qui proximo die consecratus est, et Leo VIII appellari solet.

Haec, quae in Ioannem acta, et decreta fuerant, omnes intelligebant, irrita esse, et Leonem iustum Pontificem non posse iudicari. Ea profecto sententia Romani fuere, qui cum Otto ab urbe recessisset, ubi se eius metu liberatos esse intellexerunt, Ioannem revocarunt et ei obtemperandum esse significaverunt. Reversus igitur Ioannes Romam anno 964, eo ferme tempore, quo Leo fugerat, die 26 Februarii Concilium habuit, in quo Leo ipse non legitimus Pontifex declaratus, ii, qui illum consecraverant, de gradu deiecti sunt, ac in ordinem redacti qui a Leone Ecclesiastica munera, et gradus impetraverant. In eos etiam graviter animadvertere coeperat Ioannes quos sibi infensos esse cognoverat, sed die 14 Maii mortuus est.

Cum mortuus Ioannes esset, Romani Leonem veluti illegitimum Pontificem habere prosequuti sunt, et Clerus Benedictum V elegit antea Romanae Ecclesiae Diaconum, qui

non multo post consecratus est. Iuramentum autem, quod Otto I exegerat, tamquam iniustum et sine libertate factum, haec minime impedire posse Romani persuasum habuerunt. Otto indignatus Romam obsedit, ac non multo post cepit, Leonem revocavit; habitoque conciliabulo, Benedictum exauctoravit, eumque coegit palam se accusare quasi in Pontificatu ineundo graviter peccasset. Illum deinde exulare iussum, in Germaniam duxit, tradiditque Amburgensi Episcopo, ut in honesta custodia illum detineret. Leo interea, vel die 17 Martii, vel ineunte Aprili anno 965 mortuus est. Tum vero partim, quod Ottonem ea animi ornamenta, quibus Benedictus praestabat, flectere coepissent, partim quod Romanorum Legati Imperatorem, ut hoc faceret precati essent, res de eo restituendo feliciter absoluta fuisset, nisi Benedictus ipse die 5 Iulii, eodem anno mortuus esset.

Haec quae perstrinximus, ut quomodo res gesta sit exponeremus, ostendunt Synodum illegitime convocatam, particularem, videlicet illegitimam quandam Synodum sibi arrogasse auctoritatem, ut de Pontifice maximo, quem *universalem Papam* esse in epistola sua Synodus ipsa fatebatur, iudicium institueret, eum Pontificatu exspoliare, et illi invito novum Pontificem sufficere ausam esse. Demonstrant igitur ista, omnia, quae ab ea Synodo contra Ioannem XII acta sunt, prorsus irrita esse existimanda. Omnibus enim cognitum est, talem esse Pontificis Romani primatus iurisdictionis naturam, talem amplitudinem potestatis, ut haec, quae recensuimus, irrita esse, sola rei ipsius consideratio perspicue evincat. Essent vero hic, ut cetera omittam, exscribenda ea omnia, quae Baronius ad an. 963 a num. 31 ad 40 graviter eruditeque pertractat, ut rem extra omne dubium positam esse luce clarius confirmetur. Verissime autem pronuntiavit, ut Synodi ipsius veluti summam Baronius referret: « Unum » loco omnium hoc satis habeto, » numquam me legisse orthodoxo- » rum conventum Synodalem ali- » quando habitum, in quo magis Ec- » clesiasticum ius sit offensum, magis » canones violati, vulnerata tradi- » tio, conculcata, oppressa, atque ma- » iore dedecore prostrata iustitia.»

Quod si ex Ecclesiae historia essent argumenta afferenda, quae confirment id, quod hactenus diximus, possemus, inter cetera, ad Symmachi Pontificis tempora provocare, atque ex monumentis ad Synodum *Palmarem*, quae anno 502 habita est, pertinentibus ostendere, semper id Ecclesiae Catholicae Episcopos certissimum habuisse, ob Primatus iurisdictionis potestatem, qua Romani Pontifices praediti sunt, non posse Episcopos de illis iudicium instituere, et irrita esse eiusmodi facere, quae deinde ab Ottonis I Synodo contra Ioannem XII gesta sunt. Hoc idem evincit agendi ratio, observantiae plena, quam Episcopi in Leonis III causa anno 800 adhibuerunt, cum sibi fas non esse de Romani Pontificis causa cognoscere declaraverunt. Hoc idem alia evincerent monumenta, quae afferri possent, si supervacaneum non esset in re perspicua, argumentis uti non necessariis.

Post haec non moror quae Ioannes Christophorus Neller in Universitate Trevirensi Iuris Ecclesiastici Professor anno 1766 thesibus, et scriptis suis conatus est persuadere, veluti si Synodus ista legitima, et sanctitate praedita fuisset. Graviter eundem Nellerium P. Martinus Bender Societatis Iesu in memorata Universitate S. Theologiae Professor thesi et scriptis suis eodem anno refutavit. Pertractatam inter Nellerium, ac Benderium controversiam, ac scripta ab utroque in ea re, concinne refert in memorato superius *commentario critico ad Hist. Eccl. Fleury* eruditissimus Marchetti art. 2 cap. 3 num. 99.

*

CAPUT LXXXIX.

DE SACRO RITU SANCTOS CANONIZANDI.

Inter eruditos pertractata est non levis controversia in qua quaesitum fuit, quaenam prima censenda sit solemnis Sanctorum Canonizatio a Romano Pontifice decreta. Exponuntur eruditissime ea, quae controversiam istam respiciunt a Benedicto XIV Pont. Max. lib. I cap. 7 operis *De Servorum Dei beatificatione, et Beatorum Canonizatione.* Nihil vero utilius fieri posse puto ad ostendendum, quid statuere de hac controversia debeamus, quam verba ipsa afferre, quibus sapientissimus ille Pontifex sermonem de hac re cap. 8 n. 2 concludit.

Itaque inquit: « Porro cum S. Udalrici Episcopi Augustae Vindelicorum vita, et miracula, eius intercessione a Deo patrata essent celeberrima, Luitolphus Augustae Episcopus in Concilio Lateranensi (anno 993) Ioanni XV, et Patribus in Synodo congregatis supplicavit, ut eum in Sanctorum numerum referrent, omnibusque bene ponderatis memoratus Udalricus Sanctorum catalogo a praedicto Pontifice, Synodo laudante, adscriptus est; et integer actus exstat in *Bullario Romano, in novo cod. canonizat. et tom. 2 Iulii* apud Continuatores Bollandianos, et in saec. 5 *Act. SS. Ord. S. Benedicti.* Idcirco solemnis est hic, qui nunc exponitur Primus Actus, adeo ut redacta celebri quaestione de prima canonizatione a Summo Pontifice solemniter acta, ad punctum, an fuerit ea S. Suiberti, quae facta dicitur a Leone III, et de qua in superiori capite sermo habitus est, an vero S. Udalrici facta a Ioanne XV, uti adnotavit vir licet heterodoxus Ioannes Albertus Fabricius in sua *Bibliographia antiquaria* cap. 8 num. 25, eruditiores putent primam esse illam S. Udalrici: Mabillonius in *praef. ad acta SS. Ord. S. Benedicti saec. 5 pag. 6 n. 99,* Pagius *ad a. 993 n. 1,* Fleuryus *t. 12 H. E. lib. 5 pag. 377,* continuatores Bollandiani in propylaeo diss. 20 p. 172, ubi post recitatam Bullam Ioannis XV ita subdunt n. 2: Si quis attulerit antiquius exemplum, et aeque certum postulatae per extraneos Pontificiae ditionis Episcopos ab Apostolica Sede canonizationis alicuius, libenter suscipiam. Neque enim existimo nullum exstitisse; puto tamen huius rei initium non esse a saeculo, de quo agimus, decimo, valde removendum. »

Haec satis omnino sunt ut ostendatur, quo praecipue argumento innitatur sententia, quae continet revera, saeculo X, et Ioanne XV Pontificatum gerente, haberi gravissimam probationem primae solemnis canonizationis Pontificis Maximi iussu decretae. Nos vero hac suscepta occasione, opportunum et utile futurum putamus, praecipua refellere, quibus Protestantes, ritum canonizandi Sanctos oppugnarunt. Videlicet, prout Dallaeus facit lib. 3 adversus traditionem de Religiosi Cultus obiecto c. 21, Walckius in Hist. Canonizationis Caroli Magni pag. 16, Moshemius in Inst. Hist. Eccl. saec. 9 parte 2 cap. 3 num. 4, Canonizationem ii traducunt veluti recens Catholicorum commentum antiquitati incognitum: alii vero, ex. gr. Rodulphus Hospinianus in tract. *De origine, progressu, caeremoniis, et ritibus Festorum* cap. 6, Ioannes Albertus Fabricius in *Bibliographia antiquaria* cap. 8, Middletonius in opere inscripto *Conformités des céremonies modernes avec les anciennes c. 7,* et in praefatione ad alium eius librum de eadem re, inscriptum *Lettre écrite de Rome,* aliique conten-

derunt, ritum hunc superstitiosum esse, atque ex Apotheosi Ethnicorum derivasse.

Facile est autem has accusationes refellere. Atque ad primum quod pertinet, quid potest magis esse cuique notum, quam neminem umquam in Sanctorum numero a Christianis cultum esse, de cuius sanctitate, ac praestantia Ecclesia non iudicasset? Perspicuum huius rei argumentum nobis suppeditat Mensurii Carthaginiensis Episcopi factum. Nonnulli in Africa Christiani sponte se per ea tempora (scilicet circa saeculi quarti initia) Christiani nominis insectatoribus obtulerant, atque cum libere professi fuissent se quidem Sacras Scripturas habere, quas Ethnici ut comburerent summo studio requirebant, nolle autem eas Ethnicis tradere, crudelissime fuerant interfecti. Accepit id Mensurius, et valde ei displicuit inconsiderata haec agendi ratio, qua Christiani illi usi erant; quare vetuit ne ii tamquam martyres honorarentur.

Testimonium huius rei dicit Augustinus in Breviculo collationis, collat. 3 c. 13 num. 25 p. 386 t. 9 operum editionis Antuerpiensis. « In iisdem » etiam litteris lectum est, eos, qui » se offerrent persequutoribus non » comprehensi, et ultro dicerent se » habere scripturas, quas non tra- » derent, a quibus hoc nemo quae- » sierat, displicuisse Mensurio, et ab » eis honorandis eum prohibuisse » Christianos. » Iam vero numquam Mensurius iussisset debere ab iis honorandis Christianos abstinere, nisi in more positum fuisset, ut nemo in Martyrum numero haberetur, qui canonizatus non fuisset, hoc est, cuius martyrium publico Ecclesiae iudicio comprobatum non esset.

Hoc idem confirmatur testimonio Optati Milevitani, qui num. 16 lib. 1 adversus Parmenianum narrat, graviter a Caeciliano Mensurii Archidiacono reprehensam esse Lucillam opulentissimam feminam, quod ossa Martyris cuiusdam veneraretur, qui non fuerat Ecclesiae sententia Martyr declaratus. « Cum correptionem » Archidiaconi Caeciliani ferre non » posset (Lucilla), quae ante spiritua- » lem cibum, et potum, os nescio cu- » ius Martyris, si tamen Martyris, li- » bare dicebatur, et cum praepararet » calici salutari, os nescio cuius ho- » minis mortui, etsi Martyris, sed nec » dum vindicati, correpta, confusione » irata secessit. » Verum si liberum cuique fuisset, quos maxime voluisset, tamquam sanctos venerari, profecto Caecilianus vir certe gravissimus non commisisset ut tam acriter Lucillam reprehenderet, quod Martyris non vindicati (hoc est non declarati) ossa oscularetur, et coleret. Neque vero allata superius monumenta persuadent tantum circa initium saeculi IV, quo tempore illa, quae narrata sunt, contigerunt, disciplinam canonizandi Sanctos obtinere coepisse. Ita enim Mensurius, et Caecilianus rem gessisse narrantur, ut iuxta vetus Ecclesiae institutum, alter Christianos illos Sanctorum honoribus excluserit, qui sponte se et temere ethnicis iudicibus tradiderant, alter feminam illam reprehenderit, quod non vindicato martyri religionem adhibuerit. Constat ergo, in antiqua Ecclesiae aetate hoc exploratum fuisse, ut nemo veluti Sanctus coleretur, cui publica Ecclesiae auctoritate Sanctorum honores decreti non essent.

Demonstrat praeterea quod asserimus ipsius rei intima consideratio. Nam haec res natura sua ex dogmate de cultu, et invocatione Sanctorum sponte fluebat, et ideo oportebat omnino, ut Ecclesia edoceret quinam in Sanctorum numero habendi essent. Incredibile est enim rem hanc tam gravem vulgi iudicio permissam esse, ut sine delectu, aut sapientia iudicaretur. Accedit facillimum fuisse in huiusmodi negotio errare, nam plures ex haereticis suos Martyres venditabant. Deinde neque omnes ex Catholicis, qui cruciatibus, et morte ab ethnicis ple-

ctebantur, digni Martyrum honoribus erant, et sapienti Episcoporum iudicio erat necesse statuere, quinam vere religionis causa martyrio functi essent, et inter indubios Martyres coli mererentur. Apparet ergo, rem hanc tantam, sine Ecclesiae iudicio, recte peragi non potuisse. Hoc autem omnino ostendit, in vetusta Ecclesiae aetate id receptum esse debuisse, ut de hominibus inter Sanctos habendis Ecclesia ipsa decerneret.

Ex his, quae diximus, facile descendit alterum, scilicet, morem canonizandi Sanctos superstitiosum non esse, eumque ab Idololatricis ritibus, atque ab ethnicorum Apotheosi prorsus abhorrere, id quod sapientissime, ceteris omissis, demonstravit in opere superius memorato lib. 1 cap. 1 Benedictus XIV. Sane alienum erat a veteribus Christianis innocentissimis, ac sanctissimis, prioribus Ecclesiae saeculis, superstitiosum aliquod institutum sequi. Est etiam per se incredibile primos illos Christianos tantopere ab ethnicis ritibus abhorrentes, hac in re Idololatricos ritus sectari voluisse. Quis denique sibi persuadeat, Christianos ethnicorum Apotheosim sibi imitandam proposuisse, quam contemnebant, et passim irridebant? Nota sunt omnibus, ut cetera praeteream, Tertulliani verba cap. 13 Apologetici Ethnicos refellentis, apud quos lege cautum erat, ne quis in Deorum numero haberetur, quem Senatus consultus non probasset. « Status Dei cu- » iusque, inquit pag. 14 ed. Rigaltii, » in Senatus aestimatione pendebat. » Deus non erat quem homo con- » sultus noluisset, et nolendo da- » mnasset. »

Quamquam nihil fortasse melius ostendit, quantopere Canonizatio, quam Ecclesia Catholica facit, aliena sit ab ethnicorum Apotheosi, quam si causa consideretur, qua Ecclesia ad eam decernendam adducitur. Etenim ethnici Apotheosi sua, Imperatores, vel alios consecrabant, ut Deorum numero eos accenserent; at cum Ecclesia aliquem inter sanctos refert, illud tantum pronuntiat, eum in Dei O. M. servis, et amicis habendum esse, et eidem cultum idcirco exhiberi debere. Praeclare id explicat Augustinus lib. 22 de Civit. Dei cap. 10 tom. 7 col. 558 edit. citatae, inquiens: « Nobis Martyres » non sunt dii, quia unum eundem- » que Deum, et nostrum scimus, et » Martyrum. » Sunt haec adeo perspicua, ut etiamsi cetera argumenta deessent, ex sola causae diversitate appareat quantum discrimen intersit Apotheosim inter et frequentatum ab Ecclesia Canonizationis ritum.

His tamen adiungi debet, summam esse severitatem qua Ecclesia iudicium instituit de praeclaris hominum virtutibus, de quibus canonizandis agitur, et nemini Sanctorum honores decerni, de cuius summa virtutis praestantia, post omnem diligentissimam inquisitionem non constet, et de quo non fuerit probatum, Deum Opt. Max. eius intercessione, singularia aliqua prodigia facere dignatum esse. Possumus vero ab adversariis iure requirere, num aliquid tale ad Apotheosim decernendam Ethnici postularent.

Haec, quae attigimus, praecipuas calumnias refellunt, quibus Protestantes Canonizationis ritum affecerunt. Non erit vero inopportunum antequam disputationem hanc omittamus illud etiam commemorare, sapientissime fecisse Romanos Pontifices, cum decretum de Sanctis canonizandis Sedi Apostolicae reservarunt. Cum enim ea res gravissima, et imprimis difficilis sit, constituatque unam ex iis causis, quae Maiores appellantur, sapientissime Romani Pontifices voluerunt Sedem Apostolicam decernere debere in eo negotio, quod Catholicorum omnium cultum respicit. Est vero id in Ecclesia antiquissimum. Ut cetera omittam, quae id ostendunt, utar Mabillonii testimonio, qui in Praefat. ad Saec. 5 SS. Ordinis S. Benedicti n. 94 de

S. Vigilio Episcopo Tridentino ait, legisse se in veteri codice « gesta » Bm̃i Martyris, ut moris erat, Urbis » Romae Episcopo transmissa fuisse, » ut sacris martyrum memorialibus » inferrentur. » Afferam vero quod imprimis grave est, Benedicti XIV verba lib. 1 de can. Sanctorum c. 6. « A remotioribus saeculis, inquit, eos » qui cultum obtinent in tota Ecclesia universalem, Sanctorum albo » esse adscriptos per eam speciem » Canonizationis, quae tunc adesse » intelligebatur, cum cultus in aliqua » dioecesi institutus, ex ea in aliam » dioecesim, et ita subinde in univer- » sam Ecclesiam protendebatur, qua » quidem in re, ecclesiastica semper » accedebat auctoritas, Episcoporum » nimirum, et Romani Pontificis. »

CAPUT XC.

DE RELIGIONIS CHRISTIANAE PROPAGATIONE IN HUNGARIA, ET DE IIS, QUAE FACTUM HOC RESPICIUNT.

Inter praecipua quae Ecclesiae feliciter saeculo X evenerunt, ponenda certe est religionis Christianae per universam Hungariam amplissima propagatio. De ea re, et de ceteris, quae celeberrimum hoc factum respiciunt, pertractaturi, primum rei ipsius gestae summam referemus, tum quorum virtuti illius Gentis conversionis laus debeatur, ostendemus.

Itaque in Pannoniam ab antiquioribus temporibus Christiana Religio illata est; sed Hungari, qui eam regionem saeculo nono invaserant, quae ex eorum nomine Hungaria dicta est, Religione ethnici cum essent, Christiana sacra plane deleverunt, a quibus alienissimi fuerunt usque ad saeculum decimum valde provectum. Sed eo tandem tempore Geysas Hungarorum dux, baptismo suscepto, Christianam Religionem amplexus est, et opera Piligrini Laureacensis, sive Pataviensis Episcopi, Wolfangi Monachi Svevi, et Adalberti Episcopi Pragensis, probante Romano Pontifice, de constituendis nonnullis in Hungaria Episcopis, statutum est. Hoc consilium initum sapientissime fuit. Agebatur enim ita, non modo de iis in Ecclesia regendis, et confirmandis, qui iam Christianam Religionem profitebantur, verum etiam de Religione ipsa per Episcopos latius propaganda. Obiit sub saeculi finem Geysas, eoque mortuo, Stephanus eius filius opus iam coeptum perficiendum curavit. Et praeclare quidem rem tantam gessit. Hungaros enim universos ad Catholicam Ecclesiam adduxit, et Romano Pontifice auctore, conditis pluribus Episcopatibus, ac Monasteriis, eorum Religionis incolumitati et firmitati prospexit.

Tanta erant Stephani erga Religionem merita, ut Romanus Pontifex honorificentissime cum illo agendum putaverit. Effecit id Silvester II; Regem enim Stephanum appellavit, et corona Regia donavit, quae deinde tanto in honore apud illam gentem fuit, quaque adhuc Hungariae Reges uti solent. Qui consulat ea, quae habentur ex fide dignis monumentis, Hungariae ad Christum conversionem respicientibus, intelliget profecto, summam eius rei laudem Stephano esse tribuendam, at fateri cogetur etiam, Stephanum Latinorum opera adiutum tantam rem gessisse.

Verum hoc non placuit Ioanni Schwartzio, qui anno 1740 opusculum edidit inscriptum, *Initia Christianae Religionis inter Hungaros Ecclesiae Orientali adserta,* in quo contendit Hungaros a Graecis Religionem, eorum vero Regem Stephanum a Graecorum Imperatore coronam, et appellationem Regiam accepisse. Hominem heterodoxum hoc

tantum Ecclesiae Latinae meritum eripere conantem refutavit P. Ioannes Stiltingus Bollandianus tom. 1 Septembris in commentario eruditissimo ad vitam S. Stephani, cuius festum agitur die eius mensis secunda. Eum etiam impugnavit Adam Franciscus Kollarius Bibliothecae Caesareae Vindobonensis Praefectus in *historia Diplomatica iuris diplomatum Apostolicorum Hungariae Regum* lib. 1 cap. 2 et sequentibus. Nunc ostendendum curabimus quanto iure doctissimi isti viri contenderint, Latinorum laboribus Christianae Religionis in Hungaria propagationem deberi.

Hungari post ingentem cladem, quam anno 955 a Germanorum copiis passi sunt, de pace cum Ottone I ineunda tractaverunt. Res quidem pace compositae ab Ottone fuere. Latini vero ea occasione arrepta, de Religione Christiana Hungaris persuadenda consilium ceperunt. Quid enim aliud demonstrant testimonia ea, quae ex gravissimis illorum temporum monumentis depromi possunt, nisi revera, inita Ottonem inter et Hungaros pace, Latinos continuo apertam sibi esse viam iudicasse, ut Hungariam peterent, eamque Christo compararent? Mabillonius in actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti saec. 6 part. 1 pag. 81 ex cod. Tegernsensi ipsius Ottonis epistolam edidit ad Piligrinum Pataviensem, seu Passaviensem Episcopum, qua illi Brunonem Verdensem Episcopum commendat, quem Imperator ad Hungaros, rerum componendarum causa legaverat. Legatio haec Brunonis ad Hungaros non ante annum certe contigit 972, quo Piligrinus factus est Pataviensis Episcopus, neque post 973, quo Otto Magnus vita functus est. Iam vero huius legationis, et concordiae initae hic, inter ceteros, certe fructus fuit, ut in Hungaria Religio reciperetur, eaque gens Latinorum opera christiana fieret.

Hoc ostendunt verba Carthuitii in vita Stephani num. 2, quibus describit Geysam Hungarorum ducem Christianis amicum esse factum, eisque copiam praebuisse Hungariam adeundi, et in ea commorandi. « Statuit insuper (Geysas) praeceptum » cunctis Christianis ducatum suum » intrare volentibus, hospitalitatis, » et securitatis gratiam exhiberi. » Clericis, et monachis gratiam con- » cessit suam praesentiam adeundi, » quibus voluntarium libenter adi- » tum praebens, orthodoxae fidei se- » men, pectoris in horto sartum, » delectabatur germen emittere. » Haec cum in Hungaria a Geysa geruntur, Piligrinus in Hungariam invitatur religionis ibi statuendae, amplificandaeque causa.

Huius rei testis locupletissimus est Piligrinus in epistola a se anno circiter 974 ad Benedictum VI scripta, quam Lambecius edidit in commentariis de Bibliotheca Caesarea lib. 2 cap. 8. « A qua ego, ait Piligrinus, » praefata Ungrorum gente multis » precibus ipse invitabar venire, aut » missos meos in opus Evangelii il- » luc dirigere. Ad hos dum transmit- » terem satis idoneos viros ex mo- » nachis, canonicisque presbyteros... » statim divina gratia tantum suis » institutionibus fructum ministra- » vit, ut ex iisdem nobilioribus Un- » gris utriusque sexus, Catholica » fide imbutos, atque sacro lavacro » ablutos circiter quinque millia lu- » crarentur. » Narrat deinde quam facile iam esset totam Hungariam ad Christianam Religionem adducere. « Factum est ergo ut pae ne cun- » cta Ungrorum natio sit prona ad » percipiendum fidem sanctam. »

Precatur ergo Pontificem, ut de Episcopatibus ibi statuendis omnino decernat, eumque rogat, ut Pallium ad se mittat; impediri enim se tam gravi negotio, quominus Hungariam relinquat, et Romam ad Pallii honorem impetrandum petat. Haec, quae ex Piligrini epistola indicavimus, quaeque confirmari possent iis, quae Benedictus VI de ea re scripsit ad Archiepiscopos Germaniae, ad Ot-

tonem Imperatorem, et ad Henricum Bavariae ducem, manifeste ostendunt, revera Piligrinum, Latinum Episcopum, unum ex iis fuisse, qui de Hungaria Christo adiungenda primum laborarunt. Ex epistola vero Benedicti, quam Lambecius edidit loco paullo ante citato, apparet, ita a Romano Pontifice gestum esse morem Piligrino in iis omnibus, quae postulaverat, ut facile sit inde demonstrare, persuasum omnino Pontifici Maximo fuisse, Latinorum prorsus, non vero Graecorum operae, ac laboribus primos illos in Hungaria Religionis progressus deberi. Neque enim Benedictus adhibitam a Latinis in tanta re diligentem operam commendasset, Graecorum autem merita silentio praeteriisset; neque de constituendis Episcopatibus agens, Latinos tantum Archiepiscopos commemorasset, quibus ii iure Metropolitico subiici deberent.

Nostra longior, quam par sit, evaderet disputatio, si de iis quae a S. Wolfango, et a S. Adalberto per ea tempora gesta in Hungaria sunt, vellemus singillatim hic pertractare. Agit de Wolfangi, et Adalberti in eam rem laboribus fuse eruditeque Stiltingus in vita S. Stephani §. 8 et 9. Illud nobis commemorasse sufficiat, ex rebus quoque ab iisdem gestis, argumentum oriri posse Schwartzio confutando opportunum, et grave. Alter enim ex iis duobus, primum monachus, et presbyter in Svevia, tum Episcopus Ratisbonensis fuit. Alter Pragensem Episcopatum gessit. Uterque tamen inter primos illos viros recensetur, qui de Religione Christiana in Hungariam inducenda summo studio solliciti fuerunt.

Sed haec satis sunt de iis, quae sub Geysa duce evenerunt. Veniamus potius ad illa, quae sub S. Stephano eius filio, qui Hungarorum postea Rex fuit, feliciter contigerunt. Etsi enim fateamur Geysae quoque laudem tribuendam esse, quod Christianae Religionis in Hungaria statuendae opus, eo vivo coeptum fuerit, negari tamen non potest, rem ipsam totam sub Stephano Rege absolutam fuisse. Affirmari autem iure posse videtur, nisi post inceptum a Piligrino, Hungariae ad Christum convertendae opus, bellum illud non multo post, Henricum Bavariae ducem, eiusque socios inter et Ottonem II excitatum fuisset, vivo adhuc Geysa, Religionem ampliores, et firmiores in Hungaria fructus fuisse habituram. Cum enim Hungari in eo bello Henrico Bavaro studerent, Piligrinus vero, ac homines ab eo in Hungariam missi Ottoni II essent addicti, Hungariam relinquere coacti sunt, nisi voluissent hostes iudicari. His ex Hungaria abeuntibus, non potuit, quin inceptum opus intermitteretur, et propagandae, stabiliendaeque ibi Religionis, induciae quodammodo fierent.

At haec tam gravia, quae indicavimus impedimenta, sublata tandem aliquando cum essent, exploratum ita est Stephanum omnino potuisse totam Hungariam revera Christo adiunctam videre, ut abstinere iure possimus a testimoniis quamplurimis id comprobantibus in medium adducendis. Patet vero ex scriptoribus, qui res a S. Stephano gestas narrarunt, eum Latinorum Sacerdotum, et Pontificum opera adiutum, Hungariam Ecclesiae comparasse.

Multa sunt, quae in hanc rem demonstrandam ex Actis a Carthuitio confectis, ex Ditmaro, ex Hermanno Contracto, Mariano Scoto, Ademaro Chabannensi, aliisque saeculi XI scriptoribus testimonia proferri possent. Ex decade 2 vero rerum Hungaricarum ab Antonio Bonfinio exarata, multa possent commemorari, quae id quod pertractamus efficerent. Verum, ut brevius rem absolvam, indicabo quantus Monachorum Benedictinorum concursus in Hungariam factus per ea tempora fuerit. Sane *monasterium S. Martini, quod Geysas in monte supra Pannoniam* aedificandum susceperat, Stephanus

perfecit, eique, ut constat ex eiusdem litteris, privilegia omnia concessa sunt, quibus fruebatur monasterium S. Benedicti in monte Casino. Conditum est etiam ad radices Montis Ferrei monasterium SSmae Mariae Virginis, et S. Benedicti appellatione cognitum, ac per ea quoque tempora, constituta etiam alia Abbatia fuit, quae S. Hippolyti appellata est. Legendus de his Stiltingus praecipue, in vita S. Stephani §. 15.

Iam vero demonstrari omnino potest, hos homines, qui tanto numero, ea aetate Hungariam petierunt, eo se contulisse a Stephano invitatos, ut Gentis illius conversionis opus iuvarent. Nam auctor est Bonfinius decade 2: «Quotidie humi prostratus » Deo supplicabat, ut sibi salutare » consilium divina ope perficeret, » totamque Hungariam, antequam » rebus humanis excedat, ad veram » fidem revocare liceat. Quod ut a » Deo assequeretur, saepe in cinere » et cilicio supplicabat, et in templo » assidue exorabat. Laudabile pro» positum suis diplomatibus longe, » lateque declaravit. Quare plerique » Sacerdotes publica utilitate com» moti, ad praedicandum Dei verbum » in Hungariam ultro confluunt, et » pro catholica fide peregrinari ge» stiunt. Alliciebantur quoque san» ctitate Principis, cuius nomine » multi e remotissimis in Pannoniam » partibus evocabantur. In primis » Astricus vir sanctitate conspicuus » cum suis discipulis advenit... Ho» rum consuetudine, quando viros » optimos esse intelligebat, mirifice » delectabatur. Quorum auxilio, ac » opera Hungaros... in lucem veri» tatis asseruit, mandata sacrae le» gis, et orthodoxae fidei axiomata » omnes scire coegit, profanis dira » supplicia indixit. »

Nec vero Bonfinii tantum testimonio docere possumus, Monachos, et Sacerdotes, de quibus agimus, ad Religionem Hungaris persuadendam ad Stephanum venisse. Adhibebimus enim aequalem scriptorem Maurum Quinqueecclesiensem Episcopum, qui in vita SS. Zoerardi, et Benedicti, « Tempore illo, ait, quo sub Chri» stianissimi Stephani regis nutu, » nomen, et Religio Deitatis in Pan» nonia rudis adhuc pullulabat, au» dita fama boni Rectoris, multi ex » terris aliis Canonici, et Monachi » ad ipsum, quasi ad patrem conflue» bant, non quidem causa alicuius » necessitatis coacti, sed ut novum » sanctae conversationis gaudium, » ex eorum adventu adimpleretur.» Adducemus denique Carthuitium, qui septuaginta tantum lapsis post Stephani mortem annis, res ab eo gestas memoriae prodidit. Is vero haec num. 8 in rem nostram habet: « Ad » hoc vero incipiendum, et consum» mandum (opus scilicet Hungariae » conversionis), quoniam fidelium » Christi consultum habebat neces» sarium, nuntiis et litteris in omnes » partes suum divulgavit desiderium. » Inde multi presbyteri, et Clerici, » Spiritus Paracliti compuncti visi» tatione, relictis sedibus propriis, » elegerunt pro Domino peregrinari. » Abbates et Monachi nil proprium » habere cupientes, sed tam Reli» giosi Principis moderamine regu» lariter vivere deliberaverunt. »

Haec, quae diximus, sunt ad rem probandam perspicua, ac facile ostendunt quantopere a veritate sit aliena sententia, Orientalium hominum laboribus Religionis in Hungariam inductae laudem meritumque deberi. Sed iam ea sunt commemoranda, quibus maxime Schwartzius confutatur, quibusque veluti depictum in tabula videre cogitur, tantum hoc negotium, Occidentalium hominum opera susceptum, gestumque fuisse.

Loquor ego de summa, quam in tota re gerenda Stephanus ostendit in Sedem Apostolicam observantia, atque ex certissimis monumentis patere affirmo, Rom. Pontificis auctoritate res Ecclesiasticas in tota Hungaria constitutas, confirmatasque fuisse. Atque, ut de Stephani pri-

mum dicam erga Sedem Apostolicam observantia, omissis ceteris, quae ad eam rem comprobandam ex Ditmaro, ex Carthuitio adduci loca possent, legationem ab ipso ad Silvestrum II decretam, et Legati mittendi causam, Bonfinii verbis decade 2 pag.174 explicabo. « Hunc (Astricum videlicet, seu alio nomine Anastasium, quem superius cum sociis Monachis in Hungariam venisse indicavimus), hunc, inquit, quarto post obitum Patris anno, Romam ad Summum Pontificem, mittendum esse censuit. Mandata data, ut a Christi Vicario in Hungaros, qui eius fidem nuper iniverint, Apostolicam Benedictionem imploret, et inter oves Petri adnumeret. Post haec, ut Strigoniensem Basilicam Metropolitanam esse iubeat. Item ceteros Episcopatus in Hungaria nuper erectos, sacrosancta auctoritate confirmet. Demum quando potestas omnis a Deo est, et maxima coepta sine divina ope confirmari nequeunt, regalia insignia cum Pontificia benedictione piis precibus assequatur. »

Necesse non est, quidquam Bonfinii verbis addere, ut ostendatur, ex iisdem apparere, Stephano negotium totum fuisse cum Latinis, et Occidentalis Ecclesiae hominibus, eumque ne cogitasse quidem initia Religionis Christianae apud suos Orientalibus deberi. Ut vero ostendatur, Silvestrum II, humanissime excepta Stephani legatione, non modo, quae ille postulaverat concessisse, verum etiam Stephanum ipsum singularibus ornamentis cumulasse, satis erit legere, quae in ipsius Silvestri II litteris continentur, quas Pontifex anno 1000 Stephano scripsit; quasque a Verantio anno 1550 repertas Michael Inchofer S. I. in annalibus ad annum 1000 edidit.

Itaque Pontifex ait: « Quare, Gloriose Fili, cuncta a nobis, et Sede Apostolica expostulata, diadema, nomenque Regium, Strigoniensem Metropolim, et reliquos Episcopatus, de Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Paulli Apostolorum eius auctoritate, praemonente atque ita iubente eodem Omnipotenti Deo (respiciunt haec verba monitum, quod Silvester, de re ita cum Stephano gerenda, divinitus acceperat pridie eius diei, qua Astricus ad Urbem perveniret), cum Apostolica nostra benedictione libenter concessimus, concedimus, et impertimur. » Loquitur deinde Pontifex *de regno Stephani munificentia S. Petro oblato*, deque praeclaro illo, quod ipsi Stephano, eiusque Successoribus impertitus est, ornamento, ut coronati cum fuerint, *crucem ante se, Apostolatus insigne gestare facere possint, et valeant*, deque ceteris illis beneficiis, quibus et Stephanum, et Successores honestavit.

Haec, quae a Silvestro II Stephanus impetravit, quaeque illi a Romano Pontifice concessa fuisse Carthuitius, et Bonfinius fatentur, etiam a compluribus aliis gravissimis auctoribus narrantur. Talis est certe Ditmarus Merseburgensis Episcopus, qui licet de Hungaricis rebus ea tantum scripserit, quae cum Imperatorum historia coniungebantur, breve tamen, et concinnum, sed absque ulla controversia perspicuum huius rei testimonium dicit. Lib. enim IV chronici sui habet: « Imperatoris autem praedicti (Ottonis III scilicet) gratia, et hortatu, gener Henrici Ducis Bavarorum Waic in Regno suo Episcopales cathedras faciens, coronam, et benedictionem accepit. »

Haec Ditmari narratio, quae brevitate sua videri potest obscurior, confirmabit revera quod de Stephano superius diximus, modo intelligatur, per vocem illam *Waic* nihil aliud significari, nisi vernacula lingua Stephanum. Eum enim Henrici Rixosi Bavariae ducis generum fuisse manifestum est. Constat vero anno circiter 999, vel 1000 Episcopatuum in Hungaria constituendorum opus inceptum fuisse, quo tempore Otto III

vivebat adhuc. Verba tandem *coronam, et benedictionem* accepisse generum Henrici *ob Episcopales cathedras factas*, Romanum Pontificem prorsus indicant, qui ob praeclara in Ecclesiam merita, Stephanum corona, ceterisque, quae diximus, ornamentis cumulavit.

Quid vero, quod Stephanus Regni sui annos numerare coepit ab anno, quo Silvestrum II vidimus illum Regis appellatione, et corona regia donasse? Sane Ioannes Sambucus inter decreta Regum Hungariae edidit superius indicatas Stephani litteras, quibus plura, et praeclara beneficia monasterio S. Martini contulit. Eae litterae scriptae sunt, vel mense Septembri vel aliquanto post, anno 1001, nam ita inscribuntur: *Anno Dominicae Incarnationis MI, Indictione XV, Anno Stephani Regis Secundo.* Iam vero Stephanus, qui anno 997 Geysae successerat, dici non potest alia qualibet ratione annum *MI* regni sui secundum appellasse, nisi a die, quo Silvester II eum Regem vocaverat, et Regio diademate donaverat, scilicet a die 25 Martii anni 1000 numerandi rationem instituisset. Concluditur ergo, Stephanum facto quoque suo ostendisse, revera sibi a Romano Pontifice Regiam coronam, et dignitatem collatam fuisse.

Estne deinde quidquam in tota Hungarorum historia tam certum, quam ea, quae diximus, a Silvestro II Stephanum accepisse? Quid enim demonstrant aliud ea Andreae II Hungariae Regis ad Iacobum Episcopum Praenestinum Apostolicae Sedis Legatum verba apud Raynaldum ad an. 1233 num. 5? « Et ideo (Stepha- » nus) non a quolibet, sed a Vicario » Iesu Christi, et Petri Beatissimi » successore, per revelationem divi- » nam Summo Pontifici factam, as- » sumpsit Regni diadema.... sed et » auctoritate Summi Pontificis, qui » ipsum vocavit Regem, et Aposto- » lum gentis nostrae provincias per » episcopatus distinxit. » Illa vero, quae Ladislaus III, vel, ut alii numerant, IV in epistola sua scribit, quae apud Raynaldum habetur ad an. 1279 num. 31, nonne haec ipsa confirmant? « Stephanus, inquit, ut » principatum fidei, in Sacrosancta » Romana Ecclesia consistere, ean- » dem Christi thalamum, et Trini- » tatis hospitium luculentius demon- » straret, non a se, vel ab alio, sed » ab eadem Romana Ecclesia Matre » omnium, et Magistra, regni diade- » ma revelatione divina meruit ob- » tinere. »

Longum esset persequi cetera, quae adduci possent ex Hungariae Regum historia, ad hanc rem comprobandam praeclara testimonia. Concludam potius locum hunc allatis iis Bonifacii VIII verbis, qui, ut est apud Raynaldum iam pluries memoratum anno 1301 ita scripsit in suis ad Nicolaum Ostiensem Apostolicae Sedis in Hungaria Legatum: « Ad haec » nolumus te latere, aut in dubium » revocare, quod memoratum Hun- » gariae Regnum sacrosanctae Ro- » manae Ecclesiae a B. Stephano » Primo Rege Hungariae Christiano, » cum omni eius iure, ac potestate » devote oblatum fuit, et traditum » reverenter; qui etiam ad ipsius » Regni solium noluit auctoritate » propria sublimari, sciens quod ne- » mo sibi sumere debet honorem nisi » qui vocatur a Deo. Et ideo non a » quolibet, sed a Vicario Iesu Chri- » sti, et Successore Petri assumpsit » Regium diadema. Fuerat quidem » divinitus revelatum, quod ei pri- » mum in gente Hungarica corona » debebatur et regnum, sicut haec » plenius documenta, quae servantur » in Archiviis memoratae Ecclesiae » Romanae testantur, et ad ipsius » Archiepiscopi potuerunt notitiam » pervenire. »

Intelligitur vero qua de causa demonstrare voluerim haec vere Silvestrum II inter et Stephanum gesta fuisse. Profecto, quod animus non est, ea omnia, quae Schwartzius affert, ut Hungariae ad Christum

conversionis laudem Occidentali Ecclesiae eripiat, refellere, atque iis tantum respondendum esse censeamus, quae ille contendit, ut litterarum a Silvestro scriptarum veritatem infirmet, ac coronam non a Romano Pontifice, sed a Graeco Imperatore Stephanum accepisse demonstret. Gravissima enim sunt ad ostendendum, Occidentalium hominum opera tantum Ecclesiae incrementum habitum esse, quantum Hungaria tota constituit, singularis illa Stephani erga Latinos voluntas, quam indicavimus, et praeclara illa beneficia, quae Occidentalibus Sacerdotibus contulit, Orientalibus semper silentio praeteritis, qui pro eo, quo flagrabant, amplificandi ritus, et honores Gentis suae studio, negligi se, et contemni prorsus passi numquam fuissent, si eorum laboribus Hungari Christianam Religionem suscepisset. At quod ex toto Stephanum inter et Silvestrum facto nascitur argumentum, est eiusmodi, ut nisi res ipsa denegetur, invito etiam cuiquam et repugnanti persuadere debeat, Stephanum rem illam totam cum Occidentalis Ecclesiae hominibus gessisse.

Quid enim affert Schwartzius, ut efficiat coronam, de qua loquimur, non a Romano Pontifice, sed a Graeco Imperatore missam ad Hungariae Regem fuisse? Ad ipsam coronam videlicet considerandam provocat. Ex eius enim diligenti consideratione apparere putat, Graecum opus illam esse, et omnia praeseferre, quae doceant a Graeco Imperatore acceptam, nihil quod indicet a Romano Pontifice Hungariae Regi concessam fuisse. Schwartzii verbis utar num. 44 ita in eam rem loquentis: « Coronam » Graecae esse consuetudinis affir- » mare nulli dubitamus. Formam » namque eius si spectes, ex clau- » sarum, ut vocant, coronarum nu- » mero est, quales ante tria abhinc » saecula Europae Regibus coronae » in usu non fuerunt. Soli Impera- » tores clausas huius generis coro- » nas proprias sibi vindicabant. Ce- » teri vero Reges diadematibus ex » aureo circulo conflatis, ex quo pin- » nae quaedam ornamentorum, ver- » tice tamen aperto, efflorescebant, » usi sunt. Graecorum praecipue mo- » rem referunt catenulae aureae octo » in totidem gemmas desinentes, et » ad utrumque iuxta aures latus, » hinc quatuor, illinc quatuor de- » pendentes, nona insuper in tergum » defluente. Maximo autem argumen- » to, ad Graecos coronae Hungariae » natales attribuendos nobis est, » quod illustrissimus comes Petrus » de Rewa sacri illius cimelii con- » servator, quondam Duumvir, qui » eam intentis oculis aspexit, solli- » citeque descripsit, praeter Salva- » toris Mundi, Beatissimae Virginis » Mariae, et SS. Apostolorum, Con- » stantini praeterea Magni, aliorum- » que praeterea Graecorum Impera- » torum imagines in ea exstare, et » quod caput est rei, litteris Graecis » notatas esse prodidit. » Haec tota Schwartii argumentationis summa, et ratio est. Nihil dico, quam inepte Petrum de Rewa in hac tota argumentatione nominet; cum ipse Schwartzius fateatur, eius viri sententiam fuisse, operis quidem Graeci coronam esse, sed Roma tamen a Pontifice Maximo ad S. Stephanum dono missam. Illud etiam praeteribo, nimis inconsiderate Schwartzium scripsisse, cum eo ipso loco, quo de corona Hungarica a Graeco Imperatore profecta disputat, verba Constantini Porphyrogeniti recitat lib. de administrando imperio cap. 135, ex quibus constat, per ea tempora, Imperatores Graecos, iurisiurandi religione prohibitos esse, ne donum eiusmodi facere cuiquam possent. Illud quaero ab adversario potius, quomodo certe docere possit, coronam illam Graeci operis esse. Tota eius argumentandi ratio est in Imperatorum Graecorum imaginibus, in Graecis litteris ea corona expressis, in vittis denique ex coronae circulo profluentibus, perinde quasi a Graecis litteris in ope-

ribus suis exprimendis, ab Imperatoribus pietatis laude praeclaris referendis Romani abhorruerint, aut vittae non modo in Orientalium, verum etiam in Occidentalium Imperatorum coronis non reperiantur.

Quid vero si certum omnino sit, Occidentales Reges, et Principes corona superius clausa usos esse, prout dissert. 24 ad vitam S. Ludovici Regis, pluribus confirmat Cangius? Quae deinde argumentandi ratio est ex coronae forma, certam eius originem derivare, cum maxima fuerit non modo apud Graecos, verum etiam apud Latinos in diadematibus construendis varietas? Quid deinde si concedatur etiam tantisper adversario certum esse coronam illam graecum opus esse? Num inde sequetur a Graeco Imperatore Hungariae Reges illam accepisse? Tanta videlicet, quam nos indicavimus monumentorum gravissimorum auctoritas id aperte denegantium, et Romani Pontificis munificentiae illam adscribentium, erit repudianda, quod Schwartzius arbitretur coronam illam Graeco artificio conditam fuisse? Quae ars critica id patitur?

Venio iam ad illa, quae Schwartzius obiicit, ut litterarum a Silvestro II ad S. Stephanum scriptarum veritatem impugnet. Quo loco tamen ea breviter refutabo tantum, quae difficultatis alicuius revera speciem afferunt. Cetera enim, quae sunt leviora, et vix speciem difficultatis habent, non est mirum, si pro servanda brevitate omittantur.

Schwartzii tota disputationis ratio est, ut Inchoferum in malae fidei suspicionem adducat, eo quod litteras, quas Inchofer asseruerat in Traguriensis Ecclesiae tabulario an. 1550 ab Antonio Verantio repertas fuisse, eas ibi inventas non esse contendat. Profecto Inchofer in annalibus ad an. 1000 ait: « Antonius Verantius » Dalmata superiori saeculo (id est » decimo sexto) magnae tum doctri- » nae, tum prudentiae laude clarus, » eoque viginti plus legationibus ad » Maximos Principes perfunctus; apud » Ferdinandum demum, et Maximi- » lianum Romanorum Imperatores » ea gratia valens, qua suae digni- » tati Strigoniensem Archiepiscopa- » tum adderet. Hic enimvero cum » in archivio Traguriensis Ecclesiae, » cognoscendis, colligendisque anti- » quitatum monumentis intenderet, » has quoque litteras, forte, anno » saeculi quinquagesimo (scilicet 1550) » offendit; et dignum studii sui prae- » mium in adversaria parte, qua ti- » tulum memorialis praefixerat, ma- » nu sua descripsit. »

Haec, quae ab Inchofero, et a ceteris eruditis viris certissima habentur, quodammodo ridicula Schwartzio videntur, et sibi gravissimum praesto esse arbitratur argumentum, quo falsitatis Inchoferum arguat, ac se a Silvestri II litteris facili negotio expediat. « Neque illud, inquit » Schwartzius, quod in Traguriensi » archivio inventum adseritur, ali- » quo numero habendum est. La- » queum sibi ipse Inchofer induit » affirmans a Verantio descriptum, » non ex tabulario ablatum esse.... » E tabulario autem quoniam abla- » tum non est, Dicam diplomatis pa- » troni eludere nequeunt, quam do- » ctissimus, solertissimusque monu- » mentorum veterum indagator Io- » annes Lucius non sine acerbo acu- » leo Inchofero impegit. Ita vero Lu- » cius... Compertum mihi, et no- » tissimum est, illam quam ipse » refert, Silvestri PP. epistolam an- » no 1000 Stephano duci Hungaro- » rum scriptam, in Archivio Tragu- » riensis Ecclesiae non reperiri, cum » diligentissime a me recensitum fue- » rit, neque in eo ullam antiquiorem » scripturam anno 1185 repererim. »

Rem se effecisse Schwartzius putat Lucii verbis contra Inchoferum adductis, et quod Lucius dicat saeculo ferme post, se in Traguriensi tabulario non invenisse litteras, quas Verantius tanta auctoritate vir saeculo ante invenerat, idcirco falso dici putat illas anno 1550 repertas

fuisse. Sed haec nimis confidenter a Schwartzio pronunciantur. Primum enim nescio, qua de causa verum utrumque esse non possit; et a Verantio anno 1550 illas litteras in Traguriensi Tabulario repertas esse, et illas saeculo fere post a Lucio, eodem in tabulario reperiri non potuisse. Quis ignorat, cuius laboris, cuiusque felicitatis sit, monumentum aliquod vetustum in tabulariis reperire? Neque constat Lucium eadem felicitate, qua Verantius fuit, in re, de qua loquimur, esse debuisse.

Neque Adversarius cuiquam persuadebit umquam, homini adeo gravi se litteras Silvestri II reperisse, et exscripsisse affirmanti fidem denegandam esse, eo quod tanto post Lucius illas non invenerit, praesertim cum auferri deinde ex tabulario illo potuerint, ad cuius Ecclesiae rationes et dignitatem nulla ratione referebantur. Quamquam in hac Schwartzii animadversione certum est nihil esse gravitatis, qui litterarum Silvestri II veritatem, ea, quam diximus, Lucii et Inchoferi testimoniorum non consonantia, in discrimen adduci posse putat. Sunt enim eiusmodi Silvestri litterae, ut legenti illas, ac consideranti ultro demonstrent perspicue ab eo Pontifice prorsus scriptas esse.

Praetereo summam, quae in iis apparet, cum ceteris non modo Silvestri II, verum etiam reliquorum illius aetatis RR. Pontificum scriptionis sententiarumque concordiam. Dicam illud, quod gravissimum est, hanc epistolam cum omnibus huius rei historiae certissimis monumentis convenire. Itaque ea dicitur Romae scripta *VI Kal. Apriles Indictione XIII*, hoc est anno Millesimo. Iam vero Carthuitius narrat num. 10, Legatum, quo Romam adveniente, ea epistola scripta est, a Stephano ad R. Pontificem missum fuisse *quarto post Patris obitum anno*, scilicet Millesimo, cum Geysam anno 997 obiisse Carthuitius ipse retulerit. Praeterea Carthuitius ita de Legatione illa loquitur, iisque verbis rem gestam narrat, ut appareat, Carthuitium ipsum Silvestri litteras legisse.

Deinde scriptae epistolae tempus cum iis convenit, quae Ditmarus ait, illas scilicet exaratas esse Ottone III Imperatore. Convenit tandem cum Stephani ipsius diplomatis litteris, quibus, licet scriptae sint mense ad minus Septembri anno 1001, inscribitur tamen secundus Stephani Regni annus, ratione numerandi ducta videlicet a die 25 Martii an. 1000, qua illi a Silvestro Regia dignitas collata est. Tanta rerum convenientia fingi certe ab Inchofero non potuit, qui plura in annalibus habet, quae non in omnibus his litteris respondent. Neque ii, qui ante Verantium, vel Inchoferum, Silvestri epistolam habuerunt, eam anno 1000 scriptam fuisse de industria confingere potuerunt, ut cum memoratis monumentis conveniret. Ea enim monumenta, ut apposite Stiltingus advertit §. 23 num. 248, « non ita eo » tempore erant cognita, magisque » tunc vigebant errores scriptorum » illorum, qui Benedictum VII Sil- » vestro II substituerant. » Reliquum est igitur, ut toties memoratae Silvestri litterae, prorsus Silvestro sint adscribendae, ac tanta, quae in iis apparet, cum Stephani ipsius aetatis monumentis concordia, gravissimum earundem veritatis argumentum constituat. Haec autem omnia ostendunt, Hungaricae Gentis conversionis laudem Ecclesiae Latinae deberi, et R. Pontificem Silvestrum II regia appellatione, et corona S. Stephanum donasse.

INDEX CAPITUM

PRAEFATIO . . . . . pag. III.

EX SAECULO PRIMO

CAPUT I. *De anno natali Domini Nostri Iesu Christi* . . . . » 1
CAPUT II. *De anno, quo Christus mortuus est* . . . . . » 9
CAPUT III. *De christianae Religionis propagatione primis Ecclesiae temporibus* . . . . . » 13
CAPUT IV. *De persequutione in christianos a Nerone excitata.* . » 16
CAPUT V. *De persequutione a Domitiano in christianos commota.* » 22
CAPUT VI. *De D. Petri Apostolorum Principis Romam adventu* . » 25
CAPUT VII. *De Romano D. Petri Episcopatu.* . . . . . » 28
CAPUT VIII. *De RR. Pontificibus D. Petri proximis successoribus.* » 32
CAPUT IX. *De Simone Mago et Gnosticis.* . . . . . » 34

EX SAECULO SECUNDO

CAPUT X. *De persequutione, quam sub Traiano Imperatore christiani passi sunt* . . . . . » 36
CAPUT XI. *De persequutione christianorum sub Hadriano Imperatore* . . . . . » 38
CAPUT XII. *De persequutione christianorum tempore Antonini Pii Imperatoris.* . . . . . » 40
CAPUT XIII. *De persequutione christianorum sub Marco Aurelio Imperatore.* . . . . . » 41
CAPUT XIV. *De Legione Melitinensi in exercitu Marci Aurelii bellum contra Quados et Marcomannos gerentis* . . . . . » 42
CAPUT XV. *De Arcani disciplinae antiquitate* . . . . . » 46
CAPUT XVI. *De materia Arcano subiecta.* . . . . . » 51
CAPUT XVII. *De Arcani disciplinae utilitate.* . . . . . » 53
CAPUT XVIII. *De argumento ex Arcani disciplina desumpto ad confirmandam catholicam doctrinam de SS. Eucharistiae sacramento* . . . . . » 55
CAPUT XIX. *De controversia circa Paschatis celebrationem.* . . » 57
CAPUT XX. *Quid iudicandum sit de Victoris I Romani Pontificis agendi ratione in controversia de Paschatis celebratione.* . » 59
CAPUT XXI. *De haeresibus, quae saeculo secundo Ecclesiam perturbarunt* . . . . . » 63

EX SAECULO TERTIO

CAPUT XXII. *De persequutione, quam sub Septimio Severo Imperatore christiani pertulerunt* . . . . . » 65

CAPUT XXIII. *De controversia num Alexander Severus Imperator christianus fuerit* . . . . . pag. 67
CAPUT XXIV. *De persequutione a Maximino Imperatore contra christianos commota* . . . . . » 70
CAPUT XXV. *De Decii Imperatoris persequutione contra christianos.* 71
CAPUT XXVI. *De persequutione sub Valeriano Imperatore a christianis tolerata.* . . . . . » 72
CAPUT XXVII. *De controversia christianos in persequutione lapsos respiciente* . . . . . » 75
CAPUT XXVIII. *De veritate controversiae saeculo tertio excitatae circa iterandum baptismum ab Haereticis collatum* . . . . . » 80
CAPUT XXIX. *De Stephani I Romani Pontificis sententia circa virtutem baptismi ab Haereticis collati, et de Cypriani agendi ratione in ea causa* . . . . . » 91
CAPUT XXX. *De Synodo Antiochena, in qua Paullus Samosatenus condemnatus est* . . . . . » 96
CAPUT XXXI. *De Haereticis, qui saeculo tertio Ecclesiam perturbarunt, et de Novatiano schismate* . . . . . » 102
CAPUT XXXII. *De Poenitentia canonica* . . . . . » 106
CAPUT XXXIII. *De sacrorum rituum institutione, et de templis veterum Christianorum* . . . . . » 109

EX SAECULO QUARTO

CAPUT XXXIV. *De Imperii Romani statu saeculo Ecclesiae quarto ineunte* . . . . . » 117
CAPUT XXXV. *De Diocletianea persequutione.* . . . . . » 121
CAPUT XXXVI. *De Imperatoris Iuliani Apostatae conatibus adversus christianam religionem, et de tentata ab eo templi Hierosolymitani restitutione* . . . . . » 128
CAPUT XXXVII. *De signo Crucis, quod Imperatori Constantino in caelo obiectum est.* . . . . . » 133
CAPUT XXXVIII. *De christiana Religione a Constantino suscepta.* » 137
CAPUT XXXIX. *De schismate Donatistarum* . . . . . » 141
CAPUT XL. *De Melchiadis Romani Pontificis iudicio in causa Donatistarum.* . . . . . » 146
CAPUT XLI. *De Ariana haeresi* . . . . . » 153
CAPUT XLII. *De Concilio Generali Nicaeno I.* . . . . . » 156
CAPUT XLIII. *De Synodo Sardicensi Generali* . . . . . » 162
CAPUT XLIV. *De Liberii Romani Pontificis exilio, et ad Urbem reditu.* . . . . . » 167
CAPUT XLV. *De Liberii Rom. Pontificis constantia in catholica fide.* » 172
CAPUT XLVI. *De Concilio Ariminensi* . . . . . » 180
CAPUT XLVII. *De Felicis II Pontificatu* . . . . . » 186
CAPUT XLVIII. *De concilio Constantinopolitano Generali II* . . » 190
CAPUT XLIX. *De Nectario Episcopo Constantinopolitano* . . . » 193

EX SAECULO QUINTO

CAPUT L. *De S. Ioannis Chrysostomi ad S. Innocentium I Pontificem Maximum appellatione* . . . . . pag. 198
CAPUT LI. *De Haeresi Pelagiana* . . . . . » 202
CAPUT LII. *De Apiarii Presbyteri dioecesis Siccensis in Africa ad Zosimum Pontificem appellatione* . . . . . » 209
CAPUT LIII. *De Africanorum Episcoporum sententia, et agendi ratione in Apiarii Presbyteri causa.* . . . . . » 211
CAPUT LIV. *De haeresi Nestoriana, deque concilii Ephesini Generalis celebratione in ea causa* . . . . . » 215
CAPUT LV. *De Caelestini I Romani Pontificis sententia in Nestoriana causa* . . . . . » 217
CAPUT LVI. *De Haeresi Eutychiana, et Concilii Chalcedonensis Generalis celebratione.* . . . . . » 221
CAPUT LVII. *De S. Leonis Magni Pontificis Maximi epistola dogmatica ad S. Flavianum Episcopum Constantinopolitanum de Incarnationis mysterio* . . . . . » 223
CAPUT LVIII. *De Acaciano schismate, et conciliis in ea causa Romae habitis.* . . . . . » 230

EX SAECULO SEXTO

CAPUT LIX. *De Symmacho Pontifice, et Concilio Palmari* . . . » 235
CAPUT LX. *De Hormisdae Pontificatu, et Monachorum Scythiae causa.* . . . . . » 239
CAPUT LXI. *De Synodo Arausicana II et Valentina III contra Semipelagianos* . . . . . » 244
CAPUT LXII. *De Vigilii Pontificatu, et de controversia ob trium Capitulorum condemnationem* . . . . . » 248
CAPUT LXIII. *De trium Capitulorum condemnationis causa, et Concilii V cum IV convenientia.* . . . . . » 253
CAPUT LXIV. *De decreto Concilii V in Theodori Mopsuesteni causa.* » 258
CAPUT LXV. *De Vigilii Pontificis agendi ratione in pertractanda controversia trium Capitulorum* . . . . . » 260
CAPUT LXVI. *De S. Gregorio Magno Pontifice* . . . . . » 262

EX SAECULO SEPTIMO

CAPUT LXVII. *De Sabiniano Pontifice, et RR. Pontificum electione iis temporibus.* . . . . . » 286
CAPUT LXVIII. *De Mohammedana superstitione.* . . . . . » 292
CAPUT LXIX. *De Honorii I Pontificatu, et causa* . . . . . » 296
CAPUT LXX. *De Haeresi Monothelitarum.* . . . . . » 310
CAPUT LXXI. *De Concilio sexto Generali.* . . . . . » 317
CAPUT LXXII. *De Synodo Trullana, seu Quinisexta* . . . . . » 323

EX SAECULO OCTAVO

CAPUT LXXIII. *De Haeresi Iconoclastarum* . . . . . pag. 328
CAPUT LXXIV. *De Concilii VII Generalis ad sacras Imagines restituendas celebratione.* . . . . . » 335
CAPUT LXXV. *De litteris Hadriani I Rom. Pontificis contra haeresim Iconoclasticam in synodo VII recitatis* . . . . . » 338
CAPUT LXXVI. *De iis, quae post absolutam septimam synodum Generalem, circa controversiam de sacris imaginibus evenerunt.* » 341
CAPUT LXXVII. *De Religionis propagatione in Germania* . . . » 350
CAPUT LXXVIII. *De Felice Urgellitano Episcopo, et Elipando Archiepiscopo Toletano* . . . . . » 355
CAPUT LXXIX. *De Romano Patriciatu, quem Romani Pontifices saeculo octavo Galliarum Principibus contulerunt* . . . . . » 359
CAPUT LXXX. *De Carolo Magno.* . . . . . » 365

EX SAECULO NONO

CAPUT LXXXI. *De Immediata Benedicti III post Leonem IV in serie Romanorum Pontificum successione* . . . . . » 367
CAPUT LXXXII. *De Photiano schismate* . . . . . » 371
CAPUT LXXXIII. *De Synodo VIII Generali contra Photianum schisma Hadriani II Romani Pontificis auctoritate celebrata.* . » 376
CAPUT LXXXIV. *De vocis* Filioque *additione, quae symbolo Constantinopolitano facta est* . . . . . » 384
CAPUT LXXXV. *De Photii restitutione, et de ceteris, quae deinde in eiusdem causa evenerunt* . . . . . » 389
CAPUT LXXXVI. *De collectione epistolarum Decretalium veterum Romanorum Pontificum Isidori Mercatoris.* . . . . . » 395

EX SAECULO DECIMO

CAPUT LXXXVII. *De saeculi decimi statu* . . . . . » 399
CAPUT LXXXVIII. *De Ioannis XII Pontificis causa* . . . . . » 402
CAPUT LXXXIX. *De sacro ritu Sanctos canonizandi* . . . . . » 404
CAPUT XC. *De Religionis Christianae propagatione in Hungaria, et de iis, quae factum hoc respiciunt* . . . . . » 407

REIMPRIMATUR
Fr. Raph. Arch. Salini O. P. S. P. A. Mag. Soc.

REIMPRIMATUR
Iosephus Angelini Archiep. Corinth. Vicesgerens.

PRAELECTIONES
HISTORIAE ECCLESIASTICAE

QUAS IN UNIVERSITATE ROMANA

HABUIT

IOANNES BAPTISTA PALMA

PRESBYTER ROMANUS

HISTORIAE ECCLESIASTICAE PROFESSOR

TOMUS II.

Continens praecipua Historiae Ecclesiasticae capita

a saeculo XI ad XVI.

EDITIO V EMENDATIOR

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. C. DE PROPAGANDA FIDE

MDCCCLXXV.

PRAELECTIONES

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

EX SAECULO UNDECIMO

CAPUT I.

DE ECCLESIAE STATU SAECULO UNDECIMO.

Obtinuit passim apud Ecclesiae Catholicae inimicos, qui de rebus ad eiusdem historiam pertinentibus scripserunt, ut saeculum Ecclesiae undecimum *Hildebrandinum* appellarent. Atque ista quidem appellatio non ad Pontificis celeberrimi praeclaras res gestas, quae eo saeculo continentur, significandas, huic aetati tributa est; sed ut invidiam S. Gregorio VII conflarent, qui antequam Pontificatum susciperet, Hildebrandus appellabatur. Eo scilicet consilio, veluti si a sanctissimo ceteroquin viro, et de Ecclesia, ac civili Republica optime merito, infaustum aliquid, atque ita miserum fuerit gestum, ut ab ea calamitate, nomen suum peculiare, ac proprium aetas illa derivare debuerit. Quis vero id non intelligat, quando videat eiusmodi scriptores, Guillelmum ex. gr. Caveum in *Historia Ecclesiasticorun Scriptorum Litteraria* eodem modo *Hildebrandinum* saeculum undecimum appellare, quo modo *Gnosticum, Novatianum, Arianum, Nestorianum, Eutychianum, Monotheliticum, Photianum* etc. reliqua Ecclesiae saecula nominarunt? Perinde quasi res ab Hildebrando gestae, ea ratione debeant, aut possint computari, qua factum est, ut ad significandas calamitates, a Gnosticis, a Novatiano, ab Ario, Nestorio, Photio, ceterisque huius generis hominibus Ecclesiae allatas, possent vetera illa saecula ab eorum nominibus appellari.

Atqui testis temporum, nuntia veritatis historia est. Quare, facta breviter illius aetatis, qua Gregorius VII vixit, recordatione, facile ostenditur, universa temporum illorum monumenta, ad ornandam, ac celebrandam Pontificis memoriam pertinere omnino debere.

Nihil fortasse clarius in historia continetur, quam luctuosum imprimis, ac lugendum eo tempore fuisse Ecclesiae, ac Reipublicae statum. Nam in grave discrimen adducta erat ea libertas, quae Ecclesiae propria est, cum illa vehementer investituris, quas Principes saeculares in Episcopis, Abbatibus, aliisque Ecclesiae sacerdotibus eligendis conferebant, manifeste violaretur. Gravissime praeterea vexabatur Ecclesia labe simoniaca, cum ad dignitates sibi comparandas, praesertim ob impositum onus investituras impetrandi, omnis simoniaca pravitas impune adhiberetur. In communi deinde morum depravatione, Ecclesiasticus ipse ordo magnum detrimentum acceperat, cum veteris disciplinae sanctitate dimissa, a vitae licentia clerus non abhorreret. Eo ipso tempore evenerat, ut haeresis nefaria, quae traditam a Christo, et perpetuo in Ecclesia servatam de Eucharistiae sacramento doctrinam impugnaret. Imminebant denique toti Europae

Saraceni, ac Turcae, atque ii crudelitate, et impietate sua non civili Reipublicae modo, sed Ecclesiae etiam perniciem minitabantur.

In tantis hisce periculis, in gravissimis istis Ecclesiae perturbationibus, Hildebrandus antea, tum Gregorius VII summa semper virtute versatus est. Ita vero res ab eo gesta fuit, ut Ecclesiae libertas fuerit asserta, simoniaca labes penitus profligata, Disciplinae Ecclesiasticae sanctitas antiquae severitati restituta, atque ea primum iniri coeperint consilia, quae ad Europam a vastitate, et servitute barbarorum liberandam deinde ab Urbano II absoluta sunt.

Haec plurimum Gregorio VII sunt gloriosa. Sed illud etiam pensandum est, quantis laboribus, quibus aerumnis toleratis, potuerit Pontifex ista negotia feliciter gerere; ac de morum depravatione, de hominum ambitiosorum scelere, ac de potestate adversariorum triumphare. Testimonium huius rei perspicuum afferunt litterae a Gregorio scriptae; Concilia toties eius auctoritate celebrata; turbulenta Schismaticorum audacia, qui conati sunt Gregorium Pontificatu spoliare, eique alium Pontificem sufficere; itinera religionis causa a Gregorio suscepta; exilium denique, in quo, ut graviora pericula declinaret, aliquandiu fuit, et sanctissime mortuus est. Sunt haec certe notiora, quam ut necesse sit adductis monumentis illa confirmare. In his vero omnibus Pontifex, fortitudinis singularis, atque eximiae constantiae exemplo tantopere resplenduit, ut statui iure possit, aetatis, de qua loquimur, historiam, plenam argumentis esse, quae ad Pontificis memoriam magna laudis celebratione prosequendam prorsus pertineant.

Neque potestatis suae limites praetergressum esse Gregorium VII affirmari sine calumnia potest. Ille quidem tamquam legitimus D. Petri Successor, pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam, a Domino Nostro Iesu Christo traditam potestatem obtinebat. Vidit vero vir propositi fortissimus, talia esse Ecclesiae tempora, ut nisi summam animi virtutem, ac firmitatem in rebus gerendis adhibuisset, tantae malorum copiae mederi ipse non posset. Ideo factum est, ut in implendo Apostolicae sollicitudinis munere, remittendum a proposito numquam esse iudicaverit, nisi illa de medio sustulisset, quae summum Ecclesiasticae libertati, ac disciplinae, morumque sanctitati impedimentum afferebant. Talem denique se Pontificem Gregorius VII perpetuo exhibuit, qualem difficillima Ecclesiae tempora, ac pergravia Religionis pericula requirebant.

Haec quae recensuimus, Religionem ipsam intimius respiciunt, sed sunt ea quoque in Gregorii laudibus ponenda, quae ille pro civilis etiam Reipublicae bono agere meditabatur, quae tamen, una simul, Religionis incolumitati prospiciebant. Tale est, ut cetera omittam, id, quod superius commemoravi de consilio, quod iniverat, ad expeditionem contra Saracenos, et Turcas comparandam. Exstant eius litterae de hac re scriptae ad Christianos omnes an. 1074 lib. I ep. 49, in quibus, post relatam imperii Constantinopolitani imminentem ruinam, ac Christianorum magnam cladem factam a Saracenis, « Scitote, inquit, nos in misericordia » Dei, et in potentia virtutis eius » confisos, omnibus modis, id agere, » atque parare, ut adiutorium chri- » stiano imperio, quam citius Deo » iuvante faciamus. Unde vos per fi- » dem, in qua per Christum in ado- » ptionem filiorum Dei uniti estis, » obsecramus, et auctoritate B. Pe- » tri Apostolorum Principis admo- » nemus, ut et vos vulnera, et san- » guis fratrum, et periculum prae- » fati imperii digna compassione, » moveat, et vestra virtute pro » christiano nomine, non invitam » fatigationem ad ferenda fratribus » auxilia subeat. » Tanta vero erat animi fortitudine Gregorius, ut ipse

quoque Constantinopolim ad opem Christianis ferendam proficisci voluisse videatur. Ita ex verbis epistolae Gregorii ad Guillelmum Borgundiae Comitem colligitur in adnotatione pag. 385 cap. 6 tom. 1 operis inscripti *Histoire du Pape Gregoire VII, et de son siècle par J. Voigt*, quod opus Gallice redditum anno 1838 cl. Iagerius Parisiis edidit, et valde erudita introductione atque adnotationibus illustravit. Inquit enim in ea epistola Gregorius: « Speramus etiam, ut pacatis Nor» mannis, transeamus Constantino» polim in adiutorium Christiano» rum. »

Omitto, quae Moshemius in Institutionibus Hist. Ecclesiasticae saeculi XI parte 2 cap. 2, in perlonga ei loco subiecta adnotatione congessit testimonia, ut persuaderet, Gregorium VII sibi in universa Christianorum Principum Regna dominatum acquirere conatum esse. Praetereo, quae de rebus ab eo gestis, durante dissidio Pontificem inter et Henricum IV Germaniae Regem excitato, deque Henrico ipso Regno spoliato, conquesti sunt toties Gregorii inimici. Nam, quae Baronius antea in Annalibus, Ioannes Antonius Bianchius Ord. Min. Obs. tom. I lib. 2 *De Ecclesiae potestate, et politia,* aliique posterioribus temporibus de his rebus scripserunt, satis aperte ab omni ambitionis, superbiae, et dominandi cupiditate Pontificem defenderunt. Recentiori autem memoria fuse, ac manifeste Pontificis memoriam, ac virtutem ab his accusationibus propugnarunt, tum memorata superius Voigtii historiam, tu Iagerii ad eam historiam *introductio,* tum denique opus Parisiis anno 1839 editum a Cl. Gosselinio Seminarii S. Sulpicii Moderatore, quod inscribitur: *Pouvoir du Pape sur les Souverains au Moyen Age, ou Recherches Historiques sur le Droit Public de cette Epoque relativement a la Déposition des Princes.*

Nos interea dum de investiturarum collatione a Gregorio VII prohibita, de Ecclesiastici caelibatus propugnatione ab eo constanter peracta, deque haeresi Berengarii sermonem instituimus, propositam nobis de praecipuis Historiae Ecclesiasticae capitibus pertractationem prosequemur, atque eodem tempore, quanta Pontificis in Ecclesiam merita fuerint, referemus.

Ex iis vero illud etiam inter cetera apparebit, quam inique, et insipienter Potterius tom. 5 *De l'Esprit de l'Eglise* etc. parte 2 lib. II pag. 372 in adnotatione eidem paginae subiecta affirmaverit, Gregorium consulturum multo melius fuisse aestimationi sanctitatis suae apud posteros, si eo tantum spectasset, ut doctus, et virtute praeditus monachus esset. Hoc enim nonnisi a Pontificis illius inimicis et vere iniuste pronuntiari potest. Nam certum est Gregorium VII non modo ob privatas virtutes, quibus praestabat, sanctitatis laudem consequutum esse, ac meritum fuisse, ut inter Sanctos illum Ecclesia veneretur, sed etiam rebus pro Religione gestis, et ob publica Ecclesiae negotia, summa virtute, ac fortitudine administrata singularem nominis celebritatem, ac summum illum honorem sibi comparasse.

CAPUT II.

DE CONTROVERSIA OB INVESTITURAS EXCITATA.

Gravissimam saeculo XI pertractatam esse controversiam, Sedem Apostolicam inter, et Germaniae praesertim Principes, quae de Investituris appellari solet, notissimum omnibus est. Praecipua referenda esse arbitror, quae ad eiusdem controversiae historiam pertinent. Id

enim plurimum confert, ut quale hoc negotium fuerit, et quantae gravitatis esset, intelligatur.

Primum breviter est commemorandum, qua ex re Investituras conferendi consuetudo deducenda sit. Videlicet cum Episcopi, et Abbates, in Germania praesertim, non modo praedia, et silvas, sed castella etiam, et urbes possiderent, quae imperii partem constituebant, aequum erat, ut cum illi in iis locis dominari incipiebant, Imperatorem adirent, qui Imperii caput erat, atque ab eo dominium in illas regiones impetrarent. Hoc, quod ab initio videbatur prorsus aequitati consentaneum, ita deinde immutatum est, ut Ecclesiae valde noxium evaserit.

Nam Principes ii praeceperunt, ut mortui cuiusque Episcopi, et Abbatis baculus pastoralis, et annulus ad eos deferrentur. Haec vero sacrae potestatis insignia illis in posterum tradebant, qui Principi magis placebant, atque ii continuo Episcopi, et Abbates creati existimabantur. Haec autem Principum agendi ratio efficiebat, ut sublata Cleri, et Monachorum legitima electione, tota eligendorum Abbatum, et Episcoporum potestas ad Imperatorem delata censeretur; ut Episcopatus, atque Abbatiae turpissimo quaestu vendi quodammodo solerent; ut, quemadmodum maxime positum erat in eorum temporum communi opinione, per sacrae potestatis insignia, quae Principes tradebant, ipsa sacra auctoritas a Principibus tradi existimaretur. Haec cum diu perferri non possent sine Ecclesiasticae libertatis, et Religionis permagno detrimento, Romani Pontifices auctoritate sua, impedienda, ac penitus tollenda iudicaverunt.

Huius controversiae hanc originem iustissimam fuisse illorum temporum monumenta ostendunt. Ista refert Guillelmus Metropolita Tyrionum in Sac. belli historia l. I c. 13, qui ita rem narrat: « Inoleverat consuetudo » praesertim in Imperio, quod, de» fungentibus Ecclesiarum Praelatis, » annulus, et virga pastoralis ad Do» minum Imperatorem dirigebantur. » Unde postmodum unum quemlibet » de familiaribus, et capellanis suis » investiens, ad Ecclesiam vacantem » dirigebat, ut ibi Pastoris fungere» tur officio, non exspectata cleri ele» ctione. » Consonat in vita S. Othonis Bambergensis Episcopi Ebbo, qui in Henrici IV aula vixit, l. I §§. 8, et 9 in actis Sanctorum mensis Iulii tom. 1 p. 426 qui ait: « Hoc tempore » Ecclesia liberam electionem non » habebat; sed cum quilibet Antistes » viam universae carnis ingressus » fuisset, mox Capitanei civitatis il» lius annulum, et virgam pastora» lem ad palatium transmittebant; » sicque Regia auctoritas, communi» cato cum aulicis consilio, orbatae » plebi idoneum constituebat prae» sulem. »

Cum res igitur eo essent adductae, Gregorius VII, « contra omnem, ait » idem Guillelmus Tyrius, fieri ho» nestatem considerans, et iura in » eo facto conculcari Ecclesiastica » perpendens, semel, ac tertio eun» dem Imperatorem (Henricum ni» mirum Germaniae Regem IV) com» monuit, ut a tam detestabili desi» steret praesumptione, quem prae» ceptis salutaribus commonitum, » cum revocare non posset, vinculo » anathematis innodavit. »

Gregorii VII decretum refert Hugo Laviniacensis Abbas in chronico Virdunensi tom. 1 Bibliothecae Novae manuscriptorum P. Labbei, quod decretum in secunda Romana Synodo editum est. « Siquis deinceps Epi» scopatum, vel Abbatiam de manu » alicuius laicae personae susceperit, » nullatenus inter Episcopos, vel Ab» bates habeatur; nec ulla ei, ut Epi» scopo, vel Abbati audientia conce» datur. Insuper ei gratiam B. Pe» tri, et introitum Ecclesiae inter» dicimus quoad usque locum, quem » sub crimine tam ambitionis, quam » inobedientiae, quod est scelus ido» lolatriae, cepit, deseruerit ... Item

» si quis Imperatorum, Ducum, Mar-
» chionum, Comitum investituram
» Episcopatus, vel alicuius Ecclesiae
» dignitatis dare praesumpserit, eius-
» dem sententiae vinculo se adstri-
» ctum sciat. »

Hanc vero sententiam in Synodo Romana V sub excommunicationis poena, et in Synodo Romana VII iisdem paene verbis, ac super ab Hugone relatis, confirmavit Gregorius.

Victor III in Synodo Beneventana anni 1087 investituras condemnavit usus verbis primi decreti Gregorii VII, quod Victoris decretum his verbis absolvitur: « Cum huiusmodi
» igitur Episcopis, Abbatibus, aut
» Clericis reliquis qui communicat,
» vel orat, vel ipsorum audit missas,
» una excommunicationis sententia
» plectitur; quia nec Sacerdotes qui-
» dem recte putari possunt. » Urbanus II tam in Concilio Melphitano, quam in C. Claromontano, Decessorum suorum Gregorii, et Victoris decreta confirmavit.

Tot ista Sedis Apostolicae, et Conciliorum decreta Principes minime flectebant. Tunc Pontifex Paschalis II cum Henrici V Imperatoris Legatis convenerat, ut Imperator Investituram omnem dimitteret, Episcopi vero, et Abbates Regalia omnia Imperatori restituerent. Sed ea conventio ad effectum perducta non est. In posterum vero illa evenerunt, quae in Paschalis II Pontificatus historia constant, molestiis scilicet adductum Pontificem, cum statuisset, ut omnis simoniaca labes tolleretur, et electio Episcoporum, atque Abbatum, a Clero, et Monachis legitime fieret, concessisse Imperatori, ut per annulum, et baculum investituram conferret. Hoc Pontificis decretum, in quo tamen Ecclesiae libertati prospiciebatur, magnam attulerat offensionem, qua Paschalis II ipse commotus, in Conciliis anno 1112 et 1116 habitis, illud revocavit.

Gravissimae turbae ob hanc revocationem sunt excitatae. Quare in conventu Vormatiensi Callistum II Romanum Pontificem inter et Henricum V Germaniae Regem Imperatorem, celeberrima edita est conventio, quae his verbis constat: « Ego
» Henricus Dei gratia Romanorum
» Imperator Augustus, pro amore
» Dei, et S. R. Ecclesiae, et D. Pa-
» pae Callisti, et pro remedio ani-
» mae meae, dimitto Deo, et Sanctis
» eius Apostolis Petro et Paullo, ac
» S. Catholicae Ecclesiae omnem in-
» vestituram per annulum et bacu-
» lum, et concedo in omnibus Eccle-
» siis fieri electionem, et liberam
» consecrationem: possessiones, et
» regalia B. Petri quae a principio
» huius discordiae usque ad hodier-
» nam diem ablata sunt, quae habeo,
» eidem S. R. Ecclesiae restituo; quae
» autem non habeo, ut restituantur
» fideliter iuvabo. » Haec Imperator spondebat, quae certe Ecclesiae causam, libertatem electionum, et iura Sedis Apostolicae in pristinum restituebant. Pontifex vero in eadem conventione ista affirmabat: « Ego Cal-
» listus Servus Servorum Dei tibi
» dilecto Filio Henrico Dei gratia
» Romanorum Imperatori concedo,
» electiones Episcoporum et Abba-
» tum Teutonici Regni, quae ad Re-
» gnum pertinent, in praesentia tua
» fieri absque simonia, et aliqua vio-
» lentia, ut si qua inter partes dis-
» cordia emerserit, Metropolitani,
» et Provincialium consilio, vel iu-
» dicio, saniori parti assensum, et
» auxilium praebeas. Electus autem,
» regalia per Sceptrum a te recipiat,
» exceptis omnibus, quae ad Roma-
» nam Ecclesiam pertinere noscun-
» tur, et quae ex his iure tibi debet,
» faciat. Ex aliis vero partibus Im-
» perii consecratus, infra sex menses
» regalia per sceptrum a te recipiat. »

Quae Callistus in memorata conventione statuit, ea deinde in Concilio etiam I Lateranensi Generali sancita sunt. Plura alia possent hanc historiam respicientia referri. Ea tamen, quae hactenus significavimus, ad percipiendam controversiae naturam satis abunde sufficiunt.

Illud tamen omitti non potest, haec, quae breviter relata sunt, aperte demonstrare, de Romanis Pontificibus, ac praecipue de Callisto II detraxisse Auctores operis inscripti *L'Art de vérifier les dates,* cum in Henrici V Imperatoris vita, irrisoria, ut ita dicam, ratione, affirmarunt, tantae huius, et tanto animorum motu pertractatae controversiae hunc exitum solummodo fuisse, ut Imperator non obtorto superius, sed recto penitus baculo investituras conferret, investituras tamen, quod ad rei summam spectat, in posterum etiam fuisse collatas, et Pontificem ex memorata conventione nihil boni consequutum esse. Quae enim retulimus, et quae continentur in pactis Callistum II inter ac Henricum V initis, ostendunt non de baculi forma tantum, sed de Ecclesiae libertate defendenda, ac de simonia propulsanda, in conventione actum fuisse. Si vero promissis in posterum principes non steterunt, hoc non Pontificem male negotium gessisse, sed fidem datam non servatam esse, tantummodo evincit.

Non est denique hic penitus praetereundum, quod Leopoldus Rankius habet in *Histoire de la Papauté pendant le seixieme, et dix septieme siècle* etc. lib. I cap. I §. 3 pag. 50 Paris 1838. Is de Gregorio VII loquens affirmat, Pontificem investituras vetando, totius imperii formam, vel, ut aiunt, constitutionem evertere molitum esse. Nam inquit, imperii formam in temporalium, ac spiritualium institutionum coniunctione tunc positam fuisse, qua coniunctione per investiturae prohibitionem sublata, ipsum imperium turbari, atque everti necesse erat.

Nescio autem, an aliquid hac assertione magis absurdum affirmari possit. Controversia enim de investituris inter Henricum IV et Gregorium VII excitata est non ob eam rationem, qua primitus conferri investiturae solebant, qua ratione aequum erat conferri investituras; sed excitata eo tempore controversia est, quia ob investiturae collationem, Ecclesiae libertas violaretur, beneficia venderentur, homines indigni ea consequerentur, potestas sacra a laicis principibus tribui existimaretur, Princeps denique nollet meliora inire consilia, et Pontifici obtemperare recusaret. Falsum est vero imperii formam cum eiusmodi investiturae conferendae ratione fuisse necessario coniunctam. Hanc imperii formam sine libertatis Ecclesiae violatione, sine simoniacae pravitatis tutela, sine hominum indignorum ad amplissimos Ecclesiae gradus promotione non potuisse consistere, adeo absurdum est, ut confutatione id prorsus non indigeat. Praeter superius memoratos scriptores legi possunt de hac investituras respiciente controversia Thomassinius tom. II lib. II de *disciplina Ecclesiae circa beneficia,* doctissimus Cardinalis Norisius *in historia Investiturarum,* Christ. Lupus *in scholiis, et dissert.* ad Conc. tom. 6, Natalis Alexander dissert. 4 in saec. XI.

CAPUT III.

DE ROMANORUM PONTIFICUM AGENDI RATIONE IN CONTROVERSIA DE INVESTITURIS.

Cum ea retulerimus, quae satis sunt ad controversiae de Investituris naturam gravitatemque demonstrandam, rei nunc ipsius ratio requirit, ut de Romanorum Pontificum in eo negotio decretorum iustitia, sapientiaque breviter pertractemus. Id autem eo spectabit, ut ostendatur etiam in ea re Sedem Apostolicam, iure legitimeque Religionis causam defendisse.

Itaque contendimus Romanos Pontifices Investituris ea ratione collatis, qua solebant iis temporibus a Principibus conferri, iure, sapienterque restitisse. Profecto quae superius ex huius controversiae historia retulimus, manifeste ostendunt, iure hoc actum a Romanis Pontificibus fuisse. Etenim ad Pontificem Maximum pertinebat consulere, ne Ecclesia detrimentum illud diutius perferret, quod harum investiturarum causa iamdiu tolerabat.

Nam primo Romani Pontificis proprium erat Ecclesiasticam libertatem vindicare. Ea vero libertas violabatur omnino in gravissimo negotio, quale erat Episcoporum et Abbatum electio, cum illa Principum saecularium arbitratu fieret. Praeterea Sedis Apostolicae imprimis erat videre, ne diutius Simoniaca labes impune Ecclesiam vexaret. Consuetudo autem, quae obtinuerat, ut saeculares Principes, memorata ratione investituras conferrent, talis erat, ut simoniaco prorsus modo, Episcopatus, Abbatiae, et maiora Ecclesiae beneficia tribuerentur. Ad Romanum denique Pontificem imprimis spectabat, ut prospiceret, ne Episcopatus, aliaque praecipua Ecclesiae munera, vel officia, hominibus gerenda committerentur, qui non modo non idonei erant ad eiusmodi munia obeunda, sed indigni penitus apparebant, qui gradus amplissimos, cum publica utilitate omnino coniunctos consequerentur. Consuetudo vero, quae inducta erat, investituras ratione iam significata conferendi, talis erat, ut vel minime idonei, vel indigni penitus homines, Episcopatus, Abbatias, aliaque officia publica obtinerent. Etenim in investituris conferendis, non quis virtute, doctrina, rerum gerendarum peritia praestaret, quaerebatur, sed quis maiorem argenti copiam ad beneficia consequenda protulisset. Manifestum est ergo, Romanos Pontifices iure egisse, cum his investituris restiterunt.

His addendum est, insignia, quibus Principes utebantur in investitura tribuenda, talia fuisse, ut habita ratione communis illorum temporum aestimationis, sacra ipsa, et spiritualis potestas a Principibus conferri existimaretur. Quis vero non intelligat, Romanos Pontifices, pro sua, quam, gerunt totius Ecclesiae procurandae sollicitudine, operam adhibere debuisse, ut indecora, et Ecclesiasticae potestatis originis offensiva agendi ratio tolleretur?

Haec, quae cursim attigimus, monumentis illorum temporum possunt confirmari. Nam quod pertinet ad canonicas electiones, eas reiectas fuisse docent Guillelmus Tyrius et Ebbo, idque pluribus aliis coaevorum documentis ostendi posset. Referemus tantum verba S. Anselmi Lucensis Episcopi, qui ea aetate vivebat, quique lib. I sic Antipapam Guibertum alloquitur: « Vos Ecclesiae » Catholicae, quam invasistis, per to- » tum regnum membra distrahitis, » et in servitutem redacta quasi vile » mancipium in dominium vestrum » redigitis, et divini iuris libertatem » vestro obsequio mancipatis dicen- » tes, omnia Imperatoris iuri esse » subiecta Episcopatus, Abbatias, » omnes omnino Dei Ecclesias; cum » Dominus dicat Ecclesiam meam, » columbam meam, oves meas. »

Ad Simoniam vero quod attinet, qua labe infectas eiusmodi investituras fuisse significavimus, id inter ceteros, docet idem Anselmus loco mox citato. « Rex tuus, ait, sine in- » termissione vendit Episcopatus, e- » dicta proponens, ut nullus habea- » tur Episcopus, qui a Clero electus, » vel a populo fuerit expetitus, » nisi praecesserit honor regius, quasi » ipse sit huius ostii ostiarius. » Et infra: « In parte tua quis prae- » ficitur, nisi quem, aut gratia ex- » hausto fenore, vel munus a manu, » vel munus a lingua, vel munus ab » obsequio attraxerit? » Plura alia id comprobantia monumenta doctissimus Cardinalis Norisius affert in opere superius laudato cap. III.

Quod vero per Canonicarum electionum contemptum, et per sacrae dignitatis insignia, viderentur Principes sacram ipsam tradere auctoritatem, animadvertit Humbertus, qui ante controversiam Gregorii cum Henrico scripsit, l. 3 contra Simoniacos c. 6. « Quid ad laicas, inquit, » pertinet personas, Sacramenta Ec» clesiastica, et Pontificalem, seu » Pastoralem gratiam distribuere, » camyros scilicet baculos, et annu» los, quibus praecipue perficitur, » militat, et innititur tota Episco» palis consecratio? Equidem in ca» myris (id est incurvis, et leviter a » summo inflexis) baculis... designa» tur, quae eis committitur cura » pastoralis... Porro annulus signa» culum Secretorum caelestium in» dicat, monens praedicatores, ut » secretam Dei sapientiam cum Apo» stolo designent. Quicumque ergo » his duobus aliquem initiant, pro» culdubio omnem pastoralem aucto» ritatem hoc praesumendo sibi vin» dicant. »

Et apposite quidem de ea re Moshemius animadvertit in Inst. Hist. Eccl. saec. XI parte 2 cap. II in adnotatione ad pag. 14 de Investituris, in qua post allatum Humberti testimonium haec subdit: « Neque stulta » haec est ratio, si non ex nostris, » sed ex saeculi opinionibus aesti» metur; quo quidem baculus, et an» nulus notae rerum sacrarum erant, » et is qui has notas tradebat, ipsam » cum illis sacram potestatem tra». dere putabatur. »

Est autem perspicuum, haec prorsus vere ab iis Scriptoribus fuisse pronuntiata. Id enim confirmat Pontificis Paschalis II factum. Nam cum hic Pontifex reiecta omni simonia, et canonicarum electionum reddita libertate, solummodo investituras per annulum, et baculum concedere videretur, gravissima tamen idcirco commota fuit contra Pontificem querela, veluti si causam Ecclesiae male gessisset. At vero certum est, universae huius accusationis causam fuisse tantummodo, quod per sacrae potestatis insignia Principes Laicos investituras tradere posse is pateretur.

Erat ergo illorum temporum opinio, per annuli, et baculi traditionem, sacrae potestatis concessionem designari. Iam vero si eiusmodi opinio ea aetate vigebat in investituris, quae nulla simoniaca labe erant infectae, quaeque electionum sacrarum libertatem relinquebant; perspicue id evincit, impugnari eas investituras debuisse, quae per sacri ordinis vestigia conferebantur, quaeque simoniaco vitio foedata omnem clero libertatem in sacris ministris eligendis auferebant.

Concludam huius rei demonstrationem illud etiam animadvertendo, investituras hac ratione collatas sacris canonibus contrarias fuisse. In promptu enim erant Ecclesiae antiqua decreta, quae ista fieri in sacerdotiis conferendis vetabant. Ea autem decreta inter ceteros Natalis Alexander refert memoratae dissertationis articulo II. Quare Gregorius VII lib. 5 ep. 5 aiebat: « Anti» qua et nota Sacrae Institutionis » est regula, non ab hominibus, sed » a Iesu Christo Deo, et Domino no» stro plenissima suae sapientiae con» sideratione, et veritatis definitio» ne sancita, ipso dicente Evangelio: » Qui intrat per ostium, pastor est » ovium; qui autem non intrat per » ostium, sed ascendit aliunde, fur » est, et latro. » Haec vero omnia satis abunde demonstrant, Romanos Pontifices iure investituris eiusmodi restitisse.

Sunt vero levissima, quae afferri solent, ut statuatur, Romanos Pontifices non iuste, neque sapienter has investituras prohibuisse. Haec enim Sedis Apostolicae facto obiici solent, scilicet, supremos Principes aliquod investiendi ius habuisse; hoc iure ante Gregorium VII usos illos esse, annuente, vel non improbante Ecclesia: si in investiturarum collationem abusus plures irrepserant, istos

tollendos, non vero prorsus investituras auferendas fuisse: Romanos Pontifices praevidere debuisse tumultus, qui ex investiturarum condemnatione excitari debebant; his autem accurate perpensis, cum de re ad disciplinam Ecclesiasticam tantum spectante ageretur, connivere potius, et tolerare patienter, sapientius omnino fuisse, quam acerrimum bellum inter Ecclesiasticam et civilem potestatem commovere. Ex his Maimburgus, aliique in ista re Sedis Apostolicae adversarii, putant ostendi, Romanos Pontifices non iuste neque sapienter investituras reiecisse.

Ista tamen facilem habent responsionem, modo prae oculis habeantur ea, quae superius a nobis disputata sunt. Concedimus enim, supremos Principes habuisse potestatem conferendi investituras eorum feudorum, quae Episcopis, et Abbatibus concedebantur. Concedimus, Ecclesiam aliquando ad pacis et tranquillitatis conservationem, quoad Religionis incolumitas id patiebatur, non repugnasse investituris. Verum aetate, de qua loquimur, rerum facies immutata erat, et ob investiturarum causam in magnum discrimen Ecclesia adducta fuerat. Constat enim supremos Principes, reiecta omni canonica electione, per Sacrae Potestatis insignia beneficia contulisse iis, qui maiori soluto pretio, ea sibi comparanda curassent. Hic, ut diximus, non de re mere ad disciplinam spectante, sed de re ad Divinam institutionem pertinente agebatur. Igitur etiam spectatis tumultibus, ex investiturarum condemnatione excitandis, non poterant abstineri Romani Pontifices ab earundem condemnatione.

Plures Gregorii VII Praedecessores omnem posuerant operam, ut simoniam averterent, et canonicarum electionum libertatem vindicarent, quin penitus investituras proscriberent. Talis fuit Leo IX, qui primo sui Pontificatus anno in Rhemensi Concilio decrevit « ne quis sine ele» ctione cleri, et populi ad regimen » Ecclesiarum provehatur. » Talis Alexander II, qui in Concilio Romano anni 1063, cui intererant 110 et amplius Episcopi, canonem edidit VI his verbis expressum: «Ut per laicos nullo » modo quilibet clericus aut Presby» ter obtineat Ecclesiam, nec gratis, » nec pretio, » exclusis nimirum canonicis electionibus. Talis denique Nicolaus II fuerat, qui Rhemensi Archiepiscopo Gervasio scribebat: « ve» strum Regem gloriosum castiga, » precare, admone;» quia Rex Henricus, nempe III, absque cleri, populique consensu Episcopum Matisconensem elegerat.

Gregorius VII ipse ab Henrico IV postulaverat, ut Ecclesiae canonicarum electionum libertatem relinqueret. In epistola enim, quae est tertia libri 4, quam ad universam Germanicam scripsit gentem, haec affirmavit: «Adhibeantur illi consiliarii, qui » non sua tantum, sed Deum dili» gant, et saeculari lucro per omnia » Deum praeponant. Non ultra putet » Ecclesiam sibi subiectam, ut ancil» lam; sed praelatam, ut dominam.» Cum vero Gregorius videret Henricum IV minime monitis suis commoveri, sed in eadem Ecclesiae perniciosa investituras conferendi ratione perseverare, ad Ecclesiae libertatem vindicandam coactus prorsus fuit, omnem investituram Ecclesiasticam proscribere. Haec vero cum ita sint, patet omnino Romanos Pontifices, Gregorii VII etiam aetate, patientiam adhibuisse quandiu potuerunt sine Religionis detrimento: ad Ecclesiam deinde a gravissimis malis asserendam, adductos esse, ut investituras condemnarent; et verum omnino esse, eos in isto negotio pertractando, iure, ac sapienter egisse.

CAPUT IV.

DE LEGE CAELIBATUS ECCLESIASTICI, QUAM S. GREGORIUS VII PROPUGNAVIT.

Magnam morum depravationem in ea tempora incubuisse significavimus, de quibus pertractationem nunc agimus. Evenerat in ea temporum calamitate, ut lex in Ecclesia vetustissima, saluberrima, et cum Ecclesiastici Ordinis dignitate maximopere coniuncta, Caelibatum dico, a Clericis in maioribus gradibus constitutis servandum, lex inquam illa passim violaretur. Sollicitudinem suam Romani Pontifices S. Gregorii VII Decessores non omiserant studiose adhibere, ut huic malo occurrerent, et ad vitam caelibem agendam, prout vetera Ecclesiae statuta requirebant, maiorem Clerum adigerent. Cum vero Gregorius VII videret, his decretis hominum ab officio aberrantium pravam consuetudinem non frangi, fortitudinem animi sui opponendam constituit huic dedecori, quo Ecclesiastici Ordinis splendor tantum detrimentum patiebatur. Quare Conciliis pluries habitis, gravitate plenis litteris saepenumero scriptis, adhibita demum iustissima severitate, ad vitae sanctimoniam gradu suo dignam Ecclesiasticos revocandos curavit, et fructum denique laborum suorum, Ecclesiasticae, ac civili Reipublicae salutarem tulit. Pontifici vero fuit cum hominibus vitae licentiae assuetis acriter dimicandum. Ea tamen erat constantia praeditus Gregorius, qua excitatae contra illum hac etiam de causa repugnantiae invictus resisteret, quoad sibi propositam illorum hominum emendationem consequeretur.

Instituti nostri proprie non est sapientissimae huius legis polemicam pertractationem peragere, et eiusdem sanctitatem, convenientiam, utilitatem vindicare. Id doctissimi viri summa cum laude peregerunt, inter quos commemorabo tantum Francisci Antonii Zaccaria *Historiam Polemicam caelibatus sacri,* atque huius historiae *apologiam;* et P. Ioannis Perronii S. I. praeclaras Theologiae praelectiones in Tractatu *De Ordine* cap. 5, quo loco scriptores etiam erudite recenset, qui de isto disciplinae Ecclesiasticae capite pertractaverunt. Illud potius attingemus, quod proposito nostro est magis consentaneum, ut historice tantum de ea re agamus.

Scilicet, nihil potest in historia magis esse manifestum, quam legem illam a Gregorio VII propugnatam de caelibatu ab Ecclesiasticis in maioribus Ordinibus constitutis custodiendo, non novam, et tunc primum latam legem fuisse, sed talem, ut a vetustissima quoque aetate, Ecclesiasticos quosque maiores saeculares respiceret. Haec vero sententia, quae perspicua est, Moshemio non placuit, qui in institutionibus Historiae Ecclesiasticae saeculi XI parte 2 cap. 2 §. 14 ita de Gregorio loquitur, ut eum reprehendat, quod pari modo voluerit cum Monachis, et cum maiorum Ordinum Ecclesiasticis in ea re agere, et illos omnes ad caelibem vitam gerendam cogere, cum antea ea lex monachos tantum sine uxore esse iuberet. « Honestissimi, inquit, » quos inter Mediolanenses principem locum tenebant, Belgici item, » et alii quidam Graecorum tantum » lege vivere volebant, atque unam » uxorem, virginem, non plures, Sacerdotem ante consecrationem ducere posse contendebant... Cum hoc » genere, quod ipsi non diffitentur » Pontificum patroni, Gregorius, et » reliqui Antistites Romani, mitius » agere debuissent, quam cum illis, » qui aut Sacerdotibus plenam facultatem adserebant, plures sibi uxores » iungendi, aut concubinatui patro-

» cinabantur. Alia porro erat ratio » Monachorum, quibus coniugia per» mitti nullo modo poterant, alia » Sacerdotum, qui ab uxoribus, quas » legitime, ac honeste duxerant, et » liberis divelli nolebant.» Eadem, quod ad rei summam pertinet, Potterii sententia est in opere toties citato *L'Esprit de l'Eglise* tom. V parte 2 lib. 2 pag. 372 et seqq. Idem denique *in histoire de la papauté* superius memorata tom. I lib. 1 §. 3 pag. 52 pronuntiat Rankius, quo loco affirmat, propter inductam his temporibus legem caelibatus, Pontifices ex ordine Sancti Benedicti effecisse, ut Clerus saecularis in quandam monasticae familiae speciem immutaretur.

Quantopere haec sint a veritate aliena, nulla ratione potest luculentius ostendi, quam adductis certissimis ex historia monumentis, quae evincunt omnino, legem hanc caelibatus servandi ab Ecclesiasticis in Sacris Ordinibus constitutis, in Ecclesia Latina vetustissimam prorsus esse, Gregorium autem VII, et reliquos illius aetatis Romanos Pontifices, qui huius legis propugnatores fuerunt, non de nova lege condenda, et Clero saeculari tum primum persuadenda laborasse, sed Clerum eundem saecularem ad antiquae legis custodiam revocare studuisse.

Facile quidem est pronuntiare, quae Gregorius gessit pro legis huius custodia, inter conatus referri oportere, quos Pontifex adhibuerit, ut potestatem suam amplificaret. Haec tamen assertio nihil aliud, nisi apertam calumniam continet, cum historica monumenta doceant, de legis huius custodia, veteres etiam Pontifices sollicitos imprimis fuisse, de quibus eam, quam indicavimus accusationem Moshemius non affert. Itaque adducam ex monumentis illis nonnulla, atque eorum auctoritate istam Moshemii, ceterorumque sententiam refelli facile demonstrabo.

Est celeberrima S. Siricii Romani um Episcopum Tarraconensem anno 385 scripta epistola, qua Pontifex S. Damaso mox demortuo suffectus litteris respondet ab Himerio ad Damasum prope eius vitae finem missis, ut Sedem Apostolicam de nonnullis Ecclesiasticae disciplinae capitibus consuleret. Inter cetera Himerius a Pontifice petierat quid agendum cum Clericis iis esset in maioribus ordinibus constitutis, qui a caelibatu servando defecerant, quorum nonnulli ignorationem praecepti afferebant, nonnulli vero veteris legis Sacerdotum more se vivere posse iactabant. Siricius autem ita respondet, ut omnes caelibatus lege teneri, sine ulla prorsus dubitatione affirmet. Et licet hac Siricii epistola vetustius monumentum aliud inveniri certo non possit, in quo aperte dicatur universali lege Clericos maiores ad caelibatum servandum teneri, ita loquitur tamen Siricius, ut perspicue demonstret, legem istam vetustissimam in Ecclesia esse, et eos, qui a caelibatu defecerant, gravis criminis reos evasisse. Perlongum est Pontificis testimonium de hac re. Quae tamen potissimum id efficiunt, quod diximus, ista sunt.

Postquam Pontifex argumenta ex Evangelio, et ex Paulli Apostoli verbis attulisset, ut hanc legem ostenderet his consentaneam esse, ita prosequitur: «Quarum sanctionum omnes » Sacerdotes, atque Levitae insolu» bili lege constringimur, ut a die » ordinationis nostrae, sobrietati, ac » pudicitiae corda nostra mancipe» mus, et corpora... Et quia aliquanti » de quibus loquimur, ut tua San» ctitas retulit, ignoratione lapsos se » esse deflent, his hac conditione mi» sericordiam dicimus non negan» dam, ut sine ullo honoris augmen» to, in hoc, quo detecti sunt, quan» diu vixerint, officio perseverent, » si tamen postea continentes se stu» duerint exhibere. Ii vero, qui illi» citi privilegii excusatione nitun» tur, ut sibi asserant veteri hoc lege » concessum, noverint se ab omni

» Ecclesiastico honore, quo indigne » usi sunt, Apostolicae Sedis auctoritate deiectos, nec umquam posse » veneranda attrectare mysteria, » quibus se ipsi, dum obscenis cupiditatibus inhiant, privaverunt. Et » quia exempla praesentia cavere nos » praemonent in futurum; quilibet » Episcopus, Presbyter, atque Diaconus, quod non optamus, deinceps » fuerit talis inventus, iam nunc » sibi omnem per nos indulgentiae » aditum intelligat obseratum; quia » ferro necesse est excidantur vulnera, quae fomentorum non senserint medicinam. » Haec, aliaque a se praescripta in epistola, de qua loquimur, Siricius ait, Himerio gloriosum esse futurum, si ab eo Carthaginiensibus, Boeticis, Lusitanis, Gallicis, et ceteris, quantum ipse poterat, Episcopis communicarentur.

In collectione epistolarum Romanorum Pontificum Petrus Coustantius col. 623 et seqq. hanc Siricii epistolam retulit, et adnotationibus eruditissimis illustravit. Animadvertit vero col. 630 et seq. non recte affirmasse Petrum De Marca, huius universalis legis initium a Siricii constitutione deduci, et Africani Concilii decreto, quod mox illam excepit, licet ceteroquin, universalis Ecclesiae consuetudine, longe antea, maiores Clerici ad continentiam adstringerentur. Plura Coustantius in eam rem recte, appositeque disputat, ut concludat, non posse a De Marca cuiquam persuaderi, consuetudinem hanc, nisi vel sancita lege, vel apostolica traditione firmatam ita valere potuisse, ut nullum in Occidente suppetat exemplum Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, quibus ab ea recedere impune licuerit. Adiungit etiam sapienter Coustantius, ipsum Siricium ostendere, sibi esse persuasum, Clericos illos, qui incontinentiae rei evaserant, contra legem peccasse. In illos enim ipsos, quos ex ignoratione a caelibatu defecisse Himerius retulerat, licet remissius Pontifex agat, tamen ex lege agit, cum poena mulctandos eos esse decernit, ut in ordine maneant *sine ullo honoris augmento.* « Immo nec » suo se iure uti Pontifex significat » (subdit Coustantius), sed severiori » poena eos mulctare sibi licuisse, » cum non quod ius exigit, sed quod » misericordia, et indulgentia suadet, » adversus eos decernere se declarat. » Quocirca et adversus eos qui se » sacerdotum, ac levitarum veteris » legis exemplo fultos praetexentes, » parere detrectabant, iam iure suo » utens, gradibus illos privat. »

Post recensitam hanc Siricii epistolam, quae manifestum continet testimonium antiquissimae in Latina Ecclesia legis, quae Clericos omnes in maioribus gradibus constitutos, ad continentiam servandam cogit; possumus aliud non minus grave monumentum afferre, quo eadem sententia confirmatur. Desumitur illud ex S. Innocentii I epistola ad Exuperium Episcopum Tolosanum, quae anno 405 scripta est, et quam Coustantius refert col. 789 et seqq. Exuperius ad Innocentium scripserat, ut de propositis nonnullis gravissimis quaestionibus, quid Pontifex Maximus sentiret, ipse edoceretur. Quaesierat inter cetera ab Innocentio Exuperius, qua ratione se gerere deberet erga eos, qui in maioribus ordinibus constituti, continentiae legem violaverant.

Iam vero Innocentius, quae a Siricio fuerant sancita, servanda penitus esse respondit. « De his, inquit, » et divinarum legum manifesta est » disciplina, et beatae recordationis » Siricii Episcopi monita evidentia » commearunt, ut incontinentes, in » officiis talibus positi, omni honore » Ecclesiastico privarentur, nec admittantur accedere ad tale ministerium, quod sola continentia oportet » impleri.... Sed ea plane dispar, » et divisa sententia est. Nam si ad » aliquos forma illa Ecclesiasticae » vitae pariter, et disciplinae, quae » ab Episcopo Siricio ad provincias » commeavit, non probabitur perve-

» nisse; his ignorationis venia remit-
» tetur, ita ut de cetero penitus coe-
» perint abstinere, et ita gradus suos,
» in quibus inventi fuerint, sic re-
» tentent, ut eis non liceat ad po-
» tiora conscendere. Quibus in bene-
» ficio esse debet, quod hunc ipsum
» locum, quem retinent, non amit-
» tunt. Si qui autem scisse formam
» vivendi missam a Siricio detegen-
» tur, neque statim cupiditates libi-
» dinis abiecisse, illi sunt modis omni-
» bus submovendi, qui post admoni-
» tionem cognitam, praeponendam
» arbitrati sunt voluptatem. » His Innocentii verbis nihil esse clarius potest ad ostendendum, persuasum ei fuisse non minus quam Siricio, legis huius clerum omnem superiorem respicientis antiquitatem, et eos qui caelibatum violaverant, tamquam gravissimae legis violatae reos ab eo habitos fuisse.

Post haec adducta vix necesse est alia commemorare monumenta ex historia Ecclesiastica petita, ut posterioribus temporibus, eandem fuisse sententiam appareat in Occidentali Ecclesia receptam, eos, qui in maioribus ordinibus sunt constituti, caelibem vitam agere debere. Refert ea magno numero in apologia polemica superius citata doctissimus Zaccaria praesertim cap. 4, 5 et 6, inter quae Leonis, et Gregorii Magni, ac Zaccariae Pontificis adducit testimonia, et concilia commemorat sive in Africa, sive in Italia, sive in Gallia pluries habita, in quibus eadem lex, vetustis iis temporibus confirmata est.

Ut vero ad aetatem Gregorii VII veniamus, haec breviter referemus. Primo loco potest mentio fieri decreti de eadem re a Benedicto VIII editi in Concilio Romae anno 1020 celebrato, quod decretum, caelibatum Presbyterorum, Diaconorum et Subdiaconorum respiciens, deinde a Pontifice ad Henricum II Imperatorem missum, eiusdem etiam Principis auctoritate promulgatum est, qui in edicto suo carceris poenam contra concubinarium quemque Clericum minitatus est ut « servata Iustiniani
» Augusti aequitate, curiae civitatis
» tradatur, cuius est Clericus. Iure
» etenim miser manebit in curia,
» quem Ecclesiae regula depositum
» eiecit Ecclesia. » Omitti praeterea non possunt Rhemense, Moguntinum, Romanum a Leone IX celebrata Concilia, in quibus lex caelibatus ab eo Pontifice pluries asserta fuit. Idem de Victore II, et Stephano IX Pontificibus dicendum est, qui in Synodis ob eandem causam habitis, comprimere concubinariorum audaciam graviter conati sunt.

Inter decreta vero contra legis, de qua loquimur, violatores a Nicolao II Pontifice lata, canon ille memorandus est, quem is in Synodo Romae anno 1059 celebrata promulgavit. « Ut nullus missam audiat
» Presbyteri, quem scit concubinam
» indubitanter habere, aut subintro-
» ductam mulierem. Unde etiam ipsa
» Sancta Synodus hoc capitulum sub
» excommunicatione statuit dicens:
» Quicumque Sacerdotum, diacono-
» rum, subdiaconorum post constitu-
» tum beatae memoriae Praedecesso-
» ris Nostri SSmi Papae Leonis de ca-
» stitate Clericorum, concubinam pa-
» lam duxerit, vel ductam non reli-
» querit, ex parte Omnipotentis Dei,
» auctoritate Beatorum Apostolorum
» Petri et Paulli praecipimus et omni-
» no contradicimus, ut missam non
» cantet, neque Evangelium, vel Epi-
» stolam, aut missam legat, neque
» in Presbyterio ad divina officia,
» cum iis, qui praefatae Constitutioni
» obedientes fuerint, maneat, neque
» partem ab Ecclesia suscipiat, quo-
» usque a nobis sententia super hu-
» iusmodi procedat. » Hoc Nicolai II decretum, ab Alexandro II, qui illi mortuo anno 1061 suffectus fuerat, in Lateranensi Synodo renovatum, eademque gravitate confirmatum est. Haec autem omnia satis aperte demonstrant, nihil magis a veritate alienum posse pronuntiari, quam legem de caelibatu servando, quae

antea monachos tantummodo cogeret, a Gregorio VII primum latam ita fuisse, ut Clericos etiam Maiores saeculares ad eiusdem observantiam adigeret. Nam ea omnia, quae sunt allata monumenta, et tot alia, quae possent adduci, de Clero prorsus saeculari loquuntur, et Clerum hunc in maioribus gradibus constitutum, vetustissima lege teneri ad vitam caelibem agendam, luce clarius evincunt.

Successit Alexandro II anno 1073 Gregorius VII. Plurimum ad pristinam vitae sanctitatem in Clero renovandam ille laboravit. In difficillima tempora eius pontificatus incidit: magna erat morum depravatio, et magnus Clericorum numerus, qui ab officio defecerant, quique tot memoratis Pontificum, et Conciliorum decretis minime movebantur ad meliorem, et gradu suo dignam ineundam vitae rationem. Hos coercendos esse Gregorius constituit, non quidem tum primum lege lata, ut continentes viverent, sed omni gravitate adhibita, ut vetustissima toties renovata de ea re Ecclesiae lex ab iis servaretur. Itaque, ut testimonio utar Lamberti Schafnaburgensis in chronico ad annum 1074, Gregorius statuit in Concilio Romano, « ut se» cundum instituta antiquorum ca» nonum, presbyteri uxores non ha» beant; habentes aut dimittant, aut » deponantur, nec quisquam omnino » ad Sacerdotium admittatur, qui » non in perpetuum continentiam, » vitamque caelibem profiteatur. Hoc » decreto per totam Italiam promul» gato, crebras epistolas ad Episco» pos Galliarum transmittebat prae» cipiens, ut ipsi quoque in suis Ec» clesiis similiter facerent, atque a » contubernio Sacerdotum feminas » perpetuo anathemate resecarent. » In hoc quidem Lamberti Schafnaburgensis loco, mentio fit litterarum a Gregorio ad Episcopos Gallicanos scriptarum, ut eos excitaret ad concubinarios coercendos. Est vero auctor Marianus Scotus in chronico, aliique scriptores, et tota illius temporis historia docet, Gregorium, Legatis, litterisque missis in Germaniam, omnem auctoritatem suam adhibuisse, ut caelibatum in iis etiam regionibus vindicaret.

Quid vero attulit Gregorius sive in decretis in Conciliis Romae promulgatis, sive in suis litteris tum ad ceteros, tum praesertim ad *Clericos, et Laicos in Regno Teutonicorum constitutos* missis, sive in legationibus a se destinatis, nisi se ex veteri instituto agere cum caelibatum inculcabat, et poenis mulctandos eos esse iubebat, qui legem illam violarunt? Nonne, ut vetustiora recorder monumenta, Siricius quoque, Innocentius, aliique veteres Pontifices gravi poenarum severitate usi sunt in eos, qui a memoratae legis observantia, eorundem aetate defecerant? Nonne hanc ipsam severitatem adhibendo Gregorius de Ecclesiasticis ad bonam frugem revocandis curam, ac sollicitudinem gerebat? Id vero maxime sibi Gregorium proposuisse demonstrant litterae ab eo ob hanc causam scriptae. Ita profecto habet eius epistola ad Ottonem Constantiensem tom. 3 Conc. German. pag. 185: « Sed nec illi, inquit, qui in crimine » fornicationis iacent, missas cele» brare, aut secundum inferiores or» dines ministrare Altari debeant. » Statuimus etiam, ut si ipsi con» temptores fuerint nostrarum, im» mo Sanctorum Patrum constitutio» num, populi nullo modo illorum » officia recipiant, ut qui pro amore » Dei, et officii dignitate non corri» guntur, verecundia saeculi, et ob» iurgatione populi resipiscant. » Haec igitur cum ita sint, debemus certo concludere, nihil magis falsum esse posse, quam continentiam Ecclesiasticorum a Gregorio VII propugnatam, tum primum lege lata Saecularem Clerum obligare coepisse.

Nihil vero video adduci posse, quod sententiae a nobis propugnatae aliquo modo veritatem in dubium perducat. Nam minime ostendunt ob

legem tum primum a Gregorio VII latam evenisse, ut tanti excitarentur motus, tanta fieret reipublicae perturbatio ab iis, qui in Ordine Ecclesiastico constituti, nolebant omnino caelibem vitam agere.

Negari quidem non potest eo tempore, quo Gregorius VII pontificatum gerebat, motus vere gravissimos contra Pontificem, atque eos, qui Pontifici obtemperabant, excitatos esse. Isti vero tumultus non ob decreta tantum contra concubinarios lata, sed ob adhibitam etiam contra simoniacos severitatem, ut Lambertus Schafnaburgensis, et Marianus Scotus narrant, commoti sunt. Quis vero ex repugnantia quam simoniaci decretis Pontificis opposuerunt, concludere iure posset, legem, ad Simoniam profligandam a Gregorio promulgatam, eo quod nova esset, causam tumultus fuisse, cum constet, ab ipsa Apostolorum aetate ad quaelibet posteriora saecula, Ecclesiam Catholicam legibus suis simoniacae pravitati restitisse? Qua ratione igitur motus isti a simoniacis excitati non ostendunt novam contra simoniam legem a Gregorio latam existimari posse; ita ob tumultus istos a concubinariis etiam iis temporibus conflatos, sequi nullo modo potest, id demonstrare, novam legem fuisse, quam Pontifex contra concubinarios tulit.

Neque turbae, de quibus loquimur, primum commotae sunt, postquam Gregorius VII Pontificatum inivit. Habentur, ut cetera omittam, in *apologia polemica* caelibatus iam citata, habentur, inquam, lib. 2 cap. 6 perspicua monumenta, quae docent, etiam sub Nicolao II, et sub Alexandro II Pontifice concubinarios hos motus excitasse. Quod si graviores etiam Gregorio VII Pontifice ii motus fuere, id non legis latae novitati, sed concubinariorum potius iniquitati, ac sceleri tribuendum est, qui Pontifici severe, ac constanter concubinatum vetanti, et Clerum ad vitae sanctitatem revocare conanti vim opponendam esse censuerunt, quemadmodum non in Germania solum, sed in Italia etiam, et Mediolani praesertim factum est, quando concubinarii, et simoniaci non modo aliis iniuriis, sed armis etiam, et vi illata Pontificis decretis restiterunt. Mediolani ad caedem a concubinariis contra caelibatus propugnatores ventum esse, tota demonstrat S. Arialdi Diaconi historia, qui idcirco interfectus fuit; idem confirmat mors S. Herlembaldo illata.

Acriter vero concubinarios Gregorio restitisse docent, ut duos tantum scriptores id affirmantes commemorem, Lambertus Schafnaburgensis, et Marianus Scotus. Aperte tamen illi ostendunt, eos non ob rei novitatem, sed quod nollent meliorem vivendi rationem inire, Gregorio repugnasse. « Adversus hoc decretum » (Lambertus ait) protinus vehemen» ter infremuit tota factio Cleri..... » clamitans... malle se Sacerdotium, » quam coniugium deserere. » Marianus Scotus vero ad an. 1075 inquit: « Plures Clerici sub sententia inter» dicti Apostolici esse libentius vo» luerunt, quam uxoribus carere. » Constat vero ex Conciliis a Gregorio celebratis, ex litteris, et legationibus ab eo missis, his motibus Pontificem omnem animi fortitudinem obiecisse, et Episcopos ad decreta sua implenda vehementer hortatum esse. Quare accidit, ut factiosi viri acrius repugnaverint, facile intelligentes eo rem devenisse, ut sperare non possent Pontificem decreta sua esse revocaturum.

Satis erit ad Gregorii constantiam demonstrandam in inito consilio concubinarios coercendi duo ista monumenta hic referre, epistolam videlicet ad Theoduinum Episcopum Leodiensem, et litteras *ad omnes Clericos, et Laicos in Regno Teutonicorum constitutos* ex Concilio quinto Romano anno 1078 scriptas. In illa enim epistola haec Leodiensi Episcopo Gregorius significat: « Praecipi» mus etiam, ut admoneas, et coer-

» ceas quoscumque Sacri Ordinis mi-
» nistros caste vivere, et concubinas
» omnino derelinquere. Et extermina
» nefas secundum Patrum traditio-
» nem; quod temporibus modernis
» inolevit ex taciturnitate Pastorum,
» ne cum male operantibus propter
» silentium damneris, et ipsi aeter-
» nae mortis incurrant periculum. »
In litteris autem ad Laicos, et Cle-
ricos Regni Teutonici Pontifex ait:
« Nec illi, qui in crimine fornica-
» tionis iacent, missas celebrare,
» aut secundum inferiores ordines
» ministrare Altari debeant. Qua-
» propter ad omnes, de quorum fide,
» et devotione confidimus, nunc con-
» vertimur, rogantes vos, et aucto-
» ritate Apostolica commonentes, ut
» quidquid Episcopi dehinc loquan-
» tur, aut taceant, vos officium eo-
» rum, quos aut simoniace promotos
» et ordinatos, aut in crimine forni-
» cationis iacentes cognoveritis, nul-
» latenus recipiatis. » Haec quae di-
ximus apertissime demonstrant, con-
cubinariorum repugnantiam nullum
suppeditare argumentum posse, ut
ostendatur a Gregorio VII latam le-
gem de caelibatu servando novam
eo tempore fuisse.

Si vero argumentum ex iis moti-
bus desumptum non valet ad legis,
de qua sermonem habuimus, novita-
tem ostendendam, cetera, quae Mo-
shemius habet adducto superius loco,
ex conficto penitus supposito ab eo-
dem affirmari manifestum est. Nam
si universalis a vetustissima aetate
erat Ecclesiae lex, clericos omnes
in maioribus ordinibus constitutos
obligans ad caelibem vitam agendam,
quis non intelligit, gratis a Moshe-
mio affirmari, aliam Monachorum,
aliam Presbyterorum saecularium
in ea re rationem fuisse? Quomodo
praeterea legitima poterant existi-
mari Presbyterorum, Diaconorum,
Subdiaconorum coniugia, quae con-
tra manifestam, ac toties confirma-
tam generalem Ecclesiae legem fue-
rant inita? Denique quomodo pote-
rant Clerici illi maiorum ordinum
in Ecclesia Latina contendere, sibi
licere secundum Graecae Ecclesiae
consuetudinem vivere, cum solemni-
bus, et exploratis Romanorum Pon-
tificum constitutionibus, et Ecclesiae
Latinae Conciliorum decretis statu-
tum esset, ac receptum, severiorem
esse debere in ista re Ecclesiae La-
tinae universalem disciplinam? Illud
etiam animadverto, in Ecclesia Grae-
ca, prout habet canon sextus Concilii
Trullani, praescriptum esse ne Pres-
byteri, Diaconi, Hypodiaconi, post
susceptos eos ordines matrimonium
contrahant. Quis vero negare posset,
plures ex concubinariis Clericis La-
tinis, de quibus loquimur, nefarium
coniugium suum inivisse, postquam
maiores ordines accepissent? Hoc
tamen ad abundantiam, ut dici solet,
animadverto. Clericos enim Latinos
non potuisse contendere, ut sibi li-
ceret contra Ecclesiae Latinae uni-
versale institutum vivere, res ex-
ploratissima est.

Plena etiam falsitatis sunt, quae
Potterius de hac ipsa controversia re-
fert in citato superius loco. Ut reliqua
praeteream, quibus Gregorium VII
in invidiam vocare conatur ob ini-
tum consilium incontinentes clericos
coercendi, et ob constantiam adhibi-
tam in toto isto negotio pertractan-
do; duo ista referam, quae satis os-
tendent, num fidem aliquam in ha-
rum rerum narratione scriptor ille
mereatur.

Itaque t. 5 part. 2 lib. 2 in adnota-
tione paginae 374 subiecta Potterius
ait, opportunum esse animadvertere,
Gregorium VII quando decretis suis
prohibuit, quominus Laici missae
adessent, quam concubinarii Presby-
teri celebrarent, errorem ab Eccle-
sia condemnatum confirmasse, vide-
licet, sacramentum non valere, quod
Minister in peccato mortali exsistens
confecerit. Potestne vero apertior ca-
lumnia pronuntiari? Penitus num-
quam id docuit ullo modo, aut affir-
mavit Gregorius. Quemadmodum au-
tem reliquas, ita etiam istam veterum
schismaticorum Gregorio VII infen-

sorum calumniam renovavit Potterius, cuius calumniae praecipuum auctorem, doctissimus Zaccaria in apologia polemica caelibatus, lib. 2 cap. 6 pag. 329 fuisse animadvertit Sigebertum Gemblacensem in chronico ad annum 1074. Apparet vero ex decretis Concilii Romani pluries in ista causa a Gregorio VII celebrati, atque ex litteris a Gregorio scriptis, id unum mandatum laicis in ea re fuisse, ne Concubinarii Presbyteri, videlicet, missae interessent, quo fieret, ut ii dedecore et infamia excitati, mentem mutarent, et a nefaria consuetudine desisterent. Id Gregorii ipsius verbis confirmare possumus. Ait enim in epistolae loco a nobis iam allato ad Ottonem Constantiensem: « Statuimus..... ut » populi nullo modo illorum officia » recipiant: ut qui pro amore Dei, » et officii dignitate non corriguntur, » verecundia saeculi, et obiurgatione » populi resipiscant. » Ceterum prohibitionem hanc non primus Gregorius promulgavit, sed in Leonis IX et Alexandri II decretis vetitum hac de causa laicis fuisse ne adessent missae concubinariorum, clara res est.

Alterum, quod ex citato Potterii libri loco pag. 407 et seqq. animadvertendum esse arbitror, illud est, quod scriptor ille habet de pertractatione in Concilio Tridentino instituta circa servandam legem caelibatus Clericorum maiorum. Ita rem narrat Potterius, veluti si graves Tridentinis Patribus visae sint rationes legis huius abrogandae; et canon IX *Sess. 24 de Matrimonio,* in quo eiusdem legis confirmatio continetur, ita conditus sit praesertim, quod ista lege servata, multum iuvetur Pontificis Romani dominatus et auctoritas.

Est perspicua calumniae istius iniquitas. Neque necesse est argumentis adductis persuadere, numquam Tridentinos Patres existimasse, graves adesse rationes abrogandae legis, quae cum Ecclesiastici Ordinis dignitate, atque ornamento, et cum magna Ecclesiae ac Reipublicae utilitate coniuncta est. Legatur vero eruditissima historia Concilii Tridentini a Cardinali Pallavicino scripta, cum aliis in locis, tum praesertim lib. 24 cap. 12 num. 8 et seq., atque apparebit, falso prorsus affirmari, ad illum canonem statuendum, quidquam valuisse Pontificiae potestatis amplificandae studium, sed confirmatam potius legem caelibatus fuisse, quod Ecclesiae bonum id maxime postularet.

CAPUT V.

DE HAERESIS BERENGARII CONDEMNATIONE.

Quanta virtute Gregorius VII Ecclesiae libertatem vindicaverit, simoniacos compresserit, Ecclesiastici Ordinis dignitati, et disciplinae prospexerit, satis aperte colligitur ex iis, quae hactenus a nobis pertractata sunt. Nunc est illud agendum, quod respicit sollicitudinem a Pontifice adhibitam, et sedulam diligentiam, qua usus est, ut error gravissimus, fidei catholicae contrarius, circa doctrinam de SSm̃o Eucharistiae sacramento profligaretur.

Loquimur videlicet de haeresi Berengariana, in qua evertenda cum alii huius aetatis Romani Pontifices, tum Gregorius VII plurimum laboravit. Opportunum est breviter significare quid vere haeresis illa contineret, et quae in eiusdem haeresis historia sunt praecipua. Haec enim brevis narratio rerum, quae in illo negotio pertractando gestae sunt, obvium, et indubitatum suppeditabit argumentum ad ea refellenda, quae veteres, et recentiores Gregorii Pontificis adversarii, ad magnam infamiae notam ei inurendam, falso, et

per calumniam in ista re obiecerunt.

Itaque anno circiter 1045 Berengarius quondam Canonicus, et scholae Turonensis Praefectus, tum Archidiaconus Andegavensis, vir ingenio subtilis, qui etiam doctrinae et sanctitatis laude commendabatur, haereticam de Eucharistiae sacramento sententiam propugnare coepit. Scilicet denegare coepit veram, realem, ac substantialem Corporis, ac Sanguinis Christi praesentiam in Eucharistia, illam prorsus iactans sententiam, quam Ioannes Calvinus in posterum professus fuit. Hanc vere Berengarii sententiam fuisse vetera monumenta docent, quae huius facti historiam continent, ex quorum auctoritate res ista diiudicanda est. Quod si nonnulli circa verum Berengarii sensum explicandum dubitaverunt, ut non certum putaverint, num transubstantiationem tantum, an ipsam potius Corporis, et Sanguinis Christi praesentiam inficiatus sit, id ambiguae solum, et obscurae loquendi rationi tribuendum est, qua ille saepenumero ad decipiendos catholicos usus fuit. Quod spectat enim ad monumenta de re clare pertractantia, ex iis omnino deducitur, haereticam, quam superius diximus doctrinam, ab eo praedicatam fuisse.

Cum haec Berengarii sententia a doctrina Ecclesiae abhorreret, et contraria esset Scripturae sacrae, et toti Patrum traditioni, non est mirum Catholicos undique Berengario restitisse, quos inter praestitit Lanfrancius in Italia natus, sed qui tunc Monasterii Beccensis in Normannia praefecturam gerebat, ac deinde Archiepiscopus Cantuariensis fuit. Ecclesiae autem ipsius auctoritate Berengarii error condemnatus est. Nam a Leone IX Pontifice Maximo habita sunt anno 1050 duo Concilia, quorum alterum Romae, alterum Vercellis celebratum fuit, in quibus Berengarius condemnatus, et Scoti Heriganae libri, qui eundem errorem docuerant, qui libri a Berengario valde laudabantur, in Vercellensi memorato Concilio combusti fuerunt. Nihil his Berengarius commotus est, et Leoni IX parere recusavit, qui illum Vercellensi Synodo adesse iusserat; nihil etiam sententia turbatus est Parisiensis Concilii anno eodem celebrati, neque Regis Francorum minas pluris fecit, in cuius indignationem ob errorem, quem iactabat, inciderat.

Alia praeterea ad Berengarii pertinaciam frangendam habita sunt Concilia post Leonem IX vita functum. Nam anno 1055 Victor II Florentiae habendum Concilium iussit, quo habito Turonis alterum celebratum est, cui Pontificis Legati praefuerunt, inter quos erat Hildebrandus, et in quo Berengarii haeresis damnata fuit; quae sententia in duobus etiam aliis Rotomagensibus Conciliis eo ipso 1055 anno celebratis lata est.

Nicolaus II quoque in frequentissimo, quod anno 1059 Romae habuit Concilio, et cui Berengarius Pontificis iussu interfuit, de eadem haeresi iterum condemnanda agi voluit. Berengarius vero in ea Synodo ita se gessit, ut resipuisse, et errorem detestari visus sit. Nam cum a Pontifice petiisset, ut sibi credendi formula praescriberetur, eamque ab Humberto Silvae Candidae Episcopo, et Romanae Ecclesiae Cardinali, Pontifice iubente scriptam, Berengarius manu sua, ac iuramento firmasset, existimandi rationem afferebat ad catholicam fidem se reversum esse. Ficte tamen ista gessit in Concilio Romano Berengarius, et ad simulate agendum adductus videtur, eo quod pericula, quae sibi imminere sentiebat, vellet declinare. Etenim postquam ab Urbe digressus est, formulam iurisiurandi religione firmatam retractavit, et libellum edidit, quo Humbertum praecipue innumeris iniuriis affecit. Conatus est quidem Alexander II, qui Nicolao successerat, benignitatem adhibendo, Berengarium flectere, atque idcirco litteras humanissimas anno 1061 illi scripsit,

quibus eum hortatus est, ut catholicam sententiam reciperet, et Ecclesiae perturbandae finem imponeret. Haec tamen Alexandri benignitas nihil a Berengario impetravit.

Suffectus deinde fuerat Alexandro Gregorius VII anno 1073. Is quemadmodum erat natura comparatus, ut secum non posset simulationibus agi, habendum iussit primum Pictaviis anno 1074 mense Ianuarii Concilium, cui eius nomine praefuit Gerardus Cardinalis, et Episcopus Ostiensis Gregorii Legatus. Coepit autem de Berengarii haeresi in eo Concilio deliberari, sed statim adeo res perturbatae sunt, ut in maximum vitae discrimen Berengarius adductus fuerit. Quamobrem id, quod in illo Concilio actum est, non satis ex dignitate gestum videbatur. Berengarius tamen in veteri obstinatione perseverabat. Itaque Gregorius anno 1078 aliud Concilium Romae habuit calendis Novembribus, cui Berengarius adfuit, qui novam formulam proposuit, ut quid de Eucharistiae Sacramento sentiret, profiteretur. Affirmabat autem in ea formula Berengarius: « Profiteor panem Altaris, » post consecrationem esse verum » Corpus Christi, quod natum est de » Virgine, quod passum est in Cruce, » quod sedet ad dexteram Patris; et » vinum Altaris, postquam consecra- » tum est, eius verum Sanguinem, qui » manavit de Cruce Christi. Et sic ore » pronuncio.» Haec vero formula, prout apparet, ambigua, non est iudicata sufficere, et ideo causae definitio ad eam Synodum dilata fuit, quae in quadragesima anno 1079 Romae celebrata est. In ea autem Synodo omnes fallendi artes a Berengario adhibitae, sunt declaratae, ac refutatae, ac deinde palam in Episcoporum conventu, postquam legisset, et subscripsisset, iuramenti religione firmavit formulam a Pontifice propositam, in qua luculenta, ac perspicua continebatur professio praesentiae Christi realis in Eucharistia, et panis ac vini in Corpus et Sanguinem Christi conversio, seu transubstantiatio manifeste explicabatur.

Cum haec vidisset Gregorius, constituit benignitatem suam erga Berengarium demonstrare. Quare illum valde benevole ab Urbe dimissum, litteris suis *omnibus Beato Petro fidelibus*, prosequutus est. His vero litteris ii condemnabantur, qui Berengarium vexassent, vel haereticum appellavissent. Rodulphum praeterea Archiepiscopum Turonensem, atque Eusebium Andegavensem Episcopum rogavit Pontifex, ut Fulconem Andegavensem comitem a Berengario vexando absterrerent, atque eos in officio ille contineret, qui se imprimis infensos Berengario ostenderant, et inimice cum eodem antea egerant. Ingratum tamen se erga Gregorium Berengarius exhibuit. Nam reversus in Gallias, fidei datae minime stetit, erroremque suum iterum asseruit. Commentario praeterea edito, subdole, ac fallaciter in erroneum haereticum sensum veterem suum, illam formulam interpretatus est, quam in postremo Romano Concilio iuraverat, et simul poenitere se professus est, quod ea formula firmata veterem suam sententiam se dereliquisse simulasset.

Cum haec Gregorius accepisset, novum habendum esse decrevit Concilium, quod Burdigalae anno 1080 celebratum est, in quo Berengarius reddidit fidei suae rationem, quemadmodum habetur in chronico monasterii S. Maxentii apud Labbeum tom. 2 Bibliothecae mss. pag. 252, hoc est formulam Romae mox subscriptam confirmavit, et memoratum commentarium revocavit, prout obvius videtur esse illorum verborum chronici sensus. In posterum autem Berengarius ad errores suos iterum praedicandos numquam reversus est. Id enim nemo scriptorum illorum temporum refert, cum plurimi contra narrent Berengarium errores suos penitus abiecisse, et in insula Cosmae Turonis proxima, vitam poenitentem egisse, usque ad annum 1088,

quo mortuus est. Haec praecipua sunt, quae Berengarianae haeresis historiam respiciunt. Ceterum, ut apparet praesertim ex libro 2 Guitmundi Episcopi Aversani, et S.R.E. Cardinalis in opere *de Corporis, et Sanguinis Christi veritate in Eucharistia,* Berengarii sectatores neque magno numero, neque ulla auctoritate praestantes fuerunt. Discordia quoque inter eos fuit circa sententiam suam explicandam: cum vero ab errore isto gravissimo sectae suae proprio spargendo ii non desisterent, haeresis Berengariana, Concilii Placentini decreto anno 1095 sub Urbano II celebrati iterum condemnata fuit.

Quae hactenus exposuimus, continent quidem ea, quae satis sunt ad intelligendum, qua de re proprie in haeresi Berengariana ageretur, et quae in haeresis istius condemnationis historia praecipua sunt. Nihil vero ex iis magis perspicue resultat, quam Gregorii VII magnas partes in illius haeresis condemnatione fuisse. Hoc autem incredibile prorsus esse demonstrat, cum Berengario in errore, quem praedicabat, Gregorium convenisse, vel in eiusdem haereticam sententiam illum fuisse proclivem. Equidem non miror Berengarium aliquando, in commentario post Concilium postremum Romanum id affirmavisse. Hominem enim, qui eo ipso tempore, iurisiurandi religionem adeo turpiter violabat, etiam in hoc mentitum esse, mirandi rationem non affert. Neque etiam est mirum, Bennonem Cardinalem schismaticum, Gregorio infensissimum, in commentario de eius vita, hoc ad Gregorium accusandum calumniose attulisse, aut hanc ipsam calumniam in pseudo-Synodo Brixiniensi a triginta Schismaticis Episcopis ad Gregorium exauctorandum habita, fuisse pronuntiatam, Pontificem de Sacramento Eucharistiae non recte sentire, sed Berengario in ea re favere. Haec enim ab hominibus iratis profecta sunt, qui nullam veritatis ac iustitiae, nullam Religionis rationem habebant, sed unum tantummodo moliebantur, ut hac iniquitate adhibita, aliquam dissidii sui speciosam causam afferrent, ac praesertim ut ad Antipapam, quem Clementem III nominarunt, eligendum, se iusta de causa adductos esse significarent.

Potius illud mirandum videtur, tanto post tempore, inveniri scriptorem aliquem potuisse, qui licet huius historiae exploratam notitiam haberet, tamen ad detrahendum de Pontifice celeberrimo, absurdam hanc accusationem renovaret, atque ita referret, Gregorium in erroneam sententiam Berengarii de Eucharistia fuisse propensum, veluti si gravia adessent argumenta ad hoc persuadendum. Talis vero Moshemius fuit in institutionibus Hist. Eccl. saeculi XI parte 2 cap. 3 §. 17, et in adnotatione ad illum locum spectante. Talis tom. 7 part. 2 lib. 6 pag. 173 Potterius, sedulus in his rebus Moshemii exscriptor, licet fateatur hanc narrationem Bennoni praecipue deberi.

Nolim ego multum in hac accusatione calumniae plena refellenda immorari. Argumenta, quae afferuntur (refert vero ea diligenter omnia Moshemius in memorata adnotatione), quoniam sunt omnia, vel Berengarii ipsius, vel Bennonis Cardinalis, vel Brixiniensis Pseudo-Concilii Episcoporum narrationi tribuenda, et cum certissima vitae, ac rerum a Gregorio VII gestarum historia pugnant, sunt penitus contemnenda. Quid enim valet hominum pro se testimonium dicentium, et adversarium vituperare conantium testimonium? Praesertim cum homines istos fallendo assuetos fuisse constet, Pontifex vero, contra quem hanc accusationem iactarunt, innocentissimum, integerrimum, fidei catholicae manifestum propugnatorem fuisse explorata ressit. Quid vero opus est alio argumento uti ad demonstrandum, Pontificem numquam Berengario in sententia de Eucharistia assensum esse, quam illo, quod ex haeresis ipsius Berengarianae historia

depromitur? Nihil autem historia illa luculentius continet, quam Gregorium, antequam Pontifex Maximus eligeretur, ac deinde, cum Ecclesiae universae praeesset, auctoritate, constantia, sapientiaque sua, semper Berengarii errorem impugnandum curasse, ac tandem id consequutum esse, quod sibi in eo negotio gerendo proposuerat.

Adducam tantummodo ex Concilii anno 1079 actis nonnulla, quae luce clarius persuadebunt, hanc accusationem, quae a Moshemio, ac Potterio renovata est, tribui dumtaxat posse studio, atque animi proposito, de Pontifice, quacumque ratione posset, omnino detrahendi. Itaque ex illius Concilii historia constat, Berengarium, ut veniam a Gregorio VII erati sui, ac simulationis, et perfidiae consequeretur, formulam iurare ac subscribere debuisse, qua nulla magis perspicua, aut gravior ad Catholicae Ecclesiae doctrinam de Eucharistia exponendam excogitari potest.

Hac enim ratione ea formula digesta est: « Denique Berengarius huius erroris magister, post longo tempore dogmatizatam impietatem, errasse se coram Concilio frequenti confessus, veniamque postulans, et orans, ex Apostolica clementia meruit, iuravitque sicut in consequentibus continetur.... Ego Berengarius corde credo, et confiteor, panem et vinum, quae ponuntur in Altari, per mysterium sacrae orationis, et verba Nostri Redemptoris, substantialiter converti in veram, et propriam, et vivificatricem Carnem, et Sanguinem Iesu Christi Domini Nostri, et post consecrationem esse verum Christi Corpus, quod natum est de Virgine, et quod pro salute mundi oblatum, in Cruce pependit, et quod sedet ad dexteram Patris: et verum Sanguinem Christi, qui de eius latere effusus est, non tantum per signum, et virtutem sacramenti, sed in proprietate naturae, et veritate substantiae, sicut in hoc brevi continetur, et ego legi, et vos intelligitis. Sic credo, nec contra hanc fidem ulterius docebo. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia. » Certe ista formula, probante ac iubente Gregorio VII, subscribenda proposita est Berengario. Hanc autem formulam, Catholicam ipsam doctrinam continere, quam de Transubstantiatione, ac praesentia Corporis, et Sanguinis Christi vera, reali, ac substantiali Tridentinum Concilium tradidit, perspicuum est. Haec ergo formula satis est ad veteres, ac recentiores Gregorii inimicos in ista re calumniae revincendos.

Concludam vero istam pertractationem, ea quoque referendo, quae deinde Pontificem iussisse, Concilii memorati historia narrat. « Tunc, videlicet, Dominus Papa praecepit Berengario ex auctoritate Dei omnipotentis, et Sanctorum Apostolorum Petri et Paulli, ut de Corpore et Sanguine Domini numquam ulterius cum aliquo disputare, vel aliquem docere praesumeret, excepta causa reducendi ad fidem hanc eos, qui per eius doctrinam ab ea recesserant. » Haec vero nisi demonstrent, Pontificem Gregorium perpetuo ab errore, quem Berengarius attulerat, ac docuerat, abhorruisse, nihil puto posse ex luculentissimis testimoniis umquam demonstrari.

CAPUT VI.

DE BELLORUM SACRORUM AD RECUPERANDAM PALAESTINAM SUSCEPTORUM IUSTITIA.

Inter celebriora aetatis, de qua loquimur, facta numerari certe illud debet, quod sacrae expeditionis ad recuperandam Palaestinam susceptae nomine intelligitur. Illud enim quod saeculo decimo exeunte Silvester II fuerat conatus, et ad quod exsequendum Gregorius VII, prout superius vidimus, ita se converterat, ut vere tunc iniri coeperint consilia de bello contra barbaros Palaestinam occupantes gerendo, id exeunte hoc saeculo XI, ab Urbano II Pont. Max. ad exitum perductum est.

Fuit Urbano II incitamento ad hoc opus perficiendum Petrus Ambianensis professione Eremita, qui magna sanctitatis laude praestabat. Hic cum in Palaestinam Religionis causa venisset, vidit quantis aerumnis et calamitatibus Mohammedanorum crudelitate obruerentur Christiani Palaestinam incolentes, et quantas iniurias Mohammedani tum Christianis, qui Hierosolymitanam peregrinationem suscipiebant, tum locis Palaestinae sacris inferrent. Ea re commotus in Europam rediens ad Urbanum se contulit, eique persuasit, nulla alia ratione finem tantis malis imponi posse, quam suscepta ab Occidentalibus Principibus Christianis expeditione adversus Mohammedanos, qui in Palaestina, finitimisque regionibus dominabantur. Urbanus, consilio probato, Petrum in varias Europae provincias misit, ut populos, eosque, qui rerum potiebantur, ad eam expeditionem hortaretur. Eo munere Petrus feliciter perfunctus, omnes incendit cupiditate Palaestinae de infidelium manibus liberandae.

Haec cum ita essent, Urbanus Concilium primum habuit Placentiae anno 1095, cui interfuerunt Alexii Comneni Graeci Imperatoris legati, opem petentes adversus Turcas extremum exitium Imperio Constantinopolitano minitantes, tum Claromontii in Gallia. Atque in hoc altero frequentissimo Concilio, Urbanus oratione habita, promissaque iis, qui arma sumerent, remissione omnis canonicae poenae, quam quisque pro suis criminibus pendere deberet; magnam hominum multitudinem, pluresque Principes adduxit, ut bellum adversus Turcas decernerent, seque promptos paratosque expeditioni declararent. Qui inter hos milites nomen profitebantur, *Cruciati;* expeditio vero ipsa ab iis suscepta, *Cruciata* est appellata. Huius appellationis ea praecipue ratio est, quod Crucem, ex alba, rubra, et viridi lana dextero humero affixam, et solemni ritu consecratam ii gererent.

Non est quidem narratio instituenda de iis, qui Petrum Eremitam, vel alios huius generis imperitos duces sequuti sunt. Nam haec primae huius generis expeditionis propria calamitas fuit, ut plura hominum millia miserrime interirent, quod ducibus rei militaris imperitis confiderent, et quidquid sibi licere existimantes, neque se in formam iusti exercitus componerent, neque eorum populorum insidias declinarent, quorum regiones peragrabant. Potius sunt commemorandi illi, qui Duces habebant illustri loco natos, et rei militaris peritos. Hi diversis itineribus Constantinopolim convenerunt, et iubente Godofrido Buglionaeo inferioris Lotharingiae Duce, apud quem summa belli erat, Gallipolitano freto transiecto, Nicaenam Bithyniae urbem principem anno 1097 expugnarunt. Inde per Asiam Minorem in Syriam proficiscentes anno 1098 Antiochiam receperunt, quam cum tractu suo Bohamundo

Apuliae Duci possidendam tradiderunt: tum Edessam occuparunt, cuius Dominum Balduinum Godofridi fratrem germanum crearunt, et tandem anno 1099 urbem Hierosolymam in ditionem suam redegerunt, qua in urbe novi regni Hierosolymitani sedem collocarunt, et Godofridum Regem constituerunt.

Haec, quae brevi retulimus, rerum in prima sacra expeditione gestarum veluti summam continent. Nunc huius belli, quod reliquorum, quae deinde gesta sunt, veluti exemplar et ratio fuit, suscipienda breviter defensio est. Etenim iam a saeculo Ecclesiae XI et XII Cathari, sive Albingenses, et Waldenses negare coeperant haec bella iusta esse. Hos conatus renovarunt in posterum acrius Protestantes, quorum multi de sacris expeditionibus obloquuti sunt, et eas iniustas fuisse affirmaverunt, vel de earundem iustitia grave dubium esse contenderunt. De his etiam sacris expeditionibus conquesti sunt nostrae aetatis increduli, et Romanos Pontifices, quorum opera et suasionibus susceptae fuerunt, vehementer sunt insectati, perinde quasi iniusti belli suasores debeant existimari. De his sacris expeditionibus etiam alii scriptores non benevole loquuti sunt.

Verum non id tantum expeditionibus his sacris exprobratum est, quod iniustae fuerint, sed etiam quod innumeras calamitates universae Europae et ipsi Ecclesiae attulerint. Lamentantur vero haec mala tum eorum plerique, quos hactenus indicavimus, tum praesertim ad Europae mala quod attinet, ii qui de ratione gubernandae Reipublicae, deque commercio, recenti tempore scripserunt; quod vero ad Ecclesiae mala spectat, ii de istis bellis conquesti sunt, qui veteris severitatis in Ecclesiae disciplina amatores, et restitutores videri volunt. Non est necesse eos omnes nominatim appellare, qui, vel de Cruciatarum iniustitia sunt obloquuti, vel de malis ex iisdem redundantibus haec scripserunt. Recensebimus tantum inter earum inimicos et insectatores, Centuriatores Magdeburgenses, Ioannem Franciscum Budaeum, Ioannem Laurentium Moshemium, Claudium Fleuryum, auctorem libri *Quid est Papa?* scriptores veteris Encyclopediae Parisiensis, et praecipue acerbissimum Christianae Religionis hostem Voltairium. Itaque ad hos refellendos primum de sacrarum expeditionum iustitia, tum de malis, quae ab iis profecta esse dicuntur, pertractationem instituemus.

Id ut faciamus, opportunum est antea recolere causas, quibus adductus Urbanus II primam contra Mohammedanos expeditionem suasit, Principes vero Christiani susceperunt. Inter eas certe illa fuit imprimis gravis, quod Alexius Comnenus Graecus Imperator illos oravit, et rogavit, ut sibi opem ferrent. Imminebant enim eius cervicibus Mohammedani, qui imperio iam labefactato, ac propemodum everso, extremum exitium minabantur, et afferebant. Ea causa fuit cur in has angustias coniectus, plane sentiens parem se non esse hostium conatibus repellendis, ad Pontificem Urbanum et occidentales Principes confugerit, scriptisque litteris, et missis ad Placentinum Concilium legatis, eos precatus sit, ut imperii iam corruentis ruinas, copiis, ac virtute sua fulcirent. Urbanus II et Principes Christiani turpe esse iudicantes, ut Christiani nominis hostes imperium vetustissimum impune everterent, facile exorari ab Alexio Comneno potuerunt; foedere igitur cum eodem inito, arma sumpta fuere, ut omne ab eo periculum depelleretur.

Haec quidem ex primi illius suscepti belli certissima historia constant. Nescio autem utrum aliquid afferri ad primae huius expeditionis iustitiam demonstrandam gravius possit. Neque enim in controversiam vocari ulla ratione potest, Alexium iure potitum esse, foedus cum Occidentalibus Principibus ineundi adver-

sus teterrimos hostes, ut exitium ab imperio suo depelleret, quod imminebat. Non modo deinde licebat, verum etiam Occidentalibus Principibus erat omnino honorificum, imperium omnium celeberrimum conservandum curare. Quod si foedus invicem inire adversus Saracenos, Alexio, et Principibus Occidentalibus licuit, cur prima illa expeditio iniusta habenda erit, quae etiam foederis illius causa, et ad Alexium liberandum suscepta est?

Est facile intelligere, quid valeat, iustam primam illam expeditionem demonstrasse: scilicet inde sequitur, ut non modo prima illa, verum etiam ceterae expeditiones iustissimae debeant iudicari. Nam in primo illo bello, victis fugatisque Mohammedanis, eorum exercitibus saepe fusis et deletis, Palaestinam, aliasque plures provincias Principes Occidentales obtinuerunt, quae a Mohammedanis antea occupabantur. Cum vero illae fuerint iusto bello Mohammedanis ereptae, iustum etiam imperium illud dicendum est, quod in iis Latini Principes condiderunt. Exploratum igitur esse debet eosdem iura omnia in Orientalibus illis provinciis adeptos esse, quae eorum propria sunt, qui iuste, legitimeque rebus publicis praesunt. Poterant igitur provincias armis defendere; poterant Saracenos eas iterum invadere conantes repellere; poterant denique exercitus comparare, ceterorum Principum opem implorare, atque his ad auxilium ferendum vocatis licuit novas expeditiones suscipere, ut eos defenderent, eorumque imperium conservarent.

Iam vero si veteres omnes de posterioribus expeditionibus scriptores adversarii consulant, comperient omnino eas susceptas fuisse ad novum Regnum Hierosolymitanum, et reliquum omne Latinorum in Orientalibus provinciis imperium defendendum, restituendum, et adversus immanissimum, ac potentissimum hostem, si fieri poterat, propugnandum. Quod si haec sunt ex illarum expeditionum historia certissima, non ex veritate loquuntur adversarii cum sacra haec bella velut iniusta traducunt, eosque homines de iniustitia accusant, quorum opera suscepta, et virtute gesta sunt.

Quid vero dicemus si quantum a Saracenis, Christianis omnibus Principibus periculum eo tempore imminneret, consideremus? Nemo adeo in illorum temporum historia peregrinus est, qui ignoret Mohammedanos extremam perniciem Christianis omnibus Principibus inferre, ac Christianorum regiones vastare, et in suam potestatem redigere conatos esse. Ex desertis Arabiae regionibus digressi, Syriam imperio Populi Romani obtemperantem occuparunt, inde vero Asiam fere universam, Africam, et Hispaniam invaserunt. Immo in Galliam penetrarunt, Siciliam, et Cretam Imperio Romano eripuerunt, in Italiam appulerunt, atque huic urbi Religionis Christianae Sedi, ita minati sunt, ut eius incolae vix moenibus se defendere possent. Incredibilis vero fuit illa crudelitas, qua iis in regionibus usi sunt, quas vi, et armis invaserunt. Illud enim constat, regiones vastasse, urbes et oppida incendisse, homines cuiuscumque generis Mohammedanam superstitionem amplecti recusantes, vel iugulasse, vel in turpissimam servitutem redegisse.

Certum vero est, de veteri maiorum suorum in Christianos odio, ac crudelitate Saracenos nihil remisisse iis temporibus, quibus sacrae expeditiones susceptae sunt. Hoc constat si consideretur, eam in Christianos crudelitatem ex praeceptis manasse iniquissimis eorum ducis, ac magistri Mohammedis, qui et armis proferendos superstitionis suae fines imperaverat, et vel delendos, vel in servitutem redigendos iusserat, qui a sua superstitione amplectenda abhorrerent. His praeceptis iniquissimis servandis operam vehementer dabant ea aetate Turcae, ac Sara-

ceni. Itaque his temporibus eo spectabant barbari homines, ut Imperium Graecum funditus delerent. Ita enim futurum sperabant, ut, Constantinopoli expugnata, viam sibi sternerent expeditissimam ad Europam universam occupandam.

Constat ergo expeditiones illas iustissimas fuisse, et Europae Principes iure suo usos esse cum non solum ad alienam, sed etiam ad propriam causam propugnandam, atque ad periculum, quod sibi, regionibusque suis impendebat, depellendum, bellum in hostis ipsius provincias detulerunt. Post haec contra perspicua iuris Naturae, et Gentium principia peccaret, qui has expeditiones iniustas appellet, et Christianis Principibus non licuisse arbitretur, vim vi repellere, atque in eorum regiones irruptionem facere, qui imperii Graeci, et omnium Christianorum Principum eversionem, non simulate, et clam, sed aperte, manifesteque moliebantur.

Est praeterea indubium hanc revera cavendi periculi, quod Mohammedanis imminebat, sollicitudinem, inter praecipuas causas fuisse, quae ad expeditiones suscipiendas Europae Principes adduxerit. Docent enim id vetera monumenta; eaque praecipue, quae ad primam spectant expeditionem, quae ceterarum omnium exemplum fuit. Hoc profecto argumenti genus copiose, graviterque exposuit Urbanus II, cum in Concilio Claromontano ad bellum sacrum Christianos Principes excitaret, quemadmodum ex Urbani ipsius oratione constat, quae a Nicolao Reusnero tom. 2 orat. de bello Turcico edita est, et ex qua haec omnino sunt referenda.

« Subiectas, inquit, quondam Romano Imperio civitates et Terram Sanctam a Turcis, Saracenisque nostris hostibus possideri, neminem esse vestrum, qui ignoret, certum habemus. Quas vero Europae provincias, quas urbes iidem premant, occupent, lacerentque Infideles, si omnes simul ignoratis, unusquisque in sua provincia novit, nisi forte Galli remotiores haec non sentitis: qui Hispanorum, Aquitanorumque ab ea gente oppressorum dum in servitutem rapiuntur, in Africam abducuntur, clamores, eiulatusque, singulos per dies audire debetis. Sed numquid vos Germani, Saxones, Poloni, Bohemi, Hungari, etsi Turcas, et Saracenos intra viscera saevire vestra nondum sentitis; quam a vobis distent, vel fretis, vel fluminibus ignoratis? Italiam nunc alloquor, quam multos annos Saraceni dimidiam paene occuparunt, in eamque adeo penetrarunt, ut Christianorum caput Petri Sedem, Romam, martyrum sanguine adhuc madentem invasam obsederint, captasque Apostolorum Petri et Paulli Basilicas inquinaverint. Venetos hic video, Dalmatas, et alios sinus Adriatici accolas, qui dum perpetua cum Saracenis praelia ut se tueantur, exercent, quod est Italiae reliquum, defensant. Quid multis? Fuit hactenus in extremis ad Septentrionem partibus, Europae Constantinopolitanum imperium obex, et tamquam murus, qui Turcas, atque Saracenos continuit, et prohibuit, ne Hungaros, Polonos, Bohemos, ipsosque Alemannos primo, deinde ceteros obruerent Christianos. Pulsus vero ante paucos annos Asia Imperator, de retinendis Constantinopolis Europae regionibus laborat. Si nunc ea inspicitis, consideratisque sola, quae ante oculos sunt, si irruituro brevi Turcae, et Saraceno obsistere non pergitis... in vestrum caput illum ruere brevi sentietis, matronas a complexu vestro, virgines vestras ab earum sinu, pueros, et adolescentes vestros in servitutem vobiscum rapi, dolentes, moestique videbitis. »

Hisce argumentis, quae hactenus attulimus, quaeque apud cuiusvis generis homines valere debent, illud etiam adiungemus, quod etsi Incre-

duli iactent se non curare, eos tamen vehementer urget, qui Catholicos se esse profitentur. Quaero enim ab iisdem num in homine in catholica Religione instituto esse probabilis sententia possit, ut pro fortunis, pro capite, pro imperio, bellum gerere arbitretur licere, cum haec in discrimen vocantur; pro divina vero Religione, qua nullum fingi potest maius humanae societatis bonum, non licere, cum haec impugnetur? Profecto, modo sibi constare velint, fateri cogentur, si Religio a quopiam, bello et armis impugnetur; si vexentur a quopiam principe, qui eandem colunt; posse Catholicos Principes, et saepe etiam teneri, vi et armis Religionem defendere, eiusdem insectatores cohibere. Hoc ab iisdem postulat Patroni munus quod erga Religionem gerunt. Id si ipsis non liceat, ut adversus impiorum hominum conatus eos tueantur qui Religionem colunt, atque omnem ab eorum capite pestem, omne periculum armis etiam susceptis depellant, quomodo patroni munus revera gerere possint, non intelligitur.

Apposite D. Thomas iis temporibus scribens, quibus hae expeditiones gerebantur, hanc fuisse unam ex causis indicat, quibus illae susceptae sunt, et eam omnino probat 2, 2 quaest. 10 art. 8 in corp. inquiens: « Sunt (Infideles) compellendi a fi-
» delibus, si adsit facultas, ut fidem
» non impediant, vel blasphemiis,
» vel malis persuasionibus, vel et-
» iam apertis persecutionibus. Et
» propter hoc fideles Christiani fre-
» quenter contra Infideles bellum
» movent, non quidem, ut eos ad
» credendum cogant, quia si etiam
» eos vicissent, et captivos haberent,
» in eorum libertate relinquerent,
» an credere vellent, sed propter
» hoc, ut eos compellant, ne fidem
» Christiani impediant. »

Iam vero negari ab adversariis non potest Mohammedanos Religionem nostram evertere conatos esse, perpetuumque bellum vel gessisse, vel molitos esse adversus Christianos, ut Religione nostra sublata, suam latius proferrent superstitionem; in regionibus tandem, quibus ii imperabant, incredibili crudelitate ad Christianorum constantiam frangendam usos fuisse. Fateantur igitur illud quoque necesse est, periculi depellendi, quod populorum suorum Religioni imminebat, et Mohammedanorum adversus Christianos crudelitatis comprimendae causa, Christianis Principibus expeditiones illas suscipere licuisse.

Scio his opponi quandoque solere exemplum veterum Christianorum, qui licet a crudelissimis Imperatoribus Religionis causa vexati, maluerunt gravissimos cruciatus tolerare, et mortem ipsam oppetere, quam armis se tueri. Verum ut cetera praeteream, in maxima rerum omnium ignoratione versentur oportet ii, qui non intelligunt quantum veteres illos Christianos inter et Catholicos principes, qui bella sacra gesserunt, discrimen intersit. Quid enim? Si primorum temporum Christiani homines privati cum essent, et Imperatorum potestati subiecti, non poterant seditiones excitare Religionis causa adversus eos, qui licet crudeliter eos vexarent, iuste tamen imperium obtinebant, inde sequi aliqua ratione poterit, Christianos Principes bella Religionis causa gerere non potuisse? An eadem in republica privatorum hominum, et summorum Principum ratio est? Hi profecto, quoniam supremam in provincias sibi subiectas potestatem obtinent, cumque Catholici Principes, neque dignitate, neque imperio Principibus inferiores sint a Religione nostra alienis, possunt, quemadmodum ostendimus, populos sibi creditos armis defendere adversus eos, qui Religionem delere conantur, et cum sint nativi Religionis patroni, eos etiam defendendi ius habent, qui ipsius Religionis nomine iniuste vexantur.

Neque his opponi potest, eos, qui haec bella suaserunt, vel gesserunt,

saepe causas attulisse leves, atque ex quibus ea evadere iusta non poterant. Posset quidem ostendi etiam eas causas, non leves, iniustasque fuisse. Sed etiamsi tantisper permitti adversariis velit, aliquando non idoneas causas adductas esse, non propterea sequeretur ea bella fuisse iniusta. Etenim num bellum esse iustum non potest, quod ab homine suscipiatur, cuius animus non gravibus dumtaxat quibusdam causis, sed levibus etiam nonnullis moveatur? Hoc vero nemo sapiens affirmare poterit, cum certum sit unam tantum gravem, iustamque causam satis esse, ut bellum iustum et sit, et habeatur. Exoritur enim ex ea ius, quod armis etiam vindicare possint qui summae Reipublicae praesunt, quodque neque debilitari neque frangi potest levium, et ineptarum causarum accessione. Itaque cum duae illae belli sacri suscipiendi iustissimae causae praesto fuerint, quas superius explicavimus, cumque eas sibi certo proposuerint qui sacras illas expeditiones susceperunt, restat ut has iustissimas dicamus, licet gravibus illis causis aliae nonnumquam leves fortasse, et non omnino probabiles additae sint.

CAPUT VII.

DE BELLORUM SACRORUM AD RECUPERANDAM PALAESTINAM SUSCEPTORUM EFFECTIBUS.

Quae causae Romanos Pontifices, et Principes Europaeos permoverint, ut bellum cum Mohammedanis ad Palaestinam recuperandam gererent, satis est expositum. Ex his causis, non secundum praeiudicatas opiniones, sed pro rei veritate consideratis, bellorum sacrorum iustitiam clarissime apparere, est luculenter demonstratum. Nunc quos ea bella effectus habuerint, perpendendum est. Ea est enim huius facti conditio, ut quando de sacrae expeditionis iustitia quaestio diiudicanda proponitur, causarum gravitatem extenuandam curent adversarii, quo illorum bellorum iustitia non statim occurrat; quando vero quid per illa bella effectum sit requiritur, tum mala maxima inde profecta esse, et commoda levissima ex iis manasse affirmetur, quo appareat imprudentis consilii fuisse, ea bella curare. Quae duo Romanis Pontificibus praesertim sunt iniuriosa. Nam si primum illud verum esset, illis crimini verteretur non dubitasse iniusta bella suadere; si autem secundum constaret, imprudentiae, atque inconsiderati consilii accusarentur, veluti si in harum rerum inscitia, et in tantorum periculorum ignoratione, tam grave negotium peregerint.

Cum vero nos manifeste ostenderimus iustissimis de causis ea bella fuisse suscepta, nunc alterum agamus. Evincemus autem, Romanos Pontifices, et Principes Europaeos, quorum auctoritate illa bella gesta sunt, sapienti consilio usos esse, plenam rerum, quae erant pertractandae, notitiam habuisse, et hunc exitum haec bella obtinuisse, ut omnino exaggerata ea debeant existimari, quae de damnis inde profectis adversarii conquesti sunt. Itaque apparebit falsum esse, innumera mala in Europam, atque in Ecclesiam quoque ex his bellis derivasse; adversarios vero ad sententiam suam propugnandam, commoda dissimulasse, quae ex sacris expeditionibus extiterunt, mala autem, amplificationibus suis, fuisse gravissima ostendere conatos esse, quae tamen valde leviora his bellis accepta referri debeant. Itaque possumus evincere magna fuisse commoda, quae ex his bellis orta sunt, mala vero, quae inde manarunt, tanta non esse, quanta iactant ad-

versarii. Id autem ut efficiamus, primo loco recensebimus praecipua bona, quae ex bellis sacris comparata sunt. Quo tamen brevitati consulamus, illa veluti cursim numeremus.

Videlicet deleturi iam erant Mohammedani Imperium Constantinopolitanum, vastitatem, et exitium universae Europae minabantur. Utrique huic gravissimo malo sacrae expeditiones remedium attulerunt. Nam bello in eorum regiones delato, coacti sunt Mohammedani sibi consulere, ac omne consilium abiicere alios aggrediendi. Itaque si Imperium Graecum, licet fractum et debilitatum, ad 300 circiter alios annos post primam expeditionem stetit, si ceteras Europae provincias obtinere numquam deinceps Mahommedanis licuit, immo si coacti sunt plures ex iis deserere regionibus, quas occupaverant, haec commoda plane maxima, sacris his expeditionibus sunt tribuenda.

His addendum est, intestina dissidia, et bella civilia per sacras expeditiones penitus extincta esse. Est omnino in illarum aetatum historia exploratum, tanta ea dissidia fuisse, ut universas Occidentales urbes caede compleverint, et extremum in discrimen adduxerint. Sapientissimi quidem Ecclesiae Antistites huic Occidentalium calamitati obiecerunt *treguam Dei*, ut aiebant, morem nempe, ut quibusdam hebdomadae diebus essent veluti quaedam horum dissidiorum induciae, atque iis diebus nemini liceret inimicos suos laedere, aut lacessere. At hoc remedium extenuaverat quidem aliquantulum, verum non extinxerat hominum furorem, qui tunc tandem penitus sublatus est, cum sacris expeditionibus susceptis, turbulenti illi homines, et iniuriarum impatientes in Asiam se contulerunt, et adversus Christiani nominis hostes arma ceperunt, quibus hactenus in Christianos, civesque suos usi fuerant.

Nemo vero negabit per haec sacra bella restitutam in Gallia praesertim, et in Britannia, Regiae potestatis amplitudinem fuisse, quae superiorum Regum imbecillitate, in eorum manus, magna ex parte collapsa erat, qui feudi nomine provincias aliquas, vel tractus, aut urbes obtinebant. Nam his, aut in bello mortuis, aut feuda Regibus vendentibus, quo pecuniam bello necessariam compararent, Reges veterem in eas ditiones potestatem recuperarunt, everso prorsus hominum dominatu, qui Regibus molestus, et Reipublicae perniciosus maxime erat.

Effici quidem posset, si res postularet, haec commoda, quae hactenus memoravimus, ita percepta ex sacris expeditionibus esse, ut qui illas suaserunt, vel susceperunt, eadem sibi animo certe proposuerint. At nonnulla bona inde extiterunt plane inopinata, quae tamen non valent minus, id quod contendimus, demonstrare. Huius generis est omnino, ars, qua ad navigandum erudimur, quae magnos progressus in sacris expeditionibus habuit, eo quod ad copias, et commeatus in Asiam transferendos, multo opportunius, minusque periculosum maritimum iter, quam terrestre iudicatum sit. Hinc Itali, Veneti, Ligures, Pisani, et Florentini, navigandi peritissimi evaserunt, atque ab iis Occidentales ceteri eam artem hauserunt, quae nostris temporibus ita est exculta, ut ad summum prorsus pervenisse videatur.

Facile est sentire, cuius utilitatis, ac publici commodi haec, quae diximus, causa fuerint. Etenim peritiam in navigando, negotiationis, commercii, et divitiarum amplificatio consequuta est. Hactenus Constantinopolis, veluti universi orbis Emporium habitum fuerat, ubi Indicae praesertim merces venales exponebantur. Aucta vero Italorum navigatione, merces ex India illi sibi compararunt, et navigationem instituerunt ita lautam, et fructuosam, ut non modo populi, quos memoravimus ditissimi evaserint, sed et multo cum

fenore pecunia recuperata sit, quae in iis bellis fuerat impensa.

Postremo ut omittam cetera, bonae artes, litterarum studia, et humanitas omnis, his expeditionibus iterum in Occidentalibus provinciis oriri coeperunt. Neque enim fieri potuit, ut homines nostri, licet rudes illi quidem et inculti, per 200 annos inter Graecos versarentur, quin eorum exemplo, qui multum adhuc de veteri eruditione retinebant, aliisque rebus omnibus, ad artium, et litterarum studia, et ad omnem humanitatem inflammarentur. Illud igitur affirmari iure potest, ex XII praesertim saeculo repetenda esse illius inter nostros in studiis industriae, et alacritatis initia, quae tam felices progressus posterioribus aetatibus habuerunt, ita ut Graecia capta, etiam tum artes agresti Latio intulisse, dicenda quodammodo videatur.

Ostendimus, nisi fallor, quae, quantaque bona ex sacris his bellis profecta sint. Ea profecto fuere eiusmodi, ut Carolus Villersius ipse, Ecclesiae Catholicae valde inimicus, eadem dissimulare non potuerit. Legatur enim Historiae Ecclesiasticae compendium periodo IV iuxta praeiudicatas opiniones suas ab eo homine scriptum, et adiectum operi, quod Parisiis tertium editum est anno 1808 quodque alio loco a nobis commemoratum fuit, atque inscribitur, *Essai sur l'ésprit, et l'influence de la réformation de Luther*. Fatetur ibi Villersius, ea bella ad Europam erudiendam vehementer contulisse, eiusque populos docuisse, communem causam simul agere, atque unam veluti societatem efformare, in constitutionem denique, cultumque Europae socialem, sacras expeditiones magnam vim habuisse. Quod si Voltairius, ceterique horum bellorum accusatores, cum gravia mala exaggerant ab iis orta, magna commoda, quae inde manarunt, taciti praetereunt, ostendunt ii certe, se non fide bona, sed animo maledicendi rem agere; ac silentio suo indicant, se persuasum habere, bona ex his bellis orta cum malis comparata, quae amplificant, multo illis graviora, et numero plura comperiri.

Longum esset omnes hac in re adversariorum querelas persequi, et ea omnia refellere, quae de malis, sacrorum bellorum causa profectis lamentantur. Ut modum igitur adhibeamus, duobus praecipue commemoratis incommodis, cetera praetermittamus. Incredibile dictu est, quantopere illorum temporum Europae conditionem adversarii lamententur. Tantam enim factam putant ob ea bella hominum iacturam, ut universae Europae vastitatem, solitudinemque ea attulisse contendant. Huius vero rei demonstrandae causa, initis, subductisque rationibus, ostendere se aiunt posse, ad vicies centena hominum Latinorum millia in iis periisse. Haec vero argumentationis ratio est eiusmodi, ut qui illa utuntur, vel nihil sapere, si rem serio obiiciant, vel fucum facere, lectoresque suos decipere velle videantur. Tantus enim hic labor, ineundi, subducendique rationes mortuorum hominum, esset fortasse adversariis non redarguendus, modo constaret, neminem eorum, qui iter Hierosolymitanum iis in expeditionibus aggressi sunt, domum reversum esse. Atqui, etsi fateamur, rerum inopia, peste, Graecorum fraude, Mohammedanorum crudelitate, aliisque causis plures ex iis obiisse, universa tamen eorum bellorum historia docemur, plures etiam domum rediisse post absolutam, sive feliciter, sive infeliciter expeditionem, quam susceperant. Quae igitur argumentandi ratio est, eo quod concedi adversariis possit, vicies centena hominum millia iis in expeditionibus arma cepisse, eundem illum hominum numerum, caesum, deletumque affirmare, cum constet plures incolumes e bello reversos esse? Quamquam neque illud posset adversariis concedi, etsi universi prorsus interiissent, tantam illam caedem iudican-

dam esse, ut inde Europae vastitas, ac solitudo consequeretur. Studium enim illarum expeditionum suscipiendarum ad 200 annorum tempus sane diuturnum perduravit. Iam vero si huius temporis ratio habeatur, patebit, vix decem hominum millia singulis annis periisse. Haec vero iactura poteritne talis existimari, ut tanto fuerit Europae detrimento, quantum conqueruntur adversarii, modo animo reputemus non ex una solum, vel duabus, sed ex universis Occidentalibus provinciis eos profectos esse, qui sacras illas expeditiones susceperunt? Iure ergo affirmavimus, exaggerata per adversariorum narrationem ea mala fuisse, quae ex his bellis profecta esse iidem contenderunt.

Nunc breviter est quoque respondendum veteris Ecclesiasticae disciplinae severitatis amatoribus, atque, ut volunt haberi, eiusdem restitutoribus, eisque ostendendum, non esse, quod tantopere conquerantur mala plurima in Ecclesiam universam ex sacris expeditionibus manasse. Loquar ego tantum de veteri poenitentiae canonicae disciplina, quam horum bellorum occasione penitus deletam fuisse illi deflent. Proposita enim iis, qui arma susciperent, ab Urbano II, aliisque Pontificibus *Indulgentia Plenaria,* cuius antea nullum forte editum fuerat exemplum, inductus paullatim mos est, ut haec facilitas erga alios etiam adhiberetur, qui res multo leviores peragerent, atque ita vetus illa poenitentiae canonicae severitas, non remissa tantum, sed penitus intermissa sit. Hinc si adversarios audias, morum et omnis sanctitatis pernicies exorta est. Hinc coercendae licentiae frena dimissa, hinc vivendi ratio mutata, hinc Ecclesiae facies quodammodo eversa est.

Atqui nimis inique de rebus omnibus, quae expeditiones sacras respiciunt, adversarii iudicant. Concedi enim potest has expeditiones contulisse aliquid ad poenitentiae canonicae disciplinam abrogandam, omnem vero eius abrogationem ab iis repetendam esse concedi nulla ratione potest. Neque hoc ab ipsius poenitentiae canonicae disciplinae historia abhorret. Constat enim iam superioribus temporibus, eam disciplinam multum fuisse debilitatam, ac de veteri eiusdem observatione iam multum fuisse remissum. Mos enim, antequam bella sacra susciperentur, iam obtinuerat, ut pluribus rationibus redimi canonica poenitentia posset.

Erat profecto poenitentiae canonicae redimendae ratio, iam a superiori aetate, missarum celebratio. Erant eleemosynae pauperibus iuvandis tributae. Erant sacrae peregrinationes eaeque tum temporis, frequenti fidelium usu celebratae. Sumptus denique, vel in sacra, vel in publica opera, canonicam poenitentiam compensabant. Haec, aliaque, cum iam in more esset ideo peragere, ut poena canonibus statuta redimeretur, nemo denegabit, antequam sacra bella susciperentur, poenitentiae canonicae disciplinam multum de veteri severitate remisisse, ac iniuste idcirco omnem eius abrogationem ab iisdem bellis derivari.

Neque vero, si aliqua expeditionum sacrarum pars fuit in ea disciplina abroganda, id sine magna utilitate contigisse putandum est. Non retardavit enim id, sed excitavit omnino plures homines ad sanctiorem vitam ineundam. Etenim cum talis esset hominum eius aetatis imbecillitas, ut vitae in melius mutandae difficile consilium inivissent, si canonica poenitentia iis fuisset omnino subeunda, proposita indulgentia plenaria factum est, ut, eo timore sublato, ad capessendam sanctioris vitae rationem, facile adducerentur.

Neque id a nobis, causae, quam suscepimus, defendendae gratia affirmatur. Possumus enim hoc gravissimis testimoniis ostendere. Testis huius rei S. Bernardus Claravallensis est, qui epistola 365 affirmat, hoc

omnino bonum sacrarum expeditionum occasione, ex indulgentia plenaria ortum esse. Testis Innocentius III, qui epistola 16 et 28 hanc etiam utilitatem sacra bella attulisse iudicavit, ut memorata indulgentia proposita, plures, de quorum salute desperandum videbatur, ad saniorem mentem revocati sint, et cum Ecclesia reconciliati, vitam Christiano homine dignam iniverint.

Post haec tam clara rationum adducta momenta, quae probant, magna quidem, ac perennia commoda fuisse ea, quae ex bellis sacris profecta sunt, omnes per se intelligent, ut opinor, iniuste eos fecisse, qui tantopere de malis conquesti, quae ex his bellis manarunt, vel omiserunt, vel extenuarunt certe amplissima illa commoda, quae ex iisdem profluxerunt.

Satis ista sunt, ut pateat, commoda, quae ex bellis istis sacris profluxerunt, amplissima, et perennia fuisse, mala vero quae inde manavisse dicuntur, cum iisdem commodis comparata, levia omnino, et saepenumero ad detrahendum conficta. Itaque non morabor in reliquis refellendis, quae in ista causa obiecta sunt, ut plura prorsus alia mala, praesertim erga Religionem oborta ex bellorum sacrorum occasione fuisse ostendatur. Ea recenset, et veluti certa mala numerat, inter ceteros, Moshemius in Inst. saec. XI part. 1 cap. 1 §. 10: scilicet auctam idcirco plurimum Romanorum Pontificum potestatem, divitias Ecclesiae et Ordinis Ecclesiastici, ac monachorum praecipue multum fuisse amplificatas; liberiorem factam esse Ecclesiasticorum vitam, confictas denique Sanctorum reliquias in Europam inductas, aliaque eiusmodi.

Equidem arbitror, omnium hanc esse sententiam, quae eo loco dicit Moshemius non esse talia, ut responsionem mereantur. Nam primum illud de aucta per sacras expeditiones Romanorum Pontificum potestate, est omnino falsum, cum bellorum sacrorum effectus omnino distincti sint ab earum rerum natura, quae cum potestate spirituali, vel amplificanda, vel minuenda quidquam commune habere possunt. Praeterea Pontificia potestas, natura sua suprema erat, neque bellorum sacrorum ope indigere poterat, ut augeretur. Denique haec methodus a Moshemio usurpata, ut in singulis quibusque rebus, inter se, toto genere disparibus, obiiciat semper Pontificiae potestatis incrementum, adeo est inepta, ut per se ipsam declaret accusationis falsitatem. Nam ex. gr. si de decretalibus quaeras, earum opera hanc potestatem auctam fuisse dicit; si de Maiorum Ordinum Clericorum caelibatu disseras, id Romanorum Pontificum potentiam amplificasse contendit; si de libertate Ecclesiae loquaris, hoc Romanos Pontifices potentiores fecisse ait; si de Graecorum schismate agas, excitatum illud praecipue dicit, ob istam dominandi cupidinem; si de armis contra Saracenos, et Turcas susceptis, et de sacro bello gesto sermo instituatur, per id Romanorum Pontificum potentiam crevisse affirmat. Cum vero ex rebus tantopere invicem disparibus ille idem semper manavisse confidenter commemoret, hoc satis demonstrat, in querela eiusmodi toties repetita, falsitatem omnino contineri.

Reliqua, quae indicavimus, sunt etiam leviora. Non intelligitur enim quale damnum in Ecclesiam per cruciata bella profectum sit, quando dicatur, per ea bella eiusdem Ecclesiae, et Ecclesiastici Ordinis divitias auctas esse. Nolo autem immorari in facti huius veritatis inquisitione.

Quae de depravatis Ecclesiasticorum moribus Moshemius ait, superius vidimus hanc calamitatem fuisse sacri belli susceptione vetustiorem. Immo vero, cum hoc bellum geri coeperit post Leonis IX, Nicolai et Alexandri II, ac Gregorii praesertim VII pontificatum, potest sine dubitatione affirmari, eo tempore, quo sacra bella gesta sunt, multum re-

medii huic malo, sollicitudinem Romanorum Pontificum, et canonicam severitatem adhibitam iam attulisse.

Ea deinde quae exaggerate Moshemius recenset de confictis Sanctorum reliquiis in Europam allatis, non probant certe, quod ipse contendit. Nam ex hoc nullum detrimentum Ecclesia accepit, quae circa legitimum cultum veris Sanctorum reliquiis exhibendum, veterem doctrinam suam accurate retinuit, et semper propugnavit. Praeterea data opera est, ut huic rei, quam Moshemius obiicit, opportune consuleretur. Vellem denique considerasset Moshemius quisnam fuisset futurus Ecclesiae status etiam in Europa, si Cruciatorum armis non fuissent prohibiti Mohammedani, quominus illam sibi subigerent. Etenim quae in ceteris provinciis ii fecerunt, quas occuparunt, ostendunt perspicue, quam misera tunc in Europa quoque futura fuisset Ecclesiae conditio. Restat igitur, quod ab initio proposuimus, commoda quamplura, eaque perennia ex bellis sacris manavisse, incommoda vero, et mala inde profecta, si cum illis comparentur, levissima debere iudicari.

CAPUT VIII.

DE SCHISMATE GRAECORUM AB ECCLESIA LATINA PER MICHAELEM CERULARIUM PATRIARCHAM CONSTANTINOPOLITANUM RENOVATO.

Cum institutum huic operi propositum in eo versetur, ut de praecipuis Historiae Ecclesiasticae capitibus in illo agatur, ipsa rei consideratio ostendit, omitti non posse aliqua dicere de schismate quod acriter saeculo XI a Graecis contra Latinam Ecclesiam renovatum est. Hoc enim pertinet ad facta, quae in huius aetatis historia possunt praecipua existimari, et quae peculiarem idcirco a nobis pertractationem requirunt. Hoc vero multo magis demonstrat, hic illud factum omittendum non esse, quia post fuse pertractata ea, quae saeculo IX in ista causa evenerunt, ex quo Photius hoc schisma primitus commovit usque ad eiusdem Photii mortem, nunc schismatis Graeci saeculo XI factae instaurationis expositio necessario recensenda videatur, veluti illarum rerum, quae in tam gravi hoc negotio iam adducta sunt, chronologica prosequutio.

Si ratio temporum tantummodo habeatur, haec schismatis renovatio contigit antequam Gregorius VII Pontificatum susciperet. Sed Pontificis celeberrimi, qui constituit quodammodo huius saeculi historiam Ecclesiasticam, res gestae postulabant, ut de singularibus eius in Ecclesiam meritis primum ageretur. Nunc igitur de schismatis Graeci renovatione agemus. Et quoniam illud potissimum evenit Michaelis Cerularii Constantinopolitani Patriarchae superbia ac scelere, primum breviter de huius hominis vita, et de iis, quae in ipso schismate renovando contigerunt, nonnulla referemus, in qua re ut brevitati, et narrationis simul veritati consulamus, recensebimus, quae exponit doctissimus Le-Quienius Ordinis PP. Praedicatorum in *Orientis Christiani* tomo I pag. 260 et seqq., ubi de Alexio, et eius successore Michaele Cerulario agit, et quae sunt ad huius facti historiam imprimis opportuna, erudite perstringit.

Eustathio II Patriarchae mortuo anno 1025 Alexius successerat, ita volente Basilio Bulgaricida Imperatore, qui postquam, operam dante Ioanne Protonotario, praecipuo eius in publicis negotiis gerendis administro, Alexium in Patriarchali Sede statuisset, vespere eiusdem diei mortuus est. Itaque Alexius Patriarcha

fuit Constantino Basilii fratre, Romano Argyropulo, Michaele Paphlagone, Michaele Calafata, et Constantino Monomacho Imperatoribus usque ad annum 1043.

De hoc Patriarcha illud memoriae proditum est inter cetera, eum ad Palatium vocatum esse nocte diei 5 Aprilis anni 1034, in quem diem Feria quinta in Coena Domini incidebat; hora, qua Passionis Domini officium canebatur, et accitum eo fuisse tamquam ex Imperatoris Romani Argyropuli mandato; eum tamen mortuum, seu potius veneno sublatum reperisse; Zoen vero Augustam in aureo triclinio ornato sedentem in suggesto protulisse Michaelem Paphlagonem, atque a Patriarcha petiisse, ut hunc sibi coniugem sacris precibus adstringeret; Patriarcham attonitum haesisse, et dubitasse vehementer num assentiretur, sed Ioannem Eunuchum, orphanorum curalorem, Michaelis germanum, auri libris quinquaginta Alexio, et Clero itidem oblatis, effecisse, ut petitioni Patriarcha assentiretur, ac nuptiis benediceret. Conatus est deinde Ioannes iste Alexium e Patriarchali dignitate deiicere, atque ipse illam occupare, obiecitque Alexio, eum illegitimum Patriarcham esse, quia non communi suffragio a canonibus requisito, sed Imperatoris iussu, ac decreto, ad eam dignitatem obrepsisset. Verum Alexius e periculo evasit incolumis responsione praeter exspectationem data, videlicet oportere simul Metropolitas, aliosque a se ordinatos, et Ioannis studiosos, exauctorari, et anathema in Imperatores pronuntiari quos ipse coronaverat.

Alexio huic, scilicet homini imprimis avaro, die 20 Februarii anno 1043 demortuo, Michael Cerularius successit, qui antea a Ioanne illo Eunucho, cum in Michaelem Paphlagonem rebellaret, in monasterium relegatus erat. Cerularius Michael igitur die festo Dominicae Annunciationis, Patriarcha constitutus, brevi ostendit, atque effudit palam virus iniquitatis suae, instaurato, auctoque schismate Graecorum erga Ecclesiam Latinam, una cum Leone Acridano Archiepiscopo, et Niceta Stethato, pervicacissimi ingenii schismaticis sociis suis.

Sui ab Ecclesia Romana dissidii Michael Cerularius Petrum Antiochenum litteris certiorem fecit, quibus litteris tamen talis data responsio est, ut Cerularius intelligere debuerit, eius factum ab eo vehementer improbari. Leo IX Pontifex Maximus tunc Ecclesiae praeerat. Is omnem statim sollicitudinem suam eo convertit, ut schismatis malo occurreret. Misit ergo Legatos Constantinopolim ad Constantinum Monomachum Imperatorem eo animo, ut Michaelem Cerularium ad meliora consilia revocaret. Verum cum is Legatorum praesentiam, atque colloquium constanter, et de industria vitaret, illi in templo S. Sophiae inter missarum solemnia, cum Patriarchae pervicacia omnibus esset cognita, excommunicationis decretum in Altari coram omnibus, contra Patriarcham ipsum deposuerunt, et pedum suorum excusso pulvere abituros se esse declaraverunt.

His Michael Cerularius commotus minime est, sed in consilio nefarie suscepto perseveravit, schismatis propugnandi. Luculenter igitur statuit demonstrare, se prorsus contemnere Romani Pontificis auctoritatem, et nihili ea facere, quae ille in hoc negotio statuerat.

Itaque habuit cum Episcopis, qui apud ipsum erant, synodum, atque in ea contra Legatos a Leone IX missos anathematis sententiam tulit. Quo facto ostendit quam acerbo iam esset, et quam elato erga Sedem Apostolicam animo. Voluit quidem homo subdolus, id quod sceleste patrabat, quodammodo tegere, ac spargere idcirco, eos, qui se Legatos Pontificis esse affirmabant, non a Leone, sed ab Argyro Italici exercitus duce, quem vehementissime ipse

oderat, missos esse. Haec autem Cerularii Synodus anno 1054 habita est.

Sunt qui a Cerulario, eo tempore, Pontificis Romani nomen e sacris tabulis expunctum esse putaverint. Verum id ab eo Patriarcha factum tunc esse non videtur. Nam in memorata ad Petrum Antiochenum epistola, id a Decessoribus suis patratum esse Michael referebat. Videlicet id audacter ab Eustathio II Patriarcha anno 1022 factum esse existimari iure potest, quando ille veterem de suscipienda Patriarchae *Oecumenici* appellatione petulantiam renovavit: de qua re fuse egimus cum de rebus a Gregorio Magno gestis, et de controversia Sanctum illum Pontificem inter et Ioannem Ieiunatorem habita pertractavimus. Itaque petierat Eustathius Basilii Imperatoris potentia fretus, ab Ioanne XIX Pontifice, ut sibi liceret *Oecumenici* appellatione uti. Id cum Pontifex recusasset, ea evenerunt, quae ab indignato Eustathii animo, inique Pontificis inimici obtinuerunt, ut Ioannis nomen a tabulis Ecclesiasticis tolleretur. Id vero tunc factum esse, Leo IX ipse ad Cerularium, atque ad Constantinum Imperatorem scribens, satis manifeste significavit.

Haec fuere schismatis a Cerulario factae renovationis initia. Certum est praeterea Cerularium hominem ambitiosum imprimis fuisse, quo fiebat, ut non in Ecclesiasticis tantum, sed et in civilibus quoque negotiis primas partes a se agendas esse, putare se non dissimularet. Hinc Constantino Monomacho mortuo, Cerularius auctor fuit, ut Michaeli Stratiotico imperium adimeretur. Isacacio praeterea Comneno visus est favere, licet ipse vere, non Patriarchalis tantum dignitatis retinendae, sed imperatoriae quoque potestatis obtinendae cupidissimus esset.

Verum haec tanta animi ambitiosi contentio Cerularium tandem perdidit. Etenim non dubitaverat aliquando Imperatori Isacacio palam mentem suam de potestate illa sibi arroganda aperire; sed haec eius summa temeritas Imperatorem commovit, ut se penitus ab eius conatibus, et ambitiosis consiliis expediret. Ita rem narrat Ioannes Scylitzes, Curopalata dictus, Maior Domus Imperatoris, qui Graeci Imperii historiam ab ineunte saeculo IX usque ad an. 1081 scripsit. Ita, inquam, Scylitzes ait: « Patriarcha inexplebili Imperatoris » benevolentia fretus, adversus illum » elatus est, non petitionibus modo, » atque hortationibus utens, si quan- » do alicuius, aut pro aliquo indige- » ret, sed et quum identidem voti » compos non fieret, praeter frequen- » tiores, odiosasque postulationes, » minas, et inconsultas increpationes » adhibebat, ac nisi pareret, Imperii » amissionem minitabatur, tritum » illud, ac vulgare dictum intentans: » *Furne te condidi, Ego et te deii-* » *ciam.* Aggressus etiam est cocco » tinctos calceos induere, antiqui Sa- » cerdotii hunc fuisse morem asse- » rens, et his novum quoque Archie- » piscopum uti oportere: nihil quip- » pe Sacerdotium inter et regnum, » aut prope nihil interesse. Quae Im- » perator audiens, agere potius stu- » duit, quam pati. »

Scilicet ultionem sumendam, et Patriarcham deiiciendum esse constituit Imperator, ut suae tranquillitati consuleret. Quamobrem quodam die festo Angelorum, quod festum Graeci die octava Iulii, et sexta Septembris agunt, anno 1059 cum Cerularius ad suburbana loca, solemnitatis causa se contulisset; Imperator e throno illum deiiciendum, et mulo impositum ad Blachernarum littus, atque inde in Praeconesum deportandum esse decrevit. Conatus eodem tempore est, ei per Metropolitas persuadere, ut Patriarchatu sponte abdicaret, nisi vellet ignominiose ea dignitate spoliari. Cerularius tamen restitit, et indignatione percitus, ac dolore confectus non multo post mortuus est. Quae ex Le-Quienio hic cursim retulimus, qualis homo Ceru-

larius fuerit satis clare demonstrant. Crimina vero ab eo plura patrata explicavit fuse in Oratione, quam contra illum ad Synodum, in qua Episcopatu indignus is iudicatus est, habuit Michael Psellus vir doctissimus, Michaelis Ducae Imperatoris Praeceptor, qui ab anno 1050 claruit, publicis muneribus, atque honoribus deinde perfunctus.

Opportunum profecto arbitrati sumus ista referre, ut quem dissidii sui instauratorem habuerint Graeci appareat: videlicet hominem ambitionis vitio abreptum, et superbia tantopere elatum, ut neque sibi ipsi parceret. Nam si a superbiendo aliqua ratione temperasset, vel si a dominandi cupiditate aliquando destitisset, non ad consilia illa Imperatorem antea ipsi benevolum commovisset, quae illi extremam perniciem attulerunt. Exsistit etiam ex his, in schismate renovando accidisse apud Graecos, quod saeculo nono in illo primum commovendo contigerat. Ambitione enim, ac superbia inflammatum fuisse Photium suo loco vidimus, ut gravissimum illud dissidium contra Sedem Apostolicam, et Ecclesiam Latinam primo excitaret. Iisdem vero criminibus nunc factum esse narravimus, ut Michael Cerularius tantum in Ecclesia malum renovaret.

Quis vero considerata duorum hominum istorum indole, non statim intelligat, etiam habita auctorum suorum ratione, poenitere Graecos debuisse, ab Unitatis Catholicae centro avelli se passos esse? Quis potest enim sibi in animum inducere, duos hosce homines, ob gravem aliquam rationem, non autem ut vitiis, quibus tantopere laborabant, indulgerent, ea patrasse, quae commiserunt? Homines enim superbos, atque supra modum ambitiosos, audacter egisse ut ambitioni, superbiaeque suae satisfacerent, quis mirari potest? Est praeterea illud quoque consideratione dignum, duos istos homines, quorum alterum principem, alterum renovatorem schismatis sui Graeci sequuntur, duos Pontifices Maximos, quibus gerentibus pontificatum memorata crimina ii patraverunt, impugnare, atque aspernari ausos esse, qui doctrina, ecclesiasticae unitatis conservandae, disciplinaeque tuendae studio, atque una simul singulari vitae sanctitate praestantes ita erant, ut utrique Sanctorum honores adhibendos esse Ecclesia decreverit. Hoc multo magis demonstrare Graecis debuit, qui duces illos duos in schismate amplectendo, ac retinendo sequi voluerunt, iniustitiam, ac scelus illorum, qui tantum eorundem patriae malum attulerunt.

Atque hoc quidem loco illud praetermitti non posse videtur, talem esse Apostolicae Sedis inimicorum animum, ut non dubitent ita narrationem suam redigere, veluti si historia huius facti ferat, Michaelis Cerularii arrogantiae similem Leonis IX agendi rationem fuisse. Videlicet in Cerularii facto referendo, ita rem exponunt, tamquam si aequo iure, et auctoritate, Cerularium inter et Leonem IX certatum sit, prout de Photio, et Nicolao I agentem Moshemium loquutum fuisse in saeculi IX praelectionibus cap. 82 ostendimus.

Itaque de hac re loquens, « Obtentus belli, Moshemius ait in Instit. » Hist. Eccl. saec. XI parte 2 cap. 3 » §. 9, obtentus belli cura veritatis, » et religionis erat, vera autem causa » tam Graeci, quam Latini Pontificis » superbia, et dominandi libido. Latinus variis artibus, et consiliis » Graecum imperio suo subiicere, » atque Alexandrinum Antistitem, et » Antiochenum ab eius auctoritate » abducere, secumque coniungere tentabat; quam machinationem, status » parum felix et quietus Reipublicae Graecae iuvabat. Romani enim » Pontificis amicitia Graecis contra » Normannos in Italia, et contra Saracenos valde utilis videbatur. Graecus e contrario potestatis suae fines » dilatare, Latino nulla re cedere, » denique Orientales Patriarchas sub » leges suas cogere cupiebat. Igitur

» Cerularius suo, Leonisque Acridani » Praesulis, quo imprimis consilio- » rum socio utebatur, nomine, epi- » stola ad Ioannem Tranensem in » Apulia Episcopum data, Latinos » variorum errorum publice accusa- » bat. Respondebat Leo IX Romanus » Pontifex alia epistola valde impe- » riose scripta, et praeterea in Con- » cilio Romano Graecos sacrorum » communione excludebat. » Post haec Moshemius, cum de Legationis causa, Legatisque ipsis, a Leone Constantinopolim missis, ac de Pontificis epistola obloquutus esset, atque ea, quae Constantinopoli tunc evenerunt, imprudentiae tantum, atque inconsiderato consilio Legatorum Apostolicae Sedis, minime vero insolenti erga eos a Cerulario adhibitae agendi rationi tribuisset; sententiae a Legatis in Cerularium, Leonem Acridanum, eorumque socios pronuntiatae opponit ea, quae Cerularius contra Legatos patravit. « Graecus Antistes, » inquit, Latini Legatos omnesque » eorum amicos, et fautores vicissim » in concilio detestabatur, sacrorum- » que communione indignos pronun- » tiabat. »

Hanc narrationem qui bona fide legat, et qui simul nesciret quanto Leo IX Cerularium potestate superaret, ac Pontificem legitime restitisse ignoraret Cerulario contra iustitiam, et veritatem, ambitionem suam explere conanti, existimare posset, prout superius significavimus, aequo iure, ac pari potestate a Leone IX et Michaele Cerulario quaestionem agitatam esse. Sed ista Moshemius ideo falsa ea ratione narravit, ut in renovati schismatis invidiam communem, Pontificem et Cerularium vocaret. Diversam vero utriusque rationem fuisse, explorata res est.

Etenim prout constat, Leonem IX suprema iurisdictionis potestate in Ecclesiam praeditum, iure potuisse, ac debuisse Cerularium iniuste, ac superbe agentem graviter coercere; ita simul perspicuum est, Cerularium iure non potuisse Romano Pontifici, cui et ipse omnino subesse debebat, repugnare. Colligitur vero manifeste ex facti historia, atque ex Cerularii ingenio, obtentum belli ab eo renovati superbiam, ac dominandi libidinem fuisse. Nihil autem tale de Leone IX viro sanctissimo dici, nisi per calumniam potest, qui ut supremam in Episcopos omnes potestatem exerceret, primatum ipsum iurisdictionis a Christo institutum, potestatis huius fontem certissimum habebat. Neque opus erat Leonem variis artibus, et consiliis tentare, Alexandrinum, atque Antiochenum Antistitem a Cerulario adducere, ac sibi coniungere. Explorata enim erat universa Ecclesiae disciplina, in qua continebatur, duos illos Patriarchas Constantinopolitano non esse subiectos, vetitumque graviter esse ne is illorum iura violaret. Leoni vero tamquam D. Petri successori, ac Iesu Christi D. N. Vicario, Patriarchae omnes, et ceteri quotquot erant in orbe terrarum Episcopi, qui ab Ecclesia deficere noluissent, penitus suberant.

Quae vero in adducto loco, de Leonis IX litteris, deque legatione a Pontifice Constantinopolim missa, ac de iis, quae tunc evenerunt, Moshemius recenset, ea etiam non secundum facti veritatem ab illo relata esse apparet. Etenim Pontificii Legati Humbertus Cardinalis, Petrus Amalphitanus Archiepiscopus, et Fridericus Archidiaconus, ac Cancellarius Ecclesiae Romanae, viri gravitate, et rerum gerendarum peritia praestantes erant, iique vere ad extinguendum schisma, quod tunc iterum conflatum erat, Constantinopolim fuerant destinati. Cerularius autem fuit is, cuius culpa factum est, ut ad ea extrema res pervenerint, de quibus Moshemius conqueritur. Is Legatorum praesentiam, prout superius diximus, constanter, et de industria vitavit, interea dum in detrahendo de Ecclesia Romana, atque in reliquis conatibus suis obstinate

persisteret, is eo res compulit, ut Legati, ad suum, et quod maximi faciendum erat, ad tuendum Sedis Apostolicae honorem, memoratam superius condemnationis sententiam pronuntiaverint. Non ergo importunum aliquid, insolens, atque imprudens, quemadmodum Moshemius serio affirmat, in his peragendis Legati commiserunt.

Fuerunt certe Leonis IX litterae ad coercendum Cerularium scriptae gravitatis plenae, prout eiusdem dignitas postulabat. Falsum est vero, quod idem scriptor confidenter pronunciat, eas magnam arrogantiam continuisse. Neque enim arrogantia, sed auctoritatis possessio certissima est, quae efficiebat, ut Leo graviter scriberet, et Sedi Apostolicae obtemperandum esse iuberet.

Denique, quod adiungit Moshemius factae a Legatis Apostolicis condemnationi Cerularium obiecisse id, quod in Concilio suo gessit, videlicet, Legatos, eorumque socios ac fautores, communione sua indignos esse ab eo iudicatos, id est prorsus contemnendum. Nullam enim, et irritam hanc Cerularii sententiam fuisse, atque aliud non demonstrare, nisi pervicaciae, ac superbiae perspicuum argumentum, adeo cognita omnibus res est, ut explicatione non indigeat. Facillime ergo potest ostendi, Moshemium, quando Leonem IX ac Michaelem Cerularium ita traducit, veluti si aequo iure inter se dimicarent, falsam prorsus narrationem attulisse.

Post tot illa, quae hactenus recensuimus, et quae schismatis renovati iniustitiam, scriptorum vero, qui illud defendere visi sunt, non inconsideratum modo, sed etiam adversum animum ostendunt, nunc sunt aliqua dicenda de iis, quae ad schismatis istius renovati excusationem Michael Cerularius protulit, et deinde eius asseclae propugnaverunt.

Itaque primo loco hoc certum est, Michaelis Cerularii, et Leonis IX Pontificis tempore illud evenisse, quod praecipue occasionem attulerat controversiae Pelagium II ac Gregorium Magnum inter, et Ioannem Ieiunatorem Episcopum Constantinopolitanum primitus excitandae. Scilicet non solum Cerularius *Oecumenici* Patriarchae nomen suscipere superbe volebat, sed etiam ea appellatione suscepta, iurisdictionem in Alexandrinum, et Antiochenum Patriarcham volebat exercere.

Constat id ex Leonis IX praesertim litteris. Nam ep. 6 Leo se accepisse grato animo affirmat quae Cerularius referebat de studio suo concordiam inter Graecam ac Latinam Ecclesiam confirmandi, sed una simul conquestus est, illud « intolerabile esse, quod nova ambitione, » Alexandrinum et Antiochenum Patriarchas antiquis suae dignitatis » privilegiis privare contendens, contra fas, et ius suo dominio subiugare conaretur. »

Similia prorsus sunt, quae Leo IX Petro Antiocheno Episcopo respondit. In suis enim aliis litteris Leo postquam Antiocheni Petri fidem laudavisset, haec prosequutus est de Ecclesia Antiochena, in quam Cerularius potestatem conabatur exercere: « Pro cuius fidei excellentia, tertiam a Romana Ecclesia dignitatem » retinet Antiochena, quam te defendere summopere monemus, non » tuae gloriae causa, sed pro Sedis, » cui ad tempus praesides, antiqua » honorificentia. Nec revoceris ab hac » intentione, cuiuslibet pompa, vel » arrogantia, quin constanter defendas honorem, quem Antiochenae » Ecclesiae reliquerunt omnia Patrum Concilia. Ad quod utique, si » oportuerit, maxima mater, Romana scilicet, atque prima Sedes tam » dilectae sibi filiae, et consociae, » nusquam, et numquam deerit. Quod » totum ideo dicimus, quia quosdam » conari minuere antiquam dignitatem Antiochenae Ecclesiae audivimus. » Eadem Leo Pontifex habet in epistola ad Constantinum Monomachum Imperatorem, quo loco con-

queritur, Michaelem Cerularium contendere, Alexandrinum, et Antiochenum Episcopos « antiqua dignitate » sua spoliare, et contra fas, et ius » sibi subdere nova ambitione.»

Itaque erat perspicuum, quo Cerularius tenderet, et qualem sibi indebitam affectare vellet auctoritatem, scilicet, idcirco illum curare appellationem Universalis Patriarchae sibi tribuere, ut reliquis Episcopis, Alexandrino etiam, atque Antiocheno se superiorem esse demonstraret. Id diserte Leo IX ostendit in sua ad Michaelem ipsum Cerularium epistola, in qua ei exprobrat per superbam illam Universalis Patriarchae appellationem, eum conari ceterorum Episcoporum potestatem imminuere. Nam inquit: « Qualis vero, » et quam detestabilis, atque lamen» tabilis est illa sacrilega usurpatio, » qua te universalem Patriarcham » iactas ubique, quum omnis Dei a» micus huiusmodi hactenus horrue» rit honorari vocabulo! Quis post » Christum convenientius posset in» signiri hoc vocabulo, quam cui dici» tur divina voce: Tu es Petrus, et » super hanc Petram aedificabo Eccle» siam meam? Verumtamen, quia ille » non invenitur Universalis Aposto» lus dictus, quamvis Princeps Apo» lorum sit constitutus, nullus suc» cessorum eius tam prodigioso prae» nomine consensit appellari penitus, » licet Magno Leoni praedecessori » Nostro, et successoribus ipsius, hoc » sancta decreverit Synodus Chalce» donensis.»

Conati sunt quidem nonnulli extenuare appellationis huius toties memoratae invidiam, eo quod Episcopi Constantinopolitani, nomen Patriarchae universalis suscipientes, voluerint tantum *in suo orbe universales appellari, ut Romanus Episcopus in universo.* Ad imminuendam quoque vocis istius superbam significationem, allata sunt etiam Anastasii Bibliothecarii verba in praefatione ad latinam versionem Actorum septimi Concilii Generalis Ioanni VIII Pontifici dicatam. Scribit enim in ea praefatione Anastasius, se, cum esset Constantinopoli, pluries Graecos reprehendisse, quod illam appellationem Byzantini Episcopi tribuere sibi studerent, Graecos vero respondisse « quod non » ideo Oecumenicum, quem multi *uni» versalem* interpretati sunt, dice» rent Patriarcham, quod totius Or» bis teneret praesulatum, sed quod » cuidam parti Orbis, quae a Chri» stianis inhabitatur, praesit. »

Sed ista prorsus ad vocis illius extenuandam iniustitiam, prout iis temporibus accipiebatur, non sunt idonea. Primum enim, quod Graeci dicerent velle se Constantinopolitanum Episcopum *in suo dumtaxat orbe universalem dici, prout Romanus in universo est universalis,* hoc ad rectum sensum illi appellationi tribuendum non poterat afferri. Nam Romanus Pontifex, licet iure posset hanc appellationem suscipere, ab ea tamen assumenda perpetuo abstinuerat; Romani igitur Pontificis exemplum, tamquam idem in universo orbe facientis, adduci non poterat. Deinde ex iis, quae mox attulimus, atque ex earum rerum narratione, quam fecimus, cum de Ioanne Ieiunatore loquuti sumus, satis aperte constat, in voce ista suscipienda, auctoritatem quoque sibi indebitam, cum aliorum Episcoporum potestatis violatione Episcopos Constantinopolitanos sibi arrogasse. Ad extenuandam igitur appellationis istius invidiam futilis erat Graecorum responsio, Constantinopolitanum Episcopum eo sensu tantum velle universalem se appellari quod eius auctoritas de Oriente solo esset intelligenda, prout Romanus Pontifex, Universalis Episcopus dici iure potest, de toto prorsus Orbe vocem istam explicando. Praeterea si Romani Pontificis appellationem hanc adhibendam existimavissent, quemadmodum, et Primatus iurisdictionis ratio, et Concilii quoque Chalcedonensis sententia ferebat, id illi cer-

te sine iniuria cuiuslibet Episcopi in qualibet Orbis regione constituti, facere potuissent. Contra vero Episcopus Byzantinus hanc Universalis appellationem suscipiens, ut potestatem sibi non debitam per omnes Orientis regiones, et in Episcopos ipsos Alexandrinum atque Antiochenum exercendam affectaret, iura sibi, cum aliorum iusta offensione arrogasset, quae Constantinopolitanae Sedis propria non erant. Est ergo perspicuum, adductam a Graecis illam responsionem, penitus nihil imminuere invidiam memoratae superius appellationis.

Multo levior, immo penitus inepta est illa, quae ex allato Anastasii Bibliothecarii loco adducta est alia Graecorum responsio, Constantinopolitanum videlicet Antistitem, Oecumenici appellationem suscepisse eo sensu, quod praeesset cuidam Orbis parti, quae a Christianis habitaretur. « Quasi vero (inquit Le-Quie-» nius de patriarchatu Constantino-» politano agens, tomo 1 *Orientis* » *Christiani* cap. 14 ubi haec, quae » mox diximus, erudite pertractat) » quasi vero quivis alter Patriarcha, » quivis Exarchus, quivis Metropoli-» ta, aut simplex Episcopus non per-» inde sese tamquam *Oecumenicum* » potuisset, vel posset ostentare, » et appellare, quippe cum cuidam » habitabilis Orbis parti praesideat.» Haec ergo responsio inepta, atque ad inhaerentem nomini invidiam declinandam ex industria conficta, contemnenda omnino est.

In re autem perspicua necesse non esse apparet testimonia afferre, quae prorsus evincunt ea de causa suscepisse hanc appellationem Episcopos Constantinopolitanos, ac retinendam omni studio curasse, ut auctoritatem etiam superbae appellationi conformem affectarent. Adducit breviter monumenta id confirmantia inter ceteros Le-Quienius loco paullo ante citato. Ex iis autem colligitur hanc veterum Episcoporum Constantinopolitanorum fuisse mentem, cum Pelagio II, Gregorio Magno, aliisque Romanis Pontificibus restiterunt, vetantibus ne eam appellationem illi susciperent, vel retinere conarentur; eorum pertinaciam, illi errori gravissimo fuisse semper innixam, quod Nova Roma, Antiquae Romae privilegia, ac iura consequuta sit; id facto suo Photium confirmavisse, atque id etiam ex agendi ratione a Michaele Cerulario adhibita patere.

Post hanc praecipuam, quam explicavimus renovati a Cerulario schismatis causam, si quaeratur, quas attulerit defendendi dissidii sui, et Romanae praesertim, universaeque Ecclesiae Latinae accusandae rationes Cerularius, eas ille commentus est in suis ad Ioannem Tranensem in Apulia Episcopum, atque ad Petrum Episcopum Antiochenum. Haec crimina vero Latinis obiecta adeo erant futilia, ut Moshemius citato loco, ubi de Michaele Cerulario agit, iure affirmaverit, rixosum potius animum eius, et verae religionis ignorantiam, quam veritatis amorem ea aperire. Satis erit nonnullas ex iis recensere, ut ita de ea re iudicari debere appareat. Scilicet inter cetera, moleste se ferre dicebat Cerularius vocem *Filioque* Symbolo Constantinopolitano, Ecclesiae etiam Romanae auctoritate additam fuisse; Latinos a suffocato, et sanguine non abstinere; in azymo Eucharistiam eos consecrare; Monachos adipe suillo uti; Sacerdotes barbas tondere; Episcopos veluti sponsos, annulos ferre; die Sabbato ieiunium fieri; *Alleluia* in Quadragesima non cani. Ipsa vero harum accusationum pronuntiatio facit, ut intelligatur, nullam legitimam consilii a se suscepti rationem Michaelem Cerularium afferre potuisse, quin oporteat in his refellendis immorari.

Multa tamen ad eum confutandum Leo IX scripsit in epistolis suis ad Michaelem ipsum, ad Petrum Antiochenum, et ad Constantinum Monomachum. In iis enim litteris Romanae Ecclesiae primatum fuse vindi-

cat, dogma de Spiritus sancti a Filio etiam processione defendit; quam iniuria azymi usum in Ecclesia Latina vituperaret, et quam petulanter a Cerulario ageretur, ostendit, cum alia memorata disciplinae Ecclesiasticae capita reprehenderet. Illud autem certum est, has accusationes a Michaele Cerulario adductas de talibus rebus esse, ut nullo modo inde is posset argumentum derivare, Constantinopolitanis Episcopis licere, D. Petri primatum a Christo institutum reiicere, et hunc primatum iurisdictionis in Romanis Pontificibus D. Petri successoribus perpetuo consistentem aspernari.

Nam primatum hunc iurisdictionis in D. Petri Successore venerari oportere, ad Catholicae Ecclesiae fidem pertinet, ita ut, qui dogmati isti repugnet, ab Ecclesia Catholica defectionem omnino facere intelligatur. Nulla igitur excogitari legitima ratio potest, qua liceat hunc primatum non revereri. Quod si haec obligatio ad Catholicum hominem constituendum ita est immutabilis, ut ne gravissima quaelibet excitata controversia contrarium patiatur; perspicuum est, quam inique faceret Cerularius, qui neque excusandi sui levissimam causam aliquam afferre poterat. Sed finis tandem aliquando sit de hoc infelici facto loquendi. Certum enim omnino est Schisma Graecorum a Cerulario fuisse instauratum, licet Alexandri II, Gregorii VII, et Paschalis II temporis monumenta doceant, illud adhuc consummatum penitus non fuisse. Qui fusiorem de toto isto facto pertractationem quaerit, is Baronium adeat necesse est *ad annum 1053 et seqq.*, Leonem Allatium *de lib. Graecor. Ecclesiast. diss. 2, et de perpetua Ecclesiae Orientalis, et Occidentalis cons. lib. 2 cap. 9,* Ioan. Baptistam Cotelerium *monum. Ecclesiae Graecae* tom. 2 pag. 108, Martenium *Thesaur. Anecdotorum tom. 5, Collectionem Concil.* Labbei curante Mansio tom. 19, Nat. Alex. saec. XI *Historiam Ecclesiasticam.*

EX SAECULO DUODECIMO

CAPUT IX.

DE CONCILIO IX GENERALI, SEU LATERANENSI OECUMENICO I.

Quotquot a primo Nicaeno Generali Concilio, usque ad aetatem, de qua loquuturi sumus, celebrata fuerunt Oecumenica Concilia, ea vel Constantinopoli, vel aliis in regionibus Orientali Imperio subiectis habita sunt omnia. Quamobrem accidit, ut praefuerit quidem iis semper Pontifex Romanus, non ipse tamen per se, sed per Legatos suos. Verum saeculo Ecclesiae XII fieri primum coepit, ut vel in Urbe Roma ipsa, vel in Occidentalibus aliis civitatibus, Generalia Concilia celebrarentur, quibus Romani Pontifices per se ipsos praeesse potuerunt. Inter praecipua huius saeculi Historiae Ecclesiasticae capita numerari certe primo loco debet celebratum nonum Concilium Generale, seu Lateranense primum Oecumenicum, de quo idcirco nunc sumus acturi. Et quoniam illius Concilii celebrationis historia coniuncta est cum iis, quae non modo Callisti II Pontificatum respiciunt, quo Ecclesiam gubernante Concilium illud habitum est, sed etiam aliorum Pontificum tempora, qui proxime Callistum II praecesserant, hinc nonnulla de iis antea breviter perstringemus.

Agentes de controversia ob investiturarum collationem excitata, attigimus ea, quae Paschali II Pontificatum gerente contigerunt. Videlicet, etsi iam plura lata essent a Ro-

manis Pontificibus, et a Conciliis decreta, quibus ad simoniam repellendam, atque ad libertatem Ecclesiae vindicandam prohibita fuerat investiturae collatio, tamen quod ad factum pertinet, quaestio finita hactenus de illa re non erat, eo quod Principes saeculares persisterent in proposito investituras conferendi. Tunc inter cetera illud evenisse retulimus, ut Paschalis II Pontifex molestiis affectus ob eam causam, postquam prospexisset, ut simoniaca labes ab Episcoporum, Abbatum, etc. electione penitus propulsaretur, et eorundem electio a Clero et Monachis, legitime, libereque fieret, Imperatori Henrico V concesserit investituras per annulum, et baculum tribuere. Memoravimus vero eundem Pontificem sentientem id querelas graves excitavisse, concessionem illam revocasse.

Non est vero existimandum, Paschalem II ideo morem gessisse Henrico V, quia natura imbecillis esset. Nam eius Pontificatus historia, si non ex praeiudicatis opinionibus, sed prout veritas requirit, perpendatur, diversam affert omnino Pontificis notitiam. Etenim docet ea historia, Pontificem hunc, quantum potuit, decreta de investituris vetandis servanda curasse, ob eam rem magna itinera suscepisse, labores plures ac molestias ab initio Pontificatus pertulisse; in eo proposito constantem Pontificem perstitisse ab anno 1099 usque ad annum 1111, quo illa evenerunt, quae superius commemorata sunt. Verum quando adductus Paschalis est, ut morem Henrico V gereret, iam duos circiter menses captivitatem passus erat, ideo quod Imperatori nollet assentiri. Vis autem Pontifici illata est, et per fraudem quidem ab Henrici sectatoribus, ac militibus circumventus est in Basilica Vaticana, cum nihil tale timere debuisset. Atque ei illata vis est, et captivus idcirco factus fuit, quod Imperatori investituras conferendi potestatem iterum petenti restitisset. Est ergo tribuendum fraudi, ac vi adhibitae, si ille concessit Imperatori quod optabat, sed in eo etiam concedendo, quod Princeps petebat, non omisit Paschalis iis consulere, quae ad causam Ecclesiae defendendam praecipue requirebantur. Non mirum autem est, neque novum, viros etiam non imbecilles, quandoque aerumnis fractos ad ea facienda perductos esse, quae facere iamdiu recusaverant.

Successerat anno 1118 Paschali II mortuo Gelasius II ex Caietana familia. Is quoque in brevi unius anni, et quatuordecim circiter dierum pontificatus sui perduratione, praeter ea, quae Romae a Cencio Frangipanio, eiusque factione passus est, ut ad prospiciendum saluti suae debuerit ab urbe fugere, et Capuam se conferre, et alio peregrinari, praeter, inquam, urbanas istas molestias, multa perferre debuit ab Henrico V ob memoratam causam investiturarum. Fuit etiam Henrici V potentia suffectus Maginulfo, seu Silvestro III ita appellari solito, Antipapa Mauritius Burdinus Archiepiscopus Bracarensis, qui se Gregorium VIII appellavit. Haec autem electio ideo facta praesertim, quod Gelasius Imperatori repugnaret in negotio, quod ei tantopere cordi erat, graves molestias Pontifici attulit. Itaque constat omnino, quantumvis controversia de investituris, quas Principes ea aetate conferre consueverant, Pontificum Romanorum decretis, et Conciliorum auctoritate, fuisset iure dirempta, ad factum tamen quod pertinet, etiam temporibus, quibus Callistus II Pontifex Maximus factus est, hactenus non desiisse.

Successit Gelasio Callistus II filius Guillelmi Magni Burgundiae Comitis, qui *Caput audax* appellari solebat. Fuerat Callistus Archiepiscopus Viennensis, ac virtutis, et doctrinae laude praestabat. Praeter ista tamen, eo plurimum spectarunt in illo eligendo S. R. E. Cardinales,

quod cum esset cum Rege Galliae Ludovico, et cum Imperatore cognatione coniunctus, sperandi ratio erat, futurum, ut tandem aliquando publica Ecclesiae negotia ob Investiturarum causam perturbata, feliciter componerentur.

Plura a Callisto habita sunt Concilia primo Pontificatus sui anno in Gallia. Cum vero anno proximo 1120 Romam venisset, schisma, cui praeerat Antipapa Burdinus, seu Gregorius VIII extinxit. Is enim, qui Pontifice legitimo ad Urbem veniente, Sutrium fugerat, ibi captus, Romam reductus, et a Populo Romano publice ludibrio, et conviciis exceptus, ad Cavense monasterium relegatus est. Tum Callistus penitus se convertit ad Ecclesiae pacem stabiliendam, quae diu ob toties memoratam Investiturarum causam desiderata fuerat. Itaque habitus est Wormatiae conventus, cui Callisti Legati, et Imperator interfuerunt. Ea vero, quae ibi sunt statuta, Callistus rata habuit.

Quomodo autem res gestae fuerint in conventu Wormatiensi, qui anno 1122 habitus est, tradit Abbas Urspergensis in chronico. « Facto » igitur, inquit, universali conventu » apud Urbem Vangionum, quae nunc » Wormacia dicitur, sicut longum, » ita et incredibile memoratu est, » quam prudenti, quam instanti, » quamque per omnia sollicito cun» ctorum procerum consilio, pro » pace et concordia, per unam vel » amplius hebdomadam certatum sit, » donec ipse in cuius manu cor Re» gis est, omnem animositatem Au» gusti, sub Apostolicae reverentiae » obedientiam causa Matris Eccle» siae, etiam ultra spem plurimorum, » inflexit. » Statutum vero in illo conventu est, ut dimissa investiturae collatione per annulum, et baculum, ubique electionem, et consecrationem Clerus faceret. Pontifex autem Callistus litteris die 23 Septembris eo anno scriptis concessit, ut electiones Episcoporum, atque Abbatum in Teutonico Regno, fierent Imperatore praesente, et Regalia per sceptrum, electus Episcopus, aut Abbas ab Imperatore susciperet.

Post haec, ut inita ista concordia solemniori ratione constaret, et publico Ecclesiae consensu confirmaretur, Concilium Oecumenicum Lateranense primum, seu Generale nonum Callistus II habuit. Illud Pontifex indixit litteris undique scriptis, ut Episcopos invitaret. Etenim hoc habent illorum temporum perspicua monumenta. Tale est testimonium Simeonis Dunelmensis in hist. de Gest. Regum Angliae ad annum 1122. « Hac concordia, ait, per gentes et » populos, ubique divulgata, mittun» tur etiam litterae ab Apostolico » omnibus Archiepiscopis, et Episco» pis per regiones, et provincias, ut » omni excusatione postposita, festi» nent occurrere ad Concilium, quod » Domnus Apostolicus Romae cele» braturus erat XV cal. Aprilis. » Gravissimum est praeterea, ut cetera omittam, Callisti ipsius testimonium de ea re. Etenim in epistola, quam ad Imperatorem Pontifex scripsit, ut ei ob concordiam initam gratularetur, et simul doceret quanta Ecclesiae, et Reipublicae utilitas inde esset obventura, affirmat *a se indictum esse Concilium*, et Imperatori idcirco commendat, ut una cum Legatis Pontificiis, qui ad Urbem erant redituri, mitteret etiam Romam Oratores suos, qui Concilio interessent, in quo conventio Wormatiae inita confirmari debebat. Haec autem, aliaque de ista re agentia monumenta, non ostendunt modo Synodum hanc Generalem a Pontifice convocatam esse, sed etiam propria solius Pontificis auctoritate indictam illam fuisse.

Non est praeterea dubium Concilio Pontificem ipsum per se praefuisse. Id aperte testatur Concilii illius historia, et omnia, quae de eo agunt, monumenta, ita ut necesse non sit in hac re probanda consistere. Tercenti autem, et plures et-

iam Episcopi Concilio interfuerunt. « A Domno Papa Callisto (ait, in » Ludovici VI Francorum Regis vita, » Sugerius Abbas S. Dionysii, qui » Concilio interfuit) et tota Curia » honorifice valde recepti, per sex » menses, cum apud eum demorando, » magno Concilio tercentorum, aut » amplius Episcoporum Laterani, » compositioni pacis de querela In» vestiturarum adstitissemus.» Idem habet memoratus superius Simeon Dunelmensis, aliique. Praeter Episcopos, sexcenti quoque Abbates interfuerunt. Habita vero est Synodus in Aede Lateranensi, ex quo nomen suum consequuta est. Duabus vero sessionibus habitis a XIV cal. Apr. usque ad XII cal. eiusdem mensis, Synodus absoluta est. Id inter ceteros luculenter tradidit Landulphus a Sancto Paullo, cuius longum testimonium refert Pagius in critica Baronii ad an. 1123 num. 2. Is commemoraverat sessionem feria secunda habitam, et deinde aliam feria quarta eiusdem hebdomadis celebratam; post haec subdit Landulphus: « Ego exspectavi alterum diem con» venientem meae causae, meaeque » querelae; ex improviso vidi, et au» divi, quod Domnus Papa, gratia » consecrandi altare dissolvit Syn» odum in ipsa die mercurii, nec ul» tra ab eo Synodum celebrari au» divi, nec vidi. »

Concilium hoc Lateranense I plura decrevit, quae ad Ecclesiae disciplinam firmandam erant imprimis opportuna. Non enim de Investiturarum negotio tantum finiendo Callistus II sollicitus fuit cum Synodum illam indixit, sed etiam de gravibus aliis Ecclesiae rebus sapienter statuendis, in eo generali conventu agi voluit. Itaque iam a nobis alio loco sunt allata monumenta, quibus a Pontifice, et Imperatore declaratum est, quae ab utraque parte circa Episcoporum, et Abbatum electionem servanda esse decernebantur. Haec autem cum in Concilio isto generali fuerint Pontifice volente confirmata, manifestum est, ea ratione, quam toties diximus, a Callisto sapienter tantam controversiam diremptam esse. Affirmat quidem Potterius tom. 3 pag. 193 *de Ecclesiae Spiritu* etc. rationem hanc finiendae controversiae *puerilem* fuisse, sed facta superius rei narratio oppositum ostendit.

Canones viginti tres a Concilio I Lateranensi conditos fuisse perhibent certa monumenta. Ex iis autem celebriores sunt primus, qui simoniacas electiones proscribit ea poena lata, ut irrita sit, ob simoniae crimen, beneficii facta collatio. Secundus vero, qui Presbyteros, etc. a mulierum consortio prohibet. Undecimus praeterea, qui de sacris expeditionibus agit, iisque indulgentiam tribuit, qui harum expeditionum pro locis Palaestinae, aut Hispanicis dioecesibus ab Infidelium servitute liberandis exercitus participes evasissent, vel cruce signatis, ac sacrae expeditioni quacumque ratione opem attulissent. Promittit autem Canon ille proficiscentibus ad ea bella patrocinium D. Petri, quod familias eorum etiam iuvare decernitur. Sextus Canon ordinationes a Burdino factas vituperat, et irritas, seu contra legem omnem factas esse declarat. Agit quintus de consanguinitatis impedimento, quod nuptias irritas facere possit.

Septimo praeterea Canone cautum est legitimae illorum Presbyterorum iurisdictioni, quibus animarum cura committitur. Id enim sine Episcopi auctoritate fieri non posse statuitur. Octavo civitati Beneventanae prospicitur, ea B. Petri esse dicitur, et ab omni militari invasione defenditur. Nono canone abusui consulitur ne ab Episcopis propriis excommunicati ab aliis Episcopis in communionem accipiantur. Prospicitur decimo Canone legitimae Episcoporum electioni, cum vetetur eos consecrari, de quibus non constet canonice electos esse. Duodecimo Canone *Porticanorum* hereditati consulitur.

Hoc autem Porticanorum nomine, quid proprie intelligendum sit, disputaverunt eruditi viri. Illa vero videtur omnino ei nomini significatio subiecta, ut Leoninae civitatis prope Basilicam Vaticanam a Leone IV conditae habitatores, et in porticibus illi Basilicae proximis degentes, sive peregrini, sive advenae, sive negotiatores, possent de bonis suis libere testari. Invaluerat enim consuetudo, ut Praefectus Urbis bona ab iis relicta occuparet. Ob hanc autem molestam consuetudinem factum erat, ut hominum ea loca incolentium pristina frequentia Callisti II aetate desideraretur.

Coercetur decimo tertio Canone eorum effrenis audacia, qui treguam violassent. Oblationibus Ecclesiae factis a laicorum avaritia defendendis, et Ecclesiarum libertatis tuendae causa Canon decimus quartus conditus est. Condemnantur decimo quinto Canone monetae falsae cusores. Decimo sexto Canone peregrinorum Romana templa visitantium incolumitati providetur. Posterioribus denique sex Canonibus, Episcoporum auctoritas in Parochis constituendis asseritur; quid monasteria Episcopis debeant confirmatur; bonorum Ecclesiasticorum custodia, iura Apostolicae Sedis in Exarchatu Ravennatensi defenduntur; et Clericorum in sacris Ordinibus constitutorum coniugia prohibentur.

Quae hactenus cursim perstrinximus, decreta continent a Concilio I Lateranensi edita, quae Pontifice Callisto auctore ad disciplinam praesertim Ecclesiae firmandam, et ad Cleri obtinendam vitae sanctimoniam statuenda visa sunt. Praeter ista vero non est praetereundum in ipso Concilio Callistum II Pontificem Conrado Episcopo Constantiensi Sanctorum honores adhibendos esse publicis litteris suis statuisse. De hac autem Romanorum Pontificum auctoritate, ut solemniter aliquem inter Sanctos colendum esse decernant, egimus in praelect. saec. X cap. 89.

Haec sunt praecipua, quae Concilii Lateranensis Generalis primi, seu inter Oecumenica noni, celebrationem respiciunt. Post haec vero praeclare facta, Callistus II non diu superstes fuit, sed is Pontifex, quem Moshemius ipse virum excelso loco natum, et Ecclesiae, ac Reipublicae bono electum fuisse dicit, die 13 Decembris anno 1124 mortuus est, cum annos quinque, menses decem, et dies duodecim pontificatum sapienter gessisset.

CAPUT X.

DE SCHISMATE PETRI LEONIS.

Cum Callistus II Pontifex an. 1124 exeunte mortuus esset, Pontifex electus est Honorius II Bononiensis, qui Lambertus appellabatur, et Episcopus Ostiensis tunc erat. Ille quidem ab initio non legitime electus censeri poterat. Nam Cardinales de Theobaldo Presbytero Cardinali S. Anastasiae ad pontificatum maximum promovendo iam consenserant. Theobaldus autem ad schisma vitandum, sponte Pontificatu abdicavit. Honorius vero ita se gessit, ut libera deinde Cardinalium voluntate et consensu, Pontifex legitimus declaratus sit.

Ita rem narrat Pandulphus Subdiaconus, qui rei ipsi interfuit, a Baronio ad an. 1124 num. 7 relatus: « Tandem in crastinum ita illecti » Cardinales Papam facturi conve- » niunt ad Beati Ioannis Basilicam, » et in Ecclesiae Oratorium, quod » Sancti Pancratii dicitur, intrarunt. » Ubi post aliquot verba, Ionathas » Sanctorum Cosmae, et Damiani » Diaconus Cardinalis, collaudanti- » bus omnibus, ipso etiam Domino

» Lamberto Episcopo, Theobaldum » Cardinalem Presbyterum Sanctae » Anastasiae cappa rubra induit, et » Caelestinum appellat, ut caelitus » missum. Non patitur Caelestinus » (ego nescio cur aliquandiu noluerit): inceptum est *Te Deum laudamus* cani gaudenter, Lamberto » Episcopo Ostiensi pariter nobiscum » canente. Non tamen dimediato adhuc, Robertus impius Frangipanis » verti fecit in luctum citharam. Etenim ipse cum quibusdam consentaneis suis, et aliquibus de curia, » Lambertum Ostiensem Episcopum » acclamaverunt. Deinde in Simiis, » quae ante Oratorium Beati Silvestri sitae sunt, sine mora eum composuerunt. Unde licet maxima discordia, et tumultus emergeret, tamen postea pacificatis omnibus, et » ad concordiam reductis, Lambertus Cardinalis Ostiensis in Honorium Papam sublimatur. »

Quomodo vero Honorius II ipse deinde effecerit, ut eius electio legitime facta existimari iure posset, ex codice Vaticano in memorati Pontificis vita, ad eundem annum, Baronius, et Pagius referunt. Nam in eo codice haec memoriae prodita leguntur: « Quia electio Honorii minus canonice processerat, post septem » dies, vigesima prima Decembris, in » conspectu fratrum, sponte mitram, » et mantum refutavit, atque deposuit. Fratres, tam Episcopi, quam » Presbyteri, et Diaconi Cardinales » videntes ipsius humilitatem, et » prospicientes in posterum, ne in » Romanam Ecclesiam aliquam inducerent novitatem, quod perperam factum fuerat, in melius reformarunt, et eundem denuo advocantes ad eius vestigia prociderunt, » et tamquam Pastori suo, et Universali Papae consuetam obedientiam exhibuerunt. »

Honorio II mense Februario anno 1130 mortuo, Gregorius Cardinalis Diaconus S. Angeli statim sequenti die suffectus fuit, qui Innocentius II appellatus est. Eum Canonicum Regularem Lateranensem Ordinis S. Augustini fuisse ostendit inter ceteros Pagius ad annum Baronii 1130 num. 3. Cum Innocentius II electus Pontifex est, gravissimum illud schisma in Ecclesia Romana excitatum fuit, quod *Schisma Petri Leonis* solet appellari. Illud autem conflatum est ambitione Petri Leonis Filii, seu Nepotis, qui Presbyter Cardinalis erat tituli S. Mariae Transtiberim.

Quanto citius fieri potuisset, absolvendam esse novi Pontificis electionem Cardinales iudicaverant, ut ita Petri ipsius Leonis conatus impedirent, quem cupiditate omnino inflammari intelligebant Pontificatus consequendi. Recte autem de Petri Leonis ambitione Cardinales iudicavisse, factum ipsum luculentissime ostendit. Hac autem prorsus de causa a Cardinalibus Innocentium II celeriter electum esse, inter vetera monumenta, refert Chronographus Mauriniacensis. « Id, inquit, illius gratia » dispensationis factum dicunt, ut » Petrum quendam, qui saeculariter » ad Papatum videbatur aspirare, » spe sua frustrarentur. » Sed haec Petrus Leonis sprevit omnino. « Pontificatus, ait eodem loco Chronographus, culmen arripit, Cleri, Populique non parva multitudine sibi » consentiente. Id in Ecclesia Dei seminarium maximi schismatis erat. » Suscepit vero Petrus Leonis nomen Anacleti II. Neque legitima aliqua ratio afferri potest, ut Cardinales reprehendantur, quod adeo celeriter Pontificem elegerint. Nam primo non tenebantur ea aetate, iis legibus, quae de Pontificis Romani electione posterioribus temporibus latae sunt. Deinde, nisi Pontificem legitimum continuo elegissent petulantius Petrus Leonis conatus esset quae meditabatur, et difficiliora etiam fuissent tumultus eius adiuncta.

Est autem in promptu ex iis, quae Baronius, et Pagius ad memoratum annum 1130 num. 7 afferunt, quanta virtute Innocentius II praestaret, et

iure conceptam de eius virtute opinionem fuisse causam, cur Cardinales consilium studiose susceperint ut Honorio II ille sufficeretur. Narrat vero Arnulphus, cuius longum testimonium Pagius refert, quantopere conatus sit Innocentius, initum de Pontificatu ei designando a Cardinalibus consilium reiicere, et quanta constantia, ob molestiam, qua animatus erat, et ob illam, quam retinebat, demisse de se iudicandi rationem, laboraverit, ut electionem, et Pontificiam dignitatem declinaret, et ostendit eum penitus invitum, ac repugnantem fuisse tandem adductum, ut Pontificatum susciperet.

Valde diversa vero sunt, quae Baronius et Pagius de Anacleti II seu Petri Leonis moribus, et vitae gestae ratione narrarunt. Est autem inter cetera opportunum ad ostendendum, ex quo genere hic Antipapa fuerit, et quomodo vixerit ante pontificatus invasionem, adductis nonnullis ex Arnulphi testimonio, hic explicare. « Eius avus cum inaestimabilem pecuniam multiplici arrogasset usura, susceptam circumcisionem (Iudaeus enim erat) baptismatis unda damnavit. Pudebat eum impotentiae suae, potius quam erroris, ne genus eius, infidelitatis opprobrio confusum, perpetua damnaret obscuritas. Susceptis itaque fidei sacramentis, ubi novus civis insitus est, factus dignitate Romanus... dum genus, et formam regina pecunia donat, alternis matrimoniis omnes sibi nobiles civitatis adscivit... Ex hac igitur diversorum generum mixtura, Petrus iste exortus est, qui et iudaicam facie referens imaginem, et perfidiam voto referat, et affectu. Porro ipsum a cunabulis ab ipsius nutricis uberibus, Apostolatui praesaga parentum destinavit ambitio... At vero postquam adolescentia, et peccandi facultatem, et licentiam fecit liberius evagandi, si qua superbia, si qua petulantia, tum vere ipse superbus, et petulans, omni intemperantiae sese satis impudenter addixit. Profecto cum in his operibus, nec Deum dignatur revereri, nec hominem; tantam sibi suscitavit infamiam, ut eius ortu, ambitione, vitaque praecognitis, ipsum esse Antichristum universitas gentium passim crederet, et publice testaretur. »

Post ista, quae satis demonstrant, quam inhonestis moribus Petrus Leonis semper laboraverit, ostendit Arnulphus, quibus artibus ad Ecclesiasticas dignitates, sibi ille viam aperuerit. Videlicet, simulata vitae mutatione, et Monasticae Professionis praetextu, ita se homo subdolus gerere coepit, veluti si severiora, et sanctiora consilia inivisset. « Habitum Monachatus excepit, ut vitia mentis ovino velaret amictu, opprobria vitae praeteritae Cluniacense nomen obnuberet, et virtutis aestimationem, bonorum societas quaesita referret. » Contulit vero se ad Urbem in posterum Petrus Leonis, cum adeo diversa de eius vita apud Pontificem Paschalem II obtineret opinio, et, cum « nullus fortasse, ut Arnulphus ait, ad aures Summi Pontificis infamiae Petri fumus ascenderat; » atque in his rerum adiunctis, ad amplissimam Cardinalis dignitatem obrepsit.

Postquam Cardinalis factus esset Petrus Leonis, inter cetera, cum Legati Pontificii munere, ac potestate, sub Paschali, et Callisto II Pontifice ab Urbe profectus est. Talia autem sunt crimina, quae Arnulphus a Petro Leonis patrata esse describit cum Legati munere potitus esset, ut illa narratio hominem omni flagitiorum genere turpissimum ostendat. Quidquid enim, sive avaritiae, sive luxuriae, sive superbiae, et vitae quantumvis impurae excogitari potest, id a Petro Leonis patratum esse Arnulphus confidenter exposuit, ac vehementer indignatus Giraldo Episcopo Engolismensi, quem praecipuum sceleris sui socium, ac propu-

gnatorem Petrus Leonis habebat, haec scelera, eiusdem accusandi causa commemoravit.

Apparet ex his, quae recensuimus, vere scelestum hominem fuisse eum, qui schismate contra Innocentium II conflato, per octo circiter annos Ecclesiam graviter perturbavit. Is, postquam Innocentius legitime electus fuisset, in Ecclesia S. Marci a factione sua illi est oppositus, et se Anacletum II, prout iam diximus, appellavit. Vim inferendam Innocentio statim constituit Anacletus, adhibitis nefariis hominibus, quibus consiliorum suorum audacibus administris utebatur. Evasit tamen ab hoc periculo Innocentius, sed ut saluti suae consuleret, coactus est quam primum ab Urbe cum suis fugere, et in Galliam se conferre.

Qua ratione Petrus Leonis se gesserit statim postquam Pontificatum invasit, docent perspicue verba Scriptoris Anonymi, cuius testimonio ex Codice Vaticano Baronius utitur, ex quo testimonio ista referemus: « Petrus Leonis hostiliter fecit aggredi » domos Frangipanum, in quibus Innocentius se receperat cum suis » fratribus. Sed contra spem sibi accidit, quia et Innocentii partem » modicum laesit, et eius satellites, » non sine gravi damno ad eum reversi sunt. Unde in indignationem, » et iram commotus, ad Sanctum » Petrum cum indignatione, maxima » cum multitudine aequitavit, et » ipsam, quam cepit Ecclesiam, per » violentiam introivit, et per Sanctuarium, et aureum Crucifixum » pendentes coronas, cum toto thesauro argenti et auri et pretiosis » lapidibus, sive gemmis, quas Romani Pontifices, orthodoxique Imperatores in Ecclesia ipsa cum devotione obtulerant, tamquam sacrilegus auferre, et ciborium, quod » super Altare B. Leo construxerat, » detruncare praesumpsit. Sublatis » autem et abreptis omnibus, ad Patriarchium B. Mariae accessit, et » Ecclesiam ipsam multo maiori thesauro dotatam exspoliare nihilo minus attentavit. Ad alias praeterea » Urbis Ecclesias manus extendens, » quidquid in eis pretiosum invenit, » similiter rapuit et asportavit. Talibus ergo, tantisque mercibus iniique dotatus, maiorem venalis Urbis partem emere studuit, corrumpens vulgus etiam ita sibi adstrinxit, ut praeter Frangipanum, et » Corsorum munitiones, Papa Innocentius nullum in Urbe subsidium » haberet. Cum igitur Pontifex ipse » undique ita esset obsessus, ut nemo » ad eius praesentiam sine periculo » vitae posset accedere; consilium » habuit exeundi Urbem, et transeundi in partes Galliarum. Ascendit ergo duas galeas cum omnibus » fratribus, qui secum steterant, » praeter Conradum Sabinensem Episcopum, quem Vicarium in Urbe » reliquit, et faucibus Tiberis cum » difficultate transcensis, ad comitatum Pisanum, cum prosperitate, » Deo auctore, pervenit. »

Cumulavit deinde Petrus Leonis tanta haec scelera eo iniquo consilio, ut in legitimum Pontificem anathematis sententiam ferret, et Catholicos ubique commorantes, ad morem sibi gerendum pertraheret, legationibus idcirco ad Principes decretis, et eiusmodi litteris scriptis, quibus per falsam gestarum rerum expositionem, se legitime electum Pontificem, reiiciendum vero Innocentium esse suaderet. Ostendunt id litterae plures a Baronio allatae, quas Petrus Leonis ad Lotharium II eiusque coniugem, itemque ad Reges Germaniae, et Angliae scripsit; Legationes praeterea ab eo commissae Girardo Engolismensi, et Ottoni Tridentino Episcopis, ac Cardinali de Comitibus ad Rogerium missis, ut eum, quem sibi studere sciebat Siciliae Regem coronaret. Certum tamen est, exceptis Scotiae ac Siciliae Regibus, Innocentio Lotharium Imperatorem, Angliae et Hispaniae Reges, aliosque Principes perpetuo adhaesisse. Praeterea, quo clariora Ana-

cleti evaserunt scelera, eo severius contra ipsum, eiusque socios actum est. Id inter cetera confirmat Stampense Concilium, in quo a Gallis Anacletus reiectus est; Aniciense et Rhemense, in quibus anathemate mulctatus fuit, et Lotharii II denique decretum, quo Petri Leonis sectatores, Rei Maiestatis declarati sunt. Haec tamen non excludunt, gravissima calamitate Ecclesiam Catholicam, ob Petri Leonis schisma, et diuturno molestissimoque tot annorum incommodo affectam esse. Id schismatis cuiuslibet huius generis natura ipsa demonstrat, atque id quotquot sunt illius aetatis Ecclesiastica monumenta diserte confirmant.

Huic tamen malo finis impositus fuit anno 1138, quo Petrus Leonis mortuus est. Fuit autem omnino miser huius hominis obitus. Utar tot inter monumenta id demonstrantia, utar testimonio Bernardi Abbatis Bonaevallis in vita D. Bernardi. « Advenerat tempus, ait, in quo completa » Amorrhaei malitia, Angelus percutiens gladium iam vibrabat, et pertransiens domos, quarum superliminaria sanguis agni imbuerat. Sed » domum Petri Leoni veniens, salutare in ea non reperit signum. Percussit igitur miserum; nec tamen illico defungitur, sed datur per triduum poenitentiae locus. Ille patientia Dei abutitur, et in peccato » suo moritur desperatus. Miserabili » pompa corpus eius effertur, cadaver eius in latebris sepelitur, et » usque hodie fovea illa a Catholicis » ignoratur. »

Praecipua tamen schismatis extincti laus debetur D. Bernardo Claravallensi, quem Pius VIII sapientissime Ecclesiae Doctorem declaravit, eique illum decrevit honorem, qui Doctoribus Ecclesiae debet exhiberi. Nihil profecto est in tota huius schismatis historia adeo cognitum, quam D. Bernardi praesertim virtute tantum Ecclesiae, ac Reipublicae malum esse deletum. Ille Innocentium II semper veluti legitimum Pontificem sequutus est; ille Ludovico VI Galliae Regi hanc veram sententiam esse persuasit; ille alios Principes in ista sententia confirmavit; is denique auctoritate sua, ac nominis celebritate, schismatis auctorem quodammodo profligavit. Si cetera vero argumenta hoc evincentia deessent, Concilium certe Stampense, inter Lutetiam, videlicet, et Aureliam habitum, hoc aperte demonstraret.

In eo enim Concilio universa quaestio illa dirempta fuit, et Innocentius II legitimus Pontifex est declaratus communi suffragio, id praesertim D. Bernardi auctoritate coram omnibus evincente. Hoc Bernardus Abbas Bonaevallis, in vita S. Bernardi Claravallensis; id Arnulphus contra Gerardum Engolismensem scribens ostendit. « Cui Concilio, inquit » Arnulphus, quoniam interesse, Girarde, non poteras, cum litteris » tuae deformitatis imagine consignatis, nuncium destinasti. Utramque te novisse personam et electionis ordinem plenius exquisivisse, proculdubio cum Innocentio » Papa stare iustitiam, eo quod plane vir esset honestatis egregiae, » et ipsius electio prima tempore, et » a praecipuis Romanae Ecclesiae » fuerat celebrata personis. Porro » Petrum per opulentam manum, » cathedram posterius usurpasse, virum adeo vita roprobatum, et nomine, ut si ipsum etiam quaelibet » electionis forma defenderet, promovere tamen vitae qualitas, et » infamia minime sustineret..... » Tandem ergo..... inventus est » Petrus indignior adeo, ut ex ipsius » comparatione alteri personae irrogari gravis iniuria videretur.... » Sumpta igitur ex Magni Leonis » Papae sententia, ubi se partium » vota diviserant, visus est illis iure » canonico praeferendus is, qui maioribus studiis iuvabatur, et meritis. » Haec autem omnia sapienter, et cum summa eloquentiae laude S. Bernardus pertractans de schismate triumphavit.

Anacleto, seu Petro Leonis martuo, conati sunt eius sectatores, licet valde debilitati ac fracti, schisma regere. Etenim Gregorium, quem Anacletus Cardinalem creaverat, elegerunt, qui Victoris III nomine suscepto, se veluti novum Pseudo-Pontificem gerere coepit. Verum ista brevi tempore perdurarunt; nam hic a D.Bernardo monitus, prout in eiusdem S. Doctoris vita refert Bernardus Bonaevallis, Pontificia deposuit insignia, ac ad Innocentium a D.Bernardo deductus, veniam impetravit, et cum Pontifice legitimo reconciliatus est; quo facto schismati finis impositus fuit.

Dum ista evenerunt, Innocentius primis pontificatus sui annis in Gallia moratus est, ubi plura Concilia celebravit. Anno autem 1133 Romam rediit, atque una cum Pontifice Lotharius II ad Urbem se contulit, quem Innocentius Imperatorem coronavit. Postquam vero Roma Lotharius discessit, intelligens Innocentius, se Anacleto adversario suo in Urbe plurimum potenti non posse resistere, et tutum se ac tranquillum cum suis Romae manere non posse; Pisas migravit, ubi moratus est usque ad Lotharii in Italiam reditum. Quandiu vero in ea civitate Innocentius mansit, etsi gravissimis molestiis ob Petri Leonis schisma afficeretur, non omisit tamen Ecclesiae rebus gerendis diligentem operam dare, prout inter cetera colligi potest ex iis, quae Baronius, et Pagius de Innocentii II vita agentes narraverunt. Post Petri Leonis mortem Catholici respirare prorsus visi sunt; Pontifex vero multo liberius, atque expeditius ea paragere potuit, quae Ecclesiae, ac Religionis bonum postulabant.

CAPUT XI.

DE CONCILIO GENERALI DECIMO, SEU LATERANENSI OECUMENICO II.

Cum turbae in Ecclesia ob Petri Leonis, seu Anacleti II, schisma excitatae desiissent, et Ecclesiae negotia tandem aliquando pristinum suum cursum recuperassent, Innocentius II iudicavit, rem utilissimam se eidem Ecclesiae in iis adiunctis esse facturum, si Concilium Generale convocasset. Illud igitur indixit Innocentius, et media quadragesima an. 1139 in Aede Lateranensi celebravit, quod Concilium Generale decimum, seu Lateranense II Oecumenicum fuit. Illud vero Concilium celebratum fuit in tanta Episcoporum frequentia, ut mille circiter Episcopi ei interfuisse tradantur. Cardinalis Baronius, qui ad memoratum annum num. 4 affirmat, se non sine magno labore ea colligere studuisse, quae ad Concilium adeo celebre spectant, haec testimonia huius rei affert. Videlicet Ottonis Frisingensis Episcopi in chron. lib. 7 cap. 23 verba recenset, quibus testatur, eo anno, « proxima media » quadragesima, Synodus maxima » circiter mille Episcoporum Romae, » praesidente Summo Pontifice Inno- » centio celebratur, ibique post mul- » ta salutifera decreta promulgata, » schismatici, qui parti Petri Leonis » faverant, damnantur. » Praeterea adducit Baronius ex Chronico Beneventano hoc testimonium: « Hoc anno » praefatus Apostolicus Innocentius, » octavo die intrante mensis Aprilis, » Romae Synodum celebravit. Ad » cuius sacri conventus praesentiam, » Archiepiscopi, Episcopi, et Abba- » tes innumeri convenerunt. »

Haec tamen, quae in Concilio Lateranensi II, Otto Frisingensis statuta esse commemorat, et quibus servatis, Pontifex Innocentius Ecclesiae bono se consulturum esse putaverat, non eum fructum consequuta sunt,

quem Innocentius sperabat inde profecturum esse. Sed hoc hominum iniquitate contigit. Ita enim rem narrat Ordericus lib. 13 pag. 919 in eo testimonio, quod Pagius affert in critica Baronii ad annum 1139 n. 12. « Innocentius Papa II, inquit eo loco » Ordericus, Romae in medio quadragesimae ingens Concilium tenuit, et multitudini Praelatorum » statuta Sanctorum Patrum inviolabiliter teneri praecepit. De multis regionibus exciti ad Synodum » convenerant, et hac de causa brumali tempore periculosum iter inierant; sicque cum multis suarum » dispendiis rerum, Romana moenia » viderant. Multa illis Papa de priscis codicibus propalavit, insignemque sacrorum decretorum textum » congessit. Sed nimis abundans per » universum Orbem nequitia, terrigenarum corda contra Ecclesiastica » scita obduravit, unde remeantibus » ad sua Magistris, Apostolica decreta passim divulgata sunt. Sed nihil, ut manifeste patet, oppressis, » et opem desiderantibus profuerunt; » quoniam a Principibus et Optimatibus regnorum, cum subiectis plebibus parvipensa sunt. » Haec ceteroquin evincunt omnino, Innocentium certe, et Concilium Generale Lateranense II ea statuisse, quae ad bonum Ecclesiae consequendum erant opportunissima, sed hominum vitio factum fuisse, ut salutarem effectum suum ea decreta non obtinuerint.

Unam ex praecipuis causis, quamobrem Concilium Lateranense II habitum est, in eo sita fuit, ut malis a schismate Petri Leonis allatis consuleretur. Agit de ista re Pagius inter ceteros in Critica Baronii ad an. 1139 num. 7. Commemorat videlicet ibi Pagius in Concilio isto Lateranensi Acta omnia Petri Leonis, atque ordinationes fuisse rescissas Canone trigesimo. « Ad haec Ordinationes factas a Petro Leonis, et aliis schismaticis, et haereticis evacuamus, » et irritas esse censemus. » Haec autem Canonis verba, quomodo sint intelligenda, Pagius animadvertit, a Chronographo Mauriniacensi p. 385, et seq. accipi oportere. Is autem post recitatam orationem, quam Innocentius II ad Concilium habuit, haec addit: « His, et huiusmodi assertionibus Domnus Apostolicus ceteris » Praelatis divini sermonis favos impertiens, omnibus propatula ratione ostendit, quod Petrus Leonis, » non aliorum assentatione, immo » rapina, se Apostoli Petri Vicario » fecisset aequalem. Cunctisque religiosis viris, quibus illud detestabile » schisma displicuerat, verbis eius » cum magna laude unanimiter acclamantibus, respondit. Unde quia inordinatae personae inordinata sunt » decreta, quodcumque ille statuerat, » destruimus; quoscumque exaltaverat, degradamus; et quotquot consecraverat, exordinamus, et deponimus. Et quicumque per Girardum Engolismenem ad altaris officium accesserunt, Apostolica auctoritate interdicimus, ne ipsum » impleant, et in illo Ordinis gradu » perenniter demorantes, ad superiorem non adscendant. » Post hoc autem, absoluta est illorum hominum, qui Anacleto paruerant, ex Ecclesiasticis muneribus depositio, atque ita schismaticorum audacia compressa est. Praeter ordinatos vero a Petro Leonis, qui in Concilio Lateranensi his poenis sunt affecti, narrat etiam ex chronico Falconis Pagius, Innocentium coram Synodo universa contra Rogerium, quem Siciliae Regem Petrus Leonis declaraverat, et adversus eius socios excommunicationis poenam tulisse.

Illud etiam causam attulit, ut Concilium haberetur, quod in Generali totius Ecclesiae conventu, iterum faciendam esse Pontifex iudicaret Petri de Bruis, et Arnaldi Brixiensis, atque errorum, quos praedicaverant, condemnationem. Id autem continet Canon vigesimus tertius Concilii Oecumenici II Lateranensis, videlicet: « Eos, qui religiositatis speciem simulantes, Domini Corporis et San-

» guinis sacramentum, Baptisma pue-
» rorum, Sacerdotium, et ceteros Ec-
» clesiasticos Ordines, et legitima
» damnant foedera nuptiarum, tam-
» quam haereticos pellimus, et da-
» mnamus, et per potestates exteras
» coerceri praecipimus. Defensores
» quoque ipsorum, eiusdem damna-
» tionis vinculo innodamus. »

Canonem hunc Pagius iure animadvertit, illum ipsum esse, qui in Concilio Tolosano anno 1119 Callisto II praesidente celebrato, contra Petrobruisianos conditus est. Quare affirmari optime potest, renovatam fuisse in Concilio Lateranensi II horum errorum condemnationem, et Petrobruisianos tunc una cum Arnaldistis condemnatione iterum fuisse perculsos.

Gravissimos errores, quos Petrus de Bruis, et eius sectatores docerent, ostendit quidem Canon mox adductus, sed praeter istos, alii etiam a veteribus sunt memorati, qui ab iis hominibus praedicabantur. Inter ceteros, recenset eos Natalis Alexander diligenter in Synopsi Hist. Eccl. saec. XI et XII cap. 4 art. 7. Affert enim ibi *Petri Venerabilis* Abbatis Cluniacensis testimonium, ex epistola, quam ille scripsit ad Archiepiscopos Arelatensem, et Ebredunensem etc. hac de re, in qua epistola Petri de Bruis errores singillatim persequitur. Nam praeter memoratos in relato canone errores, quibus affertur errorum ab Calvino, aliisque recentioris aetatis disseminatorum praelusio; traditur in eo testimonio, Petrum de Bruis templa in honorem Dei aedificari non debere, aedificata vero evertenda esse praedicasse; Crucis signa cultui non esse proponenda; vita functos vivorum bonis operibus, et sacrificio pro iis oblato non posse iuvari; Traditionis denique auctoritatem ab eo fuisse repudiatam.

Una cum Arnaldistis in memorato 23 Canone Concilii Lateranensis Oecumenici II iterum damnatos Petrobruisianos diximus. Id autem iure affirmavimus. Nam praeter cetera, in quibus Arnaldus Brixiensis peccavit, ea etiam erant, quae de Petrobruisianis commemoravimus. Otto Frisingensis lib. 12 *de rebus gestis Friderici Imperatoris* ait: « Praeter
» haec (videlicet praeter cetera er-
» rorum capita, quae Arnaldus do-
» cebat), praeter haec de Sacramento
» Altaris, et baptismo parvulorum
» non recte dicitur sensisse. » Tum Otto subdit, idcirco condemnatum illum fuisse in Lateranensi isto Concilio sub Innocentio II Pontifice celebrato. Nam inquit: « His, aliisque
» modis, quos longum esset enume-
» rare, dum Brixiensem Ecclesiam
» perturbaret, Laicisque terrae il-
» lius prurientes erga Clerum aures
» habentibus, ecclesiasticas malitiose
» exponeret paginas; in magno Con-
» cilio Romae sub Innocentio habito,
» ab Episcopo civitatis illius, viris-
» que Religionis accusatur. Roma-
» nus ergo Pontifex, ne perniciosum
» dogma ad plures serperet, impo-
» nendum viro silentium decernit,
» sicque factum est. » Erant autem ceteri errores Arnaldi Brixiensis proprii, Ottone Frisingensi auctore,
« nec Clericos proprietatem, nec Epi-
» scopos Regalia, nec Monachos pos-
» sessiones habentes posse salvari,
» cunctaque haec principis esse, ab
» eiusque beneficentia in usum tan-
» tum laicum, cedere oportere. »

Alia denique ratio, quare Concilium Lateranense II habitum est, illa fuit, quod oportere Innocentius II viderit plura statuere, quae ad disciplinam Ecclesiae, vel instaurandam, vel ex abusibus asserendam pertinebant. In tanta enim schismatis gravissimi diuturnitate, perturbato Ecclesiae regimine, et potestatis legitimae auctoritate despecta, in omni hominum ordine, morum ac vitae severitas magnum detrimentum passa erat. Conditi idcirco sunt, et promulgati a Concilio Lateranensi II viginti octo Canones, quibus his rerum capitibus prospiciebatur; duo enim reliqui, quos recensuimus, et qui cum his duobus coniuncti numero

triginta Canones efficiunt, ad haereticorum et schismaticorum damnationem spectabant.

Inter Canones istos notabilis est duodecimus (Pagius ait ad cit. an. num. 11), qui est *de tregua, et pace,* seu de induciis a bellis privatis, quae pax ratione Clericorum omnium, peregrinorum, mercatorum, agricolarum cum bobus aratoriis, dominarum cum sociis suis inermibus, mulierum omnium, rerum ad Clericos, Monachosque pertinentium, et molendinorum, omni tempore indulta esset, ratione tamen ceterorum tregua tantum, id est induciae aliquot dierum ab omnibus servandae erant, et excommunicatione mulctabantur pacis, ac treguae violatores, atque ad damna sarcienda hominibus a se offensis cogebantur. De materia hoc Canone duodecimo comprehensa, agit etiam Canon eiusdem Concilii undecimus. In Concilio etiam Lateranensi I Generali Canonem decimum tertium latum esse significavimus, ut treguae, et paci servandae consuleretur, sed in Lateranensi isto II Generali Concilio, res disertius est inculcata, et treguae durationis fines praescripti quoque sunt. De huius autem *Treguae Dei, seu pacis origine,* idem Pagius plura habet ad an. Baronii 1034, et 1041, quo postremo anno istam treguam praecipi coepisse ex Hugone Flaviniacensi in chronico Virdunensi a Labbeo edito tom. I Bibliothecae demonstrat.

Sunt vero memoratu digna, quae ex eodem chronico Pagius affert ad eum annum 1041 num. 7. Hugo enim Flaviniacensis de rebus agens, quae hoc anno evenerunt, ista refert: «Anno ipso Treva Dei primum statuta » est, et firmata; et pax ipsa, Treva » Dei appellata. Quae non solum humanis praesidiis, sed et divinis confirmata est terroribus. Quam cum » noluisset recipere gens Neustria » viro Dei Riccardo (Abbate Verdunensi) praedicante, ut eam susciperet, quia voluntas Domini erat, » et a Deo, non ab homine decretum » hoc processerat, admonente, divino » iudicio coepit in eos desaevire ignis, » qui eos torquebat, et eo anno fere » totus Orbis penuriam passus est » pro raritate vini et tritici. Secuta » est vestigio mortalitas hominum » permaxima anno ab Incarnatione » Domini MXLII. Multi autem eorum, » qui torquebantur ab igne, venientes ad virum Dei, meritis eius, et » precibus curabantur medica virtute Dei. Superest adhuc Domnus Aeduensis Episcopus (Helmonius) vir » vitae longaevitate grandaevus, qui » et referre solitus est, quia cum a » Sancto Odilone, et ceteris, ipsa » pax divinis revelationibus instituta, Treva Dei appellata, et ab Austrasiis suscepta fuisset, et voluntas » omnium in hoc esset una, ut ubique servaretur, negotium hoc strenuitati huius Patris Nostri Gratia » Dei (hoc est Riccardi Virdunensis) » ab omnibus impositum est, ut eius » studio, et industria, pax eadem in » Neustria servaretur, eo quod certi » essent de eo, quod tanta esset erga » omnes, et omnium erga eum gratia, ut quidquid servandum doceret, servaretur a cunctis, quidquid » vitandum monstraret, id cuncti » vitarent. Quamobrem sategit Pater venerabilis, ut tantum bonum » gratanter ab omnibus susciperetur, » sed perversa quorundam voluntas, » et mens indomita, quasi inauditum » hoc respuit, quasi qui nollent instituta paterna violare, et nova, » atque inaudita suscipere. Unde et » subsequuta est divina ultio, ignis » scilicet in rebelles, et contumaces » desaeviens a Domino; quo torquebantur, qui viro Dei resistere, et » mandata eius contemnere non verebantur. »

Hoc autem licet longum testimonium, ideo retulimus, ut aliqua non deesset de tam celebri institutione in his praelectionibus narratio. Demonstrat vero celebritas ipsa, qua primum decerni coepit tregua Dei, quantopere salutaris in ea morum acerbitate existimaretur susceptum

consilium induciarum decernendarum, quibus, privatis bellis, quae quotidie gerebantur, et intestinae secum invicem decertandi cupiditati modus aliquis imponeretur, atque ita caedis, et sanguinis adversariorum quotidie fundendi finis fieret. Ostendunt praeterea plura saeculo XI, ac XII edita a Conciliis, et a Romanis Pontificibus decreta hanc treguam confirmantia, valde utilem illam in iis temporum adiunctis fuisse iudicatam. Sed cum satis ista non essent ad hominum crudelitatem comprimendam, eo etiam res perducta est, ut necessarium esse existimatum sit, Concilia quoque Generalia de pace et tregua servanda agere, dies illius custodiendae praescribere, et gravissimas poenas contra illos indicere, qui treguam violare ausi fuissent.

Nunc, ut breviter cetera rerum capita a Concilio II Lateranensi Generali decreta significemus, breviter haec veluti numerando percensebimus. Itaque Canon primus in simoniace ordinatos animadvertit. De eadem re est Canon secundus conditus in eos, qui beneficia, et dignitates Ecclesiasticas vendere, aut emere auderent, aut sacra quaelibet pecunia acquirere non dubitarent. Canon tertius eos coercet, qui excommunicatos ab Episcopis, antequam absolvantur, recipere in communionem sibi licere putaverint. Quartus Canon de Clericorum pietate in Deum, et de vestium ab iis adhibendarum honestate pertractat. Quinto Canone anathematis poena bonorum Ecclesiae usurpatores plectuntur. Canonibus sexto, septimo, et octavo, confirmatis Pontificum Romanorum decretis antea latis, caelibatus in sacris Ordinibus, atque in Monachorum et Sanctimonialium professione custodiendus edicitur. Nonus Canon animadvertit in eos Monachos, et Regulares Canonicos, et Clericos, qui pecuniae comparandae causa medicinam profiteantur, aut forensibus iudiciis cum Ecclesiastici muneris detrimento se dedant. De Decimis Ecclesiae debitis, de templis, quae Episcopis restitui debeant, deque eorum qualitatibus Canon decimus agit, quibus Ecclesiastica dignitas aliqua sit tribuenda. Contra Usurarios severissimus Canon decimus tertius est constitutus. De nundinis, seu feriis Canon decimus quartus agit, in quibus ad virium suarum ostentationem, certamina militum committi solebant, et in caede illa mortui, Ecclesiastica sepultura privandi decernuntur. Canone decimo quinto anathematis poena Clericorum percussores mulctantur; et immunitas praeterea localis in Templis, et Coemeteriis servanda declaratur, anathematis poena contra violatores indicta. Canon decimus sextus contra eos est, qui hereditario iure Ecclesiastica beneficia, vel officia postularent. Contra incestas consanguineorum nuptias Canon decimus septimus agit. Canones decimus octavus et nonus, ac vigesimus contra Incendiarios agunt severissime. Canon vigesimus primus de Presbyterorum filiis agit, eosque arcet ab Ecclesiastico ministerio, nisi in Coenobio vixerint, aut inter Canonicos vitam antea egerint. Contra falsos poenitentes agit Canon vigesimus secundus. Contra investituras ad Ecclesiastica beneficia est Canon vigesimus quintus constitutus.

Tollendam prorsus esse inductam consuetudinem Canon vigesimus sextus statuit, qua fiebat, ut mulieres, nullam vel S. Benedicti, aut Basilii, vel Augustini regulam profitentes, in privatis domibus una simul morarentur, et cum honestatis suspicione, quamplures hospitio in iis reciperent. Vetat praeterea Canon vigesimus septimus ne Moniales cum Canonicis, aut Monachis choro ad psalmos canendos intersint. Iubet Canon vigesimus octavus, Monachos quoque in electione Episcoporum peragenda, esse participes debere tanti negotii legitime absolvendi. Denique Canone vigesimo nono consultum est, ne in Christianorum et Catholicorum

perniciem, Ballistariorum, et Sagittariorum ars exerceatur. His capitibus comprehenduntur res omnes a Concilio Lateranensi Generali II ad mores informandos, et ad disciplinam praesertim Ecclesiasticam iuvandam decretae. Ipsa vero illorum decretorum cursim facta significatio, per se satis ostendit, quanta sapientia in ea Synodo, auctore praesertim Innocentio II, communi Ecclesiae bono consultum sit.

CAPUT XII.

DE DISSIDIO INTER FRIDERICUM I GERMANIAE IMPERATOREM AENOBARBUM, ET ALEXANDRUM III PONTIFICEM MAXIMUM EXCITATO.

In praecipuis Historiae Ecclesiasticae capitibus, quae saeculum XII respiciunt, numerari certe debet dissidium illud, quod Alexandrum III Pontificem inter et Fridericum I Germaniae Imperatorem *Aenobarbum* excitatum est. Factum vero hoc, tantopere involutum est cum Pontificis et Imperatoris illius vitae historia, ut ad brevem exhibendam illius rei notitiam, necessarium omnino sit, et sufficiat simul, ex utriusque vitae monumentis praecipua commemorare.

Itaque Alexander Senensis erat, et cum Hadrianus IV anno 1159 mortuus est, Cardinalis tituli S. Marci, Ecclesiae Romanae Cancellarii munere fungebatur. Rolandus autem antequam Pontifex fieret, is appellabatur. Communi suffragio a Cardinalibus Collegis suis Hadriano successor Rolandus, seu Alexander III destinatus est. Sed eodem tempore, tres (ut probabilior sententia fert) tantum ex Cardinalium numero, tum Collegii totius voluntati, tum Alexandri virtuti repugnarunt. Ii erant Ioannes tituli SS. Silvestri et Martini, Guido Cremensis tit. S. Callisti, et Octavianus tit. S. Caeciliae. Ab his autem, qui potenti factione iuvabantur, Antipapa electus est Octavianus ipse, qui se Victorem III appellavit. Atque is statim, eo audaciae atque insolentiae pervenit, ut pontificiam vestem, qua Alexander III indutus erat, per vim eidem detraxerit, et eam petulanter ipse induerit.

Fridericus dominandi in Urbe Roma cupiditate inflammatus, cum intelligeret, Alexandro III pontificatum gerente, se id consequi minime posse, inimicitias palam erga Pontificem legitimum exercere coepit. Erat praeterea Fridericus, vel ab Hadriani IV tempore, Rolando infensus, cui, cum pontificia legatione apud ipsum fungeretur, graviter fuerat indignatus, eo quod virum videret pontificiae potestatis acerrimum defensorem. Friderico igitur auctore anno 1160 Ticini Pseudo-Synodus habita est, in qua ita res sunt pertractatae, ut Victori III, non autem Alexandro obtemperari oportere, ibi statutum sit.

Pontifex quidem Alexander his minime perterritus, cum Ananiae moraretur, Imperatorem, cuius potissimum opera haec Ticini evenerant, excommunicavit; deinde vero, ut saluti suae consuleret, in Galliam se contulit, Friderico frustra obnitente. In Gallia autem a Rege Ludovico VII Iuniori singularibus observantiae ac benevolentiae significationibus Pontifex exceptus est. Cum vero anno 1164 Victor mortuus esset, Imperator a schismate confirmando non destitit, sed alium Antipapam eligendum curavit, Guidonem Cremonensem, qui se Paschalem III appellavit, quique, ut Friderico morem gereret, Carolum Magnum canonizavit. Discedens deinde ex Gallia, reversus est in Italiam Alexander, eo praecipue consilio, ut Venetorum auxilio se ab Friderici conatibus, et molestiis facilius expediret. Tum vero

Imperator ipse partim turbis et vicissitudinibus fractus, partim quod fugere coactus esset, consilium inivit in concordiam cum Pontifice redeundi. Venit idcirco Venetias, et cum Pontifice se reconciliandi propositum ita ostendit, ut palam eius pedes osculatus sit.

Ea autem narratio, qua continetur, Fridericum superbe ab Alexandro III fuisse exceptum, atque in ipsa reconciliatione facienda, fuisse illum non humaniter pertractatum, adeo falsa atque absurda est, ut ipsi scriptores in Sedem Apostolicam male animati, commentitiam, ac penitus contemnendam narrationem illam esse confessi sint. Satis est Moshemium consulere in Inst. Hist. Eccl. saeculi XII, parte 2 cap. 2 §. 11, ubi auctoritate destitutam hanc narrationem haberi affirmat, et scriptores nonnullos, quos indicavimus, recenset. Abhorrebat vero ab Alexandri III ingenio, ut superbe ageret cum Imperatore, veniam pacemque petente. Narratio praeterea illa talibus cum adiunctis est digesta, ut si vere ea evenissent, quae referuntur, ista caeremonia non ad pacem ineundam, sed ad bellum renovandum idonea futura fuisset.

Neque vero Alexander humaniter cum Friderico tantum egit, sed benignitatem suam adhibuit etiam erga Ioannem Abbatem Strumiensem, qui Paschali III Antipapae mortuo a schismaticis suffectus fuerat, et se Callistum III appellaverat. Illi enim pacem, atque facti sui veniam petenti, continuo Pontifex assensus est, et eundem benevole admissum, mensae quoque suae participem esse voluit eo die, quo reconciliatio facta est.

Longum quidem esset ex Friderici vitae historia, ea omnia referre, de quibus ille iure reprehensus est. Certe ex ea historia constat, multa conatum Fridericum fuisse, ut Apostolicae Sedis iuribus spretis, in Urbe, atque in provinciis Romani Pontificis temporali potestati subiectis dominaretur. Illud praeterea inter gravissima crimina Friderici recensendum est, quod repudiata Adelaide uxore, Beatricem Burgundiae Comitis filiam ducere non dubitaverit, quae res populi animum contra Imperatorem, atque indignationem generatim excitavit. Summum vero crudelitatis, et insolentis ulciscendi sui cupiditatis exemplum Fridericus exhibuit in atrocissima Mediolanensium caede, et Mediolanensis civitatis devastatione, atque in iis calamitatibus, quibus Placentiam et Brixiam civitates affecit. Quamobrem gentes istae Italiam superiorem incolentes, societate simul inita, contra Imperatorem exercitu comparato, illum prope Novocomum anno 1176 devicerunt. Quibus rebus perculsus, ea deinde Fridericus gessit, quae superius commemoravimus, ut reconciliari cum Pontifice Alexandro III voluerit. Ista vero pax anno 1177 Venetiis inita, duodecim Imperii Principum testimonio ibi confirmata est. In concordia autem ista ineunda, ea omnia sunt statuta, quae ad Sedis Apostolicae iura violata in integrum restituenda poterant pertinere.

Anno quidem 1178 ii, qui ex schismaticorum factione supererant, cum Antipapam Callistum III veniam facti sui a Pontifice impetrasse viderunt, conati sunt schisma renovare, atque idcirco exeunte mense Septembri eius anni, Landonem, seu Landum Sitinium elegerunt, qui Innocentii III nomen suscepit, sed his conatibus anno 1180 finis impositus omnino fuit, cum postremus etiam hic Antipapa comprehensus, et ad Cavense monasterium relegatus est.

CAPUT XIII.

DE SACRORUM BELLORUM RENOVATIONE ET PROSEQUUTIONE.

Quae mox retulimus de dissidio Romanum Pontificem Alexandrum III inter et Fridericum Aenobarbum diu habito, multum conferunt ad ostendendum, quisnam iis temporibus in Europa, et in ipsa Italiae luce, Ecclesiae status esset. Verum, quae eadem aetate ab Europaeis gesta sunt ut Christianorum statui in Asiae regionibus periclitanti succurrerent, demonstrant etiam, quae Ecclesiae esset in iis regionibus conditio. Sermo, quem instituimus de Friderico Aenobarbo, requireret, ut de eius bello contra Salahedinum, seu Saladinum Aegypti, Syriaeque Pro-Regem, aut Regem potentissimum ageremus. Fridericus enim post memorati superius dissidii extinctionem, praesertim hortationibus Romani Pontificis, adductus est ad sacrum illud bellum contra Turcas gerendum. Verum ne in eandem rerum materiam iterum pertractandam pluries revertamus, non illam tantum expeditionem commemorabimus, sed breviter, una simul, bellorum sacrorum renovationem, et prosequutionem omnem perstringemus, ut ita, quid tanti huius negotii exitus summa contineat, explicetur.

Agentes de bellorum sacrorum iustitia, narravimus, feliciter quidem primum sacrum bellum gestum fuisse, ita ut anno 1097 Nicaea Bithyniae urbs expugnata, Antiochia anno 1098 recepta, Edessa capta, et Hierosolyma ipsa anno 1099 occupata, atque ibi Hierosolymitani Regni sedes a Christianis constituta sit. Verum haec gerendi belli felicitas non diu perduravit, immo secundis rebus infelices eventus successerunt. Plures vero fuerunt causae cur ista contigerint.

Nam primo multi ex Christianis, qui ad sacram expeditionem se contulerant, et qui Mohammedanos superaverant, ex Asia in Europam revertentes, fructus, quos primum bellum susceperat, debilitarunt. Mortuo autem Godofrido Buglionaeo, qui strenuus illius belli dux fuerat, perdiderunt Christiani permagnum rerum in iis regionibus comparatarum propugnaculum. Accessere demum perniciosae admodum inter Christianos ipsos dissensiones, et inconsideratum illud consilium, ut qui rerum inter Christianos potiebantur, privata potius, quam publica commoda spectaverint; quo fiebat, ut de communi hoste delendo, ac profligando non idem omnium esset studium, et conatus. Haec vero cum eveniebant, Mohammedani, qui primum vix consulere rebus suis posse videbantur, quodammodo excitati, et alacriores facti, rerum faciem penitus immutaverunt, et per diuturnum tempus, armis contra Christianos cum eorundem detrimento decertarunt. Tum vero Christiani iterum implorandam Romani Pontificis opem, et Christianorum Principum auxilium existimaverunt, cum *Atabeck Zenghi* Antiochiae imminerat, atque eo tempore bellum sacrum renovatum revera est.

Nam Christianorum votis, et precibus Eugenius III motus, novam sacram expeditionem anno 1146 indixit, in qua re usus S. Bernardi Abbatis Claravallensis eloquentia, et opera, facile quod Christiani petebant, consequutus est. Itaque Conradus III Germanorum Imperator, et Ludovicus VII Galliae Rex crucem susceperunt, et exercitus conscripserunt, ut deinde in Palaestinam se conferrent. Profecti autem sunt cum exercitu Ludovicus anno 1047, Conradus anno posteriori, et mense Novembri eiusdem anni exercitus utriusque Nicaeae castra coniuncta fuerunt. Verum magnum

detrimentum exercitus, tum Imperatoris, tum Regis passus est, partim fame, qua laboravit, partim insidiis, quas iis Graeci moliti sunt. Non dubitarunt tamen Hierosolymam pergere cum exercitibus suis, quantumvis ii fracti essent magnopere ac debilitati, quo ibi possent contra Saracenos pugnare. Sed anno 1049 coacti illi fuere in Europam redire cum militibus, qui supererant; atque ita quidem, ut hoc novo bello nulla ratione felicior evaserit Hierosolymitani Regni status, aut Christianorum conditio, qui in Orientalibus regionibus morabantur. Hactenus vero res non eo erant adductae, ut desperari de victoria debuisset, si Christiani Proceres in Oriente degentes, de Reipublicae bono tantummodo solliciti, a privatis inimicitiis abstinuissent.

Nihil hac discordia opportunius offerri Saladino poterat, ut Christianos subigeret: et vere contra eos exercitu comparato, de illis victoriam reportavit. Guidonem Lusignanum Hierosolymitanum Regem anno 1187 prope Tiberiadem devicit, ac cepit, atque ipsa Hierosolymitana urbe potitus est. Quae cum evenissent, Christiani reliqui Principes, Europaeos Reges orarunt, ut auxilia afferrent prostratis eorum rebus. Clemens autem III hortationibus suis illos permovit, ut tertii sacri belli gerendi initium facerent.

Fridericus Aenobarbus omnium primus anno 1189 iter ad eas regiones cum exercitu suscepit. Multa perferre in itinere debuit, sed deinde in Asiam Minorem ingressus, Regis Mohammedani Iconii commorantis copias profligavit, et in Syriam se contulit. Christiani quidem in spem venerant, Friderici copias esse remedium allaturas calamitatibus, quas a Saladino toleraverant, atque etiam esse consequuturas, ut pericula novi mali vitarentur. Sed Friderici felicitas brevis fuit. Etenim anno proximo Imperator mortuus est cum in aquas fluminis *Saleph* Saleuciam alluentis se iniecisset. Cum Aenobarbus obiisset, magno numero milites, qui eum in Asiam pergentem sequuti fuerant, redierunt in Europam. Non pauci vero ibi perstiterunt, eo quod nollent Fridericum Aenobarbi filium deserere. Sed ii magnam partem anno 1191 obierunt pestilentia correpti, quo morbo Fridericus etiam ipse sublatus est.

Diximus, in hac expeditione absolvenda, Fridericum Aenobarbum omnium primum ex Principibus Europaeis anno 1189 cum exercitu in Asiam migrasse. Eum vero ad idem opus anno 1190 sequuti fuerunt Philippus Augustus Galliae Rex, et Richardus Angliae Rex cognomine *Cor Leonis*. Uterque autem in Palaestinam cum exercitu anno 1191 pervenit; et eorundem adventus magnam victoriae spem attulit, quia feliciter ab initio cum hoste manus conseruerunt. Verum brevi, Regem Angliae Ludovicus Augustus reliquit, et post expugnationem urbis Acrae in Europam rediit, ita tamen ut eius reditus detrimento communi causae non esset; magna enim suorum militum copia in Asia perstitit. Talis autem Angliae Regis agendi ratio fuit, ut Saladinum prorsus fusurus esse videretur. Itaque Richardus pluries in proelio Saladinum devicit, Iaffam, et Caesaream Palaestinae cepit, ac nisi a militum suorum magno numero derelictus fuisset, ampliores fructus in bello gerendo retulisset. Verum ista militum desertione adductus, aliasque ob causas permotus, inducias trium annorum, mensium, ac dierum cum Saladino inivit, illisque initis ipse brevi e Palaestina reversus est.

Quartae expeditioni suscipiendae Innocentius III operam dedit, commotus periculis, in quibus quotidie gravioribus Christiani in Oriente versabantur. Sed antequam Innocentius eo pervenire posset, ut novam hanc expeditionem revera fieri videret, multum laborare debuit, et tandem aliquando pluries Gallicanos

Principes adduxit, ut inito cum Venetis foedere ad bellum gerendum se conferrent. Ii tamen non Palaestinam, sed potius Constantinopolim versus iter susceperunt, quam Urbem anno 1203 expugnarunt. Cruciati, ut ita agerent, adducti sunt precibus Imperatoris Isaaci Angeli, qui eorum opem contra Alexium fratrem suum imploraverat. Itaque idcirco Constantinopolim ceperunt, ut memoratum Isaacum Angelum contra vim, et iniurias ab Alexio ei illatas tuerentur, et in pristinum dignitatis gradum restituerent.

Haec quidem Innocentio III displicuerant, quod aegre ferret, arma, quae contra Saracenos fuerant suscepta, ad Christianorum potius Principum discordias dirimendas conversa esse. Sed deinde haec spes Pontificis animum subiit, inde hoc bonum fortasse esse profecturum, ut facilius de Ecclesia Graeca cum Latinis reconcilianda agi posset, atque una simul existimavit, hoc Cruciatorum factum ad iuvandam Christianorum Palaestinae causam conferre posse. Posterius iterum Cruce signati Constantinopolim reversi sunt, et eam occuparunt anno 1204, cum antea magna seditio ibi orta fuisset, in qua seditione Alexius Imperatoris Isaaci mox demortui filius interiit, laqueo suffocatus ab Alexio Duca, qui praecipuus auctor seditionis commovendae fuit. Eo autem anno Balduinum Flandriae Comitem Imperatorem Constantinopolitanum constituerunt, et Latini Constantinopolitani Imperii initium fecerunt, quod deinde a Michaele Palaeologo Graeco Imperatore Nicaeae commorante anno 1261 deletum est.

Vel ab anno 1213 Innocentius III aliam expeditionem faciendam proposuerat, et Concilium Lateranense Generale quartum eodem Pontifice anno 1215 celebratum, hoc idem statuerat. Verum haec expeditio, quae quinta appellari debet, anno 1217 cum Honorius III Innocentio successisset, suscepta est. Et videbatur quidem felicem exitum habitura esse. Nam anno 1220 Cruciati Damiatam, quae munitissima tunc erat Aegypti inferioris civitas, ceperunt: sed fortuna facile inversa est. Etenim Saracenorum classis commeatu privavit classem Latinorum, eoque facto tum Cruciati gravissime prostrati, tum Damiata amissa, tum omnis ferme melioris exitus spes deperdita est.

Gregorius IX anno 1227 Honorio III successerat. Is, ut Christianis in Palaestina succurreret, novum comparandum statuit Europaeorum exercitum. Fridericus II ad hanc, quae sexta dici debet, expeditionem profectus est. Bellum tamen ille non gessit, sed componendum potius curavit, ut commodis suis inserviret. Nam, nihil tale scientibus iis, qui una cum eo ad bellum profecti erant, inducias annorum decem cum *Melic-Camelo* Mohammedanorum Imperatore anno 1229 inivit, quod causa fuit, ut a Pontifice Gregorio excommunicationis poena Imperator multaretur. Crimini enim Imperatori tributum iure est factum hoc, quo continebatur, nihili illum aestimasse Christianorum gravissima pericula, quibus obiecti relinquebantur, ac praeterea iurisiurandi religionem ab eodem fuisse violatam, cum non ad inducias ineundas, sed ad bellum vere gerendum se profecturum iurasset.

Non istam modo, quam nunc significavimus, sed aliam quoque expeditionem in Palaestinam Gregorius IX decrevit, quae anno 1239 suscepta est, et cuius participes fuerunt Theobaldus V Campaniae Comes, plures Franciae Principes, et anno 1240 Richardus quoque Cornubiae Comes, qui erat Henrici III Regis Angliae frater. Huius autem expeditionis exitus minime felix fuit, et nullum ex ea commodum Christianis in Palaestina degentibus obvenit. Illud fortasse solum potest non adeo infelix haberi, quod induciae a Friderici Imperatoris Legatis, et a Richardo impetratae fue-

rint, quibus Christianorum saluti aliquam partem consultum est. Nam Christiani apud Gazam oppressi a barbaris, Palaestina derelicta, reversi sunt in Europam. Richardus vero induciis cum Aegypti Rege, consentiente magna foederatorum parte initis, rediit anno 1241 in Europam.

Apparet ex his quae cursim significavimus, quo res Christianorum essent adductae, et quam modica iis reparandae salutis spes superesset. Sed Innocentius IV animo non deiectus est, et in Concilio Lugdunensi Generali, quod anno 1245 habitum fuit, decretum edidit de nova expeditione sacra comparanda.

Ludovicus IX Galliarum Rex, qui deinde ob praeclaram vitae morumque innocentiam, et ob singularem in Deum pietatem, et Religionis studium, Sanctorum honores in Ecclesia consequutus est, huius octavi sacri belli praecipuus auctor, duxque fuit. Voverat ille Deo, se bello sacro gerendo esse operam daturum, si ex gravi morbo incolumis evasisset, quo anno 1244 laboravit. Bona igitur valetudine recuperata, exercitum, et classem comparavit: atque anno 1248 in Aegyptum se contulit animo reputans, se ita posse Syriae et Palaestinae expeditius contra Mohammedanos opem ferre. Atque eius adventus Christianorum animos ad spem victoriae primum erexit. Etenim cum apud Damiatam castra posuisset, primum postero die Saracenos fudit, tum ea urbe potitus est. Consilium Ludovicus sapientissime susceperat, nullas moras trahendi, sed in hostes perterritos adventu, victoriaque sua, impetum faciendi. Id autem si statim exsequutus esset, Christiani facile Cairo, et Aegypto potiti fuissent.

Verum haec Regis sententia de nulla mora interiicienda, quam sapientissimam esse rerum adiuncta, et metu perculsi hostis status monstrabant, superata est illorum hominum consiliis, qui differendam aliquantum putaverunt hostium aggressionem, quoad Alphonsus Pictaviensis Comes advenisset, qui cum novis copiis quamprimum perventurus esse affirmabatur. Haec autem mora magno detrimento exercitui, et hostibus adiumento fuit. Etenim Damiatae commorantes milites otio, vitae licentiae, aliisque eiusmodi vitiis indulgentes, pristinum robur et bellandi alacritatem amiserunt ita, ut brevi impares evaserint negotio feliciter prosequendo.

Cum tamen novae copiae venerunt, nonnulla quidem opportune exercitus gessit; sed infelix fuit rei exitus. Etenim partim, quod viribus fracti, et virtute destituti milites hostium vim continere non possent, partim quod Robertus Ludovici frater imprudenter Saracenos aggressus esset, maximam calamitatem Cruciati pertulerunt. Nam Robertus necatus, Ludovicus ipse Rex cum duobus fratribus, et magna exercitus reliqui parte captus est die 5 Aprilis anno 1250, qua de causa magnos sumptus fieri oportuit, ut redimeretur, ac tandem Rex ipse, postquam quatuor ferme annos in Palaestina versatus esset, anno 1254 in Galliam reversus fuit. Cum vero Rex Sanctissimus, se voti religione adhuc teneri existimaret, minime perterritus calamitate prioris belli, an. 1270 ingenti classe comparata, a pluribus principibus ac proceribus comitatus, in Africam se contulit, Castrum Carthaginis expugnavit, sed non multo post, cum in portu Tunetano lues pestifera exercitum infecisset, magna militum copia consumpta, eo malo et Rex ipse die 25 Augusti anno 1270 ad virtutum suarum praemium aeternum migravit.

Post nonam hanc expeditionem, bellum nullum aliud Europaei Principes ad Palaestinam liberandam, et ad opem ei ferendam, coniunctis viribus gesserunt. Ac deinde regnum, quod in Oriente Cruce signati condiderant, iam valde prostratum ac debilitatum, tandem capta anno 1291

a Mohammedanis Ptolemaide, funditus eversum est. Continent haec, quae exposuimus, brevissimam bellorum sacrorum notitiam. Sed ea etsi cursim praecipua tantum attingant, quae in iis bellis gerendis evenerunt; luculenter tamen confirmant, quae alio loco tradidimus, scilicet, nonnisi per calumniam affirmari posse, Romanos Pontifices potestatis suae amplificandae causa, horum bellorum hortatores fuisse. Etenim ex modo facta expeditionum istarum recensione apparet, Pontifices nulla alia de causa, hortationibus suis, ea bella prosequutos esse, nisi quod preces ad eos afferrentur a Christianis in iis regionibus commorantibus, ut pericula, in quibus versabantur, arcerent, et Mohammedanos maiora mala quotidie minitantes ab his inferendis continerent. Fusius ista omnia apud Scriptores tractata reperiuntur, qui ex instituto de his bellis egerunt, quosque Moshemius inter ceteros in Inst.Hist. Eccl. saec. XII ac XIII part. 1 cap. 1 recenset.

CAPUT XIV.

DE CONCILIO GENERALI XI, SEU LATERANENSI III OECUMENICO.

Postquam gravissimum illud dissidium extinctum est, quod de Friderico Aenobarbo agentes superius commemoravimus, Alexander III Pontifex Maximus Concilium anno 1179 habuit in Aede Lateranensi, quod Generale nonum, et Lateranense Oecumenicum tertium fuit. Causae praecipuae, quamobrem Alexander Concilium hoc habendum esse censuit, ad istas referuntur. Primo Alexander senserat quanta pati mala Ecclesia debuisset ob illorum hominum impudentiam, qui Pontificatum illegitime usurpaverant. Existimavit igitur Ecclesiae bonum imprimis requirere, ut praeter edita de Romani Pontificis electione decreta, salutare novum aliquod consilium caperetur, quod eius generis factiosos, et audaces homines posset arcere ab eiusmodi calamitate renovanda. Multa praeterea erant circa disciplinam statuenda, quae ad morum vitaeque sanctitatem consequendam, atque ad Ecclesiae utilitatem in ea re promovendam, necessaria esse apparebant. Denique cum magno Religionis detrimento, illorum temporum haeretici errores suos spargebant. Hoc etiam gravissimum malum avertendum summa animi sui sollicitudine Alexander curabat. Haec animo reputans, Concilium superius memoratum Pontifex Maximus Romae habendum indixit.

Exstant Alexandri III litterae ad Concilium indicendum, quocumque per Subdiaconos missae, quibus Episcopos, ut ad Urbem habendi Concilii causa venirent, invitabat. « Quia, » inquit, in Ecclesia Dei, correctione » videmus quamplurima indigere, » tam ad emendanda, quae digna » emendatione videntur, quam ad » promulganda, quae saluti Fidelium » visa fuerint expedire; de diversis » partibus personas Ecclesiasticas de» crevimus evocandas, quarum prae» sentia et consilio, quae fuerint sa» lubria statuantur; et quod bonum, » secundum consuetudinem antiquo» rum Patrum, provideatur, et fir» metur a multis, quod si particula» riter fieret, non facile posset ple» num robur habere. Quocirca per » Apostolica scripta mandamus, qua» liter huic nostrae dispositioni ple» nis desideriis cooperari curetis, et » prima Dominica advenientis Qua» dragesimae, ad Urbem Romam, » ducente Domino, veniatis, et coo» perante Spiritus sancti gratia tum » in corrigendis enormitatibus, tum » in statuendis, quae Deo grata fue» rint, communi studio, quod fuerit

» agendum agatur ; et uno humero » sublevemus Arcam Domini atque » uno ore honorificemus Deum , et » Patrem Domini Nostri Iesu Chri- » sti. »

Habitam vere Synodum istam esse anno 1179, monumenta aetatis ipsius docent, qua res gesta est , quaeque Baronius et Pagius ad eum annum, et Natalis Alexander in dissertatione de Synodo Lateranensi tertia attulerunt. Haec ex. gr. sunt perspicua, quae Pagius affert : videlicet Chronographus Reicherspergensis ait de hoc anno loquens: « Alexander Papa » celebravit Synodum Episcoporum » generalem , et valde celebrem in » urbe Roma, media Quadragesima, » id est quarto idus (nonas) Martii. » Haec Synodus congregata est toto » fere anno superiori, per totum Ro- » manum Imperium, cui interfuerunt » sexcenti (tercenti, scilicet Libra- » rius locum corrupit), vel amplius » Episcopi. » Continuator vero Chronici Sancti Petri vivi inquit: « An- » no 1179 Domnus Alexander Pa- » pa III celebravit Concilium Romae » quarto idus (nonas) Martii , feria » scilicet secunda post medium Qua- » dragesimae. » Quamplura autem sunt veterum Scriptorum testimonia , quae ostendunt , huic Synodo non Occidentales modo, sed Orientales etiam Episcopos interfuisse, eorumque numerum ad 302 perductum esse. Legi potest Guillelmus Tyrius Archiepiscopus lib. 21 *de bello sacro* cap. 26, qui acta Synodi, cui intererat, exponenda curavit.

Tribus sessionibus habitis absolutam Synodum fuisse ostendit inter cetera monumenta, Rogerii Hovedeni testimonium in Historia Anglicana a Baronio et Pagio commemoratum. « Congregatis, inquit, universis Ro- » mae in praesentia Domini Papae » Alexandri, ipse Papa in Lateranensi » Ecclesia in eminentiori loco cum » Cardinalibus suis, et Praefectis, et » Senatoribus, et Consulibus Urbis » constitutus , feria secunda tertiae » hebdomadae Quadragesimae, quae » tertio nonas Martii evenit, primum » Concilii sui diem (sessionem) cele- » bravit. Similiter secundam Conci- » lii sui diem celebravit quarta fe- » ria sequentis hebdomadae, quae se- » cundo idus Martii evenit, in quo » Concilio Willelmus Remensis Ar- » chiepiscopus factus est Presbyter » Cardinalis Sanctae Sabinae, et Hen- » ricus Abbas Claravallensis, factus » est Episcopus Cardinalis Albanen- » sis. Et Dominus Papa tertium Con- » cilii sui diem celebravit secunda » feria ante Dominicam in ramis Pal- » marum, quae decimo quarto calen- » das Aprilis evenit. »

Postquam ostendimus , quibus de causis, quo tempore, et quanta Episcoporum frequentia Alexander III Concilium tertium Lateranense Oecumenicum habuerit; nunc breviter recensenda esse videntur , quae viginti septem decretis, seu Canonibus ab eo Concilio latis statuta sunt.

Primo loco peculiari mentione digna sunt, quae Canone primo huius Concilii decreta fuerunt. Pertinet enim ille Canon ad statuendum quid in Romani Pontificis electione servari oporteat, ut schismatis, quo toties Ecclesia afflicta erat , occasio tolleretur. Non est necesse hic loqui de iis omnibus, quae temporibus superioribus in Romani Pontificis electione obtinuerant. Satis erit id recordari, quod anno 1059 cum Nicolaus II Pontifex Maximus esset, de ea re decretum est. Scilicet eo tempore evenit, ut electionis istius faciendae ius fere proprium Cardinalium Romanae Ecclesiae evaserit, cum antea Clerus etiam Romanus eiusdem electionis particeps esset.

Itaque adductus Nicolaus II seditionibus , et turbis , quae post Stephani IX mortem excitatae fuerant, in Concilio Romae anno 1059 habito edixit, ut in eligendo Pontifice Maximo, praecipuae Cardinalium in posterum partes essent; atque ut reliqui Romani Clerici eo tantum contenti esse deberent, quod de suo consensu rogarentur. « Decernimus (Ni-

» colai decretum habet), Decernimus, » atque statuimus, ut obeunte huius » Romanae Universalis Ecclesiae Pon- » tifice, imprimis Cardinales Episcopi » diligentissime simul de electione » tractantes, mox ipsi Clericos Car- » dinales adhibeant, sicque reliquus » Clerus, et Populus ad consensum » electionis accedat... et ideo reli- » giosissimi viri praeduces sint in » promovenda Pontificis electione, » reliqui autem sequaces. »

Post latum hoc decretum, electos Pontifices ea ratione fuisse, ut Cardinalium omnino praecipue eorundem eligendorum partes fuerint, ostendunt monumenta electiones pontificias respicientia, quae post Nicolai II mortem evenerunt. Hac ratione Alexandrum II Nicolai II proximum successorem electum an. 1061 fuisse, epist. 20 lib. 1 Petrus Damiani testis est, qui electionis particeps fuit. Ita etiam Gregorium VII Pontificem designatum esse, Acta Vaticana docent, quae de eiusdem electione ab homine scripta sunt, qui eo tempore vivebat. Eandem electionis formam in posterum servatam fuisse certum est.

Neque concedi potest, diversa ratione rem absolutam esse, cum Innocentio II mortuo, Caelestinus II anno 1143 electus est, ita ut soli Cardinales negotium electionis tunc peregerint, quin reliqui Clerici Romani interesse comitiis ullo modo potuerint. Exclusos quidem reliquos Clericos in Caelestini II electione existimavere nonnulli, eo quod ob schisma conflatum, quando Innocentius II electus fuerat, ea facultate privandos Clericos iudicatum sit. Sed haec vera non esse Caelestinus ipse in epistola ad Cluniacenses Monachos de ea re scripta perspicue ostendit. Inquit enim: « Notum facimus dile- » ctioni vestrae, quod... Cardinales » Presbyteri, et Diaconi una cum » fratribus nostris Episcopis, et Sub- » diaconis, Clero, et Populo Romano » acclamante partim, et expetente, » tertia die post Innocentii mortem, » in ipsa Ecclesia, unanimi voto, et » pari consensu, me indignum, et » prorsus tanti officii imparem, ne- » scio quo Dei iudicio, in Romanum » Pontificem concorditer elegerunt.» Idem in Lucii II, Eugenii III, Anastasii IV, Hadriani IV, Alexandri III electione servatum esse, vetera monumenta certissime ostendunt.

Verum Alexander III in Concilio Lateranensi Generali III ita decrevit, ut ablata reliquis Clericis omni in Romani Pontificis electionem potestate, ius Romani Pontificis eligendi solis reservaverit Sacrae Romanae Ecclesiae Cardinalibus. De ea re est conditus huius Concilii Canon primus. Etenim, prout cap. 6 *De electione* statuerat, « Quod nulla cen- » seatur Romani Pontificis electio, » in quam duae partes Cardinalium » non conspirarunt; » ita in Canone memorato decretum est, ut « ille Ro- » manus Pontifex habeatur, qui a » duabus partibus Cardinalium fue- » rit electus et receptus. Si quis au- » tem de tertiae partis nominatione » confisus, quia rem non potest, sibi » nomen Episcopi usurpaverit, tam » ipse, quam qui eum receperint, ex- » communicationi subiaceant, et to- » tius sacri ordinis privatione mul- » ctentur. » Ab Alexandri vero III decreto in posterum, hoc iure semper Romani Pontificis electio absoluta est, et adhuc absolvitur.

Ut vero Alexander III tranquillitati in Urbe prospiceret, cum videret reliquum Clerum hoc decreto contentum esse non posse, animadvertit tom. 2 *Musei Italici* Mabillonius in commentario ad Ordinem Romanum de hac re, hoc prudens illum consilium cepisse, ut videlicet « assumptis in ordinem Cardina- » lium, qui inter Clericos praecipui » erant, vel eorum officiis penitus » extinctis.., sublatis igitur, vel au- » ctis Cleri capitibus, facile fuit, ut » vulgus Clericorum hoc electionis » iure privaretur. »

Est hic opportunus locus, ut aliquid de custodia, seu Conclavi dica-

mus, in quo necesse est S. R. E. Cardinales includi cum de Romani Pontificis electione acturi sunt. De hac autem lege ista referri certe possunt. Priscis, videlicet, temporibus nullus erat locus certus, et lege designatus, in quem Clerici Romani ad Pontificem eligendum convenire deberent; sed electio ista plerumque in aliqua Romana Basilica peragebatur. Constat praeterea, etiam ante Gregorii X electionem, nonnumquam Cardinales se in locum aliquem ad Pontificem eligendum inclusisse. Hoc autem ab iis, non lege, sed spontaneo consilio fiebat, prout habetur in glossa in cap. *Licet* de electione. Constat etiam in diuturno illo duorum annorum et novem fere mensium interpontificio, quod fuit post Clementis IV mortem, Viterbii Cardinales commorantes, et comitia habentes, D. Bonaventura auctore, in Aede Episcopali inclusos Gregorium X die 1 Septembris anno 1271 elegisse. Gregorius vero, huius Custodiae, seu Conclavis, ad comitiorum moras tollendas utilitatem considerans, eam in Concilio Generali Lugdunensi II lege lata sancivit. Sed in posterum ea lex a Pontificibus Hadriano V et Ioanne XXI suspensa est; verum diuturnitate morae in Pontificum electione iterum obtinente, Caelestinus V electus post longum duorum annorum et trium mensium interpontificium, legem a Gregorio X latam renovavit, quam deinde Bonifacius VIII, Clemens V in Concilio Viennensi, Pius IV, Gregorius XV, Urbanus VIII, et Clemens XII confirmarunt, et sapienter explicaverunt.

Ut reliquorum Canonum a Concilio Lateranensi III editorum summam nunc afferamus, id quanta poterimus brevitate efficiemus. Itaque Canone secundo plura statuuntur contra eos qui ab Schismaticis fuerant ordinati: improbatis videlicet ordinationibus, quas Victor III, Paschalis III et Callistus III, Pseudo-Pontifices peregerant. Beneficia praeterea, atque dignitates irrita ratione ab iis collatas esse decernitur, bona Ecclesiastica non potuisse ab iisdem ad alienos usus converti, et conversa, Ecclesiae restitui libere oportere.

Poena autem excommunicationis in eos Synodus animadvertit, qui contra haec agere conati essent, et interdictum etiam est, ne illi Ecclesiastica munia obire possent in posterum, qui se in schismate permansuros esse antea iuravissent.

Canon tertius de aetate ad Episcopum eligendum requisita, deque aliis ornamentis agit, quibus praestare Episcopum oportet. Statuit etiam ea, quae animarum curam suscipientium aetatem et munera respiciunt. Canon quartus plura sapienter constituit de modo servando in impensis ad visitationes Ecclesiasticas peragendas. Canone quinto praescribuntur ea, quae respiciunt Clericos ad maiores Ordines promovendos, ut vel Ecclesiasticis reditibus tributis, vel ex paterna hereditate, honestae vitae sustentationi consulere certo possint.

Canon sextus de canonica monitione agit praemittenda suspensioni, aut excommunicationi decernendae, *nisi forte talis sit culpa, quae ipso genere suo, suspensionis, vel excommunicationis poenam inducat.* Agit praeterea de appellationibus, atque illum abusum improbat, ut appellatione interposita, conentur nonnulli ad defensionem iniquitatis usurpare, quod ad innocentium subsidium institutum est. Inter cetera, quae de hac appellationum materia in hoc canone statuuntur, illud etiam decernitur, ut appellanti *competens terminus ad appellationem prosequendam praefigatur, intra quem, si forte prosequi eam neglexerit, libere tunc Episcopus sua auctoritate utatur.* Haec vero non de sententiis ad correctionem latis sunt intelligenda, prout satis constat ex sacri Concilii Tridentini decretis sess. 22 cap. 1 et 24 de Ref. cap. 10. In his enim causis appellatio, sententiae exsequutionem minime suspendit.

De hoc Canone agentes, non erit inopportunum, nos breviter, adductis nonnullis iuris canonici peritorum testimoniis, referre quae prae oculis haberi debeant, praesertim circa ea verba, quibus affirmatur in canone, *ad appellationem prosequendam terminum praefigi debere,* et eo elapso, Episcopum auctoritate sua uti posse. Sunt quidem Scriptores, quos commemorabimus, Concilio Lateranensi III multo recentiores, atque ii rationem etiam habent canonicarum constitutionum in ista re, memorato Concilio multo posteriorum. Sed de re eadem Scriptores isti agunt, et Canones posteriores quidem commemorant, sed eos, qui eandem materiam in Concilio Lateranensi tertio pertractatam de hoc negotio illustrarunt.

Itaque in ista re appellationum formam respiciente, haec sunt animadvertenda. Videlicet eos, qui appellationem interponendam suscipiunt, *Apostolos* petere oportere, hoc est, a Iudice, *a quo* appellant, *ad quem* provocant « libellos dimissorios » (Zallingerius ait lib. 2 decret. » tit. 28. *De appellationibus* etc. » num. 434), seu litteras, quibus Iu» dex inferior de interposita appel» latione testatur, ac de eius iusti» tia, vel iniustitia mentem suam de» clarat. »

De hac petendorum *Apostolorum* necessitate, quae unum constituit *ex fatalibus,* ut aiunt, appellationum, utar testimonio Iuris Canonici peritissimi Reiffenstuelii, memorato l. 2 tit. 28 quocum Canonistarum omnium sententia concors est. « De facto, in» quit, et spectato iure communi, » *Apostoli* intra triginta dies a tem» pore interpositae adversus Iudicem » appellationis sunt petendi. Ita ha» betur l. *Iudicibus* c. de Appellat.; » estque clarius expressum c. *Ab eo* » h. t. in 6, ubi dicitur: Ab eo, qui » appellat, infra triginta dies, in» stanter Apostoli peti debent, et ei» dem infra dictum tempus a Iudi» ce exhiberi. Alias praesumitur ap» pellationi suae renunciare appel» lans, si eos infra idem tempus pe» tere praetermittat, etiamsi vadat, » aut mittat ad appellationem hu» iusmodi prosequendam. Concordat » Clem. *Quamvis* h. t., ubi istud am» plius declaratur. »

Quod vero spectat ad tempus *Apostolos* exhibendi Iudici, *ad quem* appellatio interponitur, haec celebratissimus Iuris Canonici doctor P. Pirhingius S. I. eod. tit. habet sect. 6 §. 2 n. 145: « Iudex *a quo* appella» tur, potest appellanti determinare, » seu praefigere certum tempus ad » introducendam suam appellatio» nem, sive ad Apostolos ipsi datos » praesentandos Iudici, *ad quem;* ita, » ut, si intra tale tempus (quod in» troducendae appellationis vocatur) » eos non praesentaverit, appellatio » deserta censeatur *l. Praeses 5 iunct.* » *Gl. V. Praescriptum est, et Gl.* » *marg. loc. cit. A. Cod. h. t.* Porro » tempus a iure definitum ad Apo» stolos praesentandos, et appellatio» nem insinuandam Iudici, *ad quem,* » est sex mensium *l. 2 cit. de tem» pore appellat.,* quod currere inci» pit non a die latae sententiae, sed » a tempore interpositae appellatio» nis. »

His addendum est Benedicti Papae XIV testimonium in Encyclica epistola *Cum illud semper* 14 Decemb. 1742. « Praeterea, inquit, si » quis in casibus a iure permissis ap» pellaverit, aut de aliquo gravami» ne conquestus fuerit, seu alias ob » lapsum biennii, de quo supra, ad » alium Iudicem recurrerit, tenea» tur acta omnia coram Episcopo ge» sta ad Iudicem appellationis, ex» pensis suis transferre, eodem ta» men Episcopo antea admonito, ut » si quid ei pro causae instructione » videbitur, possit Iudici appellatio» nis significare. » Haec omnia profecto explicant satis, quid intelligendum sit iis verbis, quibus Canon sextus Concilii tertii Lateranensis statuit, Iudicem a cuius sententia appellatio interponitur, debere *compe-*

tentem terminum ad appellationem prosequendam praefigere.

Post ista, quae aliquando fusius de Canone sexto recensuimus, nunc sunt breviter ea commemoranda, quae reliquis Concilii tertii Lateranensis Oecumenici canonibus sancita sunt. Itaque Canon septimus simoniacas omnes damnat exactiones pro Sacramentorum administratione, sepulturis et dignitatibus Ecclesiasticis adipiscendis. Haec tamen damnatio non respicit pias oblationes Ecclesiae fieri solitas. Ad intelligendam vero huius Canonis sententiam, oportet ea prae oculis habere, quae Canone 66 Concilii IV Lateranensis Oecumenici decreta sunt. « Quapropter, inquit, » et pravas exactiones super his fie» ri prohibemus, et pias consuetudi» nes praecipimus observari: sta» tuentes, ut libere conferantur Ec» clesiastica Sacramenta; sed per » Episcopum loci, veritate cognita, » compescantur, qui malitiose nitun» tur laudabilem consuetudinem im» mutare. »

Beneficiorum Ecclesiasticorum *Exspectativas,* ut dici solet, Canon octavus prohibet, et eo Canone brevitati vacationis beneficiorum quoque consulitur, atque id quod circa tempus ad beneficia conferenda servandum sit, explicatur. Canone nono plura statuta sunt, quae pertinebant ad Templariorum, Hospitaliorum S. Ioannis Hierosolymitani, aliosque Religiosos viros docendos de iis, quae agere illos oportebat, ut Episcoporum auctoritatis debitam rationem haberent. De Monachis Canon decimus agit, ac praecipue de iis, quae in eorundem ingressu, et officiorum collatione simoniacam omnem suspicionem averterent. Item statuit, ne sine iuxta causa auferantur collata inter Monachos officia. Canon undecimus latam de Clericorum Maiorum continentia legem severe confirmat, itemque de omnibus sive clericis, sive laicis ea statuit, quae ad nefarium vitium proscribendum opportuna sunt. Cavet praeterea, ut Monasteria sanctimonialium impediantur a frequenti exterorum, etiam Ecclesiasticorum communicatione.

Duodecimo Canone vetantur Clerici apud Laicorum tribunal causas agere, nisi proprias, vel Ecclesiae, aut hominum miserorum. Item vetat Canon ne saecularibus aliis muneribus ii fungantur. Canone decimotertio vetatur, plura simul beneficia Parochialia; aut diversas simul Ecclesiasticas dignitates haberi, et de beneficiis, quae residentiam requirunt, statuitur, ut ei tribuantur, qui « residere in loco, et curam per se » ipsum valeat exercere. » Plura canone decimoquarto decernuntur, tum ut beneficia Ecclesiastica iuste distribuantur, tum ut institutiones ad Ecclesiastica beneficia suscipienda a Laicis factae prohibeantur, tum denique ut Ecclesiastici privilegio Fori gaudeant, et Decimae Ecclesiae debitae non alio distrahantur.

Canone decimoquinto ea sanciuntur, quae in hominum beneficia Ecclesiastica obtinentium hereditaria successione sunt servanda, ut Ecclesiae indemnitati consulatur. De Decanatus autem officio sine pretio tribuendo idem Canon decernit. Canone decimosexto, illorum decretorum firmitas asseritur, quae fiunt a maiori, et saniori parte Capituli. Decimoseptimo canone prospicitur, ut in patronorum discordia circa praesentandos ad Ecclesiastica beneficia, ille praeponatur, qui maioribus iuvatur meritis, et plurimorum eligitur, et probatur assensu. De ista re autem multa quoque sapientissime a Concilio Tridentino decreta sunt. De magistris in Ecclesiis Cathedralibus habendis, et de beneficio iis tribuendo, de aliis etiam scholis in Monasteriis, et alibi restituendis agit Canon decimus octavus.

Quae Canone decimonono praecipiuntur, eo spectant, ut publici Magistratus, et Consules civitatum impediantur, quominus Ecclesiis onera imponant, aut Ecclesiasticam iurisdictionem imminuant. De istis one-

ribus Ecclesiis non imponendis, indicta poena anathematis, ita statuitur, ut nisi absque ulla coactione, ad relevandas communes necessitates, ubi Laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias existimentur conferenda. Canone vigesimo statutum est torneamenta prohiberi, in quibus milites inter se congredi, et caedem etiam agere solebant. Mortuos in iis conflictibus Ecclesiastica sepultura privandos esse Canon decernit, licet veniam petentibus poenitentia, seu Ecclesiae subsidium denegari non deberet. In lib. 5 Decretalium tit. 13 *de torneamentis* hoc decretum Cap. *Felicis* relatum est. Canone vigesimo primo *de Tregua* servanda agitur, et poenae in eos, qui Treguam, seu inducias ab adversario persequendo datas violassent, statuuntur, de qua re ad Canonem undecimum, ac duodecimum Concilii II Lateranensis Generalis actum quoque a nobis est.

Canone vigesimo secundo *de Tregua, et pace* Presbyteris, Clericis, Monachis, aliisque id generis perpetuo servanda agitur, de qua re est quoque pertractatum in Canonibus Concilii II Lateranensis recensendis. Est autem statutum Canone vigesimo tertio, ut Leprosis simul viventibus Ecclesia, et Coemeterium concedatur, propriumque Presbyterum ii possint habere sine iurium Parochialium detrimento. Eosdem vero a decimis solvendis memoratus Canon eximit. Canon vigesimus quartus excommunicationis poenam in eos decernit, qui Saracenis arma, atque alia ad Christianos impugnandos suppeditassent, vel eorum navium Rectores esse non dubitassent. Eadem poena afficiuntur eo Canone ii, qui Piraticam contra Christianos exercere, aut naufragantium bona invadere ausi fuissent.

Canon vigesimus quintus contra usurarios manifestos latus fuit. Usurae vitium, Veteris ac Novi Testamenti auctoritate condemnatum esse Canon declarat; et de usurariis idcirco severe decernit, ut « ad Com» munionem Altaris non admittan» tur, nec Christianam, si in hoc pec» cato decesserint, accipiant sepul» turam, sed nec eorum oblationem » quisquam accipiat. » Quod si Ecclesiasticus aliquis contra haec canonis statuta, oblationem eiusmodi acceperit, aut Usurario Ecclesiasticam sepulturam dederit, eodem canone praescriptum est, « ut ea, quae » acceperit, reddere compellatur, et » donec ad arbitrium sui Episcopi » satisfaciat, ab officii sui maneat » exsequutione suspensus. » Hic Lateranensis tertii Concilii Canon, una cum aliis Alexandri III de re ista decretis, relatus est in lib. 5 Decret. t. *de Usuris*. Vigesimo sexto canone Christianos servos habere Iudaei et Saraceni vetantur. Excommunicatio in Christianos fertur, qui cum eis habitaverint. Testes Christiani, Iudaeis testibus in iudicio praeferri iubentur, statuta anathematis poena in eos, qui non praetulerint. Iudaeos ad fidem Christianam conversos in bonorum suorum possessione servari decernitur hoc Canone, et poena excommunicationis contra eos Magistratus in eodem statuta est, qui Iudaeis ad fidem conversis proprias fortunas servandas non curaverint. In ius canonicum lib. 2 tit. 20 *de Testibus*, et Clem. 1 *de Testibus*, haec, quae de Christianis testibus superius significata sunt, qui Iudaeis testibus praeferri debeant, relata fuerunt. Perplura vero continent Romanorum Pontificum Constitutiones, quibus sapientissime Iudaei ad fidem conversi proteguntur, ac beneficiis iuvantur.

Denique Canon vigesimus septimus severissimus est contra Haereticos, qui tunc Ecclesiam non erroribus modo suis, sed nefariis tumultibus, et perturbationibus vastabant. Hos Canon memoratus ait, praesertim esse in *Albigesio, et partibus Tolosanis, et aliis locis*, eos etiam comprehendit, qui *Cathari*, *Patareni*, *Publicani*, *Brabanciones*, *Arago-*

nenses, Navarrii, Bascoli, seu Baschi, Coterelli, Triaverdini dicebantur. Hos homines anathemate percellit canon, sepultura Ecclesiastica privandos iubet; eos etiam damnat, qui haereticos istos foverent, retinerent; ad arma denique excitat Christianos, ut scelesti hi homines perniciem Reipublicae afferentes comprimerentur. Generatim vero obtinuit, ut haeretici huius aetatis ad has sectas pertinentes *Albigenses, et Valdenses* appellarentur; licet hi extremi in hoc a ceteris differrent, quod Manichaeorum proprios errores non admitterent.

Praeter eruditissimam Petri Lazeri dissertationem *De Albigensibus,* horum hominum errores accurate inter ceteros recenset Natalis Alexander in Synopsi Historiae Ecclesiasticae saec. XI et XII cap. 4 art. 13. Hi vero homines, qui praeter scelestae vitae licentiam, cui indulgebant, quandam veluti sectarum seriem aut copiam constituentes, praecipue eo spectabant, ut Ecclesiae legitimam potestatem omnem everterent, disciplinam Ecclesiasticam profligarent, Catholicam de Sacramentis doctrinam reiicerent, matrimonium prohibitum esse praedicarent, vel saltem filios procreare crimen esse contenderent, Ecclesiae Catholicae Sacros Ministros detestarentur, Religionis cultum ab Ecclesia probatum improbarent; duo principia malum, et bonum admitterent; carnis resurrectionem etiam, et poenarum improbos manentium aeternitatem quoque denegarent.

Magnam querelarum occasionem, vel praetextum desumpsere quidem Protestantes saepenumero, et Increduli, ut de Ecclesia detraherent, eo quod Christiani contra Albigenses ad arma vocati fuerint. Id barbarum et absurdum fuisse pluries obiecerunt, in Religionis negotio armis agere, et armorum vi ad veram Religionem homines adducere. Sed haec factorum historiae veritatem pervertendo ii affirmaverunt. Nam Albigenses non eo se continebant tantum, ut erroneam doctrinam suam spargerent, sed Reipublicae tranquillitatem quoque vehementer oppugnabant, et Catholicos in grave periculum passim adducebant.

Ipsa vero errorum natura, quos Albigenses insolenter iactabant, talis erat, ut publicam tranquillitatem istam in summum discrimen vocaret. Tale profecto erat, quod de matrimonio improbando, de filiorum procreatione detestanda, de cultu ab Ecclesia probato evertendo, de Sacris Ministris vexandis, atque odio habendis, ii petulanter contendebant. Quis vero sibi persuadebit, haec omnia Albigensibus licuisse cum gravissimo, non Religionis modo, sed Reipublicae etiam detrimento; Catholicis vero non licuisse contra tetrimos istos conatus, legitima auctoritate interveniente, se, ac Religionem suam tueri?

Albigenses autem, statim ac viribus pares ad hoc agendum fuerunt, coepisse contra Catholicos saevire, adeo certum est in illorum temporum monumentis, ut necesse non sit in hoc demonstrando immorari. Catholicos vero, antequam ad arma venirent, conatos esse diu, patientia, aliisque omnibus charitatis officiis eosdem flectere, item historia docet.

Sunt praeterea perspicua Canonis vigesimi septimi Lateranensis Concilii, de quo agimus, verba, ut appareat, non vocatos fuisse ad arma Christianos, quo Albigenses ad Catholicam Religionem perducerentur; sed quo eorundem crudelitati finis imponeretur. « De Brabancionibus, » ait, et Aragonensibus, Navarriis, » Bascolis, seu Baschis, Coterellis, » et Triaverdinis, qui tantam in » Christianos immanitatem exercent, » ut nec Ecclesiis, nec Monasteriis » deferant, non viduis et pupillis, » non senibus et pueris, nec cuili- » bet parcant aetati aut sexui, sed » more Paganorum, omnia perdant » et vastent, similiter constituimus... » cunctisque Fidelibus in remissio-

» nem peccatorum iniungimus, ut » tantis cladibus se viriliter oppo- » nant, et contra eos, armis Popu- » lum Christianum tueantur. » Haec per se sufficiunt ad accusationis falsitatem, seu ad manifestam potius calumniam demonstrandam.

Ista quoque satis sunt ad ostendendum, quam falso dicat Moshemius in Inst. Hist. Eccl. saec. 13 parte 2 cap. 5 §. 2, per ea tempora Romanos Pontifices gessisse « acerrimum, et » crudelissimum bellum cum haere- » ticis, id est cum illis, qui secus » docebant, quam Ecclesia Romana » doceri volebat, et potestatem, iu- » raque Pontificum in disputationem » vocabant. Sectae enim Catharo- » rum, Valdensium, Petrobrusiano- » rum, et multorum aliorum, per » universam fere Europam, maxime » per Italiam, Galliam, Germaniam, » Hispaniam serpebant, coetus colli- » gebant, et magna dominationi Ro- » mae pericula minabantur. Antiquis » sectis novae accedebant, opinioni- » bus quidem valde discrepantes, » verum omnes in hoc consentien- » tes, religionem vulgarem falsam » esse, Romanosque Pontifices iniu- » stissime sibi imperium in Chri- » stianos, et sacra Christiana arro- » gare. »

Etenim, prout significavimus, et canon Lateranensis aperte ostendit, bellum istud proprie non est gestum, quod Albigenses docerent secus, quam Ecclesia Romana doceri volebat. Nam si eo se continuissent Albigenses, quo non pauci antiquorum temporum haeretici se continuerant, ut in doctrina tantum tradenda dissiderent, bello gerendo necessitatem non attulissent. Sed vi ab iisdem contra Catholicos illata, atque ea quidem saeva ratione, quam canon Lateranensis describit, aliud Catholicorum Reipublicae reliquum non erat, nisi ut armis quoque eorum furori resisterent, et se contra illorum audaciam tuerentur. Tales praeterea erant, generatim, homines nefarii iis sectis addicti, ut in summa rerum ignoratione versarentur, et non valerent cum Catholicis praesulibus de Religione disputare. Neque, si abusus aliqui tunc inter Catholicos irrepsissent, id legitimam hominibus auctoritate carentibus potestatem afferebat, ut ipsi per se possent de ratione statuere, quae hos abusus impediret. Denique error perspicuus erat, religionem vulgarem falsam esse, cum ea, quod ad summam rei pertinet, Ecclesiae Catholicae doctrinae esset consentanea. Quod vero dicit Moshemius, iis sectis non placuisse, Romanos Pontifices potestatem in Christianos, et sacra Christiana sibi tribuisse; id ex ipsa vi, ac ratione divinitus instituti primatus iurisdictionis, qui Romanorum Pontificum proprius est, ultro descendit, et legitimam querelae causam hominibus repugnantibus suppeditare non poterat.

Sed haec, quae pertractavimus, satis sunt, de rebus a Concilio III Lateranensi Oecumenico, seu ab Concilio Generali undecimo decretis. Alexander III vero post gesta alia plura ad Religionis bonum procurandum opportuna, die 30 Augusti anno 1181, quo Sanctorum Felicis, et Adaucti festum celebratur, mortuus est; quare vetus inscriptio habet: *Hunc festis auxere suis Felix et Adauctus, Cum quibus est Felix factus, et Adauctus eis,* postquam Pontificatum gessisset annos viginti unum, menses undecim, dies viginti tres.

CAPUT XV.

DE S. THOMAE ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS MARTYRIS CAUSA.

Praeclara fortitudinis exempla, et summam in Ecclesiae Catholicae iuribus defendendis constantiam S. Thomas Archiepiscopus Cantuariensis exhibuit. Eius causa ob gravitatem, et celebritatem suam, unum constituit ex praecipuis huius aetatis historiae Ecclesiasticae capitibus. Negotium enim tale fuit, ut eiusdem participes evaserint huius temporis summi viri. Res autem eo deducta est, ut Archiepiscopus Cantuariensis, in propugnanda Ecclesiae libertate, iuribusque tuendis, Martyrio functus sit, et honorem Martyribus debitum ab Ecclesia brevi fuerit consequutus. Referenda esset tota S. Thomae Cantuariensis vitae historia, ut de eiusdem causa plena notitia haberi posset. Sed nonnulla tantum nos graviora perstringemus, quae satis tamen esse poterunt ad verum eius causae statum intelligendum.

Itaque Thomas *Becketus* appellatus anno 1117 die 21 Decembris Londini natus erat ex Gilberto et Matilde, et ad omnem pietatem ab ineunte aetate a parentibus fuerat institutus. Litterarum deinde et iurisprudentiae studiis operam praesertim Parisiis dedit; Londinum in posterum venit, ac singulari Dei beneficio e gravissimo vitae periculo ereptus, severiorem vivendi rationem inivit, ac saecularium rerum cura relicta, ad Theobaldum Archiepiscopum Cantuariensem se contulit, qui illum benevole admissum ad gravia negotia adhibuit. Fuit vero ab Henrico II Angliae Rege anno circiter 1157 Cancellarii munere decoratus, cui Rex praeterea filium Henricum instituendum tradidit. Haec autem Theobaldo plurimum Thomas debuit, cuius opera Henricus II ad Thomae virtutem ac sapientiam tanti faciendam adductus fuerat. In hac prospera tamen fortuna, tales Thomae molestias adversariorum invidia attulit, ut poenituerit eum quandoque status sui, et ad privatam vitam reverti concupierit. Sed inimicorum artes, etsi eo maxime spectarent, ut Regis animum Thomae infensum efficerent, id impetrare diu non potuerunt, cum Princeps in eodem erga illum benevolentiae proposito iure concepto permaneret.

Immo cum Theobaldus mortuus esset, Rex qui in Normannia tunc morabatur, voluit in Angliam Thomam reverti, ea causa primum adducta, ut turbis nonnullis in Walliae Principatu commotis occurreret, sed revera deinde affirmans, eum ad Cantuariensem Archiepiscopatum suscipiendum destinari. Londini igitur ab Episcopis Thomas electus fuit Archiepiscopus Cantuariensis, sed invitus omnino, ac manifeste ostendens, licet Rex conaretur Ecclesiae iura violare, illa tamen se constanter esse defensurum. Consecratus deinde Cantuariae est. « Convenerunt (inquit » Gervasius Dorobernensis in chro- » nico ad annum 1162) Cantuariae » Praesules, et Principes Regni, ut » tantae assisterent consecrationi. » Sabbato igitur octavarum Pente- » costes in Presbyterii gradum ordi- » natus, in crastino Archiepiscopus » consecrandus. »

Continet autem Thomae vitae historia, iussu Gregorii XI scripta, atque a Christiano Lupo, ex Codice Vaticano in lucem edita, hac ratione Thomam Regi Henrico Archiepiscopatum proponendi verba fecisse. « Quam Religiosum virum, inquit, » quam Sanctum, in tam sancta sede, » et super tam celebrem, et tam » sanctum Conventum Monachorum » constitui desideras? Scio certissime, » quia si Domino disponente accide- » rit, sic citissime a me auferes ani- » mum, et gratia, quae nunc inter

» nos tanta est, in atrocissimum » odium convertetur. Novi quippe te » nonnulla exacturum, et in Ecclesiasticis te tam multa praesumere, » quae ego sustinere non possum. Et » ita, occasione nacta, interponent » se invidi, qui extincta gratia, perpetuum inter nos odium suscitabunt. » Haec autem vere a Thoma affirmabantur. Sciebat enim e Theobaldi tempore eiusmodi consilia Regem meditari, adductum Aulicorum instigationibus. Immo Theobaldus, Thomam aestimatione virtutis praestantem opponendum ideo putaverat Aulicorum impotentiae.

Archiepiscopus consecratus Thomas, Cancellarii munus dimittendum vehementer curavit, ut Ecclesiam liberius tueri, atque officia Ecclesiastici Praesulis propria posset sanctius obire. In ea autem re, quae Aulicis multum displicebat, adiutorem praecipue habuit Henricum Regis filium, cuius institutio ei commissa fuerat. Is ita egit, ut a reddenda Cancellarii muneris administrandi ratione, Regis ipsius nomine Thomas tunc eximeretur. Postquam ad Archiepiscopalem dignitatem Thomas evectus est, atque ab Alexandro III *Pallii* honore donatus fuerat, nullum fuit pietatis, aut Religionis officium, quod ille diligenter non exsequeretur, nullum charitatis opus, quod ille impense non impleret. Id autem benevolentia singularis erga pauperes demonstrata, et omne benignitatis genus ab eo adhibitum ostendit, de quo testimonium perspicuum omnia illius temporis monumenta continent. Quoniam vero ad haec charitatis officia, redituum Ecclesiasticorum copia erat omnino necessaria, eo Thomas curas suas convertit, ut Ecclesiastica bona Sedis suae propria servaret, et quae propter nimiam Decessorum suorum facilitatem in Laicorum potestatem venerant, restituerentur. Id vero hominibus potentibus quidem, ea bona possidentibus imprimis displicuit. Et licet ii apud Regem de hac re agentes, gravissime conquesti sint, nihil tamen eo tempore ab Henrico II contra Archiepiscopum obtinere potuerunt.

Contulerat se deinde in Galliam Archiepiscopus Cantuariensis, ut Concilio Turonensi interesset, cui Alexander III ipse anno 1163 praefuit. Non solum in Concilio, sed ab universa Turonensi civitate, summo in honore Thomas habitus est, atque eo praesertim operam dante, decretum anathematis contra bonorum Ecclesiasticorum usurpatores, et libertatis Ecclesiae violatores in illo Concilio editum fuit.

Reversus in Angliam, singularibus amoris significationibus a Rege exceptus, non multo post eiusdem benevolentiam amisit. Hae vero fuerunt praecipuae offensionis causae. Aegro animo, videlicet, Rex accepit, Thomam Cancellarii munere abdicasse. Non solum enim Princeps putabat utile Reipublicae esse, hoc amplissimum Regni munus ab eo geri, qui Primatis Ecclesiastici dignitate in eodem Regno praeditus erat; sed etiam id opportunum imprimis esse intelligebat, ut Archiepiscopus eius commodis, et voluntati deserviret. Verum Thomas ista Regis offensione commotus non est, sed existimans Ecclesiae bonum requirere, ut a saeculari Magistratu gerendo desisteret, hoc munus omnino dimisit. Alia indignationis ratio inde profecta est, quod decretum in Concilio Turonensi contra bonorum Ecclesiasticorum usurpatores latum, Archiepiscopus Cantuariensis exsequendum curaret.

Plurimum praeterea Regem offendit Thomae Cantuariensis constantia, qua studuit, Episcopatus non diu vacare, sed Regem adigere, ut novos Episcopos sine mora eligi pateretur. Id autem maxime contigit, cum de Vigorniensis, et Herefordiensis Episcopi electione facienda Archiepiscopus tantopere laboravit, et Regem compulit, ut Episcopatus illi diutius non vacarent, qua vacatione durante, reditibus, qui Sedis utriusque

Episcopalis proprii erant, Rex ipse potiebatur. De hac offensionis causa, ita loquuntur Historiae Quadripartitae scriptores, seu ita habet S. Thomae vitae historia lib. 1 cap 15: « Has duas Sedes vacantes cum Rex » aliquando tenuisset, a novo Metro- » politano suo saepius est conventus, » nunc rogatus, nunc monitus, inter- » dum et acriter, sed amice corre- » ptus, quod in Sedibus vacantibus, » Clero de substituendis Pastoribus » non consentiret. Mos enim profa- » nus in pluribus iam Regnis inole- » vit, quod Episcopatus vacantes et » Monasteria, Reges pro voto per an- » nos tenentes et quasi Christo pro- » scripto, applicantur Fisco dos vi- » duae, et Crucifixi Patrimonium, » calamitosorum refrigeria, et ege- » norum subsidia. Haec Archipraesul » recolens, et attendens sui esse of- » ficii, talia non sustinere, Regem, » quem super hominem diligebat, nunc » rogabat, nunc monebat, ut Sedes » diu vacantes ordinari permitteret » in temporalibus, et spiritualibus, » quae inde constabant mala non ta- » cens. » Cum haec Henricus videret, sibi in animum induxit, difficile prorsus esse futurum in ea dominandi ratione perseverare, qua hactenus circa Ecclesiae negotia ipse usus erat; immo vero sibi timere coepit Rex Henricus, Archiepiscopi constantiam admiratus, qui nullo metu deduci poterat a suscepto consilio Ecclesiae causam atque utilitatem propugnandi.

Fuit vero gravioris indignationis causa, Thomae Archiepiscopi fortitudo in tuenda Ecclesiastici Ordinis immunitate. Scilicet Archiepiscopus acriter propugnabat, ea immunitate Ordinem Ecclesiasticum potiri, quam nunc *Fori,* et *Canonis* privilegii nomine significamus. Negabat Archiepiscopus, Ecclesiasticorum causas ad Laicos Iudices spectare, sed in Ecclesiae foro illas tractandas esse fortiter contendebat. Praeterea ex canonibus Ecclesiae, hoc privilegio Ecclesiasticos frui debere Archiepiscopus asserebat, ut poenae diminutionem in criminali quolibet iudicio illi consequerentur. Facto ipso deinde Thomas confirmabat, his privilegiis Clericos praeditos esse. Etenim Episcopum Sarisberiensem prohibuit, quominus Presbyterum homicidii reum a Regio Iudice pateretur iudicari, sed iussit potius illum Episcopi sententia de gradu depositum, et officio Ecclesiastico privatum, in monasterio detineri.

Alios praeterea Clericos criminum reos vetuit Magistratui iudicandos, et puniendos tradi; et cum ex Canonicis suis quidam *Philippus* nomine vocatus, Regio Magistratui iniuriam intulisset, ipse per se poenis canonicis in illum animadvertit, et passus non est regio Iudici eum committi, licet Rex id non optaret tantummodo, sed etiam aperte iussisset. Cum ista Cantuariensis Archiepiscopus agebat, non modo generali Ecclesiae in ea re privilegio, sed etiam Stephani Regis anno 1136 decreto innitebatur, in generali Clericorum et nobilium Virorum conventu edito, quo iudicia personam et fortunas Ecclesiasticorum respicientia, Episcoporum auctoritati reservabantur.

Henricus II tamen aperte conabatur privilegium eiusmodi delere, quod Regiae potestati iniuriosum illud esse contenderet. Itaque iussit, Archiepiscopum, et Episcopos apud Westmonasterium convenire. In eo autem conventu cum de Archiepiscopo primum conquestus esset, Rex palam affirmavit, mentem suam esse, ut Ecclesiasticorum causae ad Regios Magistratus spectare deberent. Respondenti Archiepiscopo totius conventus nomine, Ecclesiae privilegiis id impediri, Rex acriter indignatus est, et contra se Praesules conspirasse affirmavit. Itaque num *regias consuetudines* servare vellent Episcopos rogavit, quae Praedecessoribus suis regnantibus fuerant inductae. Cum Archiepiscopus vero respondisset, se, fratresque suos illas servaturos esse *salvo suo ordine* (nam Hilarius tantum Chichestriensis Episcopus, ut

Regem deliniret, respondit se servaturum consuetudines *bona fide*); Rex indignatione commotus subdidit, contra se consilium Episcopos inivisse, et cum nox iam advenisset, nemine salutato, e conventu discessit.

Praecipue vero in Archiepiscopum Regis ira conversa erat. Quare postero die iussit, Thomam muneris Cancellarii a se gesti rationem reddere, licet cum Archiepiscopus consecraretur, ab ea reddenda, Regis ipsius nomine, ab Henrico filio exemptus palam fuisset. Egressus praeterea est Rex statim Londino, discessus sui notitia minime Episcopis communicata, id quod tamquam gravissimae indignationis significationem Episcopi acceperunt. Quamobrem metu perculsi sententiam mutarunt, et Cantuariensem Archiepiscopum flectere conati sunt, ut Regi satisfaceret, qui primum eadem animi gravitate restitit, qua Regi restiterat, sed deinde precibus et lacrimis Episcoporum fractus, iisdem se morem gesturum esse respondit, et ad Regem Oxfordiae commorantem venit affirmans, se verba illa ablaturum esse, quae Principi displicuerant.

Rex, quo solemnior esset, et publica auctoritate celebrior evaderet Archiepiscopi assensus, voluit hanc promissionem, iurisiurandi religione interposita, fieri in conventu Clarendonensi coram Regni proceribus. Huic quidem conventui Archiepiscopus, qui insidias senserat, postquam frustra conatus esset non adesse, tandem adfuit, sed rem penitius considerans, promissis se stare non posse primum recusavit, quae res Henricum in furorem adegit, ut minitatus acriter ultionem, e conventu abierit, Episcopos in summo metu relinquens, qui tam vehementer deinde Archiepiscopum obsecraverunt, ut is ad avertenda Ecclesiae impendentia mala, se consuetudines Regni *bona fide* servaturum, *verbo veritatis*, reliquis Episcopis idem probantibus, atque affirmantibus, iuraverit. His vero auditis, iussu Regis ad sexdecim capita seu articulos, consuetudines servandae, fuerunt redactae, quibus capitibus Ecclesiae libertas, et immunitas aperte violabatur. Exhibet inter ceteros ea capita ex historia Quadripartita Natalis Alexander in dissert. *de S. Thomae Cantuariensis causa* art. 3. Optabat Archiepiscopus horum articulorum sponsionem differri, sed eorundem exemplum accipere compulsus est.

Verum paullo post Thomam poenituit vehementissime facti sui, ut statim a sacro sacrificio celebrando abstinendum putaverit, severissimas poenas sibi irrogaverit, et ab Alexandro III Senonibus tunc commorante, veniam, et canonicam absolutionem petierit, ac reportarit. Qua re tantopere Rex fuit indignatus, ut Thomae fuerit persuasum, necesse esse fugere, quo saluti suae consuleret, id quod facere bis, sed re infecta, conatus est. Quamobrem Cantuariam reversus, cum Regis animum sibi benevolum efficere tentasset, atque id etiam Eboracensis Episcopus obtinere studuisset, consilium serio confirmavit, se, etiam cum extremo vitae discrimine, pro Ecclesiae libertate esse dimicaturum. Rex autem nullo alio pacto de concordia restauranda agi volebat, nisi oblata primum Clarendonensium articulorum subscriptione.

Nihil interea Princeps omittendum ratus, quo Archiepiscopum penitus perderet, habuit Northamptoniae conventum, in quo plura crimina S. Thomae sunt obiecta, de eo exauctorando pertractatum est, ac gravissimis iniuriis fuit affectus, contra quae omnia Archiepiscopus appellationem ad Alexandrum III interposuit, et Episcopos a iudicio contra se ferendo auctoritate penitus destitutos esse declaravit.

Fugit deinde in Galliam Archiepiscopus, et singulari humanitate a Ludovico VII Galliae Rege, atque ab Alexandro III exceptus est. Cum vero Clarendonenses articulos Pontifex ab eodem accepisset, « Dominus Papa

» (ita legitur de ea re in historia
» Quadripartita) lectis, et relectis, et
» diligenter auditis et cognitis sin-
» gulis consuetudinibus... inquit: In-
» ter abominabilia haec, nulla qui-
» dem bona, sed quaedam tolerabilia
» sunt, quae Ecclesia utcumque to-
» lerare potest, sed horum maior pars
» reprobata, et ab antiquis quidem,
» et authenticis damnata est Conci-
» liis, utpote directe sacris sanctio-
» nibus adversa. Et haec quidem Do-
» minus Pontifex in audientia omnium
» reprobavit, et ab Ecclesia in poste-
» rum damnanda censuit. » Decem vero fuere ex his capitibus, quae diserte Alexander III damnavit. His autem peractis, in eadem historia haec referuntur: « Qui ante videban-
» tur super hac causa varie disce-
» ptare, iam in unam convenere sen-
» tentiam, in persona Cantuariensis
» Archiepiscopi, universali Ecclesiae
» esse succurrendum. »

Obtulit praeterea Thomas Pontifici Alexandro Archiepiscopatus sui dimissionem, sed eam accipiendam non esse Alexander iudicavit, et re coram Cardinalibus perpensa, illum in gradu suo, atque in Ecclesiae causa defendenda perseverare debere significavit. Vixit postea Praesul in Monasterio Pontiniacensi, et magnopere gavisus est, se poenitentem vitam ibi agere, cum interea ea omnia facere non omitteret, quae muneris sui esse intelligebat, tum ad eos in officium revocandos, qui in Anglia defecerant, tum ad audaciam coercendam eorum, qui Ecclesiastica iura violaverant, tum denique ad regis Henrici animum deliniendum. Tanta tamen erat regis, et Archiepiscopi inimicorum indignatio, ut eius bona publicaverint, propinquos eius omnes fortunis spoliatos, e Regno pulsos ad extremam miseriam redegerint, et nulla fuerit iniuriarum, ac molestiarum species, qua illum affligendum non curaverint. Archiepiscopus vero his omnibus minime potuit adduci, ut susceptam Ecclesiae causam derelinqueret.

Longum nimis esset ea omnia persequi, quae, durante Thomae Cantuariensis exilio, in eiusdem causa evenerunt. Itaque nos percensebimus potius, quam narrabimus, quae de iis rebus in memorata superius Quadripartita historia continentur. Nihil profecerat Henricus II indignatione sua, ut perdere Thomam posset. Benignos se erga illum Alexander III, et Ludovicus VII demonstrabant. Bonorum omnium undique per Europam in se benevolentiam Archiepiscopus excitaverat. Propinqui eius vexati, amplissimis subsidiis passim iuvabantur. Nova igitur Henricus decreta dedit Clarendonensibus etiam fortasse nequiora, ubique in Angliae regno iuranda. Severissime vetuit, ne Archiepiscopi, aut Pontificis Alexandri litterae in Angliae portus inferrentur. Timebat enim vehementer ne Angliae Regnum interdicto subiiceretur. Sprevit Archiepiscopi litteras ad eum commovendum a Praesule scriptas, et illas quoque, quas Pontifex miserat eadem de causa. Minatus est praeterea, se Paschali III Antipapae adhaesurum, nisi Alexander Pontifex Thomae causam dereliquisset. Sed gravibus Alexandri III litteris ab ea re Henricus II deterritus est.

Pontifex interea Thomam in Apostolici per Angliam Legati munere confirmavit, et ei Episcopos Angliae parere iussit. Thomas plures in Anglia gravium criminum reos excommunicatione mulctavit. Rex, ut se a metu Interdicti, quo plurimum urgebatur, expediret, ad Pontificem contra Archiepiscopum appellavit, cum antea appellationem ad Apostolicam Sedem vetuisset. Et Thomas fortasse excommunicationem contra Regem ob tot crimina tulisset, nisi eum gravi morbo correptum esse accipiens, temperandum ab eo consilio existimasset.

Ob magnam calamitatem deinde quam Henricus Monachis Cisterciensibus in Anglia minabatur, eo quod in Pontiniacensi eorum Ordinis monasterio Thomas moraretur; Archie-

piscopus Cantuariensis, Pontiniacum relinquendum censuit, et apud Archiepiscopum Senonensem vixit Ludovici VII auxiliis, et auctoritate fretus. Londinensem Episcopum in posterum Archiepiscopus excommunicavit ob praecipua crimina, quorum particeps in hac causa fuerat. Henricus, ut sibi, ceterisque fautoribus suis, ab eiusmodi poena consuleret, eorum sententiae adhaesit, qui totius Angliae Cleri nomine, contra Primatem suum ad Sedem Apostolicam appellandum esse suaserunt; quam appellationem primi omnium Episcopi Londinensis et Sarisberiensis firmarunt, deinde ceteri post Archiepiscopum Eboracensem.

Postea Romam, quo Pontifex reversus erat, missus ab Henrico Ioannes Oxfordiensis, qui antea Herbipoli Paschali III Antipapae adhaeserat, quascumque potuit artes adhibuit, ut Thomam affligeret, et tandem de gradu deiiceret. Ludovicus VII haec intelligens acrius defendendam apud Alexandrum III Thomae causam existimavit; et ex eo quod ob Legationem tunc Apostolicam extraordinariam decretam, Thomas Legati munere in Anglia suspensus fuerat, de ea re conquestus Princeps est vehementer. Thomas ipse nihil remittens de observantia Apostolicae Sedi debita, de ea re ad Pontificem scripsit. Atque inter ceteros, qui Archiepiscopi Cantuariensis causam eo tempore fortiter gessit, subdiaconus quidam Ecclesiae Romanae fuit, qui Lombardus appellabatur, qui luculentius ostendit, quam inique ab Archiepiscopi inimicis ageretur.

Ii, quibus Legatio ista commissa est, egerunt de concordia instauranda, sed officio suo illi non bene functi sunt, ita ut Pontifex eosdem revocandos iudicaverit. Illud vero plurimum favorabile inimicis Archiepiscopi Cantuariensis fecerunt Legati, quod publice declaraverint impediri Archiepiscopum ab interdicto pronuntiando. Praeterea copiam fecerunt plures absolvendi ab excommunicatione, quam Thomas in eos tulerat. Id autem agendi facultatem Legati non acceperant. Thomas interea in tota ista pertractatione de pace ineunda, semper eandem animi constantiam in Ecclesiae causa defendenda servavit, atque in isto proposito licet ei insidiae paratae fuissent, perstitit tum ob animi fortitudinem, qua praeditus erat, tum adiutus consiliis Ioannis Sarisberiensis eius amicissimi, qui in posterum Episcopus Carnotensis fuit, quique Thomam in tanta calamitate perpetuo consolatus est.

Tum Rex Galliae Ludovicus VII conatus est ipse concordiam inter Archiepiscopum et Regem Angliae renovare. Sed res ad exitum perduci neque tunc potuit, eo quod licet Thomas omnem observantiam Henrico significasset, atque ex animo se illum revereri ostendisset, affirmaverit simul, in iis, quae controversiae causam attulerant, morem se Principi esse gesturum *salvo tamen Dei honore, vel salva Ecclesiae libertate,* prout novi Legati deinde a Pontifice missi proposuerunt; Rex autem omnia lubitu suo fieri debere intendens, vel nullam, vel eam tantum clausulam apponi volebat, *salva regni sui dignitate.*

Ita tamen Henricus se gessit in his pertractandis, ut Ludovicus ipse Rex Galliae putaverit Archiepiscopum nimis severe agere, et pacem componi non posse, eo quod ille nimiam erga Regem animi difficultatem adhibuisset. Visus est igitur ad aliquot dies Ludovicus, non amplius benevolam habere erga Archiepiscopum voluntatem. Sed non multo post, re penitius considerata, Rex Galliae magna celebritate veniam ab Archiepiscopo petiit; eundem pristina benevolentia, et beneficiis prosequutus est, licet Angliae Rex vehementer ea de re conquestus fuisset.

Tunc illa evenerunt, ut Henricus II voluerit Henricum filium coronari ab Archiepiscopo Eboracensi, quantumvis Principis coronandi munus ad Can-

tuariensem Angliae Primatem spectaret. Pontifex Alexander id prohibuit, et Thomas auctoritate quoque sua id fieri vetuit; sed Henricus Pontificem, atque Archiepiscopum spernens, et palam edito mandato de obedientia in posterum Pontifici, atque Archiepiscopo non exhibenda, effecit, ut die 14 mensis Iunii an. 1170 Henricus filius in Ecclesia S. Petri Westmonasteriensi coronatus sit ab Archiepiscopo Eboracensi, adstantibus, et caeremoniae participibus Episcopis Londinensi, Sarisberiensi et Roffensi. Hoc autem facto, Alexander III Eboracensem Archiepiscopum, eiusque criminis socios ab omni officio Episcopali suspendit; ac praeterea in Episcopos Londinensem ac Sarisberiensem excommunicationis sententiam tulit.

Post haec, Rotrodus Archiepiscopus Rothomagensis, et Bernardus Episcopus Nivernensis ab Alexandro III ad Regem Anglorum Henricum II Legati sunt missi, ut is intelligeret mentem Pontificis esse Ecclesiae pacem restituendi. Itaque ii in mandatis habuerunt, Henricum graviter monere, ut in concordiam cum Archiepiscopo Cantuariensi reverteretur, et nisi id fecisset, interdicto Regnum Angliae subiicere. Scripsit etiam ad Regem ipsum Henricum Alexander Pontifex, eique manifeste significavit, nisi pacem cum Archiepiscopo Cantuariensi componeret, eodem modo a Sede Apostolica erga eum actum iri, quo in Fridericum Imperatorem animadverterat.

His Pontificis litteris, et gravitate minarum Henricus permotus, paratum se protinus ostendit ad pacem ineundam. Venit igitur die dicta ad amoenissimum pratum, quem *Proditorum* appellabat in finibus Carnotensis et Caenomanensis agrorum. Thomas etiam cum Guillelmo Archiepiscopo Senonensi, quem Legatis suis Pontifex addiderat, ad eum campum venit. Omni benevolentiae significatione ibi a Rege habitus est Thomas. Amicitiae plena inter utrumque facta est colloquutio. Non Archiepiscopo tantum, sed iis etiam omnibus pax restituta a Rege est, qui huius controversiae causa, fuerant exilii poena mulctati, restitutio rerum ad Archiepiscopum, eiusque Sedem Archiepiscopalem pertinentium promissa est; iustum esse affirmatum est, sententiam contra Archiepiscopum Eboracensem, et Episcopos Londinensem ac Sarisberiensem latam ad effectum perduci; et quod spectat ad Henrici filii coronationem, se daturum esse operam Rex spopondit, ut violata Archiepiscopi Cantuariensis iura sarcirentur. Nulla denique mentio in pace ineunda facta est illarum circa res Ecclesiasticas Regni consuetudinum, propter quas tantum dissidium fuerat excitatum. Haec concordia die Sacra S. Mariae Magdalenae an. 1170 sancita est. Haec omnia ex historia Quadripartita vitae S. Thomae, atque ex ipsius S. Thomae ad Alexandrum III relatione, ex Gervasii Dorobernensis chronico, aliisque veteribus monumentis constant. De his omnibus Henricum filium Rex certiorem fecit, et inlata Cantuariensi Archiepiscopo, eiusque sociis damna compensari iussit.

Post confirmatam vero animi grati sui significationem Ludovico VII Galliae Regi, ceterisque, qui, vel de se vel de suis, durante calamitate, optime meriti erant, e portu Witsandiensi solvit, atque in Angliam reversus est, missis eo litteris, quae Eboracensis, Londinensis, Sarisberiensis condemnationem a Pontifice latam continebant. Id vero factum idcirco est, quod innotuisset Archiepiscopo, insidias esse paratas in Angliae portibus ad litteras auferendas, quas ipse secum attulisset. Quamobrem litterae illae de Eboracensi, Londinensi, et Sarisberiensi Episcopis agentes, eo minime iubente, ad populi notitiam pervenerunt.

Incolumis Cantuariam venit Archiepiscopus in summa Cleri, ac Populi gaudio gestientis gratulatione. Verum ista brevissima fuit gratu-

latio, et Thomae non licuit diu pace recuperata gaudere. Ita rem ipse narravit Alexandro III in postrema ad eundem epistola, quam Baronius refert ad annum 1170 num. 42 et seq. « Postquam ad Ecclesiam nostram » venimus, in continenti nos adierunt Officiales Regis denunciantes » ex parte ipsius (sicut eos Dominus » Eboracensis, et Londinensis, et Sarisberiensis Episcopi informaverunt), ut suspensos Episcopos, » et excommunicatos absolveremus, » quia quod contra eos factum fuerat, in Regis iniuriam redundabat, » et in eversionem consuetudinum » Regni, promittentes Episcopos provinciae nostrae post absolutionem » venturos esse ad nos, et iuri, salvo » honore Regis, libenter parituros. » Nos autem respondimus non esse » iudicis inferioris, ut superioris sententiam solvat, et quod nulli hominum licet infirmare, quod Apostolica Sedes decrevit. Quia tamen » illi instantius perurgebant, et minabantur, Dominum Regem, nisi » eis acquievissemus, mira, et stupenda facturum; diximus eis, si » Londinensis, et Sarisberiensis Episcopi iurarent coram nobis in forma » Ecclesiae, se vestro mandato parituros, nos pro pace Ecclesiae, et » reverentia Regis, cum consilio » ipsius, et Domini Wintoniensis, et » aliorum fratrum nostrorum, subiiceremus periculo, et faceremus » inde, quidquid possemus, salva reverentia vestra, et eos, tamquam » fratres carissimos diligeremus, et » omni mansuetudine et humanitate » tractaremus. Quod cum Episcopis » ab itinerantibus referretur, respondit Eboracensis, quaerens seditionis occasiones, et schismatis incensores, iuramentum huiusmodi, » nisi de voluntate Regis non debere praestari, praesertim ab Episcopis, quia erat contra dignitatem » Principis, et consuetudines Regni. » Ei vero ex parte nostra responsum est, quod iidem Episcopi antea a nobis excommunicati fuerant, » et nonnisi praestito iuramento, » cum nos multis sollicitationibus » interpellassent, absolvi meruerunt. » Et si nostra sententia sine iuramento ipsorum solvi non debuit, » multo magis vestra, quae longe » fortior est, et incomparabilis nobis, » et mortalibus cunctis auctoritate » subnixa.»

Continet praeter haec memorata superius historia, nisi Archiepiscopus Eboracensis intercessisset, quem Ioannes Sarisberiensis in epistola post Thomae mortem ad Archiepiscopum Senonensem scripta, novum Caipham, et Archidiabolum vocat, tranquillitatem restitui potuisse. Is vero reliquis auctor fuit, ut Archiepiscopo Cantuariensi repugnarent. Praeterea una cum Episcopis Londinensi et Sarisberiensi in Normanniam, ubi Henricus II tunc morabatur, se contulit, et gravissimis contra Cantuariensem Primatem querelis, Regem inflammavit, ut ille ira percitus « in funestam vocem » erumpens (Historia Quadripartita » refert), omnes quos nutrierat, qui » familiaritatis gratia, et beneficiorum collatione sibi obnoxii fuerant, » maledixerit, quod ipsum de uno sacerdote non vindicarent, qui ipsum » et regnum suum sic turbabat, et » suis dignitatibus exauctorare, et » exheredare quaerebat. »

Haec, et alia id genus, prout Baronius subdit ad an. 1170 n. 45, repetens et inculcans commovit in eum plane suos omnes, quorum quatuor ex militibus audaciores, iunctis dexteris in necem Archiepiscopi conspirarunt, moxque in Angliam profecti Archiepiscopum convenerunt, miscentesque iurgia, atque rixam excitantes captarunt, quam optabant, occasionem ex libertate Archiepiscopi in dicendo. Cum ad postremum post diem Sanctorum Innocentium, eum persolventem vespertinum officium gladiis in Ecclesia appeterent, primum Sanctus Aedituos arguit, eos velle obice portarum illos excludere, cum Ecclesia more castrorum custodienda

non esset. Tum vero crudelissimam caedem describit, ex historia Quadripartita, atque ex Rogerii annalibus Anglicanis rationem narrat, qua eo die strenuus Ecclesiae libertatis Athleta martyrio functus est.

Dici iure potest, necis Archiepiscopo Cantuariensi illatae nuncium, non Cantuariam solum, omnemque Angliam, sed universam penitus Europam dolore complevisse. Rex Henricus, qui frustra quidem, sed tamen vere illos ab itinere prosequendo impedire studuerat, qui ob verba illa a se indignationis aestu pronuntiata ad Thomam interficiendum profectos esse intellexerat, Rex, inquam, Henricus incredibili dolore perculsus est. Rem ita narrant historiae Quadripartitae Scriptores: « Divulgato » tam letali facto, undique mox, ut » ad Angliae Regem pervenit, afflictus est afflictione magna, et per » quadraginta dies sedit; moerensque » toto illo poenitentialium dierum » numero, acerbiorem multo plusquam mortuorum luctum fecit; lugentium cibos comedit, equum non » ascendit, nulla iurgantium causa, » nulla agendorum consultatio, nulla » pulsantium querela ingrediebatur » ad eum, nulla tot terrarum regendarum sibi causa proponebatur, » omnia tunc quasi postponenti prae » dolore; sedebat quippe solitarius » super hoc quod acciderat ingemiscens semper, et dolens, et saepe » saepius iterans: Heu! Heu! accidisse » sic. »

Itaque missis ad Alexandrum III Legatis, se purgandum curavit a patrati sceleris accusatione, quod sine mandato, aut voluntate sua commissum esse protestabatur. Se paratum vero affirmabat illi poenitentiae subeundae, quam Pontifex indicendam esse statuisset, eo quod negare ipse non posset, ex verbis suis in indignatione pronuntiatis occasionem nefarios homines suscepisse Archiepiscopi interficiendi. Eodem tempore ad urbem venerant Legati a Ludovico VII Galliae Rege missi cum eiusdem litteris, et simul Archiepiscopi Senonensis, et Episcopi Lexoviensis litterae Romam venerunt, quae omnes Pontificem de morte Sanctissimo Viro illata, et de miraculis, quae ad eius sepulcrum fieri coeperant, certiorem faciebant, et ei suadebant, ut in eiusmodi scelus graviter animadverteret.

Pontifex vero Alexander novos ad Henricum II Legatos destinavit Albertum et Theowinum. Ii autem Principem repererunt in summo animi dolore constitutum, ad omnia se paratum aperte profitentem, articulos Clarendoniae propositos detestantem, Ecclesiae Cantuariensi omnia se redditurum, damnaque illata reparaturum promittentem. Itaque palam ad Ecclesiae valvas poenitentiam agenti Legati Pontificii absolutionem impertiti sunt. Deinde cum miraculorum fama, quae Martyris ope implorata fiebant, celebrior quotidie evaderet, prout communi virorum ad illud ipsum tempus spectantium, et qui calamitatum etiam a S. Thoma toleratarum participes fuerant, testimonio comprobatur, Alexander III solemni caeremonia adhibita, illum canonizavit, atque inter Ecclesiae Catholicae Martyres colendum esse declaravit Feria Quarta Cinerum anno 1173 scriptis litteris Apostolicis de ea re ex Signina civitate die 13 Martii ad Clerum Cantuariensem, ad omnes Ecclesiae Episcopos, et singillatim ad Episcopum Antuerpiensem.

Post haec visus est omnino S. Martyr Henrici II poenitentiam ope sua manifeste compensare. Etenim undique gravissimis calamitatibus Rex premebatur, et in grave discrimen erat adductus. Nam eius filius Henricus a Patre suo defecerat, Scotiae Regem in partes suas pertraxerat, Proceres vero Normanniae, aliorumque locorum, quae in Galliis in Henrici potestate erant, in eum arma sumpserant. Suscepit ergo Rex consilium S. Thomae martyris opem implorandi. Itaque habitu poeniten-

tium proprio contulit se Henricus ad S. Martyris sepulcrum, ibique veteris agendi rationis suae palam veniam petiit; singulare poenitentiae exemplum coram Episcopis, et Monachis exhibuit. Eo autem ipso die Rex Scotiae devictus, captusque est cum pluribus Proceribus Henrico inimicis a parva Regis Angliae militum copia: filius Henricus deinde, eiusque fratres compulsi sunt patris clementiam implorare: ita ut pax Angliae Regno parta fuerit, et qui contra Angliae Regem in Gallia conspiraverant, pacem conditionibus ab eo impositis accipere coacti sint. Poenitentiam quoque egerunt commissi sceleris ii, qui Martyrem necaverant. Etenim Romam venientes, ut a Pontifice absolutionem impetrarent, cum deinde in Palaestinam pergerent ad poenitentiam peragendam, unus eorum Cosentia in poenitentis animi sensibus mortuus est; alii tres vero cum eodem animi proposito in Palaestina demortui, ad valvas Templi Hierosolymitani sepulti sunt. Haec omnia vero fusius in *Historia Quadripartita*, in Baronii *Annalibus*, et Pagii *Adnotationibus*, in memorata superius Natalis Alexandri *Dissertatione*, et tom. 2 *Historiae Angliae a cl. Ioanne Lingardio* scriptae cap. 5 pertractantur.

Quae hactenus exposuimus, ostendunt perspicue, quam grave negotium istud fuerit, ex quo universa Cantuariensem Archiepiscopum inter et Angliae Regem commota controversia causam habuit. Scilicet gravissimum omnino erat officium, quo Archiepiscopus fungebatur, omnem operam impendens, ut Ecclesiae libertas in summum discrimen adducta defenderetur. Quod si connivendum Regi Archiepiscopus putasset, libertatem Ecclesiae evertere conanti, gravis culpae reus evasisset. Plurimum etiam Archiepiscopi, officium suum sancte, religioseque implere volentis, interesse debebat ea iura propugnare, quibus iustissime Ecclesia potitur, quaeque immunitatis Ecclesiasticae nomine intelliguntur. Haec iura tueri Praesul debebat, nisi ab officio suo deficere voluisset. Principi vero ista iura violandi nulla legitima facultas esse poterat; certumque est, Henricum, ut illa iura perfringeret, vi, atque impotentia sua, contra iustitiam agere debuisse. Cum vero haec ita sint, apparet profecto, non imprudentia, aut animi elatione quadam, sed officii sui necessitate, S. Thomam Cantuariensem ad controversiam cum Henrico II pertractandam adductum fuisse.

Demonstrat etiam totius facti expositio, quam attulimus, iniuria egisse cum Archiepiscopo Cantuariensi eos scriptores, qui in isto tanto dissidio ita de Praesule sanctissimo loquuti sunt, ut non Religionis Athletam, sed virum potius Regiae potestati repugnantem descripserint.

Certe non respondent verae huius facti historiae Moshemii verba in Inst. Hist. Eccl. saec. XII part. 2 cap. 2 §. 13 ita dissidii causam et exitum referentis: « Latae erant anno 1164 » in Concilio Clarendonensi leges » quaedam, quibus potestas Regis in » sacrum ordinem accuratius expli- » cabatur, iuraque Episcoporum, et » Sacerdotum arctioribus limitibus » circumscribebantur.... Restituebat » Pontifex, Rexque Galliae quodam- » modo pacem, Thomasque in An- » gliam redibat. Quum vero nullo » is modo adduci posset, ut manda- » tis Regis morem gereret, a qua- » tuor eius satellitibus, conscio sine » dubio Rege, in templo coram al- » tari anno 1170 trucidabatur. » Non, inquam, ista verae facti huius historiae respondent. Nam Clarendonensia capitula non eiusmodi erant tantum, ut *accuratius explicarent* Regis potestatem, sed Alexandro III Pontifice auctore, decreta continebant ab Ecclesia pluries condemnata. Neque Thomas interfectus est, quia nullo modo adduci poterat, ut Regis mandatis morem gereret. Verum post pacem initam, iniquis Eboracensis,

Londinensis, et Sarisberiensis Episcoporum instigationibus, Rex iterum est in Archiepiscopum Cantuariensem acriter commotus. «Sed quid » egerint apud Regem, adversus » S. Thomam ipsa vasa bellantia ini» quitatis (Baronius ait ad an. 1170 » num. 45), in Quadripartita descri» bit Herbertus, nimirum adeo com» motum, et contristatum fuisse Re» gem accusationibus Episcoporum » contra S. Thomam, quem turbato» rem Regni, persequutorem Episco» porum, omnium bonorum destru» ctorem, Regis inimicum inclama» bant.»

Quod si ista possunt de Moshemio iure notari, multo magis reprehendi debet ea loquendi ratio, qua de S. Thoma Cantuariensi agens, usus est memorato loco, qui Anglice Moshemii opus reddidit. Etenim, quae ille de Sancto Archiepiscopo habet, talia sunt, ut virum prodant ambitiosum, animo elatum, opinionum suarum illegitimum defensorem, Regis et Benefactoris sui iniustum impugnatorem. Quae tamen superius ex S. Thomae vitae historia allata sunt, per calumniam haec affirmari, manifeste docent.

Nam quod ad hoc postremum spectat, primo loco potest responderi, monumenta vetera, quae de S. Thoma agunt, hoc omnino continere, eum Regis sui amantissimum fuisse; ita tamen, ut non idcirco officia sua obliteranda esse putaret. Immo ex allatis superius Thomae verbis, quibus Regem est alloquutus, cum, licet invitus, ad Archiepiscopatum suscipiendum adductus fuit, aperte constat, eum, vel ante susceptum Archiepiscopatum, Regi animum suum significavisse, se ita esse comparatum, ut mirum esse ei non deberet, si illi Ecclesiae iura despicienti se constanter opponeret, atque in eiusdem indignationem incideret.

Erat vero Henricus II non modo potestatis suae tenacissimus, sed ita etiam irascendo assuetus, ut nesciret se continere quando indignatus fuisset. Praeterea decreta illa, quae Regni *consuetudinum* nomine appellabantur, maiorem partem alio non spectabant, nisi ut Ecclesiae manifestam servitutem inferrent, et explorata eiusdem iura violarent. Facto autem ipso Rex volebat ea decreta confirmari, cum per diuturnum tempus, Episcoporum electiones impediret, quo longius posset reditibus potiri, qui Episcopalis cuiuslibet sedis proprii erant, cumque delenda esse Ecclesiastici Ordinis privilegia iussisset tamquam si Regiae potestati essent iniuriosa; neque pateretur in iurisiurandi religione iuranda iis verbis uti Episcopos, quae divini honoris, et debita in Ecclesiam observantia requirebat. Neque poterat Henricus Archiepiscopum, vel alium quemlibet officii sui non immemorem ad decreta illa rata habenda idcirco iure compellere, quod in iis, de consuetudinibus Regni agi affirmaret. Rerum enim naturam hac loquendi ratione sua ille immutare non poterat; nec certissima Ecclesiae iura ex abusu quodam illegitimam consuetudinem inducente, robur suum amittebant.

Quod vero Thomae Cantuariensis inimici contenderunt, aliquando Ludovicum VII Galliae Regem, non ob causae iustitiam, quam Cantuariensis defendebat, sed ob odium, quo erga Henricum II animabatur, Archiepiscopi patrocinium suscepisse; id cum exploratis de hac re agentibus monumentis aperte pugnat. Ceteris omissis, quae id perspicue evincunt, afferam ego hic illud tantummodo Ludovici VII responsum, quod ille exhibuit Henrici II Legatis, qui Regis nomine conquerebantur Ludovicum cum Thoma benigne agere postquam ille denegasset, se Regi obtemperaturum, nisi clausula adhibita *salvo Domini honore*. Ita enim historia Quadripartita, et Gervasius Dorobernensis in chronico Ludovicum respondisse testantur: «Si Rex » Angliae consuetudines non sustinet » abrogari, multo minus mihi licet » ius illius liberalitatis subvertere,

» quod cum corona regia, iure mihi » competit hereditario. Consuevit si- » quidem Francia ab antiquis tem- » poribus, omnes miseros, et affli- » ctos, et maxime pro iustitia exu- » lantes recipere, et donec pacem » habuerint, fovere, tueri et defen- » dere. Cuius honoris, et excellen- » tiae gratia, Deo propitio, me vi- » vente, ad nullius personae sugge- » stionem Cantuariensi exuli dero- » gabitur. »

Concludam tandem hunc locum illud etiam animadvertendo, non ea, qua debebant, aequitate usos esse Scriptores operis *L'art de vérifier les dates*, cum in Henrici II vita, testimonium Guillelmi Neuburgensis Episcopi lib. II *de Rebus Anglicis* laudaverunt, qui videtur S. Thomam reprehendere, veluti si fervidiori, quam par fuisset, zelo motus, atque ut in Eboracensem, aliosque Episcopos, qui Henrici Iunioris coronatonis participes fuerant, animadverteret, in Angliam, antequam ipse veniret, litteras miserit, quibus censurae in eos ab Alexandro III latae continebantur. Hac agendi ratione dissidium renovatum esse Scriptor ille arbitratur, et post pacem mox cum Rege Henrico initam, id agere, non mitioris ingenii fuisse, neque rem talem, ut Gregorii Magni mansuetudinem tunc Thomas imitatus esse videri possit; licet deinde insigni martyrio errorem omnem purgaverit.

Non, inquam, memorati superius Scriptores debitam in hoc testimonio afferendo erga S. Martyrem aequitatem ostenderunt. Nam primo in pace incunda, Rex Henricus ipse assensus erat, ut sententia in Episcopos illos lata ad effectum perduceretur. Deinde eae litterae, in quibus Pontificis contra Episcopos illos sententia significabatur, missae sunt a S. Thoma in Angliam, antequam ipse veniret, eo quod intelligens esse homines in insidiis, qui litteras omnes ab eo afferendas auferrent, debuerit per aliorum manus in Angliam eas cum reliquis transferendas tradere, atque ita, illo etiam non iubente, rei notitia manifestata est. Denique apposite Natalis Alexander dissert. cit. art. 8, adducto etiam D. Gregorii Magni testimonio ex regulis in libris *Moralium in Iob*, ab eo statutis, animadvertit, id S. Thomae facere licuisse etiam secundum Pontificis Gregorii Magni iudicandi rationem.

CAPUT XVI.

DE MILITARIUM SACRORUM ORDINUM INSTITUTIONE.

Celebris fuit aetate, de qua loquimur, Militarium Sacrorum Ordinum institutio. Cum ii vero Ordines non ad civilem tantum rerum statum pertineant, sed sacram etiam formam susceperint, iure horum Ordinum institutio inter Ecclesiastica huius aetatis celebria facta recenseri potest, de quibus breviter aliqua dicere huius operis ratio requirit. Fuse de his agit Renatus Aubertus Vertotius in historia Ordinis S. Ioannis Hierosolymitani, et inter ceteros accurate et erudite de iisdem Ordinibus agunt Scriptores operis iam citati *L'art de vérifier les dates* tom. 1 pag. 512, et seqq. edit. Parisiensis an. 1783. Loquitur etiam de iisdem diligenter Moshemius in Inst. Hist. Eccl. saeculo XII parte 1 c. 1 §. 13 et seqq.

Generatim de his Ordinibus affirmari hoc potest, eos in Palaestina, iis temporibus, de quibus agimus, institutos esse. Videlicet ibi originem habuerunt Ordines isti Militares, seu Equestres, vel hominum Religiosorum sodalitia, quorum praecipua cura erat, pauperibus ad sacra loca iter peragentibus, et aegrotis inservire, itinera Palaestinae tueri,

Mohammedanos bello a Christianis vexandis continere, ac subigere, aliaque plura munera obire, quae ea praesertim aetate, non utilia modo, sed maxime salutaria etiam Christianorum Reipublicae erant.

Ordo Hospitalariorum, seu Equitum S. Ioannis Hierosolymitani, primo loco inter eos commemorandus est, quod nomen inde derivatum fuit, quia in domo Hospitali S. Ioanni Baptistae Hierosolymis dicata, pii homines recipere, ac fovere solerent *inopes*, atque *aegrotos* Hierosolymam advenientes. Cum Latini Regnum Hierosolymitanum condidissent, regulam S. Augustini praeclarus ille Ordo professus est. Tria solemnia vota nuncupavit, et a Paschali II Pontifice comprobatus fuit. Ut brevi perstringam cetera, quae ad sacrum Ordinem hunc pertinent, qui secundum statuta a II Magno Magistro Raymundo De Puy, anno circiter 1121 electo composita, bellum perpetuo contra Mohammedanos gessit, ut, inquam, breviter perstringam cetera, illud apud memoratos, aliosque Scriptores constare dicam, maxima hunc Ordinem fortitudinis suae specimina dedisse; immensas per eam opes sibi comparasse. Amissa autem Palaestina, transiere Equites in insulam Cyprum, deinde Rhodum tenuerunt, denique sub Carolo V Imperatore, anno 1530 praeter alia loca, Melitam insulam proprio iure consequuti sunt, ubi Magnus Magister Sedem constituit. Ex historia Chronologica Magnorum huius Ordinis Magistrorum, diiudicari possunt, quae disputavit de eiusdem origine, in dissertatione Romae anno 1781 edita, P. Paulus Antonius Pauli Congregationis Matris Dei.

Alius Ordo Militaris ille est, qui *Templariorum* appellatus fuit, et cuius institutio ad annum 1118 referenda est. Sacrorum locorum conservatio, quae Latini obtinuerant, et necessitas, tantam illam advenarum, seu peregrinorum copiam, qui in Terram Sanctam confluebant, a Turcarum scelere defendendi, ratio fuit, ut hic Ordo Sacer Militaris institueretur. Nobiles nonnulli viri, qui Godofridum Bullionaeum ad sacra bella pergentem sequuti fuerant, huius Ordinis instituendi Principes fuerunt. Numero novem ii erant, quorum praecipui fuerunt Hugo *De Paganis*, et Godofridus *De S. Amore*. Assuetis tribus solemnibus votis, quae coram Patriarcha Hierosolymitano nuncuparunt, quartum addiderunt de bello cum Turcis perpetuo gerendo, ita ut sine controversia, ab initio, hic Ordo sacer Militaris fuerit.

Nomen Templariorum idcirco illi Ordini haesit, quia Balduini II Regis Hierosolymitani voluntate, domum ad tempus incoluerunt huius Ordinis Institutores, quae Templo Salomonis erat proxima. Hic Ordo autem, qui ab initio liber fuerat, anno tandem 1128 Religiosus, seu Sacer evasit, cum a Concilio Trecensi in Gallia (prout est in Mabillonii Annal. Bened. tom. 6), et ab Honorio II Pontifice Maximo comprobatus fuerit. S. Bernardus vero regulam digessit, quam huius Ordinis Alumni servare deberent. Tribus praeterea Religiosis votis quartum addiderunt, qui huic Ordini nomen dabant, de bello cum Turcis perpetuo gerendo. De huius autem Ordinis extinctione, quae a Concilio Viennensi Generali anno 1311 facta est, suo loco loquemur.

Tertius Equester Ordo a nobis commemorandus, est Ordo Equitum *Teutonicorum*. In hoc autem Ordine, praeter pauperum atque aegrotorum curam, militia quoque, prout in Hospitalariorum Ordine, requirebatur. Hunc Ordinem in obsidione Urbis Acrae, seu Ptolemaidis, excitatum esse anno 1190, ex historia constat, etsi non desint, qui huius Ordinis Militaris originem censeant esse vetustiorem. Praestat breviter ad explicandam huius Ordinis notitiam, illud testimonium Moshemii referre memorato loco §. 15, in quo summam quodammodo rerum ad eundem

pertinentium affert. Scilicet Moshemius ait: in hac Ptolemaidis obsidione, quum boni quidam, piique Germani, militum aegrotorum, et vulneratorum curam susciperent, Institutum hoc ita Germanis, qui praesentes erant, Principibus placebat, ut sodalitatem ex Equitibus Germanis, eius causa instituendam esse duxerint. Illam Caelestinus III Pontifex Maximus confirmavit. Praeter memorata autem erga pauperes et aegrotos officia, Terrae Sanctae, ac Religionis defensio propria huius Ordinis Alumnorum esse debebat. Valde est praeterea amplificatus hic Ordo, cum ex Palaestina in Prussiam, Livoniam, Curlandiam, et alias regiones deductus sit.

Pauca quidem de Sacrorum Ordinum Militarium institutione retulimus, sed ea sufficiunt, ut arbitror, ad ostendendum, quam bene meriti ii Ordines de Religione et civili societate fuerint. Nam commemorata superius officia, Equestrium illorum Ordinum propria, non modo talis sunt naturae, ut Religioni tuendae plurimum, illis temporibus profuerint sed etiam magna, et perennia beneficia Christianus Populus inde reportaverit.

Non miror autem, iis, qui de suscepto consilio bellorum sacrorum gerendorum conquesti sunt, Equestres istos Ordines quoque non placuisse. Certum tamen est, non minus iniustas esse eorum querelas de horum Ordinum institutione, quam iniuste de sacris expeditionibus obloquuti sunt. Nam si hoc erat horum Ordinum propositum, ut Christianos, eorumque provincias a Mohammedanorum vexatione, et incursione defenderent, atque ut populum Christianum charitatis officiis foverent, et Religioni tuendae consulerent, profecto eorundem institutio laude digna prorsus erat existimanda.

Vix autem responsionem merentur, qui affirmarunt, idcirco hos Ordines eis displicuisse, quia non armis, sed persuasione Religio erat vel propaganda, vel in hominibus conservanda. Etenim non est armis certatum iis temporibus, ut Religio propagaretur, sed vis illata Religioni vi repulsa est publica auctoritate. Officium vero Religionis, sive amplificandae, sive inter Christianos confirmandae, iis semper est reservatum, qui sacro munere fungebantur. Reliqua praetereo, quae iam plene pertractata dici possunt in defendenda sacrarum expeditionum iustitia, et utilitate.

CAPUT XVII.

DE PETRO ABAELARDO, EIUSQUE CAUSA.

Adeo celebrata est vitae, ac causae Petri Abaelardi historia, ut illam, praecipua XII saeculi Historiae Ecclesiasticae capita recensentes, penitus praeterire non debeamus. Id autem hoc loco faciendum putavimus, quod antea de iis, quae ad Universae Ecclesiae Historiam magis referuntur, pertractandum esse censuerimus. Itaque ad opportunam, quantum huius operis ratio patitur, facti istius notitiam tradendam, haec de Petro Abaelardo ipso, et de excitata circa eius doctrinam controversia attingemus. Res fuse in Baronii Annalibus, Pagii Critica, Mabillonii Annalibus Benedictinis, et in VII Natalis Alexandri Dissertatione ad saec. XI et XII pertractata reperitur.

Itaque primum de Petri Abaelardi vita haec referemus. Ortus ille erat anno 1080 prope Ligerim in Nannetensi dioecesi, in Gallia, ex Berengario, et Lucia nobili genere nata. Ad litterariam disciplinam conversus, quam acri ingenio praeditus ambiebat, tum Dialecticam praeser-

tim amplexus est, et eius discendae cupidus Parisios se contulit, ut Guillelmum Campetensem, Parisiensem Archidiaconum, Peripateticae celebrem Professorem audiret. Is Petrum Abaelardum, primum adamavit plurimum, deinde eidem offensus est, eo quod nonnullas eius sententias ille improbaret, et scholam non longe Lutetia aperuisset. Adeo vero in Theologia Abaelardus profecit, ut Petro Lombardo *Sententiarum Magistro* eius opera usui plurimum fuerint.

Rogatus ab Fulberto Canonico Cathedralis Ecclesiae Parisiensis Abaelardus, ut horis subsecivis Heloisam nobilem virginem neptem suam, quae in tota Gallia ob virtutem, doctrinam, aliaque ornamenta celebris erat, philosophicis et liberalibus disciplinis erudiret, id ille libenti animo facere aggressus est. Sed miserum in modum excitata in utrisque cupiditate, eo usque res progressa est, ut filium habuerint, quem *Astrolabium* appellarunt. Deinde legitimo matrimonio matrem et filium Abaelardus, Fulberto tandem consentiente, honestavit. Sed cum ipse interea Magistri officio in scholis suis fungeretur, intelligens Domesticos sibi maxime offensos esse, non multo post Heloisae suasit, ut in Coenobio prope Parisios, quod Argenteolense dicebatur, se includeret; sed illam interea monuit, ne velum susciperet. Fulbertus vero, et Heloisae consanguinei Abaelardum sibi illudere voluisse suspicantes, gravissimam iniuriam illi intulerunt. Quo facto Abaelardus afflictione perculsus, monasticum habitum prope Parisios induit in monasterio S. Dionysii. Heloisa vero ab Episcopo in monasterio Argenteolensi velum accepit, cui deinde in Priorissae, et Abbatissae gradu praefuit.

Conatus quidem Abaelardus erat hominum conspectu, et frequentia carere. Sed talis erat doctrinae fama, qua claruerat, ut, cum undique, eiusdem audiendi causa, studiosi praesertim adolescentes convenirent, Adamus monasterii S. Dionysii Abbas, copiam ei fecerit scholam aperiendi. Cum vero Monachos liberius viventes carperet, et una simul, ingenio suo, cuius vim sentiebat, plurimum confidens alios contemnere videretur, in magnam incidit calamitatem.

Nam anno 1121, ut Pagius putat, ut alii vero eruditi Chronologi censent, 1122, in Concilio Suessionensi de pluribus accusatus, et sententia condemnationis mulctatus, librum *de Trinitate* a se scriptum igni tradere, et ut se purgaret, symbolum S. Athanasii recitare debuit. Iudicatum enim est non recte de Dei omnipotentia eum sentire. Deinde custodiendus in monasterio Suessionensi S. Medardi, Guillelmo eiusdem monasterii Abbati traditus est, a qua tamen custodia Cononis Episcopi Praenestini S. R. E. Cardinalis Legati iussu liberatus, ad S. Dionysii monasterium reversus est.

In eo tamen Abaelardus brevi cum Abbate Adamo plurimum offendit, quod sententiam illam probari sibi contenderet continentem, Dionysium Areopagitam, non Atheniensium, sed Corinthiorum Episcopum fuisse. Ut sibi vero consuleret, ad Theobaldum Magnum Tricassinae civitatis Dominum Abaelardus confugit, et postea, dum de eo cum Abbate reconciliando ageretur, Adamus ipse mortuus est. In ista vero de Dionysii Episcopatu acri disputatione, Ludovico VI Galliae Regi quoque Abaelardus displicuerat; sed Stephanus Regis dapifer, post Adami mortem a Rege ipso et Sugerio, qui Adamo successerat, impetravit copiam Abaelardo, in quam vellet solitudinem migrandi; atque is in agro Trecensi, in solitudine quadam delituit. In ea vero solitudine, Episcopo probante, in fundo sibi donato Oratorium Sanctae Trinitati dedicatum construxit, quod *Paracletum* in posterum vocavit, eo quod in saeva calamitatum tempestate, ibi respirare, et Divini Numinis auxilio consolari potuerit.

Inde digrediens, Paracletense monasterium Heloisae habitandum concessit. Ipse vero ad Gildense monasterium in Britannia minori, ut Monachis praeesset vocatus, in tantum Monachorum odium incurrit, ut in vitae manifestum discrimen inciderit. Compulsus est igitur Abaelardus, ex eo monasterio discedere, et tunc acriores in eum turbae sunt excitatae, cum Suessionensis Concilii decretum contemnere, et non modo eosdem, quos antea, sed alios etiam errores spargere Abaelardus accusaretur.

Cum Abaelardus videret S. Bernardum ipsum sibi adversari, et tantam sanctissimi viri famam, doctrinamque esse sentiret, ut ipse causam suam nemini verae doctrinae defensionem amanti probare posset, petiit ab Henrico Senonensi Archiepiscopo, ut sibi publice cum Bernardo congredi liceret. Id vero cum impetrasset, Senonense Concilium anno 1140 habitum fuit, cui praeter Senonensem Archiepiscopum, plures Episcopi, Ludovicus VII Galliae Rex cum Proceribus multis, et magno numero Abbates interfuerunt.

S. Bernardus quidem repugnaverat ab initio, huius cum Abaelardo congressus particeps esse, quod de erroribus antea damnatis quaestionem institui non debere existimaret, sed venit tamen ad Concilium, postquam epistolam, quae num. 187 nunc est, scripserat, ut Episcopos Senonas, ea de causa invitaret. Repugnasse ab initio Bernardum eo venire, potest iure colligi ex memoratae epistolae verbis. Inquit enim: « Apud Senonas in octava Pentecostes vocamur, et provocamur ad » litem pro defensione fidei, cum Dei » servum non oporteat litigare.»

Ea, quae in Senonensi Concilio gesta sunt, colligi clare possunt ex S. Bernardi vita a Gauffrido Claraevallensi Monacho, olim Abaelardi discipulo scripta. « Adfuit dies, ait, » et Ecclesia copiosa convenit, ubi » a Deo famulo (Bernardo scilicet) » Petri illius Abaelardi scripta in » medium prolata sunt, et erroris » capitula designata. Demum illi optio data est, aut sua esse negandi, » aut errorem humiliter corrigendi, » aut respondendi, si posset, obiicien» dis, atque obiectandis sibi rationi» bus, et argumentis pariter, et San» ctorum testimoniis Patrum. At ille » nec valens resipiscere, nec valens » resistere sapientiae et Spiritui, » qui loquebatur, ut tempus redime» ret, Sedem Apostolicam appella» vit. »

Haec ipsa S. Bernardus fusius explicat in epistola ad Innocentium II Pontificem. De erroribus autem Abaelardi generatim in ea epistola affirmat, « capitula (ex eius scriptis de» prompta) iudicio omnium exami» nata, inventa sunt fidei adversaria, » contraria veritati. » Scripsit praeterea de eadem re, Archiepiscopi Remensis nomine ad Pontificem aliam epistolam S. Bernardus, qua Concilii Senonensis gesta narravit, atque illud inter cetera, personae, videlicet, Concilium pepercisse, capitula vero damnasse; id quod Gaufridus quoque in S. Bernardi vita narravit. Nam inquit: « Ecclesia, quae convenerat, » dimisit hominem, mulctavit abo» minationem, a persona abstinens, » sed dogmata prava condemnans. » Denique concinne hanc S. Bernardus de Abaelardi erroribus in epistola 192 ad Guidonem de Castello Cardinalem, qui postea Caelestinus II Pontifex fuit, sententiam protulit: «Cum » de Trinitate loquitur, sapit Arium, » cum de gratia, Pelagium, cum de » persona Christi, sapit Nestorium.»

Innocentius II de universa re a S. Bernardo certior factus epistola valde fusa ab eo scripta, quam Mabillonius inter tractatus recensuit, sententiam a Synodo latam confirmavit. Etenim Otto Frisingensis lib. 1 de gestis Friderici, postquam appellationem ab Abaelardo ad Pontificem interpositam narravit, et Episcopos, qui Concilio interfuerant, ad Innocentium II capitula ex Abaelardi

scriptis excerpta retulisse; hoc Innocentii rescriptum attulit: « Per » praesentia scripta Fraternitati Ve» strae mandamus, quatenus Petrum » Abaelardum, et Arnaldum de Bri» xia perversi dogmatis fabricatores, » et Catholici impugnatores, in re» ligiosis locis, ubi vobis melius vi» sum fuerit, separatim faciatis in» cludi, et libros erroris illorum, ubi » reperti fuerint, igne comburi.»

Haec vero cum evenissent, Petrus Abaelardus ita se gessit, ut de erroribus omnibus prorsus abiiciendis, et de poenitentis vitae exemplo exhibendo constanter laboraverit, in eoque proposito mortuus sit. Brevi quidem Otto Frisingensis, quid consilii ceperit Abaelardus post latam ab Innocentio II sententiam, his verbis recenset. «Ipse, inquit, (Abaelardus) » non multis post diebus, coram fra» tribus suis fidem suam humiliter » exponens, in eodem vitam finivit » coenobio.» Scilicet, prout ceteri fuse narrant, eaque Baronius, et Pagius ad an. 1140 monumentis allatis commemorant, scilicet, inquam, cum Abaelardus iter Romam versus appellationis prosequendae causa suscepisset, et ad Cluniaci monasterium pervenisset, a Petro Mauritio, seu Abbate Venerabili humanissime exceptus, ibidem substitit, et Abbatis eiusdem opera, S. Bernardo reconciliatus, a Pontifice absolutionem obtinuit.

Postea valetudinis causa ab eodem Petro Venerabili missus Cabillonem, in S. Marcelli monasterio Ordinis Cluniacensis anno 1142 decessit, prout in Chronico S. Petri Vivi tom. 2 Spicilegii Dacheriani ostenditur. Denique eius corpus sepultum est, prout ipse statuerat, in monasterio Paracletensi, imposito epitaphio, quod Baronius ad annum memoratum, Natalis Alexander in cit. dissertatione, aliique retulerunt. Abaelardum tandem in perspicuis pietatis et poenitentiae sensibus mortuum esse, inter cetera demonstrat epistola a Petro Venerabili de eiusdem obitu ad Heloisam scripta, atque a Baronio n. 10 et seq. recitata. Cum errores vero retractaverit, et adeo piam in posterum vitam egerit, ac singularibus fidei exemplis exhibitis mortuus sit, Natalis Alexander haereticum appellari illum posse negat, cui Mabillonius assentitur. Nam animadvertit, ad tempus quidem illum haereticum fuisse, atque in erroribus pertinacem; catholicum vero mortuum omnino esse. Baronius quoque Abaelardi in suscepto proposito constantiam ad annum 1140 laudat. Heloisam etiam piissime mortuam esse Pagius ad annum 1042 post San-Marthanos, in Abbatia Paracletensi animadvertit. Opera Abaelardi Duchesnius an. 1616 Parisiis edidit, et notis illustravit.

Quae sunt hactenus exposita, ad vitam potius Abaelardi significandam pertinent, quam ad diserte tradendas rationes, cur eius doctrina in Concilio Senonensi, ac deinde una cum erroribus, quos sparserat Abaelardus, ab Innocentio II damnatus sit. Referendum igitur nunc brevi est, quinam fuerint Abaelardi errores. Otto Frisingensis quidem, qui in memorato superius opere, quantum potest, Abelardum excusat, hos tantum eiusdem errores recenset: « Quod » Pater sit plena potentia, Filius » quaedam potentia, Spiritus sanctus » nulla potentia; quod Spiritus san» ctus non sit de substantia Patris; » quod Spiritus sanctus sit anima » mundi; quod Christus non carnem, » ut nos a iugo Diaboli liberaret, » susceperit; quod non peccaverint, » qui Dominum Christum ignoranter » crucifixerunt. »

Verum fusius Petri Abaelardi errores colliguntur ex epistola 190, sive tractatu S. Bernardi ad Innocentium: ex. gr. ratione posse omnia, etiam Trinitatem comprehendi; esse in Trinitate gradus, in maiestate modum, numerum in aeternitate; hoc esse Filium ad Patrem, quod species ad genus; Spiritum timoris Domini non fuisse in Domino; timo-

rem Domini castum in futuro saeculo non futurum; post consecrationem panis, et calicis, priora accidentia remanere, et pendere in aere; Daemonum suggestiones in nobis fieri contactu lapidum et herbarum.

Mabillonius huic epistolae praefixit capitula 14 titulo haeresum Petri Abaelardi, quae ipse putat a Bernardo excerpta ex eius libris, et in Concilio proposita. Primum est de ratione qua Trinitatem explicabat, et potentiam in Deo facere videbatur antiquiorem sapientia. Secundum de Spiritu sancto non ex substantia Patris. (Superius indicavimus, Bernardo Abaelardum, cum de Trinitate loqueretur, Arium visum esse.) Tertium, quod ea Deus solummodo possit facere, vel dimittere, vel eo modo, et tempore solum, quo nunc facit. Quartum de Fine Incarnationis, quem negat fuisse, ut nos a iugo Diaboli liberaret. Quintum, quo statuitur, personam, quae Christus est, non esse personam in Trinitate. Sextum, Deum non plus facere ei, qui salvatur, antequam cohaereat gratiae, quam ei, qui non salvatur. Septimum, Deum non debere, nec posse mala impedire. Octavum non contraxisse nos ex Adamo culpam, sed poenam. Nonum, species in Eucharistia exsistere in aere. Decimum, propter opera, nec meliorem, nec peiorem effici hominem. Undecimum, non peccasse, qui Christum crucifixerunt ignoranter. Duodecimum, potestatem ligandi, et solvendi super terram intelligi datam Apostolis, non Successoribus eorum. Decimum tertium, peccatum non esse delectationem consequentem suggestionem. Decimum quartum, ad proprietatem personae Patris proprie, vel specialiter omnipotentiam attinere.

Nolo ego hic Berengarii Pictaviensis quondam Abaelardi discipuli apologiam pro eodem editam confutare. Eam Natalis Alexander inter ceteros in recensita superius dissertatione art. 9 graviter, eruditeque refellit, et quanta iniustitia Berengarius in S. Bernardum invectus sit, manifeste declarat. Dicam autem brevi, Pagii verba usurpans ad an. 1140 num. 4, eum ipsum reprehensum a multis, quod tam gravem, sanctumque virum, lascivientis stili acumine pupugisset, seipsum excusasse, idque ioco potius, quam serio a se factum esse affirmavisse.

Moshemium potius commemorabo, qui in Inst. Hist. Eccl. saeculi XII parte 2 cap. 3 §. 10 de S. Bernardo in Petri Abaelardi causa, tam inique detraxit. Non dico quanta doctrina, ingenio, pietate Bernardus praestiterit, quantumque virum Moshemius offendat, cum tam demisse loquatur. Nam omni virtutum genere illum praestitisse, doctrina ingenioque celeberrimum fuisse, Ecclesiae Catholicae summa auctoritas evincit, quae illum ab Alexandri III aetate inter Sanctos iure veneratur, et cui Pius VIII Doctoris Ecclesiae proprios honores tribuendos esse decrevit. Illud dico tantum, abhorruisse a Bernardi sanctitate, ut inimicitias cum Abaelardo, ne is doctior videretur, exerceret; eum invitum ad Concilium Senonense venisse, ut cum Abaelardo disputaret; Abaelardum non potuisse Bernardi doctrinae, et argumentis, omni gravitate ab eo probatis resistere. Id in frequentissimo Episcoporum, Abbatum, Regni Galliae Procerum conventu, et Ludovico ipso VII Galliae Rege praesente evenisse, qui omnes licet plurimi Bernardum, eiusque doctrinam, vitaeque sanctimoniam facerent, videre facile potuerunt, iure ne, an iniuria Abaelardus accusaretur; denique ubi primum Petrus Venerabilis operam dedit efficiendae Bernardum inter et Abaelardum reconciliationi, id libenti animo sanctissimum virum accepisse, et alacri studio Abaelardum benignissime complexum esse. Haec omnia probant testimonia gravitate praestantia illud factum respicientia, et ineluctabilem afferunt Moshemii, aliorumque de ea re accusationi responsionem.

CAPUT XVIII.

DE PECULIARIBUS ROMANAE URBIS ADIUNCTIS CIRCA FINEM SAECULI XII.

Post exposita praecipua saeculi XII Historiae Ecclesiasticae capita, non erit inopportunum ad pleniorem rerum Ecclesiasticarum eiusdem saeculi notitiam tradendam, aliqua attingere de peculiaribus Romanae Urbis adiunctis cum ea aetas ad exitum properaret. Id autem ut efficiamus quanta possumus brevitate, non nulla tantum ex Henrici VI Imperatoris historia, atque ex Romanorum Pontificum vita recensebimus, qui saeculo XII post Alexandrum III Ecclesiae praefuerunt.

Itaque de Henrico VI Friderici Aenobarbi filio haec commemorabimus. Scilicet Henricus Friderici filius, patre mortuo, imperium ab initio inquietum habuit, cum populi rerum novandarum studio animarentur. Igitur praemisso Germanorum exercitu contra Tancredum Siciliae Regem, in Italiam venit an. 1191. Romani autem eo tempore cum Tusculanis bellum gerebant. Cum vero Henrico Tusculani se tradidissent, Populus Romanus Principi denunciavit, se illum Basilicae Vaticanae ingressu esse prohibiturum, et interdicturum, ne imperatoriam coronam acciperet, nisi Tusculum ei dedidisset. Tusculum in Caelestini III Pontificis manu Henricus voluit tradi, ut a se devastationis, si potuisset, accusationem averteret. Haec vero cum fierent, Romani Tusculanorum magnum numerum trucidare, et Tusculum ipsum evertere non dubitaverunt. Henricus in Germaniam reversus cum uxore, postquam imperatoriam coronam acceperat, iterum triennio post in Italiam venit, et Apuliam, Calabriam, ac Siciliam obtinuit, et deinde Panormo expugnato, Rex Siciliae in maxima totius Regni frequentia coronatus est. Quamquam vero Pagius ad annum 1194 multa de eius crudelitate a recensioribus conficta esse tradat, ostendit tamen Richardus a S. Germano et Chronicon Fossae Novae, ac Otto a S. Blasio, multos incendio, multos suspendio, atque exilio mulctatos ab eo esse.

Ad Romanos vero Pontifices quod pertinet, haec perstringemus. Videlicet, Alexandro III anno 1181 Lucius III antea Umbaldus Ostiensis Episcopus, natione Lucensis successerat, isque, cum sub Alexandro III primum, et deinde Pontifex factus, Sedis Apostolicae in Urbe Roma iura potestatis temporalis vindicasset, factiosorum hominum motus declinandi causa, Veronam se contulit, et ibi anno 1185 mortuus est.

Suffectus Lucio III Urbanus III antea Lambertus Crivellius appellatus, et Archiepiscopus Mediolanensis Cardinalis titulo S. Laurentii, Veronae et ipse substiterat, ut memoratas Romanas turbas vitaret. Fridericum vero Imperatorem adegerat ad ea Romanae Ecclesiae restituenda, quae Princeps Mathildis donaverat. Obiit autem anno 1187 Ferrariae, cum infaustum nuntium accepisset, a Saladino Babylonis Rege Hierosolymam captam fuisse. Brevissimus post hunc fuit Gregorii VIII Pontificatus Ferrariae electi, cum vix duos menses illum gesserit, et eo ipso anno 1187 obierit Pisis, quo se contulerat, tum ad bellum sacrum contra Saladinum renovandum, tum ad concordiam inter Pisanos ac Genuenses conciliandam.

Clemens III Romanus, antea Paulinus Scholarius appellatus, tres annos, et aliquot menses pontificatum gessit, vir litterarum scientia clarus, morum et vitae integritate praestantissimus. Is vero turbas illas componere gravissimas potuit, quae ab Innocentii II tempore Urbem affecerant, de qua re Baronius ad an-

num 1188 inter ceteros agit, adductis monumentis, quae tranquillitatis istius restitutionem respiciunt.

Denique Caelestinus III Orsinius Romanus annum licet ageret aetatis 85, Pontifex electus est an. 1191, et sexennium, ac novem menses, diesque nonnullos illum gessit. Hic ille Pontifex est, de cuius pontificatu agens Baronius celeberrimus Historiae Ecclesiasticae parens, annales suos absolvit. Is Henricum VI Imperatorem die Paschatis eo anno coronavit; et cum plura pro Religionis bono gessisset, anno 1198 mortuus est. Inter cetera illud est in huius Pontificatus historia mentione peculiari dignum, a Caelestino, videlicet, anno 1196 ad Galliae Episcopos contra divortium ab Philippo Augusto cum Ingeburge factum, litteras scriptas esse, et Episcoporum sententiam ab eodem irritam esse declaratam, qui anno 1193 divortium illud probaverant.

Quae mox attigimus de Pontificum Romanorum historia, et quibus alia plura idem confirmantia adiungi facile possent, eo inter cetera spectant, ut commemorent, quo pervenerint factiones iisdem temporibus, ab Innocentii II tempore, usque ad Clementem III Romae excitatae, de quibus Onuphrius Panvinius in adnotationibus ad eiusdem Clementis III vitam breviter quidem, sed erudite praecipua recenset. Hae autem turbae potissimum debebantur Arnaldo Brixiensi, quem ab Innocentio II ipso, in Concilio Lateranensi II compressum, et condemnatum esse, suo loco retulimus. Eius enim potissimum instigationibus Urbanae turbae commotae sunt, et diu perdurarunt contra legitimam Romani Pontificis potestatem. Pudere autem deberet Pontificiae potestatis huius detractores, memoria repetentes, quem virum inter antesignanos suos, etiam vetustiori aetate habuerint.

De ea potestate nos egimus, cum de praecipuis historiae Ecclesiasticae saeculi octavi capitibus pertractavimus. Quanta vero cum Ecclesiae utilitate evenerit, ut Pontifex Maximus, Supremum totius Ecclesiae Caput, praeter summam a Christo ei traditam in Ecclesiam universam potestatem, Regio quoque Principatu praestaret, diuturnum ipsum tot saeculorum factum confirmavit. Etenim, inter cetera, manifestum omnibus est, id ad Apostolici Ministerii, et Primatus a Christo accepti munera libere exercenda plurimum conducere. Sapienter vero Bossuetius, singulari Dei Optimi Maximi, erga Ecclesiae bonum providentiae tribuit, hac potestate Pontificem Romanum praeditum esse; tantumque est veritatis per se ipsam loquentis pondus, ut Fleuryus ipse in quarto suo de Historia Ecclesiastica sermone, eo ipso in loco, quo generatim de temporali potestate aliorum Episcoporum propria conqueritur, de Romana tamen Ecclesia loquens, Bossuetii sententiam laudet, et penitus amplectatur.

Nimis longa vero evaderet pertractatio nostra, si singillatim bona, non in Ecclesiam solum, sed in Rempublicam etiam Civilem ex hac temporali Romanorum Pontificum potestate profecta, essent exponenda. Haec autem, inter ceteros, recentiori memoria concinne, et ingeniose recensuerunt, De Maistrius in opere, quod inscribitur *Du Pape,* et in tomo 1 part. 2 theor. 6, Scriptor doctrina clarissimus *Theorematum Politicae Christianae* Auctor, quod opus anno 1831 Romae editum est. Historia vero Ecclesiastica suppeditat perspicua argumenta, quibus evincitur quam faustum Ecclesiae fuerit, Pontificem Maximum, ea potestate quoque praestare. Id autem facile ostenditur, si tempora, quae huius potestatis acquisitionem praecesserunt, cum iis comparentur, quae eandem subsequuta sunt. Quo loco ut unum tantum ex ea historia commemoremus, quod plurimum cum Religionis utilitate coniunctum est; sciunt omnes quanto liberius, ac facilius, memo-

rata posteriori aetate Romani Pontifices potuerint Catholicam doctrinam contra obortas haereses vindicare, disciplinae Ecclesiasticae consulere, fidem Christianam apud exteras gentes propagare. De civili autem Republica, reliquis omissis, dicemus solummodo, bonarum artium, et litterarum, ac scientiarum progressum, splendoremque, ad quem pervenerunt, plurimum huic Pontificiae potestati tribui oportere.

EX SAECULO DECIMO SEXTO

CAPUT XIX.

DE ECCLESIAE STATU SAECULO DECIMO TERTIO.

Praecipua historiae Ecclesiasticae capita explicanda nunc suscipimus, quae saeculum decimum tertium respiciunt. Quo loco omitti illud non posse videtur, hoc saeculum, nomine quodam veluti proprio, *Waldense* aliquando appellatum fuisse, prout inter ceteros Guillelmus Caveus fecit in Historia Ecclesiasticorum Scriptorum litteraria. Verum id iniuria. Consideranti enim huius aetatis Ecclesiasticam historiam facile occurrit, quae, quantaque fuerint in Ecclesia gesta, quae tamen ab Waldensium, vel Albigensium negotiis erant distincta, quaeque ostendunt idcirco, hanc aetatem eo nomine, veluti peculiari suo, significari non posse. Perturbata quidem vehementer Waldensium atque Albigensium causa eo tempore Ecclesia est. Id vero non efficit huius temporis Ecclesiae historiam, Waldensium rerum tantummodo historiam esse existimandam. Patet id perspicue, si praecipua illa perpendantur, quae ad Romanorum Pontificum vitam pertinent, qui his temporibus Ecclesiae praefuerunt. Ostendunt praeterea id Concilia hac aetate celebrata, et sapientissima decreta, quae ad fidem propugnandam, ad disciplinam regendam, ad commune denique societatis universae bonum procurandum sancita sunt.

Satis profecto est celeberrima Concilia Generalia commemorare, de quibus singillatim deinde loquemur, quae aetate ista habita fuerunt. Nam ex eorundem historia, rebusque in iisdem pertractatis apparet, quanta gravitate, quantoque simul cum Religionis bono, de negotiis Ecclesiam universam respicientibus decreta magno numero in illis edita sint. Tale fuit Lateranense IV Generale Concilium anno 1215 celebratum, cui Innocentius III Pontifex Maximus praefuit. Videbimus autem suo loco, praeter Albigensium, aliosque errores in eo damnatos, sapientissimos canones tunc promulgatos esse ad Ecclesiae disciplinam tuendam imprimis opportunos; et quod iis temporibus, plurimis laboribus atque impensis, Christiani Principes efficere iamdiu coeperant, studiose fuisse iterum ibi constitutum; scilicet dico id, quod ad Terram Sanctam recuperandam pertinebat. Neque minori Ecclesiae utilitatis procurandae studio Concilium aliud Generale anno 1245 Lugduni in Gallia, praeside Innocentio IV habitum est, quo perturbatae Reipublicae occurreretur, et expeditio contra Turcas decerneretur, eaque statuerentur, quae ad rectam Cleri, ac Populi institutionem opportunissima esse iudicata sunt. Denique ut de Conciliis hic alia non recenseam, sciunt omnes an. 1274 in eadem Lugdunensi civitate novum celebratum esse Oecumenicum Concilium, cui Gregorius X Pontifex Maximus praefuit. In eo autem, quidquid poterat opportunum videri ad Graecos cum Apostolica Sede reconciliandos, atque ad renovatum sub Michaele Cerulario schisma tollen-

dum, communi studio, ac laboribus effectum est. Erant etiam ea ibi pertractanda, quae ad morum sanctitatem in populo christiano fovendam conducere poterant; erant tandem ea providenda, quibus statutis, celeriori atque opportuniori ratione Romanorum Pontificum electio fieret. Id vero in ea synodo gestum, decretumque est.

Quod si ad Romanos Pontifices nos convertamus, qui hac aetate Ecclesiam universam gubernarunt, in promptu habebimus ex eorundem historia, quanto numero sint res ab iis gestae, quae ad Ecclesiam non modo tuendam sed etiam amplificandam, atque ad Religionis incrementum impense obtinendum spectare poterant. Facile est Romanorum huius aetatis Pontificum seriem paullisper percurrere. Ostendit autem series, plurimis gravissimisque negotiis impensam operam eos dare debuisse, atque eos praeter Ecclesiae totius administrationem, de Reipublicae etiam praecipuis rebus pertractare, et obortas in politicis rebus controversias dirimere debuisse.

Mentionem fecimus alio loco operis primum Parisiis anno 1839 editi a viro clarissimo Seminarii S. Sulpicii moderatore A. Gosselinio, quod inscribitur: *Pouvoir du Pape sur les souverains au moyen age, ou Recherches Historiques sur le droit public de cette epoque, relativement à la deposition des princes.* Monumenta profecto, quae in eo opere ad hanc materiam illustrandam efferuntur, sunt perspicua ut evincant, summam in his rebus Romanorum Pontificum auctoritatem habitam esse, atque eorum praesertim iudicio difficillimas de politicis negotiis controversias reservatas, diremptasque fuisse. Id autem tale est, ut multo clarius demonstret, nimis alienum esse ab huius saeculi prospectu, ac consideratione, proprio quodam nomine, illud Waldense appellari posse. Tot enim, tantaque fuere negotia, a Waldensium rebus penitus diversa, quae his temporibus in Ecclesia, atque a Pontificibus Maximis gesta sunt, ut ineptum prorsus esse appareat, ab illorum haereticorum nomine huius aetatis appellationem derivare.

Quoniam vero meminimus auctoritatis, quam in politicis quoque rebus gerendis Romani Pontifices iis praesertim temporibus adhibuerunt, opportunum erit aliqua singillatim de ea re hic commemorare. Hoc autem non modo ad aetatis huius notitiam habendam requiritur, sed perducet etiam ad ea facilius intelligenda, quae in Praelectionum istarum decursu exponenda sunt. Ne vero longiores simus, ea tantum attingemus quae res in Europa gestas respiciunt.

Tanta autem fuit utilitas, quae societati universae ex adhibita a Romanis Pontificibus in politicis Europae rebus auctoritate obvenerunt, ut Protestantes ipsi, licet Romanae Ecclesiae adversarii, id aperte fateri debuerint. Hoc autem quod pluribus posset testimoniis confirmari, manifeste tradit inter ceteros Ioannes Von-Müllerius in opere quod de *Pontificum itineribus* anno 1787 scripsit cum Pius VI Roma Vindobonam profectus esset. Is, praeter alia plura, quae recenset de morali ac politica utilitate, a Pontificum Romanorum auctoritate in societatem profecta, Alexandro III tribuit bona illa quamplurima, quorum participes fuerunt civitates Guelphicae in Italia, ex quibus deinde ad alias gentes commoda ista manarunt. Tum Gregorium VII, Alexandrum III, atque Innocentium III Pontifices laudat, qui auctoritate, virtuteque sua contra imminentem toti Europae perniciem propugnaculum constituerunt, et hierarchicae potestatis defensione, statuum, ut dici solet, libertatem vindicarunt. Hinc Religionis in Europa custodiam derivat, hinc despotismi pericula sublata, hinc societatem universam in Europa tota servatam esse;

et generatim Pontifices iis temporibus talia gessisse affirmat, qualia in exercitu gerit supremus Dux, cuius auctoritatis, virtutisque praestantiam milites perspectam, cognitamque habeant, qui Dux si deficeret, ad graves res gerendas exercitus non valeret.

CAPUT XX.

DE POLITICIS EUROPAE VICISSITUDINIBUS.

Prout mox significavimus, Romani Pontifices magnam in politicis rebus auctoritatem his temporibus exercentes, Societati plurimum profuerunt. Constat id ex horum temporum historia. Ex ea autem, quae Europam respicit, nonnulla hic attingere opportunum putamus. Id vero non modo confirmabit quod diximus, sed etiam prout affirmavimus, opportunum erit ad earum rerum intelligentiam, quae in huius aetatis praelectionibus dicenda sunt. Narrationis autem modo rem hic absolvemus.

Itaque magni ob Henrici VI mortem tumultus orti sunt in imperio, cum alii Philippum Henrici fratrem successorem vellent, alii Ottonem Saxoniae Ducem peterent. Cum ergo Philippus, quod penes se haberet insignia imperii, imperium arripuisset, Otto paullo post cum exercitu ad eum venit, et in Alsatiam progressi prope Mosellam decertarunt. Philippus victor in Saxoniam pergens Brunopolim obsedit currente anno 1199. Narrat haec diligenter Arnoldus Lubecensis lib. 6. Secuta est a bellis quies, quae tamen bella postea recruduerunt, praesertim an. 1206, quo Philippus Coloniam obsedit. Obsistentibus civibus, expugnare urbem non potuit, sed proelio congressus postea cum Ottone, eum fugavit; ipse vero proditione Ducis Limburgensis circumclusus, evadere vix potuit, ut narrat Gotefridus monachus. Anno sequenti Germani tot bellis fatigati Oratores Romam miserunt, quorum Princeps fuit Volcherus Patriarcha Aquileiensis, ut Innocentius III Pontifex Principes dissidentes conciliaret. Innocentius Ugolinum Episcopum Ostiensem, et Leonem Presbyterum S. Crucis misit, qui conventu habito in Saxonia cum Germaniae Principibus rem ita composuerunt, ut Otto Philippi filiam in matrimonium acciperet, et Philippus dum viveret, Regis titulo abstineret. Narrat id Urspergensis. Pactis initis fides praestita non est, ut eruitur ex processu Legatorum in registro Innocentii III, et significant Arnoldus Lubecensis, et Albertus Stadensis, qui haec tradunt, licet anno seq. 1208 Philippus ex Saxonia in Sveviam se recipiens cum lapsus ex itinere, et aegritudine correptus Bambergae substitisset; dum misso sanguine in cubiculo quietus, paucos familiares admittens, quodam die sedebat, eum Otto comes Palatinus ingressus, ac Cubiculario frustra caput Domini protegente, sauciato, obtruncavit.

Philippo mortuo Otto IV omnium consensu Imperator salutatur, et anno insequenti 1209, praemisso Volchero Patriarcha Aquileiensi, ut populos sibi obsequentes redderet, in Italiam venit. Mediolani ab Uberto Archiepiscopo in Basilica Sancti Ambrosii coronatum Scriptores plures narrant. Viterbium veniens benigne exceptus est a Pontifice, et Romam invitatus, ibi in Basilica S. Petri coronatur 5 Cal. Octobris, prout narrat Otto a S. Blasio. « Crastina die » Dominica ante festum S. Michae- » lis, quae eo anno 5 Cal. Octobris » evenit, a Domno Papa Innocentio, » et a Romanis honorifice suscipi- » tur, datoque Sacramento coram. » Ecclesia se iustum Iudicem, ac Vi- » duarum et Orphanorum tutorem,

» nec non Ecclesiarum, et praecipue » Patrimonii S. Petri defensorem pro » posse, exsistere, ab Apostolico con» secratus coronatur. » Ottoni consentit Chronicon Fossae Novae. Arnoldus Lubecensis, Albericus, Matthaeus Parisius die sequenti coronatum tradunt.

Hinc bellum intulit Friderico, utriusque Siciliae Regi. Ab hoc bello absterrere eum conatus est Innocentius, et cum ille in incepto perseveraret, excommunicavit mense Novembris anno 1210, ut testatur Chronicon Fossae Novae; cum vero nullo modo resipisceret, hanc ipsam excommunicationem contra ipsum, eiusque asseclas confirmavit, ut legitur in Chronico Richardi de S. Germano; eundem etiam ex imperio decidisse solemniter edixit, et Germaniae Principes monuit, ut Fridericum ipsum sufficerent in eius locum, misso Legato Siffrido Archiepiscopo Moguntino, ut narrat Gotefridus ad eundem an. 1211, licet diversis annis acciderit, ut monuit Raynaldus. Otto relicta Apulia in Germaniam ad populos sibi confirmandos perrexit, et Conventum Francofordiensem celebravit. Italia egrediens asperrima hieme, ducem itineris sibi adscivit Comitem S. Florae. Ferunt vero hunc, Padum glacie constrictum stramentis ita operuisse, ut Fridericus flumen esse non animadverteret: cum vero id postea rescivisset, insidias suspicatus, Comitem mergi illis aquis iussit.

Pontifex Fridericum Romam venientem humaniter accepit. Is vero deinde in Germaniam iter intendit, et licet occurrere illi Otto festinaret, desertus tamen a suis Fridericum itinere impedire non potuit.

Cum nonnullae Italiae Urbes Ottonis partes tuerentur, eas Honorius III, qui Innocentio successerat, excommunicavit. Otto nulla re gesta insigni, decessit anno circiter 1218. Sigonius nihil de eius poenitentia se comperisse apud veteres scripsit. Verum « cum gemitu, et lacrimis » quid sibi agendum foret, vel qua» liter a nodo excommunicationis ab» solvi posset, postulasse ab adstan» tibus » refert Gotefridus; subdens etiam: « ad quorum consilium cum » mandato Apostolici stare iurasset, » absolvitur.» Albericus quoque mortuum illum ait, restitutis omnibus, quae occupaverat de Ecclesiae, et Imperii rebus, absolutione nihilominus excommunicationis postulata cum contritione.

Fridericus aemulo sublato, rebus Germaniae componendis statim operam dedit meditans Romanum iter: et primo quidem collecto Francofurti Principum conventu, Henricum filium Romanorum Regem eligendum curavit; cumque Honorius Pontifex questus esset, id factum esse, se inscio, litteras ei dedit fraudis plenas, quas Raynaldus recitat ad annum 1220. Hoc autem anno Alpes traiecit exeunte Augusto, et Romam venit. Honorius scribens ad Albanensem Episcopum narrat, se « Domi» nica ante adventum Domini pro» xima, carissimum in Christo filium » Fridericum Romanorum Imperato» rem semper Augustum Regem Si» ciliae, et illustrem Imperatricem » Consortem eius, in Principis Apo» stolorum Basilica cum inaestima» bili alacritate, ac pace Civium Ro» manorum solemnissime coronasse.» Fuit haec dies S. Ceciliae sacer, ut plerique veteres affirmant.

Ea conditione Fridericus imperiali corona a Pontifice donatus est, ut statim expeditionem susciperet in Syriam. Sed ille primo moras necessarias praetendens, inducias impetravit, deinde aliis excusationibus uti coepit, quas fuse refert Raynaldus. In Apuliam se contulit, ut seditiosos compesceret, quorum reliquiis Luceriam in Apulia habitandam assignavit. Eodem anno Henricum filium Regem Germaniae Aquisgrani coronandum curavit, quin tamen discederet ex Italia. Rebus in Syria male vertentibus, Fridericus cum Honorio colloquium habuit Ve-

rolis; et alterum in Campania cum Ioanne Briennio, in quo pactae nuptiae Friderici cum Yolanda Ioannis filia; quae nuptiae celebratae sunt anno 1225.

Honorio Pontifice mortuo, Gregorius IX eiusdem successor, de suscipienda sacra expeditione monuit Fridericum, qui spondens id se facturum, edixit, ut Cruce signati Brundusium convenirent ad diem Assumptionis. Frequentissimos convenisse, et ex sola Anglia amplius 60 millibus scribit Parisius, qui et ostentum narrat. « In nocte nativitatis B. Ioannis, » ostendit se Dominus in firmamento » crucifixum; quod perspicue appa- » ruit in Cruce lucidissima corpus » Dominicum clavis et lancea per- » foratum, nec non cruore respersum » ut fidelibus suis patenter osten- » deret Salvator mundi, ex hac po- » pulorum devotione se fuisse pro- » pitiatum.» Saevientibus aestate caloribus, multi ex Cruce signatis in Calabria morbo, multi siti, aliisque incommodis perierunt; pars etiam cum redire vellet, decessit. Reliqui in Festo Assumptionis solverunt, solvitque modico comitatu Imperator. Sed triduum in mare progressus, cursum converti iussit, asserens, se maris iactationem ferre non posse; milites eum imitati Italiam repetiverunt.

Hoc audito Pontifex « motus con- » tra eum, ait Richardus de S. Ger- » mano, apud Anagniam penultimo » mensis Septembris, denunciavit, » Imperatorem, in sententiam latam » excommunicationis contra ipsum » incidisse. » Hinc dissidia, quae magis etiam exarserunt, cum postea nullo insigni apparatu Fridericus rursus in Syriam contendit. Aegre enim tulit Pontifex hoc a Friderico factum esse, non petita prius catholicae communionis restitutione; et manifesta discordiae signa evaserunt.

Proximo anno pactis induciis ad decennium, Fridericus Hierosolymam recepit; sed specie tenus, cum eam iam Sultanus omnino vastasset; nihilominus quasi re omni confecta, in festo Inventionis S. Crucis, ut Parisius scribit, Imperator naves conscendit, et in Siciliam rediit; deinde in Apuliam pergens oppidis recuperatis, quae amiserat, de reconciliatione cum Pontifice agere coepit. Itaque ipsum pedes Anagniam convenit, ubi non solum a Pontifice absolutus est, sed ad convivium etiam adhibitus, prima die Septembris, ut Richardus narrat.

Anno 1237 dissidium inter Fridericum et Henricum filium fuit, cum is adiutus a nonnullis principibus Germaniae adversus Patrem coniurasset, et Civitates aliquas occupasset. Ergo urbem ubi Henricus erat, Fridericus obsedit. Ad Patris pedes se filius abiecit, et clementiam imploravit; sed, sive, iudicio de ipso habito, paratum sibi venenum combiberit, ut scribit Parisius, sive ea non persolverit, quae promiserat, ut Gotefridus, eum Fidericus in custodia tenuit, et anno sequenti in Apuliam captivum duxit, ubi quinquennium eum detinuit. Anno autem 1236 Fridericus Italicorum rebellione commotus Pontifici scripsit, ut Italos ad se revocaret, nisi bellum vellent experiri; vetuit id eum facere Pontifex, quod adhuc induciae pro Terrae Sanctae subsidio perdurarent: verum Imperator nihili ista faciens in Italiam venit, sed audiens Ducem Austriae populos concitasse adversum se « regrediens, inquit Gotefridus, ad » Austriam inclinat, et apud Vien- » niam nobilem Austriae civitatem » hiemando, de statu eiusdem terrae » sibi subiugatae ordinat, et suis » munit. »

Post haec vero in Italiam progressus est, ubi Mediolanum, aliasque urbes oppugnavit. Questus est Gregorius iura Ecclesiae ab eo violari: sed missis ultro citroque legatis nihil actum est. Verum manifesta evasit discordia cum anno 1239 Fridericus insulae Sardiniae Regem filium suum nothum Henricum, quem Itali Entium appellabant, constituit, licet

Pontifex Fridericum admonuisset, eam insulam iuris Ecclesiae esse. Itaque Gregorius, ut plures referunt veteres Scriptores, Imperatorem iterum excommunicavit. Neque tamen litteris admonere eundem destitit, quarum partem Raynaldus recitat; sed cum vidisset, spreto anathemate in contumacia illum persistere, aspere de se loqui, et scribere, foedus contra eum cum Italis urbibus inivit. Fridericus adversas sibi civitates oppugnare coepit, atque Entium ad occupandam Marchiam Anconitanam misit. Quare uterque rursus a Pontifice anathemate plexus est. Viterbium, et vicina Urbis loca Fridericus obsedit. Gregorius obiecit Cruce signatos Romanos; quorum turmas aliquas cum Fridericus intervertisset, erga eos atrocissimum se praebuit, nam in crucis signum quatuor in partes hominum caput diffidit, vel ferro candenti in fronte impressit crucis signum, aut crudelius etiam eos habuit, ut narrat Scriptor vitae Gregorii. Cum vero videret frustra se sperare Urbem se esse expugnaturum, mense martio ad Neapolitanum Regnum iter suscepit.

Interea anno 1240 indictum est Concilium Romae in annum sequentem. Fridericus vero inducias pepigit cum Pontifice, nec tamen servavit. Nam Faventinis, aliisque bellum intulit, instructis exercitibus sex, quos Parisius recenset: praeterea Episcopos et Abbates, qui ad Concilium veniebant, per Entium captivos fecit, et aliquos mari mersit. Mortuo Gregorio, et brevi post tempore etiam Caelestino IV vita functo, Pontificia comitia diuturna fuerunt. Interea decurrente an. 1243 Fridericus exercitum ad Urbem admovit « ubi turres nonnullas fundi- » tus fecit everti, faciens etiam in » aliis, quam potuit vastitatem, » prout habet Richardus a S. Germano.

Electus tandem est Innocentius IV, atque is legatos ad Fridericum misit: quos alii superbe, alii humaniter ab eo exceptos fuisse narrant. Sed certum est, fraude Fridericum usum fuisse. Itaque cum Viterbienses ob eius crudelitatem defecissent, Viterbium obsedit. Verum cives erumpentes tanto impetu eius copias aggressi sunt, ut Fridericum ipsum in eo proelio mortuum esse tum existimatum sit. Sed anno 1244 de pace ineunda cogitavit, et per procuratores iuravit, se, quae Ecclesiae erant, restituturum, et rem omnem Pontificis arbitrio permissurum. Parisius, et alii, quos Raynaldus affert, pacis conditiones exponunt. Verum tunc quoque fidem fefellit. Innocentius, ut ad promissa implenda vehementius eum incitaret, Sutrium se contulit, sed nihil proficiens, consilium etiam Friderici de se capiendo plane sentiens, ad Genuenses scripsit, quorum opibus et navibus adiutus, Genuam venit, ubi magnificentissime exceptus est: inde Lugdunum perrexit, ut Concilio in ea civitate habendo praeesset.

Vehementer Concilii metu percitus Fridericus, Legatos iterum ad pacem ineundam misit; sed cum coram adesse recusaret, in eodem Concilio Innocentius illum excommunicatum regno et imperio privavit. Scripsit praeterea electoribus, ut alium substituerent. Suffectus autem est, quem Pontifex volebat, in ipsa die Ascensionis Henricus Hassiae Landgravius, qui electioni primo repugnans, tandem Innocentii auctoritate victus consensit, ut scribit Stadensis. Is autem non multo post anno scilicet 1247 obiit, cum a Conrado Friderici filio aggressus proelio apud Ulmam fuisset. Innocentius hoc nuncio accepto legatos ad principes misit; atque in epistola ad Rectorem S. Mariae in Cosmedin 5 nonas Octobris ista significavit: « In curia iuxta » Coloniam solemniter congregata, » Willelmum Comitem Hollandiae » communi voto principum, qui in » electione Caesaris ius habere no- » scuntur, in Romanorum Regem ce- » teris principibus applaudentibus

» esse electum.» Haec vero probant, vivo adhuc Friderico, praeter Henricum, alium etiam Imperatorem, Guillelmum scilicet, ei suffectum fuisse.

Fridericus ira commotus, praeter alias urbes, Parmam oppugnavit: quod ut facilius exsequeretur, proximam ei urbem construxit, et Victoriam nominavit, quam Chronicon Parmense fuse describit. Hanc urbem, cum venationi daret operam Fridericus, anno 1248 Parmenses incenderunt, opesque diripuerunt. Anno autem sequenti cum Fridericus in morbum incidisset, Petrum De Vineis, quod conspirasse cum medico, et venenato poculo eum interimere tentasse accusaretur, iussit excaecari, et Pisanis eius hostibus in manus dari; quare vir sui temporis doctissimus, capite ad columnam alliso se ipse interemit. Aemulorum invidia Petrum id passum esse tradit Ioannes Villanus lib. 6 cap. 23.

Hoc ipso anno Bononienses, commisso proelio Entium ceperunt, et in carcerem coniecerunt, sancita lege, ne umquam dimitteretur. Fridericus, ut eum liberaret, omnia tentavit: pollicitus etiam tantum auri, quantum ad cingenda circulo Bononiae moenia satis esset; tandem bellum apparavit, sed in ipso apparatu idibus Decembris est mortuus.

De causa et modo Friderici mortis non constat. Matthaeus Parisius ad annum 1250 haec habet: « Obiit » circa haec tempora princeps mundi » maximus Fridericus, absolutus a » sententia, qua innodabatur, ad» sumpto, ut dicitur, habitu Cister» ciensium, et mirifice compunctus, » atque humiliatus, obiit etiam die » S. Luciae. » Poenitentiam eiusdem testatur etiam Albertus Stadensis, qui ait: « Fridericus Imperator mor» tuus est, ab Archiepiscopo Paler» mitano absolutus. » Balutius quoque lib. 1 Miscell. de Friderici poenitentia testimonia affert. Contra vero Ioannes Villanus lib. 6 cap. 42 contumacem eum obiisse refert: quod vel mortis genus inexspectatae nimirum indicare videtur. Nam idem, et Richordanus Malaspina cap. 143 mortuum narrant suffocatum a Manfrido filio notho, cum morbo conflictaretur, pulvino in os iniecto. Chronicon Parmense tom. 9 scriptorum Muratorii, « Fridericus, inquit, quondam » Imperator exsistens, Apuliae obiit, » et quidam dicebant de quodam » fluxu ventris, et quidam quod Rex » Manfredus filius de quodam veneno » mortifero toxicavit. » Sed non desunt scriptores, qui mortem Friderico per Manfridum allatam esse manifeste negant. Mortuus est vero Florentiolae in Apulia.

Hactenus vivo Friderico post Henrici Hassiae Landgravii obitum, electum diximus Imperatorem Guillelmum Hollandiae Comitem. Is vero non plus decennio eam dignitatem obtinuit. Eius imperii vix ullum narratur celebre factum. Anno 1249 commissa pugna cum Conrado Friderici filio victus est, ut Rolandinus narrat lib. 6. Anno 1256 infelici exitu vita functus fuit. Rem fuse narrat Matthaeus Parisius. Cum enim in bello cum Frisiis victor discederet, atque ad paludem quandam in Hollandiae finibus venisset, fracta glacie, in aquas cum equo lapsus, supervenientibus hostibus, iaculis ab illis confossus periit sub Februarii initium, vel, ut habet Chronicon magnum Belgicum, die 28 Ianuarii.

Secutae sunt in successore eligendo acerrimae contentiones. Nonnullos Germaniae Proceres voluisse Imperatorem pronunciari filium Conradi, Conradinum ab Italis vocatum, sed ab Alexandro IV prohibitos docet huius epistola apud Raynaldum ad annum 1256. Anno autem sequenti Comitiis Francofurti habitis in octava Epiphaniae electorum quorundam suffragiis creatus est Richardus Cornubiae Comes, frater Regis Angliae. Alii tamen postea ab his dissidentes elegerunt Alphonsum regem Castellae media quadragesima,

prout fuse videri apud Raynaldum potest.

Cum ab Archiepiscopo Coloniensi Richardus coronatus esset, ob id Alphonsus iratus, eodem anno iunctis sibi Aragoniae et Navarrae viribus, iter in Italiam suscepit. Id Alphonsum fecisse coronationis consequendae causa, sunt qui arbitrantur. Sed audita Saracenorum irruptione, qui Cordubam occupare conabantur, ad regnum suum defendendum curas convertit. Richardus non multo post, cum, effusis sumptibus, opes omnes exhausisset, et tunc se contemni videret, anno 1261 in Angliam rediit, ubi decennio post, 4 nonas Aprilis obiit. Hinc totum hoc tempus imperium occidentale vacasse passim auctores scribunt, etsi alii aliter illud definiant, vel ab anno 1245 quo in Lugdunensi concilio, regno eiectus est Fridericus, ad electionem Rodulphi anno 1273 annis 28, vel a morte Friderici anno 1250 annos 23 vel annos 12 tantum ab anno 1261, quo Richardus Germaniam derelinquens in Angliam perrexit: Germanici scriptores passim annos 19 a morte Conradi filii Friderici anno 1254 hoc tempus definiunt.

Diuturna tunc fuerunt comitia, quae ad novi Regis electionem habita sunt; nam inter Germaniae Principes, alii Alphonsum retinendum, alii regem nonnisi ex Germania eligendum contendebant. Anno 1273 cum Gregorius Pontifex denunciasset se creaturum Regem, nisi ipsi aliquem communi concordia delegissent, tandem omnes in Rodulphum Comitem Hapsburgi consenserunt pridie cal. Octobris, ut scripsit Albertus Argentinensis, vel 4 nonas Novembris, ut alii. Plurimum laudant hunc principem scriptores superius memorati. Illud memorabile quod an. 1261 in venatione tempore pluvio eques incidens in sacerdotem, qui pedes Eucharistiam ad aegrotum deferebat, equum suum ascendere illum voluit, ipse vero pedes ad aegrotum eum secutus est, et reduxit in Ecclesiam: quare ab eodem sacerdote imperium illi praenunciatum narrant. Ferunt etiam cum in eius inauguratione sceptrum imperii insigne non adesset, Rodulphum accepta Cruce usum fuisse pro sceptro, eaque deosculata, omnes ut idem facerent invitasse, quod uno consensu omnes praestiterunt. Richordanus Malaspina et Villanus eius electionem a Gregorio confirmatam in Concilio II Lugdunensi dicunt: sed id factum, Concilio iam absoluto refert Ioannes Mariana lib. 13 cap. 22 narrans missum de hac re legatum a Gregorio ad Alphonsum Castellae Regem, qui statim controversiam omnem Pontificis arbitrio permisit; eoque responso Gregorius accepto, Regem pronunciavit Rodulphum 8 idus Septembris, scriptis etiam ad illos principes litteris. Anno 1275 cum Gregorius Pontifex Lugduno profectus Viennam, mox Lausannam venisset, Rodulphus, prout narrat Anonymus scriptor vitae Gregorii, « tam ipse, quam comites, » et milites, qui cum eo venerant, » de ipsius Pontificis manu ultramarinae crucis insignia recepere, et » inter eius filiam et Siciliae regis » nepotem, pro mundi quiete affinitate tractata, eidem Regi Alemanniae praefixus est terminus, et acceptatus ab eo, quo ad coronam » veniat per manus Summi Pontificis suo vertici apponendam. » Bernardus Guidonis addit Romandiolam cum Exarchatu a Rodulpho Pontifici restitutam, et chartam profert Raynaldus ad hunc annum.

Anno 1276, dum iter in Italiam ad coronam suscipiendam parat Rodulphus, Bohemico bello impeditur. Regnabat in Bohemia Ottocarus, alio nomine Premislaus, qui, sacra expeditione in barbaros iampridem suscepta, eos vicerat; Belam etiam Ungariae regem domuerat; regnum praeterea suum ita amplificaverat, ut a mari Hadriatico ad Oceanum pertingeret. In litteris Ottocari haec habetur inscriptio: « Ottocarus Dei gratia rex Bohemiae, dux Austriae,

» Styriae, Corinthiae, Moraviae Mar-
» chio, Dominus Carniolae, Mar-
» chiae, etc. » Eberhardus ad an. 1277 ait Ottocarum has omnes provincias tenuisse tempore vacantis imperii; atque eas deinde, imperatore creato, resignare noluisse, hoc titulo, quod labores, et impensas maximas in bello contra barbaros sustinuisset. Hinc bellum cum Rodulpho exstitit, quod hic suas regiones repeteret ut imperii fiduciarius. Additur alia causa ab aliquibus, quod negasset iuramentum fidelitatis novo Imperatori exhibere.

Eberhardus praeterea tradit ad annum memoratum, Rodulphum valido exercitu congregato, cum Moguntino et Coloniensi Archiepiscopis, aliisque proceribus ingressum terram Austriae, eique civitates, et castra se subdidisse, excepta civitate Viennensi, « quam etiam, inquit, ob-
» sidione cinxit, nec tamen per vio-
» lentiam cepit, sed per quoddam
» arbitrium, quod ipsi ambo reges
» inierunt. » Addit cepisse totam terram Austriae trans Danubium ad Meridiem; alteram partem, Aquilonem versus, sive Bohemiam, eidem regi Bohemiae remansisse. Triennio, vel biennio post, Rex Bohemiae, eo arbitrio discisso, arma intulit Rodulpho, atque, ut idem auctor habet, castrametatus est super flumine Marchiae. Cum summo mane proelium committere cogitaret, prohibitus est Ottocarus a suis, quasi proditione venturus esset in hostium manus. Tunc Ottocarus proceribus in tabernaculum evocatis inermis se illis occidendum obtulit, qui fidem ei iterum iterumque iurarunt. Cum tamen maximo odio in Rodulphum ferretur, ingentia regna proposuit ei, qui Rodulphum, vel saltem eius equum in congressu occideret. Et miles quidam, hac promissione accepta, « Cu-
» neum fortissimorum militum, ait
» Eberhardus, penetrans, ipsum re-
» gem Romanorum vehementi ictu
» ad terram prostravit, vel equum
» eius occidit. Sed nobiles, qui latus
» regis stipaverunt, eundem captiva-
» verunt militem, et regem in alio
» equo locaverunt. » Idem Scriptor, narrata deinde clementia Rodulphi, nullam de eo exigentis vindictam, subdit: « Ipso etiam Rege Romano-
» rum devinctis sibi Hungarorum,
» et Comanorum regibus, et nobili-
» bus, et Rheno, Franconia, et Sve-
» via, conflictum habente cum prae-
» dicto rege Bohemiae, ipse Rex Bo-
» hemiae est occisus, et inter cada-
» vera mortuorum nudus omnimodis
» est inventus anno Domini 1278
» 7 Calendas Septembris. » Post Ottocari mortem Venceslaus eius filius pacem petiit, atque impetravit.

Post magnam hanc a Rodulpho partam victoriam, Albertus Argentinensis mortuum Rodulphum narrat, et Spirae sepultum. Muratorius in annalibus ita de Rodulpho loquitur, veluti si non observanti fuerit in Pontificem animo. Sed Raynaldus legendus, ubi de Nicolao III Pontifice loquitur: is vero falsum hoc esse ostendit.

Post haec dicendum aliquid esset de Adulphi Nassaviae comitis electione, deque auctoritate, qua Bonifacius VIII Pontifex cum isto novo principe egit, praesertim cum, Pontifice volente, a bello destiterit, quod inter Reges Galliae atque Angliae commotum fuerat, vel cum electores Germaniae sufficere Austriae comitem Adulpho voluerunt, antequam id Pontifex probaret. Sed ab hac narratione abstinendum putamus: satis enim, quae diximus, ostendunt, quantam Romani Pontifices auctoritatem iis temporibus in politicis Europae negotiis gerendis exercuerint. Ostendit quidem Gosselinius in opere superius memorato, peculiari quadam ratione in Imperium Germanicum Romanos Pontifices auctoritatem suam exercuisse. Id quoque animadvertit Clarus Iagerius in introductione ad vitam Innocentii III a cl. Hurterio scriptam, et a se Gallice editam Parisiis anno 1840. Ve-

rum hi scriptores ostendunt, in reliqua etiam Christianorum Principum regna, Romanos Pontifices magnam auctoritatem demonstrasse, cum ii Principes, praesertim Religionis atque Unitatis Catholicae defendendae ratione, iis regnis praeesse deberent; ad Pontificem Maximum vero spectet praecipue, pro munere suo, iis omnibus consulere, quae ad Religionem, Unitatemque tuendam pertinere possunt.

CAPUT XXI.

DE WALDENSIUM HAERETICORUM ORIGINE.

Quam iniuria XIII Ecclesiae saeculum *Waldense* saeculum sit appellatum, superius vidimus: nunc nonnulla tamen de hac Waldensium secta dicenda sunt singillatim. Est autem ex temporum historia notissimum, auctorem huius sectae fuisse Petrum *Waldum* aut *Validium*, *Valdensem*, aut *Validisum* virum Lugduni mercatorem divitem, qui anno circiter 1180 bona sua inter pauperes distribuenda, pauperem vitam cum sociis, quos sibi comparaverat, agendam, de Religione praedicandum apud populum, et ad severiorem vitam homines secundum placita sua instruendos curavit.

Ecclesiam vero, aetate de qua loquimur, graviter a Waldensibus perturbatam esse superius diximus. Erit opportunum nunc de eorum origine et erroribus aliqua recensere, et contra homines, qui huius sectae antiquitatem exaggerant, ut deinde concludant, sententias suas erroneas, quas doctrinae Waldensium prosequutionem esse contendunt, vetustas esse, ostendere, quidnam de ista re iudicandum sit.

Plures profecto scriptores totas vires in id impenderunt, ut efficerent, Waldensium sectam antiquissimam esse. Inter hos eminent Legerius in Waldensium historia, quem sequuti sunt Peyranius, *Considerations sur les Vaudois*; Mustonius, *Histoire des Vaudois des vallées du Piémont*, Paris 1835; et Flathius in libro, cui titulus: *Geschichte der Vorlaufer der Reformation*, seu, *Historia Praecursorum reformationis*, Lipsiae 1835. Has omnes recentius refutavit eruditissimus Andreas Charvazius Episcopus Pinaroliensis in libro, qui inscriptus est: *Recherches historiques sur la véritable origine des Vaudois, et sur le caractère de leurs doctrines primitives*, Paris 1836. Dabimus nos huius operis summam, ut probemus Waldenses saeculo XII antiquiores non esse; et ad hanc thesim demonstrandam utemur testimoniis gravium auctorum origini huius sectae coaevorum, quorum loca ex Bibliotheca Patrum desumpta exhibet Charvazius, qui omnes simul affirmant, anno circiter 1180 eam ortam fuisse.

Itaque Scriptores, quorum testimonia Charvazius affert, sunt Bernardus Abbas Fontis Calidi, qui sub finem saeculi XII vixit; Alanus de Insulis, doctor universalis dictus, qui mortuus est initio saeculi XIII; Eberardus Bethunensis; Petrus Vallis Cernensis, qui eodem tempore floruerunt prout in Bibl. PP. tom. 24 pag. 1572; Stephanus de Bellavilla, ex Ordine Praedicatorum, et per ea tempora haereticae pravitatis Inquisitor; Moneta ex eodem Ordine, qui floruit ineunte saeculo XIII; Conradus Abbas Urspergensis, cuius liber contra Waldenses scriptus est anno 1212; Rainerius Sachonius, collega Patris Monetae, qui postquam per 17 annos presbyter et Episcopus fuisset inter Catharos, ad fidem reversus est, et Inquisitoris munus suscepit contra Waldenses, et Catharos de quo Martenius Thesaur. Nov. Anecd. t. V p. 1759; Petrus Polichdorfius, medio circiter saec. XIII prout in Biblioth. PP. t. 26; Scriptor

denique anonymus, qui Ivonetus fuisse creditur, cuius librum exhibet Martenius, tom. citato p. 1778, quique sub finem saeculi XIII vixisse putatur. Sunt etiam alii Scriptores, qui omnes idem testimonium proferunt.

Satis erit ex his verba praesertim facere de testimonio Stephani de Bellavilla, cuius locum integrum exhibet Charvazius pag. 455, qui locus ista continet. 1. Testatur haereticos, de quibus loquimur, *Waldenses* fuisse vocatos propter nomen auctoris, qui Waldensis seu Waldus appellatus est, sed insuper nominatos fuisse *Pauperes Lugdunenses,* propter professionem paupertatis. 2. Dicit se accepisse quae narrat a Bernardo Ydras, Presbytero Lugdunensi. Hic vero, cum iuvenis esset, transcripserat sua manu primos libros Waldensium, quos habuerunt lingua Romanensi, id est Gallicana. 3. Waldensis vir dives in Urbe Lugdunensi pactus est cum Ydras et alio sacerdote, cui nomen Stephanus de Ansa, seu de Emisa ut libros S. Scripturae in linguam vulgarem verterent. Quo facto, sibi proposuit Apostolos imitari, et vendidit omnia, fructum dans pauperibus. Tunc sibi assumpsit munus praedicationis, et secum collegit plures viros et mulieres, quibus idem praedicationis munus commisit. Illos reprehendit Ioannes Archiepiscopus Lugdunensis, sed cum contumaces essent, citati sunt coram Patribus Concilii Lateranensis, et eandem semper pertinaciam praeseferentes, schismatici sunt declarati. 4. Post haec, sese cum haereticis *Provinciae,* et Longobardiae coniunxerunt, et tunc tandem haeretici iudicati sunt, ubique vagabundi, et eo magis formidolosi, quo magis fucum faciebant, et artibus pravis utebantur. 5. Haec igitur secta orta est anno circiter 1170 (in aliis codicibus 1180) sub Ioanne, cui nomen Bolesmanes, Archiepiscopo Lugdunensi.

Haec quidem de Waldensium origine certa sunt. Est vero animadvertendum, Waldenses cum aliis haereticis in posterum se coniunxisse. De his inter ceteros loquitur Guillelmus de Podio Laurentii, qui historiam Albigensium conscripsit, atque is nos docet quinam fuerint haeretici illi Provinciae, et Longobardiae, cum quibus sese coniunxerunt Waldenses post Concilium Lateranense. Dicit enim: Inter pessimos illos, qui ubique vi grassabantur, et omnia vastabant; alii fuerunt Ariani (ego suspicor hos non fuisse Arianos propter errorem, sed fuisse appellatos nonnullos Albigenses propter Castrum *Arrii,* quod sub ipsorum ditione erat, prout constat ex libro brevi *De haeresi Albigensium* exposito ab Aloisio Brenna), alii Manichaei, alii Waldenses seu Lugdunenses. Legendus autem Charvazius p. 473. Waldenses pluribus nominibus insigniti fuerunt: *Leonistae* enim ab Urbe Leone, seu Lugduno, ubi orti sunt, vocabantur: *Sabbatati,* vel *Insabbatati,* propter sandalum quoddam, quod apostolicum esse censebant. Tantum a vero abest, ut ostendere possint Waldenses, se Waldensi ipso antiquiores esse, ut Moneta, qui eodem saeculo floruit, ita loquatur: « Si dicant se » Waldensi esse anteriores, afferant » aliquam probationem, quod num» quam praestare potuerunt. » Denique ipsi Waldenses saepius declararunt se non potuisse sibi asserere durationem sectae longiorem quam nonnullorum saeculorum. Ita in libellis supplicibus missis a. 1585, 1599 et 1573 aperte affirmarunt. Illud vero est exploratum, Scriptores quos recensuimus, et quibus adiungi plures alii possent, in origine huius sectae Petro Waldo tribuenda convenire: Scriptores autem istos ad rem manifeste evincendam opportunissimos esse, perspicuum est.

Sunt tamen nunc ea breviter refellenda, quae ad Waldensium magnam antiquitatem probandam adduci solent. Obiicit Peyranius p. 27. Habemus, inquit, plures codices authenticos, qui continent doctrinam

Waldensium, quique ipsius Petri Waldi aetatem superant; in illo autem cui inscribitur annus 1120, qui appellatur *Tractatus de Antichristo,* legimus causas separationis Waldensium ab Ecclesia Romana. Waldus igitur, qui anno 1170 floruit, huius sectae auctor dici non potest. In altero autem codice anni 1100, cui titulus *La Nobla Léizon,* invenimus vocem Waldensis usurpatam ad designandum christianum probum, et virtuti deditum.

Verum facile est his respondere. Nam primo ipse Mustonius docet non habere nos argumenta certa, quibus demonstrari possit hunc librum esse genuinum: et Perrinius, qui historiam Waldensium composuit, asserit auctorem illius fuisse Petrum de Bruis, patrem Petrobrusianorum; Charvazius vero docet librum hunc non Waldensium, sed Catharorum continere errores. Secundo. Quicumque tandem fuerit auctor libri, ruit omnino eius antiquitas ex eo quod citetur in eo liber *Milleloquium* nuncupatus, quem adscribit S. Augustino, cum tamen auctor fuerit quidam Augustinus Triumphus, qui natus est anno 1243, et mortuus est anno 1328.

Post haec, argumentum desumitur ex libro inscripto *Nobla Léizon,* de quo supra. Sed argumentum hoc levissimum est. Nam primo viri artis diplomaticae periti testantur, hunc codicem nonnisi saeculo XII ad summum fuisse exaratum, vel potius saeculo XIII; ex quo patet falsam esse assertionem Peyrani contendentis, hunc librum praeseferre annum 1100. Deinde videamus quonam modo haec Peyrani assertio probetur. Affert hos versus: Ben ha mil e cent ans com» pli entierament, que fo scripta lora » car seu al dernier temp. Scilicet, » mille et centum anni completi sunt » ex eo, quo scriptum est tempore, » quod ad ultima tempora pervenimus. » Quae tamen verba minime probant 1100 annos, neque plus, neque minus elapsos fuisse ab eo tempore, quo hoc scriptum est vaticinium. Denique alii Scriptores frustra proferunt libros *Almanaccum Spirituale*, et *Confessionem fidei* anni 1120, cum Mustonius ostenderit utrumque librum esse spurium.

Neque gravius est, quod affertur ex testimonio Reinerii Ord. PP. Praedicatorum (contra Waldenses, cap. 4 Bibl. PP. 24), veluti si is testetur Waldenses, prout putant nonnulli, tempore S. Silvestri, et prout alii censent, tempore Apostolorum exstitisse. Nam ut huic argumento respondeatur, sufficit integrum Reinerii locum inspicere. Illum enim legenti constat, ipsum afferre argumenta Waldensium. Etenim ait: « Primo enim, asserunt ipsi, Ecclesiam Romanam, non esse Ecclesiam Iesu Christi, sed Ecclesiam » malignantium, *eamque excidisse* » *tempore S. Silvestri,* quando venenum rerum temporalium in Ecclesiam fuit infusum; dicunt autem se » esse Ecclesiam Christi, cum observent doctrinam Christi Evangelii, » et *Apostolorum,* verbo et facto. » Eadem fere habet Polichdorfius, cuius verba corrupta refert Legerius. Non moror praeterea quae afferunt ex Reinerio, Aenea Silvio (Pio II. RP.), Seysselio, Cassinio, aliisque. Etenim hi omnes vel de Waldensibus prorsus tacent, vel numquam asserunt Waldensium antiquitatem, vel eam prorsus evertunt, prout apparet legenti quae Charvazius p. 236 habet de hac re. Levius praeterea est quod Peyranius ait, virum qui tot nomina habuit, vel numquam exstitisse, vel numquam fuisse auctorem Waldensium, prout de Waldo dici potest, qui Waldius, Waldensis, Waldensius, et Baldo vocatus est. Haec enim diversa nomina eundem perpetuo sensum continent.

Ineptum est etiam quod dicit Flathius, concedi non posse, Petrum Waldensem exstitisse, cum saeculo XII cognomina numquam fuerint usurpata. Quare ait: is haberi non potest auctor sectae Waldensium.

Sunt enim haec levissima. Etenim ea aetate habemus S. Franciscum Assissium cui cognomen Bernardone, et S. Claram ex familia Sciffi. Habemus insuper nomina, et cognomina omnium scriptorum, qui contra Waldenses scripserunt, de quibus supra loquuti sumus. Eodem aevo Petrus *de Bruis*, sectae suae cognomen dedit.

Recensebo denique cetera breviter, quae habent huius sectae antiquitatis defensores. Originem, scilicet, illius a Claudio Episcopo Taurinensi deducunt, qui saeculo nono floruit. Atqui Claudius omnia admittebat sacramenta, et privatam S. Scripturae interpretationem reiiciens, affirmabat se adhaerere *traditioni,* et doctrinae Patrum. Utrumque respuebant Waldenses. Praeterea Claudius nullos alios errores habuit, praeter eos, quos a Felice Urgellitano didicerat, vel quos de invocatione Sanctorum, et honore reliquiis tribuendo professus est.

Addunt praeterea, Waldenses originem habere a quodam *Leone,* qui S. Silvestro bona temporalia a Constantino accipienti, restitit, unde nomen *Leonistarum* adepti sint. Verum de hoc Leone silet omnis historia. Secundo Legerius qui hanc fabulam protrudit, docet Leonem floruisse saeculo VIII. Qui autem resistere is potuit S. Silvestro? Praetereo tandem quae afferuntur, ut S. Paullum in regione Waldensium ostendatur praedicasse. Abutuntur enim Apostoli verbis: « Cum in Hispaniam proficisci coepero, spero, » quod praeteriens videam vos .... » Nunc igitur proficiscar in Ierusalem ministrare Sanctis... Hoc igitur cum consummavero, et assignavero eis fructum hunc, per vos » proficiscar in Hispaniam. » Ad Romanos XV, 24, 28. Ex quibus verbis concludunt, Apostolum Roma profectum iter facere debuisse per provincias Pedemontanas, et proinde inter Waldenses praedicavisse. Quis vero affirmavit umquam Apostolum hoc itinere in Hispaniam ivisse? Memoratum autem iter certe facilius navigando confecisset. Haec autem cum ita sint, manifestum est, testimonia, quae fidem mereri possunt, omnino probare hanc sectam saeculo decimosecundo antiquiorem non esse; atque id efficere non posse argumenta, quae ad antiquiorem eiusdem originem asserendam afferuntur.

Est denique, ut arbitror, antequam hunc locum deseramus, veritati confirmandae opportunum, Ioannis Laurentii Moshemii in Inst. Hist. Eccl. saec. XII part. 2 cap. 5 n. 11 verba afferre. Utile enim est Scriptoris Ecclesiae Catholicae inimici sententiam hac in re veritati consentaneam commemorare. « Qui alias, inquit Moshemius, Waldensium origines profe» runt, et imprimis *a vallibus*, in » quibus a multis saeculis ante *Pe» trum Waldum* habitaverint, eos di» ctos esse statuunt, et ipsi carent » auctoribus sententiarum suarum, » et ab omnibus Historicis refellun» tur. » Loquens deinde de aliis haereticis, qui aliis temporibus in Pedemontanis vallibus vixerint, subdit Moshemius: « At hi Vallenses » distingui tamen a *Waldensibus,* seu » *Petri Waldi* asseclis debent, quos » omnes Scriptores Lugduni ortos » esse, atque ab hoc Petro nomen » accepisse perhibent. »

CAPUT XXII.

DE WALDENSIUM ERRORIBUS.

Debemus nunc alterum illud evincere, errores, videlicet, saeculi XVI Novatorum proprios, Waldensium doctrinae prosequutionem existimari non posse. Id autem facile est demonstrare, atque hanc iactatam falsitatem evertere.

Insistemus in iis, quae memoratus

superius illustris Pinaroliensis Episcopus habet. Itaque Charvazius adductis monumentis ex libris supra citatis docet, hos fuisse Waldensium errores. Cum Innocentius III noluisset approbare vota Waldensium, et ipsorum institutum religiosum confirmare; et cum eos antea condemnasset Lucius III Rom. Pont. et Archiepiscopus Narbonensis, primo schismaticus evasit Petrus Waldo. Quare his indignatus 1 Episcopalem reiecit auctoritatem, sibique munus praedicationis vindicavit. 2. Eius deinde discipuli asseruerunt, omnibus licere confessiones excipere, et consecrare Eucharistiam, modo si sandala Waldensia gererent, et in gratia reperirentur. 3. Iuramenta et poenam capitis illicita declararunt. 4. Ecclesiam Romanam veram non esse, sed hoc de secta Waldensium praedicari debere. Tandem post censuram editam a Concilio IV Lateranensi, alios errores ab Albigensibus mutuati sunt. Nam ad instar Albigensium, in duas classes divisi postea sunt, perfectorum et imperfectorum, et morum regulam pro utraque fecerunt. Itaque 5 putabant *imperfectos* mentiri posse, vel falsum praestare iuramentum vitae causa. 6. Purgatorium, et orationes pro mortuis denegabant. 7. Praeterea asserebant, potestatem presbyteralem viris non modo, sed et mulieribus in statu gratiae constitutis competere posse. 8. Sacramentum a Sacerdote peccatore administratum, nullum esse. 9. Omnes Cruce signatos homicidas esse reputandos. 10. Omnes clericos bona habentes filios esse daemonis; et eos qui illis solverent decimas, peccatores esse. 11. Cantum ecclesiasticum, ritus et caeremonias improbatione dignas reputabant. 12. Cultum Sanctorum, venerationem eorundem reliquiarum, et dies festos repudiabant, obedientiam Ecclesiae Romanae exhibendam negabant. 13. Divortia sine ulla omnino causa licita esse affirmabant. 14. Animadverti praeterea debet, Waldenses Ordinem tamquam sacramentum reiecisse, eo sensu, ut illud cum statu gratiae coniunctum in omnibus esse arbitrarentur; Confessionem auricularem non denegasse; extremam Unctionem divitibus reservatam esse eos putavisse; Confirmationem etiam a laicis dari posse. In Eucharistia vero, Transubstantiationem momento tantum receptionis a communicante in statu gratiae fieri censuisse. 15. Usum denique Ecclesiarum, Coemeteriorum etc. penitus ii reiiciebant.

Haec omnia in Waldensium doctrina comprehensa esse, ostendit Charvazius pag. 413, 437. Sed tamen constat, Calvinianos, aliosque, hos errores a Waldensibus non fuisse mutuatos: hoc autem ex eo patet, quod praecipua horum dogmatum capita iam antea professi fuerint Donatistae, Vigilantius, Iconoclastae, Marsilius Patavinus, et Arnaldus Brixiensis, aliique ab Ecclesiae doctrina aberrantes homines. Deinde id evincitur, eo quod instrumentum Waldensium habeamus, quo petierunt ab Oecolampadio, ut inter Calvinianos admitterentur. Hoc monumentum prostat apud Reichatium, *Histoire de la Réformation en Suisse tom. III lib. VII.* In eo autem asserunt Waldenses, se plura dogmata habere cum Calvinianis communia, sed velle se scire, quid de aliis sit sentiendum, circa quae dubitabant, scilicet ex. gr. utrum bona sit distinctio peccati in originale, veniale, et mortale; et pariter distinctio ignorantiae in invincibilem, negligentem, et crassam; quomodo praecepta politica a caeremonialibus sint discernenda, et utrum admitti possit allegorica Scripturarum Sacrarum interpretatio, et quinam sint libri canonici Novi et Veteris Testamenti.

Neque minorem ignorantiam prae se ferunt circa praecepta morum. Quaerunt enim, utrum liceat interficere fratres falsos, qui ipsorum ministros aliquando catholicis prodiderant.

Praeter has quaestiones, idem monumentum continet relationem opi-

nionum, et praxis Waldensium, quae in praecipuis consentanea est iis, quae supra significavimus ex libris Waldensium vetustiorum. Ultimo huius relationis loco, dicunt se propter timorem, vel metum persequutorum, aliquando pueros presbyteris baptizandos obtulisse, et aliquando in Missa communionem se accepisse fatentur.

Hoc instrumento accepto, unio perfecta, et pax in eadem perfidiae professione cum Calvinianis inita est, et postea a doctrina fundatorum suorum Waldenses recesserunt, ut Genevensem amplecterentur.

Consulendus est hic, inter ceteros, Natalis Alexander in Historia Eccl. Saec. XI et XII cap. 4 art. 13 §. 8. Ibi enim habentur quae possunt esse opportuna ad ostendendum, Calvinianos a Waldensibus doctrinae suae prosequutionem non derivasse.

Ut vero erudite possit breviter explicari, quae primorum Waldensium doctrina fuerit, et quomodo Waldenses in posterum errores Albigensium, et horum quidem ab initio mitiorum, errores susceperint, adducam hunc doctissimi viri Petri Lazzeri locum ex eruditissima eiusdem dissertatione Romae anno 1756 edita *de haeresi Albigensium* cap. 1 n. 4.

Verum, inquit, hoc loco examinanda est quorundam opinio, qui cum haec Albigensium in dogmatibus fuisse legant, Waldenses atque Albigenses confundunt; atque eadem de causa Petrobrusianis eosdem accensent, sive Petrobrusianos novis Manichaeis. Primum illud, id est, Albigenses non distinxisse ab Waldensibus, multos fecisse, immo plerosque, qui de Albigensibus scripsere, questus iampridem est in sua Albigensium Historia Ioannes Benedictus; postea vero in dissertatione de Waldensibus Thomas Augustinus Ricchinius, vir doctissimus, a quo multum nos profecisse lubentes agnoscimus, atque etiam praeferimus, et gloriamur. Sed omnino esse distinguendos Historici nostri docent, Caesarium dico, qui alios ab aliis diserte secernit, et Petrum Vallicernensem, qui pariter hos, nimirum Waldenses, appellat nominatim, postquam de Haereticis suis idest Albigensibus disseruerat; quin etiam diserte affirmat, hos *longe minus* fuisse, quam alios *perversos;* et quatuor capitibus errores eorum praecipuos circumscribit; *portandis scilicet sandaliis more Apostolorum, et in eo, quod dicebant, nulla ratione iurandum, vel occidendum; in hoc insuper, quod asserebant, quemlibet eorum in necessitate, dummodo haberet sandalia, absque ordinibus ab Episcopo acceptis, posse conficere Corpus Christi.*

Alia et multo graviora Waldensibus tribuuntur ab iis, qui adversus eosdem Tractatus scripsisse putantur; editi autem sunt a Gretsero, Ebrardus, Bernardus, Ermengardus, ex quibus Bernardus (Fontis Calidi Praemonstratensis), quem eruditiorem aliis Gretserus praedicat (est fortasse etiam antiquior, si, ut apparet, interfuit disputationi, seu iudicio habito contra Waldenses a Bernardo Narbonensi Episcopo, qui eam Sedem tenuit ab anno 1181 ad 1191), haec ipsis dogmata attribuit: *non esse obediendum Summo Pontifici, aliisque Praelatis; spectare etiam ad Laicos et mulieres praedicare, defunctis fidelibus non prodesse eleemosynas, ieiunia, missarum solemnia, alias orationes; non esse Purgatorium, sed spiritus a carne solutos continuo ire ad caelum, vel infernum; non esse orandum in Ecclesia, nec Ecclesiam esse nuncupandam.*

Atqui haec erant ipsa, quaeque Albigensibus tribuebat Caesarius. Ebrardus quoque, haereticorum, quos refutat, hos esse errores significat, quos nos tribuimus Albigensibus: idemque affirmare possumus de Ermengardo. Atque hoc nimirum fuit, quod viris ceteroquin doctis imposuit, fecitque ut Albigenses confunderentur cum Waldensibus, inscriptiones illae *contra Waldenses.* Sed illas esse

ab alia quam Auctoris manu, bene Cl. Ricchinius animadvertit: itaque hi, qui a Gretsero, ac si contra Waldenses scripserint, producuntur, vere adversus Albigenses propugnarunt: nisi vero hoc malumus, Waldenses eos oppugnasse, qui iam Albigensium errores imbiberant, et totam eorum labem contraxerant.

Verum hoc fuisse, testis est inter ceteros Stephanus de Borbone, seu de Bellavilla in libro *de septem donis Spiritus sancti*, cuius libri manuscripti particulam Cl. Argentre nobis repraesentavit. Is enim ubi Waldenses ita descripsit, ut praecipuum eorum errorem in eo statueret, quod Apostolorum vitam praepostere omnibus praescriberent, damnantes, *Omnes terrena possidentes*, subdit: *Ii ergo primo ex praesumptione, et officii Apostolici usurpatione ceciderunt in inobedientiam, demum in contumaciam, demum in excommunicationis sententiam. Post expulsi ab illa terra, ad Concilium quod fuit Romae ante Lateranense, vocati, et pertinaces fuerunt, Schismatici postea iudicati. Postea in Provinciae terra, et Lombardiae cum aliis Haereticis se admiscentes, et errorem eorum bibentes, et serentes, Haeretici sunt iudicati, Ecclesiae infestissimi, et periculosissimi.*

Haec ergo (concludit clarissimus Lazzerus) nostra sententia est, quam video esse etiam virorum eruditissimorum. Petrus Claudius Fontenai Waldenses non continuo a Catholica fide descivisse putat; sed postquam vitae eorum approbationem, quam a Romano Pontifice postulabant (ut Abbas Urspergensis narrat), obtinere non potuerunt. Eadem ferme est opinio Cl. Ricchinii, principio a Waldensibus erratum in paucis, errasse vero enormiter post Lateranense IV. *Sive*, inquit, *quod Albigensibus intermixti, ex eorum prava consuetudine multas etiam ebiberint ipsorum opinationes, sive quod a veritate fidei, atque unitate semel declinantibus, facilis est per praerupta ad novos semper errores casus.* Quantum vero erraverint, bene idem demonstrat ex antiquo Scriptore Reinero Sacchono. Haec apposite ad rem explicandam memoratus vir doctrinae laude praestantissimus, quem etiam in narrandis politicis huius aetatis Europae vicissitudinibus sequuti sumus.

Atque haec quidem ad Waldensium haereticorum originem, eorundemque doctrinam explicandam satis hic esse possunt. Ad rem autem fusius pertractandam, praeter memoratos superius doctissimos scriptores, legenda praesertim sunt, quae eruditissimus Bossuetius Episcopus Meldensis habet in *Histoires des variations des protestans* lib. 11 §. 71 et seqq. Consuli etiam possunt, quae tom. 5 Dictionarii Theologici editionis Bisuntinae anni 1831 disputat in articulo de ista re valde erudite Bergerius. Apud istos vero mox memoratos Scriptores reperiuntur etiam accurate pertractata ea, quae spectant ad Basnagium confutandum, cum in sua Ecclesiae historia, agens de rebus ad Waldenses pertinentibus multa perturbat. Illud autem certum est, Waldenses Petro Waldo non esse antiquiores, et recentiorum saeculi decimi sexti Novatorum errores haberi non posse veluti Waldensium doctrinae prosequutionem.

CAPUT XXIII.

DE INNOCENTIO III ROMANO PONTIFICE.

Tanta est Pontificatus Innocentii III celebritas, ut qui praecipua Historiae Ecclesiasticae capita evolvenda susceperit, is certe non possit peculiarem de ea re pertractationem non instituere. Nemo enim ignorat talem fuisse eam, quam rebus praeclare gestis Innocentius sibi gloriam

comparavit, et adeo magna fuisse eius, non erga Ecclesiam tantummodo, sed in civilem etiam rempublicam merita, ut aetati, qua ille Pontificatum gessit, nomen proprium indiderit, et saeculum XIII idcirco Innocentii III saeculum, honoris causa possit appellari. Plena sunt Ecclesiastica illorum temporum monumenta Innocentii recte factorum: exstant apud singulas gentes exempla perspicua sollicitudinis apostolicae, et sapientiae singularis, qua Pontifex Ecclesiam gubernavit, atque ad difficillimas quasque res peragendas se peritissimum ostendit. Ius canonicum praeterea praeceptis, institutisque redundat, quibus Innocentius disciplinam praesertim Ecclesiasticam moderatus est, et ei regendae in posterum, accurate docteque consuluit.

Non patiuntur quidem limites huic operi necessario praescripti, ut fusam de toto Innocentii III pontificatu pertractationem suscipiamus. Satis enim est eruditissimam a Raynaldo conscriptam annalium Cardinalis Baronii continuationem aspicere, ut appareat quanta rerum exponendarum materies eiusmodi proposito deberet esse subiecta. Satis praeterea est, celebratissimam, atque in eruditorum omnium aestimatione positam a clarissimo viro Fr. Hurterio huius Pontificis historiam legere in opere inscripto *Histoire du Pape Innocent III et de son siècle,* Parisiis primum anno 1838, tum Bruxellis, a cl. Saint Cheronio vulgatam, demum Parisiis iterum anno 1840 a cl. Iagerio ex Germanico sermone Gallice redditam. Hoc autem opus ad vindicandam Pontificis celeberrimi memoriam, eamque ab accusationibus asserendam accidit opportunissimum. Sed istud quoque opus ostendit, quam longa rerum series esset explicanda, si ea singillatim referenda susciperentur, quae ad Innocentii III Pontificatum pertinere reperiuntur. Itaque nonnulla tantum attingemus, atque ea praecipue, quae ad tanti Pontificis virtutem propugnandam spectare possunt.

Brevi autem perstringemus primum, quae ad Pontificatum ab eo susceptum, eiusque perdurationem, atque rationem agendi, qua in eo summo dignitatis gradu usus est, referuntur, et sunt omnibus exploratissima. Tum ut modum aliquem adhibeamus in iis quae essent pertractanda, quo de Innocentii virtute vera notitia comparari possit, ex cl. Iagerii introductione, qua Hurterii historiam in Parisiensi anni 1840 editione locupletavit, nonnulla significabimus. Denique celebriora aliqua facta exponemus, ex quorum germana narratione ad Innocentium defendendum magnum robur proficiscitur.

Itaque mortuo die 9 Ianuarii anno 1198 Caelestino III Pontifice, statim proxima die communi Cardinalium consensu Lotharius ex nobilissima Signiae Comitum domo, cum adhuc Diaconus esset, et trigesimum septimum tantum aetatis suae annum ageret, Pontifex electus est, atque Innocentii III nomen suscepit. Praeclara autem, quibus praestabat doctrinae, pietatis, generis nobilitatis, Religionis studii singularis, ac rerum gerendarum peritiae ornamenta effecerunt, ut Cardinales tam cito in eius electionem concordi studio convenerint. Is vero, qui plurimum electionem declinare conatus erat, ubi primum pro Ecclesiae bono Pontificiam dignitatem accepit, omnes Urbis ordines incredibili laetitia affecit. Voluit tamen sabbatum proximum quatuor temporum exspectare, ut eo die presbyteratus ordinem susciperet, die autem postera 22 Februarii, in quam festum Antiochenae Cathedrae S. Petri Apostolorum Principis incidebat, Episcopus consecratus, et coronatus est. Pontificatum vero gessit annos decem et octo, menses sex, et dies novem, cum die 16 vel 17 Iulii anno 1216 vita functus sit.

Si virtutes eas vellemus omnes numerando percensere, quae ad virum praeclarum constituendum requiruntur, eas in Innocentio luculenter

possemus admirari. Inter cetera, animi fortitudinem eius vitae historia aperte demonstrat: cura Religionis tuendae atque agendae praecipue in iis eluxit, quae contra Albigenses Occitaniam infestantes decrevit. Fuit vero praecipua illa, qua ceteros superabat omnes in iure dicundo peritia. Hinc singulis hebdomadibus ter consistorium palam habebat; in quo de difficillimis causis, quae ad eum deferebantur, iudicabat, in permagna hominum frequentia, qui magis se proficere in iuris scientia ex eius in iudicando sapientia arbitrabantur, quam si peritissimum quemlibet iurisconsultum audissent, cum Pontificem ipsum veluti totius iurisprudentiae restauratorem venerarentur. Quantopere vero in sacrarum disciplinarum scientia Innocentius praestaret, docent eius epistolae, aliaque opera, a Balutio, aliisque edita.

Summa praeterea vitae abstinentia, ac liberalitate ornatus erat, quo factum est, ut magnam argenteae supellectilis copiam vendiderit, quo pauperibus opem afferre posset. Matthaeus vero Parisius iure a veritatis aestimatoribus omnibus scriptoribus veluti apertae calumniae reus convincitur, cum in historia Anglicana sua, Innocentium avaritiae accusat, atque ita eum vituperat, veluti si, ob auri argentique cupiditatem, pecuniosum hominem quantumvis nocentem numquam condemnaverit. Satis est testimonii partem afferre, quod longius Natalis Alexander in Innocentii III vita, ex Scriptore coaevo *gestorum* eiusdem Pontificis, ad Parisium in ea re maledicum calumniatorem refellendum adducit. « Domnus » Innocentius (ait scriptor memora- » tus cap. 43) suum iactans in Domino » cogitatum, operibus pietatis ple- » nius instabat. Nam valida cum fa- » mis invaluisset inedia, et tunc ipse » moraretur Anagniae, protinus re- » meavit ad urbem, et coepit neces- » sarias eleemosynas indigenti populo » liberaliter erogare. Sic autem fe- » cit illas distribui, ut qui verecun- » dabantur publice mendicare, pecu- » niam occulte reciperent, de qua sus- » tentarentur per singulas septima- » nas; illi vero qui publice mendi- » cabant, singulis diebus panem ac- » ciperent ad sufficientiam universi » (quorum tanta erat multitudo, ut » excederet numerum octo millium » personarum), alii autem in eleemo- » synaria domo reciperent alimenta.» Prosequitur vero Scriptor ille talem de Innocentii benignitate ac liberalitate, toto Pontificatus sui tempore adhibita narrationem, ut in eo virtutis genere virum principem praestantissimum omnino describat.

Sunt etiam acerbiora, neque minus tamen contemnenda, quae de Innocentio III *in Institutionibus saeculi XIII parte 2 cap. 2* §. *6* affirmat Moshemius. Qui illum vero locum accurate perpenderit, intelliget profecto facillime, Moshemium aliud ibi non continere, nisi manifestum sui de celebrioribus Romanis Pontificibus vituperandis iniqui consilii argumentum. Nam ea dicit de Innocentio, atque iis prorsus in rerum generibus Pontificem vitiis laborasse confidenter affirmat, in quibus vetera omnia, quae fide digna sunt monumenta, Innocentium virtute praestitisse, hominum memoriae prodiderunt. Quis vero tam docili esse potest erga eiusmodi scriptorem animo, ut relicta totius illorum temporum historiae auctoritate, conceptam de Innocentii III praestantia sententiam derelinquat, eo quod Moshemius id iubeat?

Neque sunt etiam penitus hic praetereunda quae Potterius tom. 3 operis toties a nobis commemorati *De l'esprit de l'Eglise* etc. *Depuis Charlemagne jusqu'à nos jours, part. 1 lib. 4 pag. 416 et seqq.* contendit, ut de Innocentio III detrahat. Ambitioni enim, dominandi cupiditati, superbiaeque tribuit id omne, quod Pontifex auctoritate sua fretus egit, ut potestatem, quae in urbe Roma, finitimisque provinciis propria sedis Apostolicae erat, vindicaret, atque

ab iis impedimentis expediret, quae temporum iniuria, et politicarum rerum perturbatione abusi Magistratus induxerant. Sed haec non ambitioni, aut superbiae, verum legitimae potestatis officio, quo se teneri Innocentius sentiebat, tribuendum est. Sedis autem Apostolicae iura in urbem Romam, reliquasque provincias in Italia eiusdem potestati subditas, adeo certa sunt, atque erant etiam Innocentii III aetate, ut non superbum, aut ambitiosum, sed legitimum omnino, atque officio consentaneum fuisse appareat, ea iura vindicare. Pluries, aliis in locis de ista re loquuti sumus, ut nunc possimus a longa disputatione ad Potterium refutandum in his instituenda abstinere.

Praeter ista, quae nunc breviter attigimus, et quae inservire opportune possunt ad intelligendum, quantus vir, quantaeque apud omnes auctoritatis Innocentius III esset; nunc aliqua recenseamus, quae eo spectare possunt, ut ostendatur, sapientissimam fuisse semper agendi rationem, qua in pontificatu gerendo Innocentius usus est, et iniuria Pontificem tantum in his rebus fuisse quandoque reprehensum. Significavi superius, Iagerium in introductione ad Hurterii Historiam huius Pontificis a se Gallice redditam, et Parisiis an. 1840 editam Pontificis defensionem fecisse. Atque ea quidem defensio licet concinna, erudita tamen imprimis est, et ad rei gravitatem evincendam prorsus opportuna. Quare perstringemus quae habet in introductione sua, eaque hic satis erunt, cum instituti nostri ratio requirat, rerum pertractactionem, quanta magis potest brevitate, complecti.

Itaque primo Iagerius demonstrat iniustam esse existimandam illam querelam, qua continetur, Innocentium III immoderatum fecisse Ecclesiasticarum censurarum usum, ita ut eae idcirco fuerint despectae. Etenim ad evertendam accusationem hanc, necesse est illius aetatis indolem, ut ita dicam, atque adiuncta prae oculis habere. Omitto enim id, quod certissimum esse ex factorum historia constat, iustis, gravibusque de causis Pontificem, iuris canonici praesertim sapientissimum Doctorem, censuras adhibuisse; atque ea humanitate, ac prudentia Innocentium fuisse praeditum, ut ab omni penitus immoderato consilio semper abstinuerit. Dicam potius ex illius aetatis historia universa patere, censurarum praecipue usum fuisse salutarem, non modo ad hominum mores regendos, sed etiam ad societatis officia in tanta rerum, ac vitae depravatione tuenda.

Legenda profecto essent quae Gosselinius in opere superius memorato disputat, ut evincat, in iis vicissitudinibus, atque in ea morum licentia, unum fortasse omnibus relictum fuisse frenum, quo licentia ipsa coerceretur, ad eas, videlicet, poenas confugere, quas Religio adversus sontes indicendas esse statuisset. Ea demum erat aetatis conditio, ut quidquid Principes contra homines gravium criminum reos decrevissent, non posset id cum ea auctoritate comparari, quae ad comprimenda scelera ab Ecclesiae decretis, censurisque proficiscebatur. Nam quod Gregorii VII aetate eveniebat, id etiam Innocentio III Pontificatum gerente obtinebat, ut Principes ad subditorum hominum audaciam compescendam, Ecclesiae potissimum auctoritate indigerent. «Imperatoribus, et » Regibus, ceterisque principibus » (prout Gregorius VII epist. lib. I » affirmavit), ut elationes maris, et » superbiae fluctus comprimere va» leant, arma humilitatis, Deo au» ctore, providere curamus.» Praetereo quae apposite in significata superius introductione Iagerius affert, ut testimoniis ex Galliae, Angliae, et Imperii Germanici historia desumptis efficiat, Principum etiam statutis receptum fuisse, ut ad rempublicam a scelestorum, ac turbulentorum hominum conatibus tuendam, Ecclesiasticis praecipue censuris agi oporteret.

Haec vero cum ita sint, facile est intelligere, quam iniuria Innocentius ob memoratam hanc censurarum adhibitarum causam accusetur. Etenim historia rerum ab eo gestarum omnino ostendit, licet talia essent aetatis, qua vivebat, adiuncta, eum tamen ad censuras adhibendas non devenisse, nisi, si extraordinaria rerum, de quibus agebatur, ratio id flagitaret, vel cum iustitia hoc penitus postularet, vel sua monita, consilia aut minas contemni facto ipso comperisset. Est etiam certissimum, Pontificem Innocentium ita fuisse natura comparatum, ut pati non posset, adhibitam a se censurarum severitatem despici, cum constet, numquam inane fuisse consilium, quod quandoque susceperat, censuras ferendi, vel saltem a nemine censuras, quas Innocentius tulerat, impune fuisse violatas.

Neque minus iniuria Innocentius accusatus est, quod nimis severe erga Haereticos se gesserit. Profecto nihil potest esse, civili etiam societati, ac reipublicae tam salutare, quam ubique summam erga Religionem Catholicam observantiam custodiri. Nihil adeo cum salute, atque incolumitate publica coniunctum est, quam fidei unitatem, sacramentorum sanctitatem, morum, ac disciplinae integritatem tueri. Id perpetuo verum fuit, idque nulla umquam aetate immutari poterit. Nemo tamen ignorat, si de facto tantummodo sermo esse debeat, aetate, de qua loquimur, hoc communiter fuisse cautum, ut qui mox memorata Religionis capita violassent, ii in societatem quoque ipsam graviter peccasse reputarentur, in quos idcirco non Ecclesiastica tantum, sed civilis etiam potestas severe animadverteret. Quare manifestum est, eos qui in ista re severitatem a Pontifice adhibitam reprehendunt, universam, ut ita dicam, societatis iurisprudentiam accusare.

Atque hic quidem erudite, loco superius significato Iagerius plura profert, quae ad eam rem confirmandam sunt imprimis idonea. Videlicet, in Theodosiano, ac Iustinianeo codice leges severissimas contra eiusmodi homines Religionis violatae reos contineri, et poenas fuisse decretas graves, ac leges, quibus ista praescribebantur, semper viguisse, et pro periculi ratione, quod errores contra Religionem propugnati afferebant, severe fuisse usurpatas. Atque ut proximius ad Innocentii aetatem ista referantur, in Concilio Turonensi anno 1163, atque in Lateranensi III Generali anno 1179 habito, contra Albigenses, erroribus, ac nefaria agendi ratione sua Ecclesiam, et civilem Rempublicam perturbantes non Ecclesiasticis poenis dumtaxat, sed publica etiam animadversione fuisse repressos. Idem « Friderici illustris Romanorum Imperatoris praesentia pariter, ac vigore suffultum » Lucium III Pontificem in decreto anno 1183 edito fecisse. Idem a Lateranensi IV Generali Concilio anno 1215 celebrato severe factum esse. Idem denique a Friderico II, et a S. Ludovico IX fuisse renovatum, quorum primus cum anno 1220 ab Honorio III Pontifice Imperator coronaretur, legem tulit, quae inter *Constitutiones Friderici II* ad calcem *libri feudorum* edit. Galissetii pag. 1259 continetur, qua lege Concilii III, ac IV Generalis Lateranensis decreta de eadem re ad verbum refert; alter vero anno 1228 contra Albigenses Narbonensem dioecesim vastantes, similem legem tulit. His autem factis plura eiusdem generis decreta idem confirmantia possent adiungi.

Quae commemoravimus autem, evincunt omnino, quanam ratione, communiter recepta, aetate, de qua loquimur, in his rebus ageretur. Iam vero quid Innocentius III in tali re commiserit, inquiramus, vel potius ex iis, quae Hurterius in eiusdem Pontificis historia pertractat, consideremus. Innocentius quidem cum Pontificatum Maximum suscepit, in talia incidit tempora, quibus ut Ec-

clesiae, ac Reipublicae saluti prospiceretur, necessarium evaserat, contra eiusmodi homines severitatem afferre. Nam quidquid ad mitiorem agendi rationem pertinere poterat, id omne frustra fuerat tentatum. Diuturnum tempus fluxerat, ex quo missiones, aliaque omnia christianae charitatis officia, quae opportuna esse poterant ad homines istos emendandos, fuerant usurpata. Frustra D. Bernardus eloquentiae suae gravitate id consequi conatus erat, aliique praestantes viri in idem opus laboraverant. Ad ea igitur Innocentius devenerat, ut aut officio suo deesse, aut legum severitate agere deberet.

Verum testis est historia eius vitae, et perspicue id demonstrant litterae ab eo scriptae, quanta molitus ille fuerit antequam ad haec extrema deveniret. Itaque studiose Episcopis, aliisque sacro ministerio fungentibus commendavit, ut hortatione, ac persuasione conarentur homines Ecclesiae inimicos flectere, atque ad saniora consilia revocare. Legatis praeterea suis commisit, ut omni, qua possent, moderatione uterentur. Statuit denique, ut nonnisi post accurate peractam inquisitionem rerum, poenae contra reos decernerentur; illud simul ostendens sibi nihil iucundius contingere posse, quam ab haeresi emendatos complecti, atque eos deinde in proposito perseverantes, patrocinio, et auctoritate sua tueri.

Consulantur vero ea, quae Innocentius III lib. 10 ep. 149 habet, ut declaret quomodo consilium tandem aliquando declinare non potuerit, ut cum haereticis, secundum legum severitatem statueretur. Apparebit, eum necessitate compulsum ab ea severitate abstinere non potuisse. Nam affirmat, conatus, laboresque suos inanes fuisse, spes fallaces, minas spretas esse, humanitate verborum eos frangi non posse, poenas spirituales in illos indictas ludibrio habitas fuisse; nihil ergo restare aliud, quam ut Princeps erga eos officium suum impleret. Haec vero si Pontificem demonstrent, qui nimiae in Haereticos severitatis possit iure accusari, non spectat ad eos decernere, qui intemperantes sunt in iudicando, vel iudiciorum suorum normam ex praeiudicatis opinionibus derivant, sed ad eos pertinet, qui veritatis rationem habendam esse intelligunt.

De Concilio Lateranensi III Generali agentes, attulimus suo loco, quae satis esse possunt ad gravitatem rationum evincendam, ut iure potuerit severe cum Albigensibus agi. Itaque cum ii, aliique huius generis homines, ob nefarios errores, ac scelera sua, non solum Ecclesiae, sed societatis quoque civilis veluti hostes iure haberentur; quaenam aequitas patitur, ut Pontifex sapientissimus intemperantis severitatis in eos adhibitae accusetur, qui erga eosdem, si iurisprudentiam communi sententia receptam contemnere non volebat, ad poenas ferendas converti necessario debuerit? Non est vero hic locus, de abusibus loquendi, qui in rerum exsequutionem irrepserint. Hoc enim extra rei ipsius iussionem positum est, de qua disputamus. Constat praeterea ab Innocentio hos abusus vehementer fuisse improbatos.

Post ista, quae diximus, essent ea commemoranda, quae Iagerius ad defendendum Innocentium III pertractat, cum de agendi ratione disputat, quam Pontifex aliquando erga Principes adhibuit. De ea autem re memoratus scriptor non agit tantummodo loco superius significato, sed etiam in praeclara sua ad S. Gregorii VII vitam a Voigtio scriptam introductione. Eandem materiam fuse ac sapienter in opere suo pluries laudato *Pouvoir du Pape* etc. explicavit, et evicit cl. Gosselinius. Exsistit autem ex iis, quae duo isti praesertim scriptores attulerunt, nihil umquam Innocentium in ea re gessisse, quod non iuste fuerit actum; nihil quod publico etiam iure non esset ubique receptum; nihil denique quod

cum Ecclesiae legibus, ac cum Principum quoque declarationibus non conveniret. Praetereo autem monumenta, quae ad hoc demonstrandum iis in locis afferuntur, ne longior, quam par est, nostra evadat tractatio; praecipue cum ea opera in omnium manibus nunc habeantur.

Facta duo potius ad hoc genus pertinentia recensebo, et explicanda singillatim suscipiam, quae in Innocentii III Pontificatu valde celebria, et de quibus agens inter ceteros Moshemius loco paullo ante citato §. 7 et 8 Pontificem reprehendit. Postquam enim is affirmasset, Innocentium plura molitum esse, ut potestatem suam amplificaret, subdit, Pontificem Principes Europae maximos « maiestatem et potentiam Romanae » Ecclesiae timere, ac revereri coe- » gisse... Philippum Augustum Gal- » liae Regem ob dimissam coniugem » Isemburgem Daniae Regis filiam, » aliamque ductam, Ecclesia eiicie- » bat, nec diris insectari desinebat, » donec uxorem recepisset. Nullum » vero turpius et acrius vexavit In- » nocentius, quam Ioannem Angliae » et Hiberniae Regem, cui cognomen » *sine terra*. Resistebat is animose » Pontifici, qui Stephanum Langxto- » num Cantuariensem Antistitem de- » signaverat. Quare Pontifex, eum » primum anno 1208, sacrorum com- » munione privabat, deinde an. 1211 » Anglos, et Hibernos sacramenti » religione, quod Regi dixerant, sol- » vebat; denique anno 1212 Regem » imperio exuebat. Angliae et Hi- » berniae regna Galliarum Regi Phi- » lippo Augusto donabat. Territus » his decretis Ioannes, bellumque » formidans, anno 1212 regna sua » Pontifici tributaria faciebat. Quae » imprudentia, et summum dedecus, » et magnam malorum vim regno » parabat. »

Itaque de Philippi Augusti causa primum loquamur, atque arbitror solam facti narrationem sufficere, ut intelligatur, Innocentium III officio suo in ea re functum esse, et iniuria a Moshemio, aliisque eiusmodi scriptoribus ob eam rem accusari. Et iuvat quidem in antecessum animadvertere, quam iustam de facto ipso, ac de Innocentii III virtute in eo negotio pertractando Hurterius lib.2 ad annum 1198 pag. 199 sententiam afferat.

Inter graviora negotia, Hurterius ait, quae Caelestinus III Pontifex Innocentio successori suo pertractanda reliquit, illud profecto erat, quod divortium respiciebat a Philippo Augusto factum cum Ingelburge. Quaestio hic quidem certe non erat de iure quoquam aut dubio, aut in controversiam vocato. Sed quaestio dumtaxat versata dici potest in eo, num Princeps Christianus legibus Christianae Religionis subiectus esse existimari debeat in iis, quae moralem tantum, humanamque vitam respiciunt. Cum his legibus Princeps Christianus teneatur, nulla potest ex huius facti pertractatione Pontificis accusandi ratio derivari. Etenim affirmari potest, Pontificis negotium tunc non tam cum Principe, quam cum Christianae Religionis legibus obligato viro fuisse. Innocentius cum Philippo agebat tamquam cum eo, qui praecipuam praeceptorum Dei custodiam praeseferre debebat. Statuendum erat, an pluris voluntas Principis, quam Unitatis catholicae ratio facienda esset; an vero temporalis potestas iuribus a Deo conditis esset inferior. Itaque tota res ab Innocentio III gesta demonstrat, eum agendi normam in officio suo semper posuisse, et humanam potestatem cum officio suo comparatam, sibi timori minime umquam fuisse. Noluit profecto dignitatis suae praestantiam auctoritatemque imminuere, ea spe, ut sibi fortem ac potentem patronum contra Italicas turbas, vel socium sibi valde opportunum in Germaniae dissensionibus compararet, vel, ut silentio, patientiaque sua auxilium ad bella sacra gerenda necessarium obtineret. Neque timuit Innocentius copiosiorem con-

stantia sua hostium suorum numerum efficere, aut difficilia negotia augere, quae ab Apostolica Sede erant pertractanda. Si diversa ratione se cum Philippo Augusto gessisset, si conniventiam potius, quam animi firmitatem adhibuisset, debuisset cum virtute ipsa, atque ingenio suo pugnare, ac sibi illum animi moerorem afferre, quo afficiantur honesti viri necesse est, si contra mentis propositum ob humanas rationes illos quandoque agere contingat. Qui vero ob resistentiam erga Philippum Augustum demonstratam, Innocentium reprehenderet, is ita animatum se exhiberet, ut si fieri posset, sacros, atque ab omnibus custodiendos, potentiam inter atque officia statutos limites evertat, omnisque moralis honestatis iura parvi pendat. Continent ista, quae ex Hurterii historia latine reddidimus, continent, inquam, germanam controversiae Innocentium inter ac Philippum pertractatae naturam. Sed haec simul evincunt, nonnisi per iniuriam Innocentium reprehendi ob praedictam rationem posse. Atque ego prorsus existimo, si libere loqui Moshemius voluisset, et non in ista quoque re praeiudicatis opinionibus suis inservire, illum etiam non diversa ab Hurterio ratione, de tota re fuisse iudicaturum.

Sed ut ad controversiae ipsius expositionem faciendam veniamus, haec ab historia illorum temporum sunt deducenda. Post mortem Isabellae Balduini IV Hainautii Comitis filiae, Philippus Augustus Galliae Rex, qui tunc vicesimum quartum aetatis suae annum agebat, novae ducendae uxoris consilium susceperat. Verum sua in Palaestinam expeditione primum ab eo studio implendo est impeditus. E Palaestina reversus, et de Richardi I Angliae Regis captivitate certior factus, cum quo perpetuas inimicitias gesserat, existimavit idoneam sibi occasionem oblatam esse, qua facile posset se ab huius adversarii importunitate expedire. Magna tunc erat inter Galliae, Daniaeque regnum amicitiae coniunctio. Itaque optimum factu futurum esse putavit, talem cum Daniae Rege cognationem inire, ut contra Angliae conatus se posset ipse tueri, et Daniae simul Rex iura, quae ad Angliae coronam habere se contendebat, posset propugnare.

Canutus VI Daniae Rex plures sorores habebat, quarum secunda *Ingelburges* appellabatur, et in cuius egregias dotes commendandas laudibus scriptores omnes conveniunt. Satis est apud Mansium edit. conc. tom. 22 §. 625 haec Caelestini III verba de Ingelburge audire. Nam « generositatis egregiae, ac multae » decus honestatis adornatam puel- » lam » Pontifex eam dicit; eaque decimum octavum aetatis suae annum tunc attigerat. Anno igitur 1195 Philippus Augustus legationem honestissimam ad hoc coniugium petendum in Daniam misit, cui legationi Gualterius Novoduni Episcopus praeerat. Post aliquam ad rem absolvendam pertractationem habitam, 10000 marchiae promissae fuerunt a Rege Daniae. Legati vero, iurisiurandi religione promiserunt, Ingelburgem, statim ac in Galliam venisset, vere a Rege uxorem ducendam, et coronandam esse.

Ingelburges igitur proxima aestate cum honesto comitatu ex Dania profecta est, atque eam Philippus Augustus singulari studio, et laetitia exceptam, ad Ambianensem civitatem, magno Episcoporum ac Baronum numero comitante deduxit. Matrimonium praeterea in summa omnium Ordinum gratulatione, die pervigilio Assumptionis B. M. Virginis celebratum est, et postero die ab Archiepiscopo Rhemensi Regis Patruo coram universi regni Proceribus, et Principum apud aulam Regiam Oratoribus, atque in permagna populi frequentia Ingeburges coronata fuit.

Etsi inter coaevos scriptores non constet, qua prorsus de causa factum

sit, ut Rex repente ipsa prima nocte sponsae consortium pertaesus sit, atque aversari coeperit (id quod homines rerum ignari magicis artibus et praestigio tribuerunt), licet, inquam, id certo non constet, est tamen indubium, Regem continuo eam dimittere voluisse, atque optasse in patriam Ingeburgem reverti. Legati autem cum eam secum in Daniam ducere recusassent, statim in patriam redierunt.

Itaque Philippus Augustus constituit, ab Ingelburge omnino se disiungere. Verum ut divortium legitime facere se ostenderet, rationem afferendam curavit, qua divortii causam coram Ecclesia posset probare. Putavit igitur divortii sui, ac sponsae dimittendae rationem in medium adducere, illam scilicet cognationis eo gradu secum contineri, quo non licebat matrimonium inire. Ad aliquod tempus cum Ingelburge manendum Principi suadebant ii, quorum consiliis solebat ipse uti, ac divortii causam non praecipitanter agendam esse. Ingelburges vero affirmabat matrimonium cum Philippo Augusto fuisse consummatum. Episcoporum conventus primis Novembris diebus habitus est, quorum plures Philippi cognati erant. Adducta est in medium Genealogica demonstratio, ac generationum ordo, quo probaretur, Regem vere cum muliere secum cognatione coniuncta matrimonium inivisse; et plures testes sunt expostulati, qui iuramento affirmarunt, cognationem Ingelburgis cum Philippo revera in prohibitis gradibus comprehendi, ratione habita coniunctionis, quae eam inter atque Isabellam Flandriae, Philippi Augusti primam uxorem intercederet. Seriem genealogicam I. M. Schulz anno 1804 edendam curavit.

Habita huius Genealogicae demonstrationis ratione, Episcoporum conventus, cui Archiepiscopus Rhemensis praeerat, sententiam de divorti tulit. Missus est Interpres, qui Reginae sententiam ipsam declararet. Ea vero, cum Gallicam linguam vix intelligeret, aliud non respondisse dicitur, nisi cum fletu haec verba: *France! France! mal! mal!* Rex illam in monasterium quoddam includendam iussit, in quo patientiae, humilitatis, ac pietatis singularis exempla Ingelburges exhibuit. Circa sententiam tamen ipsam de divortio pronuntiatam Regina appellationem interposuit, et legati ex Dania ad Caelestinum III Pontificem appellationis probationes attulerunt, qui Legatum Cardinalem Melior appellatum ad Philippum Augustum misit. Postquam adhibita omnia consilia inania evasissent, Pontifex declaravit, divortium nullum, ac nullius effectus esse; sententiam illegitimam, et iniuriosam, eo quod lata contra mulierem fuisset, quae defensione caruerat, quaeque ne linguam quidem regionis, in qua iudicium in eius causa habitum est, intelligebat; sententiae denique auctores, neque matrimonii sanctitatem, neque Sedis Apostolicae iura curasse, cum de causa Reginam corona donatam, et a Rege cognitam respiciente decernere, ad Sedis Apostolicae auctoritatem pertineret.

Cum haec evenissent, Philippus Augustus vehementer excanduit, atque eo pervenit, ut Gentium iure violato, Nuntios, qui litteras Apostolicas ad se, atque ad Pontificium Legatum attulerant, comprehendendos, atque captivos retinendos iusserit. Reddita tandem iis libertate, Parisios venerunt ineunte an. 1196, ut ibi aliorum Episcoporum, et Abbatum conventus celebrationem exspectarent, qui de negotio iterum cognoscere debebant tamquam Apostolicae Sedis Delegati. Erat autem statutum primo loco, ut Regis cum Ingelburge reconciliatio fieret, deinde nisi id consequuti essent, Cardinalem Legatum cum tribus Archiepiscopis, eorumque suffraganeis dare operam debere, ut Regis animus flecteretur; eoque ipso tempore Archiepiscopum Senonensem videre debere,

ne Philippus Augustus cum alia muliere coniungeretur.

Verum ista omnia incassum fuerunt. Nam Philippus pravis consiliis abductus, de aliis ineundis nuptiis cogitavit. Feminae plures nobilissimae hominis consortium dedignatae, qui coniugii iura manifeste violaverat, petitum cum eo matrimonium recusarunt. Sed ubi Daniae legati ex Gallia discesserant, statim Rex, mense iunio anno 1196, uxorem duxit Agnetem Bertholdi Meraniae ducis filiam, pulcherrimam feminam. Tunc Pontifex Caelestinus maiorem adhibuit severitatem, et missis aliis Legatis suis, *non toleravit ut rex post interdictum ipsius, filiam ducis Meraniae teneret.* Galliae Praesules Legati rogarunt ut ad matrimonium legitimum restituendum incumberent, sed ab iis nihil impetrarunt. Daniae Rex novam ad Pontificem querelam detulit, Cardinales quoque precatus, atque ut Philippus Augustus anathemate plecteretur postulavit. Ingelburges etiam, cui Philippus necessaria quoque ad vitam tolerandam deesse non erubescebat, novas ad Pontificem litteras scripsit, eius auctoritatem, atque opem implorans, quae apud Balutium *Miscell. I. 422* reperiuntur.

Successerat interea Caelestino Innocentius III anno 1198, isque ab ipso Pontificatus sui initio, scandalo isti finem imponendum curavit. Habemus enim 7, 42 statim ab eo scriptam epistolam qua affirmavit, Sedem Apostolicam silentio praeterire non posse querelas, quas femina in oppressione posita faciebat. Deum Pontifici commisisse, ut quemcumque gravis peccati reum ad salutis viam revocandum curet, eumque poenarum Ecclesiae severitate ad hoc faciendum perducat: Regiam dignitatem non esse cuiuslibet Christiani proprio officio superiorem, neque potestatem, qua Princeps praeditus est, eum a servandis Christianis officiis eximere. Aliam quoque eodem tempore Pontifex epistolam dedit, qua professus est, se, quamquam nollet Regiae potestati detrimentum afferre, animo tamen comparatum ita esse, ut ad divortium probandum adduci numquam posset, quod illegitime fuerat pronuntiatum.

Primo autem loco in iis, quae Innocentius gessit circa negotium hoc, commemoranda est epistola ab eo ad Parisiensem Archiepiscopum scripta, qua eidem commisit, ut omni studio conaretur Regem perducere ad uxorem Ingelburgem pacifice recipiendam, quo facto, exceptiones, quas Princeps adducturus esset, audiri possent. Deinde Pontifex, cum vidisset, Archiepiscopi monita, precesque infructuosas fuisse, ad Philippum ipsum paternam, sed gravem epistolam scripsit, qua nihil omisit eorum, quae Principem movere, et ad iustam ac necessariam erga Ingelburgem agendi rationem eidem persuadendam idonea esse poterant. Tandem Legatum misit Petrum Capuanum, qui dum de sacra expeditione erat acturus, in mandatis etiam habebat quid circa divortii causam gerere deberet.

Scilicet fuerat ei commissum, ut post renovatas de ea re toties factas hortationes, interdictum minitaretur, nisi post mensem elapsum Rex Ingelburgem in sua iura restituisset. Novas ipse ad Regem litteras dedit, sed interdicti ferendi dilationem concessit, animo simul meditans, ut induciae inter Galliae et Angliae Reges decernerentur, quo sacra expeditio ad exitum perduceretur, quae induciae anno 1199, ad quinquennium statutae fuerunt. Verum interea videtur, non valde studiose Legatos de Ingelburge restituenda laboravisse, prout colligitur ex Chronico Imperii tom. 3, 682 Thesauri Martenii, ubi Legatus dicitur *negotium decem mensibus nimis tepide exsequens.*

Itaque Innocentius circa eiusdem anni finem ad negotium absolvendum iterum se convertit. Mense scilicet Octobri anno 1199 Pontifex ad

universum Galliae Clerum scripsit, eundemque certiorem fecit, Legatum suum, si post monita iterum Regi facienda, nihil in divortii causa impetrasset, interdictum pronuntiare debere. Quamobrem cum Legatus nihil profecisset, Concilium die 6 Decembris sacra S. Nicolao, anno superius memorato, Divione celebrandum indixit, cui quatuor Archiepiscopi, Lugdunensis, Rhemensis, Bisuntinus, et Viennensis, una cum decem et octo Episcopis, et magno Abbatum numero interfuerunt. Armata manu Rex e palatio suo duos Abbates eiiciendos imperavit, qui ad illum invitandum venerant. Duo tamen legati, Regis nomine, in Concilium venerunt, et contra decreta ferenda protestati, Romam appellarunt, et legatio quoque, Regis nomine Romam missa est.

Pontifex vero qui rem gerendam accurate statuerat, Legato facultatem tribuerat, exsequendi quod iussum erat, non obstante appellationis cuiuslibet interpositione. Postquam igitur septem dies iam lapsi essent, servatis iis omnibus, quae in interdicto promulgando servari debent, Legatus contra universum Galliae Regnum interdictum pronuntiavit, quoad Rex Philippus Augustus Agnetem Meraniae reiecisset. Iussit tamen interdictum consequi effectum non debere nisi elapsis viginti post festum Nativitatis Domini diebus, quo saltem ita Regis animus, discriminis imminentis gravitate perculsus, ad id perduceretur, quod publica vota postulabant.

Omnium spes Philippus Augustus fefellit. Quare cum lapsum esset temporis spatium, quod fuerat statutum, Cardinalis Legatus novum Ecclesiasticorum concilium indixit habendum Viennae, quae tunc Imperatori Germaniae suberat. In eo autem interdictum promulgavit, simul mandans ut contra interdicti observationem contumaces, rationem facti sui coram Pontifice reddere deberent Ascensionis Domini festo die adveniente. Legendus hoc loco Hurterius est ad annum 1200. Nihil enim est, quod in interdicti promulgatione servandum praescribitur, nihil quod ad interdicti vim, effectusque explicandos pertinere potest, nihil denique quod ad gravitatem Ecclesiasticae huius severitatis possit spectare, in quo exponendo ille diligentiam, et observantiam quoque Ecclesiae debitam non praeseferat, et contestetur.

Interdictum die tertia, post festum Purificationis ad effectum suum perductum est. Eoque facto plures etiam ex Regia domo ad regiones Angliae Regi subditas se contulerunt, quo possent interea Religionis beneficiis frui. Episcopi praeterea plures Pontificem precati sunt, ut populum fidelem, huius poenae gravitati non subiiceret. Verum Pontifex respondit, nimium diu Ecclesiam contemptui habitam esse, et Regem post toties factas hortationes, monita, precesque adhibitas, effecisse, ut ad medendum tam gravi malo gravis Ecclesiasticae severitatis medicina adhiberi necessario debuisset.

Quae cum eveniebant, et magna simul esset omnium ordinum et populi moestitia, Rex non potuit vehementer non perturbari, et gravia sibi impendentia mala non sentire. Consilium ergo suscepit Sacerdotes aliquos, et Equites suos ad Pontificem mittendi, qui nomine suo affirmarent se paratum esse, ad seipsum Pontifici subiiciendum, modo Arbitri ad causam absolvendam ab Innocentio ipso eligendi destinarentur. Narrant vero Innocentii *Gesta,* quanta gravitate Pontifex responderit, scilicet iudicium antea latum Philippo Augusto notum esse; hoc est, dimittendam Agnetem, et Ingelburgem restituendam; Episcopos pulsos revocandos; si novum vero iudicium peteret, cautionem dari oportere, interea dum, quae erant statuta, Philippus impleret. Hac responsione accepta Rex furere coepit, atque insanientis, et impie loquentis mo-

do clamare. Deinde Praesulum, ac Baronum conventum habuit, ad quem Agnes ipsa venit. Philippus rogavit, quid sibi in his rerum adiunctis agendum superesset. Cum vero communi suffragio responsum accepisset, Pontifici obtemperandum, Agnetem dimittendam, Ingelburgem restitui oportere, Rex novam ad Innocentium legationem mittendam censuit. Pontifex tamen in eadem sententia, ac respondendi ratione permansit. Si hic vero perpendantur, quae Hurterius de tanta Innocentii constantia animadvertit, quislibet iure quaerere posset, utrum catholicus scriptor verius, atque honorificentius loqui de ista re potuisset.

Cum tantam Philippus Augustus Innocentii constantiam videret, et publica rerum adiuncta intelligeret, consilium suscipiendum esse putavit, Pontifici tandem aliquando obtemperandi. Pontifex de his certior factus, Octavianum Episcopum Ostiensem patruum suum, et Ioannem Cardinalem S. Priscae misit, qui de appellatione iudicaret, concessa simul iisdem facultate interdictum revocandi cum conditiones impletae fuissent. Petierunt ii ut Rex Ingelburgem Sponsam, ac Reginam debita cum observantia reciperet, id quod per Equitem a se deputatum Philippus iuramento promisit. Tunc vero post septem menses, ex quo promulgatum fuerat, interdictum revocatum est. Sed cum Ingelburges non impetrasset libertatis amissae restitutionem, iterum Pontificis auctoritatem imploravit. Quare cum Innocentius intellexisset, Legatos commisso munere non adeo diligenter functos esse, et satis habuisse ad interdictum revocandum promissionem, quam Rex fecerat, de Ingelburge restituenda, conquestus, de ea re Legatos monuit, ut in posterum accuratius officium suum implerent, et in eos etiam convenienter animadvertit, qui interdictum antea violaverant.

Anno autem 1201 Suessionense concilium habitum est, ut de impedimento, quod Philippum inter et Ingelburgem interesse affirmabatur, decerni posset; atque illud concilium haberi coepit antequam novus Legatus Cardinalis S. Paulli pervenisset. Post longam de ea re inquisitionem habitam, et cum res eo fuisset adducta, ut sententia paullo post esset pronuncianda, Rex ad illam declinandam repente declaravit, se Ingelburgem recepturum, et palam cum eadem equitavit, ac nemine salutato ab ea civitate discessit. Concilium idcirco dimissum fuit; Ioannes Legatus egressus est, et Philippus, sibi gratulans, quod iudicium revera declinasset, Ingelburgem in arcem quandam inclusit. Mortua est non multo post Agnes Meraniae, et Pontifex litteris Anania mense Novembri anno 1201 datis, omnibus accurate perpensis, legitimos filios eius declarandos esse existimavit.

Quae mox retulimus, effecerunt ut sententia a concilio Suessionensi non pronunciaretur. Sed Philippus interea ad Pontificem iterum se convertit, affirmans se conquerendi causam afferre posse, eo quod Sedes Apostolica non eam ipsius rationem habuisset, qua erga alios aetatis suae Principes usa esset. Respondit Pontifex benevole et graviter, se non potuisse abstinere ab Ingelburge audienda, atque eadem secundum leges tuenda: paratum tamen se esse, duos alios legatos destinare qui de controverso cognationis impedimento, Ingelburge praesente, iudicarent: velle se impensas Legatorum suorum causa faciendas solvere: optare, a Rege ipso aliquos destinari, qui rationibus a legatis, quos Ingelburgis frater misisset, responderent; cupere denique se causam totam ad se ipsum referri. Archiepiscopo autem Rhemensi commissum est ea facere, quae ad haec omnia exsequenda requirebantur.

In isto rerum statu Innocentius Ingelburgem pluries litteris, et quacumque ratione potuit, est consolatus. Ea vera, summa religione tem-

pora meliora exspectans, exemplo virtutis inter aerumnas perpetuo fuit. Sed tandem aliquando anno 1213 Philippus Augustus Ingelburgem recepit, eamque in consortium suum restituit; a quo consilio in posterum numquam resiliisse videtur. Sunt qui quaerant, num Philippus ex animi sententia, an aliis potius de causis, ex. gr. belli cum Angliae Rege gerendi, populi sibi conciliandi studio, qui vehementer Ingelburgis calamitate affligebatur, et praecipue Pontificis Maximi benevolentiae sibi comparandae impulsu, id consilii susceperit. Quidquid vero fuerit, quod maxime tunc Regem permoverit ad Ingelburgem restituendam, certum illud est, feminam istam genere claram, virtute conspicuam, neminem in infortunio suo Innocentio constantiorem patronum habuisse. Certum est etiam Ingelburgem postquam septemdecim annos in captivitate vixisset, et Philippi Augusti consortio viginti annos caruisset, tandem hoc anno, libertate et consortio recuperato, semper quoad Philippus vixit, in eiusdem coniunctione permansisse. Si vero tum Philippi, tum Ingelburgis testamento factae iussiones perpendantur, videtur omnino affirmari posse, eos vere, et animo vicissim benevolo his annis vitam egisse.

Haec sunt quae ex Raynaldo, Lingardio tom. 3 Historiae Angliae, Hurterio, aliisque de tam diuturna negotii istius pertractatione colliguntur. Non immorabor autem post haec narrata in Moshemio confutando, qui Innocentii factum in ista re ita commemorat, veluti si se asperum et superbum Pontifex ostenderit, et ea, quae gessit, probare possint, illum dominandi, ac potestatis amplificandae cupiditate fecisse, quae agenda esse iudicavit. Sola enim facti ipsius expositio, quae tota illorum temporum monumentis innititur, et Scriptorum gravitate praestantium confirmatur testimoniis, evincit, Pontificem fecisse, quae muneris sui ratio postulabat, longanimitatem etiam in agendo adhibuisse, a legum severitate abstinere conatum esse, iustitiae defensorem se demonstrasse, et compulsum, ut ita dicam, necessario fuisse ad id statuendum, quod legum severitas flagitabat.

De alio nunc facto loquamur, quod etiam in Innocentii III Pontificatus historia celeberrimum fuit, et ex quo Moshemius inter ceteros, de Pontifice obloquendi, prout superius vidimus, occasionem suscepit. Dicamus scilicet de controversia, quae Innocentium III inter et Ioannem Angliae Regem, *sine terra* appellari solitum, pertractata est. Sunt autem ista ad controversiae huius naturam explicandam in antecessum animadvertenda.

Hoc erat in more positum, cum Angliae Reges coronabantur, ut iuramento promitterent, se Ecclesiae immunitatem servaturos esse, in qua continebatur auctoritas, qua Capitula potiebantur, ut praesules ab ipsis eligerentur. Hoc autem immunitatis caput Princeps vehementer ambiebat, atque illud facile sibi arrogabat, cum Episcopatus valde commodam et opulentam rationem suppeditarent, in eos beneficentiam exhibendi, qui se erga Principem studiosos ostendissent. Cum vero Episcopatibus Baroniae adnexae, magnam earundem possessoribus in rempublicam auctoritatem tribuerent, Principis idcirco plurimum intererat, ad Episcopatus nonnisi sibi addictos promoveri. Quare eveniebat passim, ut dum Princeps patiebatur electionis a Capitulo faciendae formam servari, is interea omnem operam daret, ut revera Episcoporum electio ab eius nutu ac voluntate quodammodo penderet. Requisitum igitur est ut electionem a Capitulo faciendam, facultas ad id agendum, a Principe impetrata praecederet; id quod Principi opportunitatem praebebat, quem maxime Episcopum cuperet, ad eam dignitatem commendare; quo facto sequi debebat petitio, ut Rex ele-

ctionem Episcopi approbaret, ex quibus omnibus reipsa in Principem talis potestas profluebat, ut quem vellet, ab Episcopatus consequutione posset impedire. Neque haec libertatis Ecclesiasticae perturbandae ratio in Anglia solum obtinuerat. In aliis etiam regionibus eiusmodi abusus inducti erant, quemadmodum ex iis, quae de controversia ob investiturarum collationem pertractata diximus, colligi facile potest.

Quod vero in Anglia diversum in electionum negotio erat ab iis, quae in aliis regionibus eveniebant, inde proficiscebatur, quod in Anglia Cathedrales Ecclesiae institutae fuerant ab initio ad monasticum usum, atque erant revera monasteria, in quibus monastica officia peragebantur; Monachi vero in iisdem omnia Capitulorum iura exercebant. Sed si in reliquis Monasticis istis Ecclesiis haec a Monachis fieri passim tranquille contingebat, non ita tamen de Ecclesia Cantuariensi est iudicandum. Archiepiscopus enim Cantuariensis amplissimum non in Ecclesia Anglicana tantum, sed in ipso etiam Angliae Regno dignitatis gradum obtinebat. Id autem causae erat, ut cum novus Archiepiscopus Cantuariensis eligi deberet, tum Rex, tum Regni Praesules, in negotio peragendo auctoritatem suscipiendam curarent, affirmantes hoc esse receptum antiqua disciplina, ut electio ista, vel ad se spectaret, vel pari iure a se cum Monachis absolvi deberet. Sed his Monachi Cantuarienses acriter repugnabant, quorum praesides saepenumero, Monasterii nomine protestati sunt, se quidquid esse passuros, et vitae discrimen potius se toleraturos esse, quam concederent, ut tale, tantumque privilegium violaretur.

Itaque quoties Archiepiscopus Cantuariensis moriebatur, toties controversia renovabatur; atque ex utraque parte ea adhibebantur omnia, quae ad iura, vel privilegia sua servanda vicissim opportuna existimabantur. Rex cum Regni Praesulibus semper in controversia socius quodammodo erat. Monachi autem nullo metu perculsi in controversia vehementer prosequebantur ea facere, quae ad privilegium tutandum conducere poterant. Ad tantam constantiam frangendam, neque minis, neque promissionibus quidquam se proficere adversarii sentiebant, ac persaepe idcirco hoc consilium initum est, ut saltem remotiori a Cantuariensi monasterio loco, electionem fieri oporteret, quo Monachi minori numero participes electionis essent, ac nonnulli tantum reliquorum nomine, negotium absolvere deberent, atque ita passim, ut si electio in hominem incidisset, quem Rex non commendasset, Episcopi electum repudiarent. Quod si vero Monachi adiunctorum gravitate commoti, cedere quandoque cogebantur, accurate tamen isti cavebant, ne idcirco se in Praesulibus ius illud inesse concedere viderentur. Legi possunt de ea re praesertim Gervasii Monachi Cantuariensis, qui ineunte saeculo decimo tertio claruit, *Acta sive vitae Pontificum Ecclesiae Cantuariensis ab Augustino usque ad Humbertum.* Reperietur profecto, ibi hac ratione rem gestam esse in electione Theobaldi, S. Thomae Martyris, Richardi, Balduini, atque Humberti Cantuariensium Archiepiscoporum. Haec erant, prout superius dixi, significanda, quo plenius rerum nunc dicendarum, et controversiae nunc explicandae natura intelligatur.

Statim ac die 13 Iulii anno 1205 Humbertus Archiepiscopus mortuus erat, iuniores Monachi secreto convenientes, Reginaldum Archiepiscopum Cantuariensem designarunt. Facile autem viderunt ob hanc electionem, magnam quaestionem obortuam esse, quod neque Regis auctoritatem, seu licentiam postulassent, neque Episcoporum interventum exspectavissent. Quare spem omnem suam ad impetrandam ab Apostolica Sede confirmationem converterunt.

Itaque Reginaldum ipsum ea de causa Romam miserunt, sed itineris a Reginaldo suscepti rationem occultarunt, immo Reginaldum ipsum adduxerunt ad promissionem iuramento faciendam, electionem se non esse manifestaturum nisi postquam confirmationem consequutus fuisset. Verum Reginaldus imprudenti vanitate illectus, vix ubi ex Anglia digressus erat, se Archiepiscopum electum appellare coepit. Tunc sanior Monachorum pars intelligens, quantas turbas haec improvida agendi ratio esset excitatura, opportunius esse statuit, Reginaldi electionem veluti non ratam, ac validitate destitutam derelinquere, et copiam postulare, ut palam electionem Archiepiscopi Cantuariensis legitimam absolverent; eaque concessa, Monachi Ioannem Grayum Episcopum Norwicensem a Rege commendatum elegerunt. Deinde coram Rege in Archiepiscopali throno electus Archiepiscopus positus est, cui Rex Ioannes sine mora Archiepiscopatus tribuit possessionem. Duodecim Monachi sunt interea Romam missi, qui apud Apostolicam Sedem huius electionis causam tuerentur.

Cum isti Romam venissent, prima Innocentii III cura fuit, ut de controversia statueret, quae Monachos inter et Episcopos circa electionis Archiepiscopi Cantuariensis faciendae ius peragebatur. Atque Episcopi quidem affirmabant, secundum veterem disciplinam, Primatem ab Episcopis eligi oportere, atque Episcopos, ex quo Henricus I libertatem canonicam restituerat, suffragiis suis, electionis Primatis participes semper fuisse. His vero Monachi respondebant, novitatem, quae in ista re sub Normannorum dominatu acciderat, non iure, sed per vim evenisse; Archiepiscopi electionem quatuor ferme saeculorum spatio, ad eos absoluto privilegio spectasse, atque hoc privilegium reiicere, idem esse, ac Patres ipsos Ecclesiae Anglicanae improbare, ac Pontificum praedecessorum responsiones. His in medium adductis, ac diu pertractatis, Consistorii sententia fuit, privilegium praescriptione saeculorum observatum, observari debere, Innocentius vero pro Monachis definitive iudicavit.

Cum haec de controversiae iure statuta fuissent, inquisitio instituta est circa rationes, quae ad utriusque mox electi Archiepiscopi causam referebantur. Ita vero res absoluta est. Sed huius inquisitionis exitus utrique parti displicuit. Nam quod ad Reginaldum pertinet, eius electionem contra canonicam formam fuisse pronuntiatum est, atque ita quoque de Episcopi Norwicensis electione statutum fuit, eo quod facta fuisset antequam de Reginaldi electionis nullitate definitiva sententia Romae lata esset.

Hanc causae totius definitionem in Anglia Praelati praesenserant, atque idcirco Ioannes Rex antequam Legati ex Anglia proficiscerentur, eisdem copiam fecerat ad novam electionem eundi, sed ita tamen ut iuramento promitterent, se Ioannem Grayum esse electuros. Iam vero Pontifex huius Episcopi electioni graviter resistebat. Nam cum Ioannes Grayus is esset, quo praesertim in negotiis publicis gerendis Rex utebatur, iudicis officio fungeretur, et rebus Regni civilibus administrandis addictus, nonnisi brevissimum temporis spatium, ei superesse potuisset ad Ecclesiae negotia gerenda. Hic vero in Anglicana Ecclesia abusus diu obtinuerat, et Romani Pontifices illum vehementer improbaverant. Innocentius autem ipse Humbertum Archiepiscopum Cantuariensem paullo ante demortuum adduxerat ad Regni negotia publica derelinquenda, ut se Ecclesiae regimini posset impense devovere. Quare si sibi constare Pontifex volebat, non poterat is alterius eiusmodi Episcopi electioni non repugnare. Magnum interea pecuniae pondus oblatum est, quo petitam Ioannis Grayi electio-

nem ratam Pontifex haberet; sed Pontifex iniuriosam istam agendi rationem pro dignitate sua ac gravitate sprevit, et in suscepto consilio constans perstitit.

Dum haec controversia Romam totam et Angliam universam sollicitam haberet, et studiose pertractaretur, in urbe versabatur Anglus nomine Stephanus Langtonius vir ornamentis suis praeclarus. Inter cetera is in Universitate Parisiensi summa cum laude Lectoris publici munus obierat, et meritis suis effecerat, ut Universitatis illius Cancellarius evaderet, in Anglia Ecclesiasticam dignitatem consequeretur, ab Innocentio III autem, qui viri fama permotus, eum Romam vocaverat, Cardinalis Ecclesiae Romanae titulo S. Chrysogoni crearetur.

Itaque ad Stephanum Langtonium Innocentius se convertit, atque eum ad Archiepiscopalem Cathedram Cantuariensem suscipiendam imprimis idoneum esse iudicavit. Certum vero est Pontificem, dum de Stephano Langtonio ad Archiepiscopatum eligendo cogitavit, iustissimo, ac sapientissimo consilio adductum esse, quod intelligeret, scilicet, eo electo, Ecclesiam Cantuariensem ab tali Praesule gubernatum iri, qui doctrinae, ac virtutis laude singulari, apud omnes commendabatur. Habuit praetera Innocentius omnem iure sperandi rationem, futurum esse, ut Langtonii electio Ioanni Regi grata contingeret, quod pluries ad eundem Cardinalem Langtonium imprimis benevole, et cum magna aestimationis suae significatione Rex scripserat.

Licet ista vera essent, voluit tamen Innocentius ea omnia cavere, et avertere, quae difficilem negotii istius exsequutionem facere potuissent. Quare Pontifex non modo Regem rogari voluit, ut assentiretur Monachos Romae novam Archiepiscopi Cantuariensis electionem absolvere; sed etiam cum Stephanus Langtonius electus Romae esset, ad Regem eundem legatos mittendos curavit, ut electionem factam probaret. Verum litterae ad Regem scriptae de ea re Doveriae servatae sunt, neque ad urbem ulla his litteris responsio perlata fuit. Quare Cardinalis Langtonius, postquam congruo temporis decursu exspectata responsio fuisset, ab ipso Innocentio Viterbii tunc morante Episcopus consecratus est. Cum res, de qua loquimur, eo modo prorsus evenerit, quo nunc significavimus, apparet iniuria tantummodo a quocumque, et contra facti veritatem obiici posse, non fuisse secundum prudentiam, ut sine Regis responso accepto, quo consensum suum significaret, novus Archiepiscopus consecraretur. Nam nemo potest non fateri, universam negotii peragendi rationem canonicam omnino fuisse, et erga Ioannem Regem ea observantiae argumenta exhibita esse, quae ipse quacumque ratione potuisset postulare. Sed haec, quae fortasse potuissent facile componi, si is, cuius intererat Archiepiscopatum impetrare, Ecclesiae bono privatam omnem rationem suam postposuisset, felicem exitum non habuerunt, eo quod Episcopus Norwicensis nollet omnino Archiepiscopatum amittere, ad quem fuerat electus. Is ergo Regem in controversiam induxit eiusmodi, in qua ob depressam rerum suarum rationem, nullam poterat spem habere, futurum, ut quod optabat, consequeretur. Quare ubi primum nuntius in Angliam pervenit, Stephanum Langtonium Romae Archiepiscopum Cantuariensem esse consecratum, acriter Ioannes Rex indignatus est, et de Monachis ultionem sumendam esse constituit.

Affirmabat enim haec omnia Monachorum causa evenisse, illos primum Reginaldi occulta electione facta, ac deinde Langtonio consecrato, effecisse, ut Rex quodammodo in praerogativa praecipua sua despiceretur. Itaque missa ad Monasterium armatorum hominum manu, Monachos inde eiecit, eos transfretare

coegit, atque iis fundis ipse potitus est, quae ad Monachos pertinebant.

Verum Innocentius interea nihil omisit, quo posset Regis animum lenire. Litteris suis humanitate plenis, Regi prae oculis posuit, quanta virtute, quibusque ornamentis Langtonius praestaret. Se erga Regem omnia exhibuisse observantiae testimonia affirmabat, cum neque iuris sui ratione habita, ad novi Archiepiscopi electionem, confirmationemque, Regis consensum rogavisset. Spondebat denique, si Princeps, secundum officii sui rationem agere vellet, se esse effecturum ut nullum posset ex Langtonii electionis facto Regis auctoritas detrimentum pati. Sed tantis istis humanitatis argumentis nihil Innocentius profecit, cum Ioannes in suscepto consilio perseveraverit, et superba ratione responderit, se esse effecturum, ut Langtonius cum Primatis Cantuariensis dignitate, numquam in Angliam ingrederetur.

Itaque res erat pro auctoritate peragenda. Sed antequam ad hoc Innocentius deveniret, voluit tres Episcopos Guillelmum Londinensem, Eustachium Elisensem, et Malgerum Wigorniensem, ad Regem se conferre, quo illi significarent omni observantissima ratione censurarum gravitatem, cui se resistendo obiiciebat, eumque exorarent, ut Langtonium novum Archiepiscopum acciperet. Verum Ioannes, etsi videret alium Principem se ipso potentiorem, Galliae Regem, scilicet, interdicto promulgato, Pontifici morem gerere debuisse, voluit tamen in suscepto consilio obstinate perseverare. Quamobrem iurisiurandi religione interposita, et insultans praeterea, Episcoporum hortationes excepit, Pontificis indignationem sprevit, ad acerbissimas minas adversus Clerum pronunciandas devenit, et Episcopos e conspectu suo ignominiose reiecit. Ad mediam Quadragesimam res protracta est. Sed Ioannes in suo veteri consilio perseverabat. Cum vero Dominicae Passionis dies vigesima tertia Martii anno 1208 advenisset, et Rex in proposito pertinaciter persisteret, postera die tres Praesules superius memorati, Interdicti sententiam adversus regiones omnes Ioannis potestati subditas tulerunt, ac deinde, quo ii possent saluti suae consulere, extra Angliam constiterunt.

Hoc cum Episcopi fecissent, statim in Anglia ea omnia evenerunt, quae ex Interdicto pronunciato natura sua proficiscuntur. Videlicet cuncta sunt intermissa, quae caeremoniis religiosis antea peragi consueverunt, ita, ut magnus in Angliae omnibus Ordinibus moeror subsequutus sit, et nihil cives omnes tantopere lamentarentur, quam Regis causa, omnia, quae Religionem respicerent, impedita remanere.

Ioannes Rex interea, dum tantus esset civium omnium dolor, ac luctus, se tranquillum simulabat; sed animo volvebat, quanam severiori ratione posset seipsum ulcisci. Itaque iniustissime voluit cognatos trium Episcoporum, quorum superius mentionem fecimus, comprehendi, atque in carcerem coniici, eorumque bona publicari. Officialibus suis commisit praeterea, Ecclesiasticos reditus omnes invadere, atque eos voluit e Regno discedere, qui his reditibus fuerant spoliati, ut a Pontifice, prout ipse calamitatem irridens affirmabat, damnorum quae passi fuerant, compensationem sibi compararent.

Sed haec licet tam imprudenter Ioannes ageret, intimam tamen is animi tranquillitatem non habebat: immo secum ipse sollicitus cogitabat, quis tanti huius dissidii finis esset futurus, et infortunium declinare satagebat, quod sibi imminere praesenserat. Quare pluries cum Langtonio ipso, et cum Pontificis Legatis pertractationem benevolam inire opportunum putavit, sed pluries etiam ea intervertere, ac subterfugere non omisit, ad quae facienda se paratum antea demonstraverat; quod vero

difficiliorem videbatur negotii exitum efficere, in repugnantia positum erat ea restituendi, quae Clero fuerant ablata.

Innocentius sibi proposuerat animo pacato in tanta re semper agere, neque ab hoc consilio remisit, cum dissidium ad haec extrema pervenisset. Quare antequam ad severiorem agendi rationem procederet, nihil omisit quod idoneum esse posse iudicavit ad Regis animum emolliendum, atque ad persuadendum simul eidem Principi, debere illum videre, ne consiliis praeiudicatis abreptus, graviori discrimini se obiiceret. Cum vero intellexisset Pontifex, Ioannem interdicto non commoveri, et lapsum iam esse annum, ex quo Angliae Regnum interdicto fuerat subiectum, quin Rex ullam melioris consilii spem afferret, excommunicationis sententia adversus Ioannem lata est. Sed Rex tam severe portus Regni custodiri, tanta vigilantia scripta omnia, quae Roma in Angliam deferrentur, investigari iusserat, ut excommunicationis decretum, seu Bulla, non potuerit solemni ratione in Anglia promulgari. Hoc autem abusi facto ii, quos tamquam Theologos suos Ioannes audiebat, Regi in animum induxerunt, decretum illud effectum consequi non posse nisi officiali, ut dici solet, ratione, illis, quorum intererat, communicatum et in publicam notitiam deductum fuisset.

Sed ista tamen ad Ioannis tranquillitatem satis esse non poterant, qui rei naturam penitus exploratam habebat. Nam excommunicationis sententiam haberi debere, veluti gravioris calamitatis suae praesagium sciebat; Philippum Augustum praeterea non ignorabat, sui perpetuum adversarium infensum, facile suscepturum esse hanc opportunitatem, ut provincias sibi subiectas invaderet. Cum videret autem ipsos Regni sui Barones quotidie ab observantia sibi debita deficere, intelligebat facillime, in quas angustias, imprudenti agendi ratione sua, se ipsum, et Regnum coniecisset. Quamobrem ut Galliae Regem abduceret a quacumque in Regnum suum aggressione, apud se retinuit Principes plures, quorum dominatus regiones comprehendebat ad Septentrionem, ac Meridiem Regni sui positas. Quo vero posset Pontifici Innocentio vel metum iniicere, vel eidem suadere abstinendum esse a severiori quolibet alio contra se consilio ineundo, auxilium petiit a Mohammede Maxiro, scilicet, Emiro el Moumenim, qui ob suas in Hispaniis victorias, minitari videbatur, Christianam Religionem in meridionalibus Europae regionibus se esse eversurum.

In tanto rerum publicarum motu quadriennium ferme lapsum erat. Quamobrem ut his malis Episcopi finem imponerent, Pontifici Innocentio totius calamitatis descriptionem faciendam statuerunt, qua iniurias eorum ordini, Clero, et Monachorum institutis illatas referebant, crudelitatem a Rege adhibitam commemorabant, et eius in eodem proposito persistentiam. Praeterea petebant ut Pontifex severius cum Rege ageret, quo eorum incolumitati, et Ecclesiae libertati prospiceretur. Innocentius autem, re universa iterum perpensa, quantumvis aperte demonstrasset, se nonnisi cum animi sui dolore id agere, extremum tamen illud adhibendum esse vidit, ut obedientiae obligatione Ioannis subditi solverentur, et de novo Rege constituendo decerneretur. Philippus Augustus Galliae Rex hanc occasionem facile suscepit, et cum se vocari videret ad dominationem in Angliae Regnum obtinendam, classem copiosam comparavit, qua, adiutus etiam nonnullorum Angliae Baronum opera, potestatem in illud regnum consequeretur.

Ioannes Doveriae morabatur, et animo volvebat sibi funestum futurum esse huius negotii exitum, neque in exercitu suo, qui sexaginta millia militum continebat, magnam

ullam spem ponendam esse sentiebat, cum milites ferme omnes animo erga se minime benevolo esse sciret. Pandulphus interea Innocenti III Legatus Regem alloquutus, periculi gravitatem ei persuadendam curavit. Post longam vero pertractationem, Rex chirographum, seu instrumentum subscripsit, quo ista significabantur: Langtonium ad Cantuariensem Archiepiscopatum recipi oportere; exilio mulctatos, sive clericos, sive laicos, revocandos, atque iisdem pristina officia restituenda; in carcerem ob controversiam istam coniectos, libertate donari debere; proscriptos, eorumque bona, ac iura restituenda; tales adversus Clerum sententias in posterum numquam esse ferendas; pecuniam ablatam reddi, illata damna sarciri debere; his rebus, quae promittebantur, impletis, interdictum revocandum, excommunicationis sententiam tollendam, Episcopos exilio affectos veram Regi fidem, atque obedientiam iuraturos. Quatuor denique ex potentioribus Regni Baronibus Ioannis nomine instrumenti ipsius exsequutionem sponderunt.

Haec die 13 Maii anno 1213 evenerunt. Postera autem dies in secreta consultatione, Regem eiusque intimi consilii participes inter et Pontificium Legatum insumpta est. Die autem sequenti in aede Templariorum Rex a Praesulibus, Baronibus, et Equitibus circumdatus Pandulpho instrumentum, seu chartam tradidit, quo Regnum Angliae Innocentio, et Apostolicae Sedi obtulit, itemque, fidei, seu obedientiae erga Romanum Pontificem formam iuravit. Haec vero monumenta Raynaldus refert ad annum 1213 n. 75 et seqq., ubi hanc factam Regni oblationem, et fidem a Rege iuratam exponit. Referuntur etiam tomo I illius permagnae collectionis monumentorum, quae saeculi 18 initio, iussu Annae Angliae Reginae primum a *Thoma Rymerio,* et quae deinde anno 1816, sub Gregorio III Rege Angliae iterum edita est, quae collectio inscribitur: *Foedera, et acta publica inter Reges Angliae, et alios quosvis Imperatores* etc. *ex autographis, aliisque instrumentis fideliter exscripta.* Exhibetur etiam eodem tom. 1 *Rymer foedera* etc. edit. an. 1816 aliud monumentum, quo Pandulphus declaravit Ioannem excommunicatione solutum; omnes Angliae Regni subditos ad obedientiam, et fidem erga eundem teneri, ac Regem Galliae prohiberi omnino, ne prout conari inceperat, potestatem Ioannis propriam consequeretur.

Displicuerunt ista quidem vehementer Regi Philippo Augusto, sed consilium initum in eodem statu permansit. Visus est Ioannes in posterum non aequo animo passurus, ut qui fuerant in exilium pulsi, revera restituerentur, et res contra Gallos feliciter gestae videbantur ei persuadere, ut quod animo versabat, efficere posset. Verum viginti quatuor Barones proscriptorum causam defenderunt. Cum vero videret, nisi restituisset antea proscriptos, nihil se cum Baronibus in expeditione contra Gallos profecturum; Langtonius ipso Rege invitante, cum quinque Episcopis, et pluribus Monachis reversi sunt. Wintoniae cum Rege convenerunt; Ioannes et Langtonius in complexum mutuum abierunt, palam excommunicationis sententia sublata fuit; cum interim Rex ipse quae Pontifici spoponderat, iterum iurasset, et praeterea promisisset illegitimas consuetudines se esse ablaturum, quibuslibet propria iura redditurum, et Regis Eduardi leges confirmaturum. Cardinalis Nicolaus Episcopus Tusculanus deinde cum Legati Apostolici munere ab Innocentio missus die 29 Septembris ad Regem pervenit, qui postquam statutum esset de pecuniae summa a Rege numeranda in controversiae vicissitudinibus percepta, in mandatis habebat interdictum revocare. De re ista aliquandiu pertractatum est; sed deinde Innocentius definitive quaestio-

nem omnem diremit, et interdictum continuo tollendum esse iussit, quod die 29 Iunii anno 1214 factum est.

Haec aliquanto fusius de controversia ista inter Pontificem Innocentium et Ioannem *sine terra* diu pertractata, a nobis exposita sunt. Sed penitius multo apud Lingardium tomo 3 *Historiae Angliae,* Raynaldum *in Innocentii III Pontificatus historia,* atque in memorata superius *monumentorum collectione*, explicata reperiuntur. Hanc vero aliquanto longiorem huius facti expositionem exhibendam putavimus, tum quod ad rerum illius aetatis notitiam multum conferat, tum praesertim quod facti totius consideratio apertissimam contineat responsionem iis, quae Moshemius loco antea citato, per calumniam affirmat, Ioannem Regem imprimis turpiter, et acriter ab Innocentio vexatum fuisse. Etenim res superius narrata perspicue ostendit nihil esse in toto controversiae decursu, quod argumentum suppeditare iure possit ad Pontificem sapientissimum traducendum veluti Regis Ioannis aliqua in re vexatorem; sed libertatis ac iurium Ecclesiae defendendorum necessitate adactum Pontificem ad eam severitatem adhibendam devenire debuisse, quae deinde ab eo, licet invito adhibita est. Perpendenda denique est aetatis qua ista evenerunt, indoles, ut ita dicam, atque illius adiuncta omnia prae oculis habenda sunt. Ea autem consideratio multo clarius evincet, nonnisi per calumniam vel a Moshemio, vel ab aliis quibuslibet, ex relato superius facto occasionem susceptam fuisse de Pontifice Innocentio III detrahendi. Valde opportuna quoque sunt ad Pontificem defendendum in ista re, quae pluribus in locis in eiusdem vitae historia Hurterius recenset.

Sed finem tandem faciamus de hoc praeclarissimo Pontifice scribendi. Ille quidem cum Pontificatum gessisset annos decem et octo, menses sex, dies novem, prout superius diximus, die 16 vel 17 Iulii anno 1216 Perusii obiit, atque in Cathedrali S. Laurentii templo sepultus est. Indignum vero arbitror Potterium inter ceteros confutare, qui *tomo 6 parte 2 lib. 4 pag. 65* de misero Innocentii III post mortem animae statu veterem falsam narrationem, veluti notitiam a se erudite digestam tradit. Eam narrationem primum commemoravit *in vita S. Lutgardis Thomas Cantipratensis.* Sed eam fabulosam narrationem Raynaldus *ad annum 1216 n. 12 et seq.* reiecerat, et communi Scriptorum omnium Innocentio coaevorum suffragio confutaverat, qui summam semper Pontificis illius virtutum laudem, et communem singularem aestimationem attulerunt. Quae denique Hurterius fuse disputat tom. 2 ad eundem annum, ubi, post narratam Innocentii mortem, orationem quodammodo de Pontificis laudibus habet, Potterio refellendo, ac viso, quod *Cantipratensis* retulit, contemnendo, penitus sufficiunt. Mirum vero esse non debet, Potterium, aliosque huius generis scriptores in his ineptis narrationibus, veluti si graves essent, immorari, cum in more positum habeant, ubi agitur de afficiendis iniuria Pontificibus Maximis, qui aetatis propriae suae lumina fuerunt, nullam iudicii, aut honestatis rationem habere.

CAPUT XXIV.

DE CONCILIO LATERANENSI GENERALI IV SEU OECUMENICO XII.

Agendum nunc est de Concilio Lateranensi Generali IV seu Oecumenico XII. Illius vero Concilii Generalis celebratio ponenda est in praecipuis ab Innocentio III rebus praeclare gestis. Etenim eius virtute ac sapientia factum est, ut Concilium hoc iis temporibus opportu-

ullam spem ponendam esse sentiebat, cum milites ferme omnes animo erga se minime benevolo esse sciret. Pandulphus interea Innocenti III Legatus Regem alloquutus, periculi gravitatem ei persuadendam curavit. Post longam vero pertractationem, Rex chirographum, seu instrumentum subscripsit, quo ista significabantur: Langtonium ad Cantuariensem Archiepiscopatum recipi oportere; exilio mulctatos, sive clericos, sive laicos, revocandos, atque iisdem pristina officia restituenda; in carcerem ob controversiam istam coniectos, libertate donari debere; proscriptos, eorumque bona, ac iura restituenda; tales adversus Clerum sententias in posterum numquam esse ferendas; pecuniam ablatam reddi, illata damna sarciri debere; his rebus, quae promittebantur, impletis, interdictum revocandum, excommunicationis sententiam tollendam, Episcopos exilio affectos veram Regi fidem, atque obedientiam iuraturos. Quatuor denique ex potentioribus Regni Baronibus Ioannis nomine instrumenti ipsius exsequutionem sponderunt.

Haec die 13 Maii anno 1213 evenerunt. Postera autem dies in secreta consultatione, Regem eiusque intimi consilii participes inter et Pontificium Legatum insumpta est. Die autem sequenti in aede Templariorum Rex a Praesulibus, Baronibus, et Equitibus circumdatus Pandulpho instrumentum, seu chartam tradidit, quo Regnum Angliae Innocentio, et Apostolicae Sedi obtulit, itemque, fidei, seu obedientiae erga Romanum Pontificem formam iuravit. Haec vero monumenta Raynaldus refert ad annum 1213 n. 75 et seqq., ubi hanc factam Regni oblationem, et fidem a Rege iuratam exponit. Referuntur etiam tomo I illius permagnae collectionis monumentorum, quae saeculi 18 initio, iussu Annae Angliae Reginae primum a *Thoma Rymerio,* et quae deinde anno 1816, sub Gregorio III Rege Angliae iterum edita est, quae collectio inscribitur: *Foedera, et acta publica inter Reges Angliae, et alios quosvis Imperatores* etc. *ex autographis, aliisque instrumentis fideliter exscripta.* Exhibetur etiam eodem tom. 1 *Rymer foedera* etc. edit. an. 1816 aliud monumentum, quo Pandulphus declaravit Ioannem excommunicatione solutum; omnes Angliae Regni subditos ad obedientiam, et fidem erga eundem teneri, ac Regem Galliae prohiberi omnino, ne prout conari inceperat, potestatem Ioannis propriam consequeretur.

Displicuerunt ista quidem vehementer Regi Philippo Augusto, sed consilium initum in eodem statu permansit. Visus est Ioannes in posterum non aequo animo passurus, ut qui fuerant in exilium pulsi, revera restituerentur, et res contra Gallos feliciter gestae videbantur ei persuadere, ut quod animo versabat, efficere posset. Verum viginti quatuor Barones proscriptorum causam defenderunt. Cum vero videret, nisi restituisset antea proscriptos, nihil se cum Baronibus in expeditione contra Gallos profecturum; Langtonius ipso Rege invitante, cum quinque Episcopis, et pluribus Monachis reversi sunt. Wintoniae cum Rege convenerunt; Ioannes et Langtonius in complexum mutuum abierunt, palam excommunicationis sententia sublata fuit; cum interim Rex ipse quae Pontifici spoponderat, iterum iurasset, et praeterea promisisset illegitimas consuetudines se esse ablaturum, quibuslibet propria iura redditurum, et Regis Eduardi leges confirmaturum. Cardinalis Nicolaus Episcopus Tusculanus deinde cum Legati Apostolici munere ab Innocentio missus die 29 Septembris ad Regem pervenit, qui postquam statutum esset de pecuniae summa a Rege numeranda in controversiae vicissitudinibus percepta, in mandatis habebat interdictum revocare. De re ista aliquandiu pertractatum est; sed deinde Innocentius definitive quaestio-

nem omnem diremit, et interdictum continuo tollendum esse iussit, quod die 29 Iunii anno 1214 factum est.

Haec aliquanto fusius de controversia ista inter Pontificem Innocentium et Ioannem *sine terra* diu pertractata, a nobis exposita sunt. Sed penitius multo apud Lingardium tomo 3 *Historiae Angliae,* Raynaldum *in Innocentii III Pontificatus historia,* atque in memorata superius *monumentorum collectione*, explicata reperiuntur. Hanc vero aliquanto longiorem huius facti expositionem exhibendam putavimus, tum quod ad rerum illius aetatis notitiam multum conferat, tum praesertim quod facti totius consideratio apertissimam contineat responsionem iis, quae Moshemius loco antea citato, per calumniam affirmat, Ioannem Regem imprimis turpiter, et acriter ab Innocentio vexatum fuisse. Etenim res superius narrata perspicue ostendit nihil esse in toto controversiae decursu, quod argumentum suppeditare iure possit ad Pontificem sapientissimum traducendum veluti Regis Ioannis aliqua in re vexatorem; sed libertatis ac iurium Ecclesiae defendendorum necessitate adactum Pontificem ad eam severitatem adhibendam devenire debuisse, quae deinde ab eo, licet invito adhibita est. Perpendenda denique est aetatis qua ista evenerunt, indoles, ut ita dicam, atque illius adiuncta omnia prae oculis habenda sunt. Ea autem consideratio multo clarius evincet, nonnisi per calumniam vel a Moshemio, vel ab aliis quibuslibet, ex relato superius facto occasionem susceptam fuisse de Pontifice Innocentio III detrahendi. Valde opportuna quoque sunt ad Pontificem defendendum in ista re, quae pluribus in locis in eiusdem vitae historia Hurterius recenset.

Sed finem tandem faciamus de hoc praeclarissimo Pontifice scribendi. Ille quidem cum Pontificatum gessisset annos decem et octo, menses sex, dies novem, prout superius diximus, die 16 vel 17 Iulii anno 1216 Perusii obiit, atque in Cathedrali S. Laurentii templo sepultus est. Indignum vero arbitror Potterium inter ceteros confutare, qui *tomo 6 parte 2 lib. 4 pag. 65* de misero Innocentii III post mortem animae statu veterem falsam narrationem, veluti notitiam a se erudite digestam tradit. Eam narrationem primum commemoravit *in vita S. Lutgardis Thomas Cantipratensis.* Sed eam fabulosam narrationem Raynaldus *ad annum 1216 n. 12 et seq.* reiecerat, et communi Scriptorum omnium Innocentio coaevorum suffragio confutaverat, qui summam semper Pontificis illius virtutum laudem, et communem singularem aestimationem attulerunt. Quae denique Hurterius fuse disputat tom. 2 ad eundem annum, ubi, post narratam Innocentii mortem, orationem quodammodo de Pontificis laudibus habet, Potterio refellendo, ac viso, quod *Cantipratensis* retulit, contemnendo, penitus sufficiunt. Mirum vero esse non debet, Potterium, aliosque huius generis scriptores in his ineptis narrationibus, veluti si graves essent, immorari, cum in more positum habeant, ubi agitur de afficiendis iniuria Pontificibus Maximis, qui aetatis propriae suae lumina fuerunt, nullam iudicii, aut honestatis rationem habere.

CAPUT XXIV.

DE CONCILIO LATERANENSI GENERALI IV SEU OECUMENICO XII.

Agendum nunc est de Concilio Lateranensi Generali IV seu Oecumenico XII. Illius vero Concilii Generalis celebratio ponenda est in praecipuis ab Innocentio III rebus praeclare gestis. Etenim eius virtute ac sapientia factum est, ut Concilium hoc iis temporibus opportu-

prudentiae parte disputationem instituere.

Itaque Concilii Lateranensis IV canon primus in librum 1 decretalium relatus est capite *firmiter* tit. *de summa Trinitate*, et fidem catholicam exponit praecipue quod spectat ad mysterium SS. Trinitatis, Incarnationis, Sacramenti Eucharistiae, Baptismi, et Poenitentiae. Canon 2 damnat libellum, quem Abbas Ioachimus edidit contra Magistrum Petrum Lombardum de unitate seu essentia Trinitatis, appellans ipsum haereticum, et insanum, pro eo quod in suis dixit sententiis, quoniam quaedam summa res est Pater, et Filius et Spiritus sanctus, et illa nec generans est, neque genita, nec procedens, quasi scilicet Quaternitatem asserat in Deo, et praeter tres Personas, quartam faceret illam communem essentiam. Concilium ergo hanc quaternitatem inde consequi negat, atque illam Lombardi sententiam probat. « Nos autem, aiunt PP., » sacro et universali Concilio approbante credimus, et confitemur cum » Petro, quod una quaedam summa » res est incomprehensibilis quidem, » et ineffabilis, quae veraciter est » Pater, et Filius et Spiritus sanctus, tres simul Personae, ac singillatim quaelibet earundem. Et » ideo in Deo Trinitas est solummodo, non Quaternitas, quia quaelibet trium personarum est illa res, » videlicet substantia, essentia, sive » natura divina, quae sola est universarum principium, praeter quod » alibi inveniri non potest. Et illa » res non est genitans, nec genita, » et procedens. »

Non est vero hic penitus praetereundum id, quod de pluribus quaestionibus pertractari posset, quae ad canoni huic subiectam materiam revertuntur. Nam quaestio instituta est, num in Lombardo ea verba reperiantur, quae Ioachimus opponebat. Etenim cum deprompta credantur ex 1 lib. sent. dist. 5, ibi solum haec sententia exstat « unam, et summam » quandam rem esse divinam essentiam; » ideoque non dici divinam essentiam genuisse essentiam, ne eadem res se ipsam genuerit.

Petavius de his agens lib. 6 de Trinit. c. 12 respondet non fuisse illa verba Lombardi, sed consequentiam, quam ex Lombardi doctrina depromebat Ioachimus. Praeter ista vero legi quoque possunt quae habet eo loco Petavius, ut mentem et sententiam concilii explicet circa verba Concilii doctrinam de Trinitatis mysterio respicientia. Nimis longa evaderet haec nostra tractatio, si singillatim in his exponendis immorari vellemus.

Illud etiam quaeri consuevit in ista causa, num in errorem revera Ioachimus Abbas lapsus sit, et an veluti haereticus haberi possit. Non fuisse autem eum haereticum, quod non fuerit in eo pertinacia, et omnia scripta sua iudicio Ecclesiae submiserit, ut initio eius operum legitur, tradit S. Thomas opusc. 14, cui alii passim consentiunt. An vero ab omni errore immunis fuerit eius doctrina, de hac re duplex debet esse animadversio. Videlicet an sit immunis in eo ipso libello, quem contra Lombardum scripsit. De qua re Natalis Alexandri dissertatio 2 in saec. XIII inter cetera consuli potest, in qua ex Concilii Lateranensis auctoritate id probat, et quae adducuntur ad sententiam contrariam propugnandam refellit. Quod vero spectat ad vetera eius scripta alia, praesertim Psalterium, catholice in iis scripsisse Ioachimum de mysterio Trinitatis ostendit fuse Papebrochius ad diem 29 Maii. Sed non defuerunt qui contraria ratione etiam de his existimaverint. Denique est quaestio instituta de prophetico eius spiritu. Nam omissis prophetiis, quae circumferuntur de Romanis Pontificibus, quas esse Ioachimo suppositas viri docti consentiunt; multa is vaticinatus est in suis etiam libris. Ex frustraneo tamen harum praedictionum eventu, spiritum propheti-

cum denegandum ei esse docti viri intellexerunt. Verum contraria hic quoque placuit aliis sententia Ioachimo favorabilis, ut videri praesertim apud Papebrochium potest.

Quod tandem pertinet ad aliquam de Ioachimi vitae notitiam tradendam, haec breviter indicabimus. Fuit scilicet Ioachimus Abbas Florensis Ordinis Cisterciensis quondam in Calabria celeberrimi fundator; post peregrinationem in Terram Sanctam Monachus Cisterciensis Ordinis fuerat eiusdem Abbas, sed eremo ad Nethum inventa, monasterium Florense condidit prope Cosentiam urbem. Obiit senex anno 1202. Fuse de eo Heliotius tom. 5 cap. 37 et de Floriacensi Ordine. Ceterum Ordo ille a Cisterciensi progrediens cum eo iterum coaluit. De Ioachimo etiam Raynaldus, ad 1215, aliique egerunt.

Canone mox commemorato, praeter ea, quae respiciunt Abbatem Ioachimum, etiam ista decernuntur: « Reprobamus, et damnamus perver» sissimum dogma impii Amalrici, » cuius mentem sic pater mendacii » excaecavit, ut eius doctrina non » tam haeretica censenda sit, quam » insana. » Ut opportunam vero habeamus de Amalrico isto notitiam, satis erit, inter cetera, recensere, quae Rigordus de eo retulit. Itaque postquam Rigordus narravit, Parisiensem Academiam eo tempore plurimum floruisse, ut nec Athenis, nec in Aegypto tanta umquam fuerit discipulorum frequentia, sublimiorum etiam disciplinarum cursum conficientium; non modo de trivio, et quadrivio, hoc est trium artium liberalium grammaticae, rhetoricae, et dialecticae, quod erat trivium, sed etiam astronomicae, geometricae, aritmeticae, et musicae; quod quadrivium constituebat, haec addidit: « Fuit » igitur in eadem sacra facultate » (sacrae paginae) studens quidam » Clericus Amalricus nomine, de Ter» ritorio Carnotensi, qui cum in arte » logica peritus esset, transtulit se » ad sacram paginam excolendam... » ausus est constanter asseverare » quod quilibet christianus teneatur » credere, se esse membrum Christi, » nec aliquem posse salvari, qui hoc » non crederet: cum igitur in hoc » ei ab omnibus catholicis contradi» ceretur, accessit ad Summum Pon» tificem, qui, audita eius proposi» tione, et universitatis scholarum » contradictione, sententiavit contra » ipsum. Rediit ergo Parisios, et » compellitur ab universitate confi» teri, quod in contrarium praedi» ctae opinionis suae sentiret. Taedio » ergo, et indignatione affectus, ut » dicitur, aegrotavit, et lecto incum» bens decessit in brevi, et sepultus » est iuxta monasterium S. Martini » de Campis. »

Habuit vero Amalricus erroris sui asseclas, qui illi errori post eius mortem etiam alios addiderunt, ut idem Rigordus narrat. Videlicet affirmabant potestatem Patris durasse quandiu viguit lex Mosaica; inde incepisse potestatem Christi; suo vero ipsorum tempore incepisse Spiritus sancti potestatem, cuius per gratiam interiorem, sine actu aliquo exteriori, homines salutem consequantur. Impugnabant praeterea de Baptismo, confessione sacramentali, et Eucharistia, Ecclesiae doctrinam. Eo etiam deveniebant, ut effutirent, quodcumque peccatum, si in virtute charitatis fieret, vere peccatum non esse. Quare nefanda flagitia charitatis nomine committebant, Deum bonum dumtaxat, et non iustum praedicantes. Verum Rigordus ipse narrat, nefariis istis hominibus impune esse non licuisse. Nam refert multos ex iis captos esse, et Philippi Regis iussu combustos fuisse; itemque Amalrici ossa exhumata, et a coemeterio eiecta esse.

Cum non possimus vero longius in his rebus pertractandis immorari, nequimus etiam, vel de libro inscripto *Evangelium aeternum cum introductorio suo,* qui ab Alexandro IV damnatus est, quique circa an. 1254

Parisiis explicari publice coepit, disputationem instituere; vel de libro Guillelmi *de Sancto Amore, de periculis novissimorum temporum* peculiarem tractationem instituere. Legi vero potest Natalis Alexandri dissertatio superius citata. Ea vero, quae Moshemius habet in adnotationibus ad §. 33 et 34 et seq. cap. 2 part. 2 Inst. Hist. Eccl. saec. XIII, inservire opportune possunt ad eos Scriptores consulendos, qui fuse de his rebus pertractaverunt.

Praeter ista quae de Lateranensi Canone secundo diximus, mentio etiam facienda est Canonis tertii, quo excommunicatur, et damnatur omnis haeresis, ac iubetur, haereticos damnatos, saecularibus potestatibus, aut eorum Ballivis tradi, animadversione debita puniendos, clericis prius a suis ordinibus degradatis. De hac haereticorum punitione adhibita etiam saeculari potestate, Bellarminus libro tertio de laicis capit. 2, Suaresius doctor eximius inter ceteros legi potest tract. de *Fide* cap. 2. Est praeterea consulenda Natalis Alexandri dissertatio *in Canonem 3 Concilii IV Lateranensis,* in qua fuse de materia huic canoni subiecta agit.

Aliqua nunc sunt de quinto Lateranensis IV Concilii canone significanda, qui Patriarchalium Sedium ordinem, ac praerogativas respicit. De Patriarchalium vero Sedium ordine, ac iuribus pluries loquuti sumus, praesertim in praelectionibus Saeculi IV et V cum de Concilio Constantinopolitano I, et Chalcedonensi Generali egimus. Videlicet in Concilio Constantinopolitano illo decretum esse, secundum locum post Romanum ante Alexandrinum, atque Antiochenum Episcopum Constantinopolitano Episcopo esse tribuendum. In Chalcedonensi vero provincias esse statutas, in quas Novae Romae, seu Constantinopolitanus Episcopus, Patriarchica iura exercere deberet. Vidimus praeterea his canonibus Apostolicam Sedem, ac Leonem Magnum potissimum Chalcedonensi decreto isti restitisse, et illum constanter impugnasse.

Iam vero de hac re canon quintus Lateranensis Concilii IV Generalis agit, atque ita ordinem Patriarchalium Sedium constituit, ut secundus locus post Romanum Episcopo Constantinopolitano, tertius Alexandrino, quartus Antiocheno tribuatur. Canonis enim illius haec verba sunt: « Constantinopolitana primum (post » Romanum), Alexandrina secundum, » Antiochena tertium, Hierosolymi- » tana quartum locum obtineat. » Statuitur quoque in eo canone, ut « postquam illarum Sedium Antisti- » tes a Romano Pontifice acceperint » Pallium, quod est plenitudinis of- » ficii pastoralis insigne, » reliqua munia ibi recensita obeant Patriarchae, Crucis signum ante se ferant, exceptis locis, in quibus Pontifex Romanus praesens adsit, vel Legatus eius utens insigniis Apostolicae dignitatis. Statuitur etiam ut ex provinciis omnibus singulorum patriarchali potestati subditis, appellatio ad Patriarcham interiici possit, qua tamen appellandi ad Patriarcham facultate, nulla ratione Apostolicae Sedis supremae potestati derogari, aut detrimentum afferri potest circa recipiendas ex quolibet Ecclesiastico iudicio appellationes, et circa ius definitivam de eiusmodi iudiciis, quacumque ex orbis terrarum parte profectis, sententiam pronunciandi.

Agitur etiam in eo canone de Pallio his Antistitibus ab Apostolica Sede tribuendo. De ea re autem sunt haec breviter notanda, ut intelligatur, quae ante Pallii consequutionem ii agere nequeant, quibus Pallium tribuendum esse ius Canonicum praescribit.

Itaque de ista re haec perpendenda sunt. Certe illorum probari sententia non potest, qui existimaverunt, quod ad Patriarchas spectat, canonem hunc quintum Lateranensem, ubi commemorat Patriarchas, quibus Pallium tribuendum esse dicit, intelligendos esse tantummodo Patriar-

chas Latinos, qui bellorum sacrorum occasione in patriarchalibus vetustis sedibus fuerant constituti. Nam praeter cetera, obstant huic sententiae ea, quae Benedictus XIV *de Syn. dioec. lib. 13 cap. 15 n. 9* de ea re pertractat, et Sacri Consilii Christiano nomini propagando responsis, ac Sedis Apostolicae agendi ratione confirmat, quae Patriarchis Orientalibus etiam Pallium largitur ad normam cap. *Antiqua* de privilegiis.

His vero statutis, quae de Patriarchis quoque Orientalibus canonem quintum Lateranensem intelligi debere demonstrant, illud etiam quaeri hoc loco potest, videlicet, quid vetetur exerceri ab iis Archiepiscopis ex. gr. aliisque, qui nondum Pallio donati fuerint. Huic autem quaestioni haec subiici possunt.

Profecto in cap. *Quod sicut* de electione, taxative, et non demonstrative tantum, ut Berardius explicat *comment. in ius canon. univ. tom. 1 pag. 125,* significantur, quae Metropolitani facere non possunt, Pallio nondum accepto: « Convocare, scilicet, concilium, conficere chrisma, » dedicare Basilicas, ordinare clericos, et Episcopos consecrare. » Rousselius item hist. iurisdict. pontificiae *lib. 2 cap. 2 n. 17,* habet: « Canonico » iure cautum est, ut Archiepiscopo » non liceat sine Pallio convocare » concilia, conficere chrisma, dedicare basilicas, ordinare clericos, et » quaecumque sunt Ordinis exercere, » sed ea tantum, quae in iurisdictione consistunt. » Ex quibus concludi iure potest, Archiepiscopos ex. gr. non hactenus Pallio donatos, ea, quae Ordinis sunt, gerere prohiberi.

Potest autem hoc ea etiam ratione confirmari, quod in cap. *Suffraganeis* de electione tribuitur his Archiepiscopis delegare alteri Episcopo Suffraganei sui consecrationem; et cap. 1 *de Translat. Episcoporum* tribuitur, ut possint Suffraganeorum electionem confirmare. Haec enim ostendunt, Praesules, de quibus agimus, Pallio nondum accepto, quae iurisdictionis sunt, exercere posse, non autem ea, quae Ordinis esse intelliguntur. Velim autem illud hic animadverti, etsi Archiepiscopi Pallio hactenus non donati, inter cetera, non possint iure communi convocare concilia, concessum id tamen iis quandoque fuisse Apostolicae Sedis auctoritate. Huius autem rei, ut cetera praeteream, exemplum affert Concilii Provincialis Baltimorensis factum, anno 1829 habiti, quod Archiepiscopus Iacobus Whitfieldius nondum Pallio insignitus indixit, et habuit ex Apostolicae Sedis concessione. Ut vero de hoc celeberrimo Concilii IV Lateranensis canone loquendi finem faciamus; statui omnino debet, in eo perspicuum et solemne Ecclesiae decretum, Sede Apostolica probante, editum contineri, quo, memorato superius ordine, Patriarchales Sedes sunt numeratae, de qua re diu antea, et graves ob causas magna fuerat pertractata controversia.

Quae nunc attulimus, ostendunt etiam, ut opinor, quae sit, et quanta, quam iure canonico Pallium continet, auctoritas. Possemus vero exemplis pluribus demonstrare quanto semper in honore Episcopi habuerint Pallii de corpore D. Petri sumpti consequutionem. Sed ut omittamus reliqua, commemorabimus tantummodo hoc loco S. Malachiae quondam Armacani in Hibernia Archiepiscopi exemplum. Ostendit profecto eius vita a D. Bernardo scripta quanto studio ille voluerit ab Innocentio II Romano Pontifice pro se, pro Tuamensi, aliisque Hiberniae Archiepiscopis Pallium impetrare; id, quod eius in Galliam ad Innocentium II ob eam rem postulandam anno 1137 iter, et accepta a Pontifice Pallium concedendi promissio declarat, quem honorem Hibernis istis Archiepiscopis Eugenius III Romanus Pontifex impertitus est.

Sed non est hic impune praetereunda illa agendi, ac scribendi ratio Palmerii in opere de Christi Ecclesia, quod anno 1839 Anglice edidit.

Affirmat enim ex hoc facto patere, tum primum in Hiberniam Romanos Pontifices supremam potestatem suam exercere coepisse. Verum hoc, quod scriptor ille confidenter affirmat, prorsus cum Ecclesiastica Hiberniae historia pugnat.

Nam ut brevi res persuadeatur, atque ex certissimis historiae monumentis confirmetur, Hiberniae Clerum, ac Populum, ab ea aetate, qua S. Patritius ad illam gentem Christo comparandam a S. Caelestino I Romano Pontifice in Hiberniam saeculo quinto missus est, semper Apostolicae Sedis auctoritati devinctam omnino fuisse, haec primum generatim commemorabo, quae Ven. Beda habet lib. 2 cap. 3 hist. Angl. ad annum 635. « Porro, inquit, gentes » Scottorum, quae in Australibus Hi- » berniae insulae partibus morabantur, iamdudum ad admonitionem » Apostolicae Sedis Antistitis, Pascha » canonico ritu observare didicerunt.» Refert praeterea Beda lib. 2 cap. 19 Episcopos Hiberniae anno 640 ad Pontificem Severinum de eadem re scripsisse; et Hibernorum epistolae Ioannem IV electum Pontificem Severini successorem respondisse, quod responsum eo loco affert, cuius initium est: « Dilectissimis, et Sanctis- » simis Tomiano, Columbano, Cro- » mano etc. »

Neque vero ostendi tantummodo potest, a vetusta illa aetate, in eo solum capite universalis disciplinae, Hibernos secundum Romani Pontificis mentem se gessisse. Nam de aliis etiam Ecclesiasticis institutis omnibus eam semper fuisse apparet illius gentis agendi rationem, quae catholicorum in ceteris regionibus erat, atque esse debet, ut omnem, scilicet, erga Apostolicam Sedem observantiam exhiberet. Etenim in canonibus, qui ab Auxilio, Patricio, Secundino, et Benigno Episcopis conditi fuerunt, quique prout videri potest apud Waraeum, sunt antiquissimi, haec habentur: « Si quae quaestiones in hac » insula oriantur, ad Sedem Apostoli- » cam referantur.» In canonibus vero S. Cummiani, qui Scriptor Hibernus saeculo septimo floruit, apud Dacherium haec statuuntur: « Ut si, scili- » cet, fuerint causae maiores, iuxta » decretum Synodicum, ad Caput ur- » bium sint referendae. » Haec, ut apparet, ad Synodicum Sardicense decretum, atque ad Innocentii I Romani Pontificis de ea re Victrico Rothomagensi anno 404 scriptas litteras pertinent, prout in praelectionibus *Saeculi IX cap. 86* ostendimus.

His denique haec alia duo perspicua, et gravia testimonia adiungemus, quae rem, de qua agimus, luculentius confirmare possunt. Scilicet in epistola S. Columbani *de tribus Capitulis* ad Bonifacium IV Romanum Pontificem, qui anno 608 pontificatum suscepit, haec leguntur: « Nos enim, ut ante dixi, devicti » sumus cathedrae S. Petri. Licet » enim Roma magna est, et vulga- » ta, per istam cathedram tantum, » apud nos est magna, et clara; pro- » pter Christi geminos Apostolos vos » praecellentes estis; et Roma orbis » terrarum caput est, et Ecclesia- » rum. » Nescio profecto utrum clarius de singulari Hiberniae gentis erga Sedem Apostolicam devotione dici testimonium potuerit. Huius tandem, ut reliqua omittantur, unionis observantiae, ac devotionis est etiam manifestum testimonium in actis Synodi anno 680 a S. Agathone Romae habitae contra Monothelitas. Etenim haec in iis habentur: « Placuit haec » inferenda iubere. Wilfridus Epi- » scopus Eboracensis pro omni aqui- » lonari parte Britanniae, et Hiber- » niae insulis, veram et catholicam » fidem confessus est, et subscriptio- » ne sua corroboravit. » Haec vero omnia nisi gravissima sint ad demonstrandum, perpetuo ex tempore, quo S. Patricius Hiberniam catholicam reddidit, Episcopos, totumque Clerum Hiberniae, ac omnem illam gentem Sedi Apostolicae, et Romanis Pontificibus addictissimam, devinctamque fuisse; nihil erit, ut ar-

bitror, in Historia, quod monumentorum auctoritate evinci possit.

Est celeberrimus praeterea canon vicesimus primus Concilii IV Lateranensis Generalis, in quo de sacramentali confessione quolibet saltem anno facienda, et de Eucharistiae sacramento in Paschate saltem suscipiendo statuitur. Sunt autem haec Canonis istius verba: «Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur saltem semel in anno, proprio Sacerdoti, et iniunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter, ad minus in Pascha, Eucharistiae Sacramentum; nisi forte de consilio proprii sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum: alioquin, et vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur, et moriens christiana careat sepultura.... Siquis autem alieno sacerdoti voluerit iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, et obtineat a proprio sacerdote, cum aliter ille ipse non possit solvere, vel ligare. »

Animadvertendum est etiam hoc loco, idem Concilium Lateranense IV Generale canone I qui incipit *Firmiter,* et quo Fidei Catholicae expositio continetur, definivisse de Eucharistiae Sacramento, in eo Christi « Corpus, et Sanguinem sub speciebus panis, et vini veraciter contineri, *transubstantiatis* pane in Corpus, et vino in Sanguinem potestate divina. »

Audiendum est nunc ex Moshemii ore, ac verbis *in Inst. Hist. Eccl. Saeculi XIII part. 2 cap. 3* §. *2,* loco, scilicet, superius citato, quanam ratione de decretis istis Lateranensis Concilii, haec Ecclesiae dogmata respicientibus, haeretici obloquantur. « Religionem (Moshemius ait) Innocentius in Concilio Lateranensi, novis quibusdam dogmatibus, seu, ut vulgo loquimur, *fidei articulis* augebat. Nempe cum nondum una omnium, et eadem esset sententia de modo praesentiae Corporis, et Sanguinis Christi in sacra coena, nullaque clara, et evidenti lege definitum esset quemadmodum credendum esset, Innocentius illam opinionem, quae communis hodie est totius Ecclesiae Romanae, unice veram esse pronuntiabat, atque ipsum *Transubstantiationis* vocabulum antea ignotum consecrabat. Deinde credere iubebat, iure divino praeceptum esse, ut quilibet peccata sua Sacerdoti confiteatur, et enumeret; quod quidem antea nonnullorum doctorum, non vero publica Ecclesiae fuerat opinio. Ad hoc enim tempus, etsi peccatorum confessio necessaria putabatur, liberum tamen erat utrum Deo aliquis soli, et animo, an vero Sacerdoti, et ore, peccata confiteri vellet. Utrumque vero hoc dogma, pro divino, iubente Innocentio, receptum, multa peperit instituta, ac scita tam sacris libris, quam primae christianae rei aetati plane ignota, et ad mentes magis superstitione imbuendas, quam sanandas apta. »

Est perspicuum haec a Moshemio iactari ad haereticas, quibus addictus erat, sententias defendendas, minime vero ignotum ei fuisse, dogmata ista non a Concilio Lateranensi IV primum inducta, sed perpetuo catholicae Ecclesiae dogmata fuisse. Secus enim praeter damnatae doctrinae defensionem, summae etiam ignorantiae Moshemius ista confidenter effundens redargui posset. Non est vero instituti nostri, adductis ex S. Scriptura, atque ex perpetua Ecclesiae traditione, et decretis, utrumque dogma catholicum propugnare. Id autem sapientissimi Theologi invicte fecerunt, in quorum libris reperiuntur demonstrata ea omnia, quae ad catholicam de his dogmatibus Religionis nostrae doctrinam vindicandam spectare possunt.

Illud potius his haereticorum di-

cteriis refellendis erit hic opportunum, ut obiiciatur, videlicet, huic iactantiae, Ecclesiae universae auctoritas, qua demonstretur, quae fuerit quacumque Catholicae Religionis aetate, de his doctrinae capitibus eiusdem Ecclesiae sententia. Satis autem erit ad hoc efficiendum ad Concilii Tridentini decreta provocare, quae quidem praeter infallibilem, qua praedita sunt, auctoritatem, ostendunt etiam quid sapientissimi Patres exploratum habuerint in his rebus, ex universa depromptum veterum monumentorum inquisitione. Nam quanta sapientia, quantaque sedulitate ea omnia perpensa in synodo fuerint, quae decretorum materiam constituere poterant, satis aperte demonstrat Concilii eiusdem Tridentini ab Cardinali Pallavicinio praeclara litteris commendata historia.

Itaque ad dogma quod pertinet de *Transubstantiatione* panis in Corpus, et vini in Sanguinem D. N. I. C. in Eucharistia, ita docet Concilium Tridentinum *sess. 13 de Eucharistia cap. 4:* « Quoniam autem Christus » Redemptor noster, Corpus suum, » id, quod sub specie panis offerebat, » vere esse dixit; ideo persuasum » semper in Ecclesia Dei fuit, idque » nunc denuo sancta haec Synodus » declarat, per consecrationem panis, » et vini, conversionem fieri totius » substantiae panis in substantiam » Corporis Christi Domini Nostri, et » totius substantiae vini in substan» tiam Sanguinis eius; quae conver» sio convenienter, et proprie, a san» cta Catholica Ecclesia transubstan» tiatio est appellata. »

Atque haec quidem de dogmate Transubstantiationis. Nunc de sacramentalis confessionis doctrina, quae Concilium Tridentinum definierit rejeramus. Videlicet *sess. 14 de Poenitentia cap. 5* Synodus Tridentina haec habet: « Ex institutione Sacra» menti Poenitentiae iam explicata, » universa Ecclesia semper intellexit, » institutam etiam a Domino inte» gram peccatorum confessionem, et » omnibus post baptismum lapsis, » iure divino necessariam exsistere. » Haec vero probant non aliquorum Ecclesiae doctorum privatam hanc, sed universae prorsus Ecclesiae sententiam fuisse; neque in Ecclesia dubium, aut liberum umquam esse existimatum, num ad peccatorum post baptismum patratorum veniam consequendam satis esset Deo soli peccata ista confiteri.

Declarat praeterea Concilium Tridentinum eodem loco, quae recta, ut ita dicam, sive Moshemii, sive omnium quorumcumque huius generis scriptorum confutandis huiusmodi commentis gravissima sunt. Ait enim: « Cum a sanctissimis, et antiquissi» mis Patribus, magno, unanimique » consensu, secreta confessio sacra» mentalis, qua ab initio Ecclesia » Sancta usa est, et modo etiam uti» tur, fuerit semper commendata, » manifeste refellitur inanis eorum » calumnia, qui eam a iure divino » alienam, et inventum humanum » esse, atque a Patribus in Concilio » Lateranensi congregatis initium ha» buisse, docere non verentur. Ne» que enim per Lateranense Conci» lium Ecclesia statuit, ut Christi» fideles confiterentur, quod iure di» vino necessarium, et institutum » esse intellexerat, sed ut praece» ptum confessionis saltem semel in » anno ab omnibus, et singulis, cum » ad annos discretionis pervenissent, » impleretur. Unde iam in universa » Ecclesia cum ingenti animarum fi» delium fructu observatur mos ille » salutaris, confitendi sacro illo, et » maxime acceptabili tempore qua» dragesimae. »

Est quidem hominis proprium Lutheranae sectae addicti, ea ratione loqui, qua Moshemius loquitur de dogmate Transubstantiationis, veluti si, usque ad Concilii Lateranensis IV tempora, non constaret in Ecclesia de huius dogmatis certitudine. Sed apud catholicum quemque gravissimum theologum, qui de Eucharistiae Sacramento scripserit, apertissimam

ille reperiet huius placiti sui confutationem. Ex iis vero intelliget, hanc fuisse perpetuo Ecclesiae fidem, quam deinde Concilium Trident. sess. 13 de Eucharistia canone 2 sub anathematis poena propugnavit; in sacrosancto, scilicet, Eucharistiae Sacramento non remanere substantiam panis, et vini, una cum Corpore et Sanguine Domini nostri Iesu Christi, sed fieri mirabilem illam, et singularem conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis, et vini; quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime Transubstantiationem appellavit. Utile est inter cetera consulere opus eruditissimum, alio loco a nobis commemoratum, atque inscriptum: *La perpetuité de la foi de l'Eglise Catholique, touchant l'Eucharistie contre le livre du Sieur Claude ministre de Charenton.* In eo enim opere, dum constans, et perpetua Ecclesiae fides propugnatur de vera, reali, ac substantiali Corporis et Sanguinis Christi praesentia in Eucharistia, ostenditur etiam, hanc, quam diximus, perpetuam de Transubstantiationis mysterio fidem Ecclesiae fuisse. Legi quoque potest *epistola 7 et seqq.* Ioannis Francisci Mariae Lepappe Trevernii Episcopi Argentinensis tom. 1 operis inscripti: *Discussion amicale sur l'établissement, et la doctrine de l'Eglise Anglicane, et en général sur la Réformation,* ubi id, quod dicimus, etiam ipse manifeste evincit.

Ad alteram vero calumniae partem, quae respicit Confessionem sacramentalem, quam usque ad Concilii Lateranensis IV Generalis decretum, liberam fuisse Moshemius affirmat, « utrum Deo aliquis soli, et animo, » an vero sacerdoti, et ore fieri vel- » let; » in hoc etiam Theologi ostendunt perpetuam Ecclesiae doctrinam fuisse, quam Concilium Tridentinum sess. 14 de Poenitentia canone 6 anathemate inflicto asseruit, confessionem, videlicet, sacramentalem institutam, et ad salutem necessariam esse iure divino.

Habet autem Natalis Alexander dissertationem 14 *in saec. Eccl. 13 de Sacramentali Confessione,* qua dissertatione fuse, graviter, atque erudite, quatuor libros Ioannis Dallaei Calviniani contra catholicam hanc veritatem refellit. Illa possunt etiam consuli, quae pluribus in locis nos ipsi pertractavimus de ista re, scilicet *tom. 1 cap. 27 praelect. ex saec. tertio,* cum de controversia egimus Christianos in persequutione lapsos respiciente; vel *eodem tom. cap. 32* cum de poenitentia canonica disputavimus, ac Ioannem Georgium Walchium refutavimus contendentem, secretae sacramentalis confessionis originem ex publicae confessionis immutatione, vel abrogatione deducendam esse; et simul significavimus quanta sapientia Pius VI Pontifex Maximus anno 1784 condemnaverit librum a Ioanne Valentino Eybelio Vindobonae editum, atque inscriptum: *Quid continent documenta antiquitatis christianae de auriculari confessione;* quo libro ille effutiebat, confessionem hanc antiquitati incognitam fuisse, et posterius humanum inventum existimari oportere; vel denique cum eiusdem t. 1 c. 49 de Nectarii Episcopi Constantinopolitani facto Poenitentiarium Presbyterum abrogantis loquuti sumus, et nullum grave ex eo facto argumentum derivare posse evicimus ad denegandam Sacramentalis Confessionis divino iure institutam obligationem. Potest denique, ut cetera praetereamus, consuli opus I. A. Moehlerii ex germanico idiomate gallice redditum a F. Lachatio, cui inscriptio est: *La Symbolique, ou exposition des contrarietés dogmatiques entre les Catholiques, et les Protestants, d'après leurs confessions de foi publiques tom. 1 lib. 1 cap. 4,* quo loco de symbolis istis sacramenta respicientibus pertractavit.

Quae mox tradidimus, perspicuam continent memoratae calumniae con-

futationem. Quod spectat vero ad ea canonis memorati verba, Confessionem sacramentalem, saltem semel in anno, faciendam esse *proprio sacerdoti*, quo sensu ea sint intelligenda, digna est inter cetera, quae consulatur Natalis Alexandri *dissertatio 4 in saec. 13 de sensu canonis Omnis utriusque sexus;* qua dissertatione ostendit, ac propugnat eam sententiam, iis scilicet verbis designari Parochum, salva semper Summi Pontificis in toto orbe, et Episcoporum in suis dioecesibus auctoritate, ita ut, qui rite peccata sua, semel in anno ipsis, aut Presbyteris ad confessiones sacramentales excipiendas approbatis confessi fuerint, canoni *utriusque sexus* satisfecisse censendi sint.

Praecipitur etiam in canone illo, ut *ad minus in Pascha Eucharistiae sacramentum reverenter suscipiatur*. Audiendus autem est hoc loco Petrus Blesensis sermone 16, qui plures quasi gradus Eucharistiae suscipiendae frequentiae describit. « Nam in prima, inquit, Ecclesia » quotquot intererant consecrationi » Eucharistiae, communicabant eidem: postquam autem crevit numerus fidelium, nec omnes accedere ad Eucharistiam visum est, » statutum est, ut saltem diebus dominicis fideles communicarent. Cum » vero paleae subcrescentes coeperunt cooperire granum, et multorum refriguit charitas, decretum » est, ut saltem per tres solemnitates in anno fideles communicarent » in Paschate, Pentecoste, et Natali. » Nunc autem quia dies mali sunt, » et omnes fere declinaverunt, non » audeo dicere ex praecepto Ecclesiae, sed ex tacita permissione introductum est, ut semel in anno » congregentur in Ecclesia ad communicandum; quod praeterire fas » non est. »

Hoc autem Petrus Blesensis idcirco ait, *non audere se dicere ex praecepto Ecclesiae, sed ex tacita permissione introductum esse,* quia cum ille scriberet, celebratum adhuc non fuerat Concilium IV Lateranense Generale, quod anno 1215 habitum est. Nam floruit hic scriptor ab anno 1160, ad 1200, ac fuit primum canonicus Bituricensis, tum Bathoniensis in Anglia, deinde Londinensis Archidiaconus, et Archiepiscopi Cantuariensis Cancellarius, ac Regis ipsius Angliae Procancellarius. Debemus vero, ut arbitror, nobis in hac re multum gratulari, qui, licet magnum videamus ac teterrimum Religioni Catholicae bellum recenti memoria indictum fuisse, sacramentorum tamen frequentiam permagnam esse conspicimus, et hoc esse in more positum apud benemoratos quosque catholicos, ut sacramentum poenitentiae atque Eucharistiae magna frequentia suscipiant.

CAPUT XXV.

DE CONCILIO LUGDUNENSI I GENERALI, SEU OECUMENICO XIII.

Cum alia praecipua, quae huius saeculi historiam Ecclesiasticam respiciunt, peculiari loco simul exponere statuerimus, ut quae ad rerum hac aetate gestarum notitiam imprimis opportuna sunt, in his praelectionibus non desint; nunc de duobus aliis Conciliis generalibus, quae hoc eodem saeculo celebrata fuerunt, agendum putamus. Itaque Innocentius IV, qui antea Sinibaldus Fliscius praeclaro genere Genuae natus, an. 1243 Pontifex Maximus creatus fuerat, anno 1245 Concilium Generale Lugduni habuit, quod Oecumenicum XIII dici solet.

Hoc Concilium ab Innocentio IV Pontifice indictum ita fuerat, ut illius celebrandi praefinita esset festa dies S. Ioannis Baptistae, prout constat ex epistola eiusdem. In brevi autem notitia huius Concilii, quae

legitur in collectione Harduini, habetur: « Cum Dominus Innocentius » Papa IV ad partes Galliae propter » multa pericula, quae imminebant » Generali Ecclesiae, se transtulis- » set, Concilium advocavit apud Lug- » dunum, et in Vigilia Petri Apo- » stoli, Concilio convocato, in maiori » Ecclesia, Dominus Papa, missa ce- » lebrata, locum eminentiorem ascen- » dit. Imperator vero Constantinopo- » litanus sedit ad dexteram, et qui- » dam alii principes Graeci sederunt » ad sinistram, et Diaconus Cardina- » lis Vicecancellarius magister Mar- » tinus Neapolitanus cum Notariis, » Auditore, et Correctore, Capella- » nis, Subdiaconis, et quibusdam » aliis. Inferius vero sic Praelati se- » derunt. Ex opposito tres Patriar- » chae, Constantinopolitanus ad dex- » teram, Antiochenus, Aquileiensis; » licet de Aquileiensi contentio orta » sit, tamen illum locum obtinuit. » Imperator Constantinopolitanus, » qui aderat, Balduinus erat, cum » quo etiam interfuit Raymundus » Comes Tolosanus. » Ex eadem notitia habemus, numerum Praelatorum fuisse 140, etsi nullus ex Germania ob Friderici causam adfuerit.

Constat vero ex eadem notitia quid in eo Concilio sit gestum. Nam ibi refertur: « Tunc Dominus Papa » incepit *Veni Creator Spiritus,* et » illo hymno communiter ab omnibus » decantato, dixit *Dominus vobis- » cum*, et responderunt omnes: *et » cum spiritu tuo. Oremus.* Aegidius » Cardinalis dixit *flectamus genua;* » Octavianus respondit *levate:* et sic » dixit Dominus Papa propriam ora- » tionem, qua dicta, Galeatius Ca- » pellanus incepit Litanias; iis ex- » pletis et dicta a Pontifice oratio- » ne, idem Innocentius sermonem in- » stituit, desumpto argumento ex » verbis illis: *secundum multitu- » dinem dolorum meorum in corde » meo consolationes;* explicavit au- » tem dolores quinque. Primum de » deformitate Praelatorum, et Sub- » ditorum. Secundum de insolentia » Saracenorum, qui dicebantur Hie- » rusalem occupasse, et evertisse se- » pulcrum Domini. Tertium de schi- » smate Graecorum, praesertim cum » Graeci schismatici regiones circa » Constantinopolim vastarent, et urbi » ipsi imminerent. Quartum de sae- » vitia Tartarorum, qui Hungariam » occupaverant, nec Christianorum » ulli pepercerant. Quintum de per- » secutione Friderici Imperatoris. »

Post haec autem adducta apparet, quae huius Concilii celebrandi causae fuerint. Ut memoratis enim dolendi rationibus Pontifex mederetur, Concilium haberi debere declaravit. Itaque Pontifex sermone finito iussit legi litteras, quibus multa Fridericus Ecclesiae promiserat, sed non servaverat. Thaddaeus de Suessa Imperialis Curiae iudex Imperatoris partes patrocinatus studuit illum excusare. Sed Pontifex ipse Thaddaeum refutavit. Atque ita primae sessioni finis impositus est.

Quae in secunda sessione gesta sunt, ea ferme omnia referuntur ad accusationes contra Fridericum ab Episcopis allatas. Deinde ut prorogaretur tertia sessio, vehementer laboravit Thaddaeus, asserens Imperatorem ipsum Concilio adfuturum. Itaque Pontifex eam prorogavit. Sed ubi constitit Imperatorem non venire, sessionem habuit, « in qua ordi- » navit octavam Nativitatis Beatae » Mariae Virginis Sacro Concilio ap- » probante; » quod scilicet celebrandae eius octavae votum emiserant Cardinales post Caelestini IV mortem, cum Pontificis electio a Friderico impediretur; « deinde Dominus » Papa, prout in eadem notitia con- » tinetur, quasdam constitutiones, » quae pro recuperatione Terrae San- » ctae, ac alias, quae pro subsidiis » Romani Imperii, et etiam alias, » quae contra Tartaros factae fue- » rant, fecit legi. » Quibus verbis canones intelliguntur, seu capitula 17 quae exstant, et isti narrationi subiiciuntur.

Sunt autem haec, quae materia

his canonibus subiecta comprehenduntur. Videlicet primus, secundus, et octavus canones agunt de rescriptis. Tertius de electione et electi potestate. Quartus de officii potestate iudicis delegati. Quintus de iudiciis. Sextus de litis contestatione. Septimus de dolo, et contumacia. Nonus de eo, qui mittitur in possessionem causa rei servandae. Decimus de confessis. Undecimus de appellationibus, et recusationibus. Duodecimus de sententia excommunicationis. Decimus tertius de usuris. Decimusquartus de subsidio Imperii Constantinopolitani. Decimusquintus, ut Praelati suos subditos excitent ad sacrum bellum iuvandum. Decimus sextus contra Tartaros, ut qui Poloniam, Russiam, et Hungariam infestabant, coercerentur. Ultimus de Cruciata. Non defuerunt qui arbitrati sint, non omnia haec in eadem sessione confecta esse, sed quod in illa essent lecta, et Patrum approbatione firmata, ideo eo loco posita fuisse. Praeter haec in eadem notitia refertur, omnia Ecclesiae Romanae privilegia Pontificem explicare fecisse, idest authentica forma conscribi, et Praesulum omnium, qui aderant, sigillo obsignari.

Haec quidem, quae cursim significavimus, ostendunt luculenter ex ipsa inscriptione sua, quantae sint gravitatis ea rerum capita, de quibus Concilium hoc Generale Lugdunense I decreta sua condidit; et quot fuerint in eodem Concilio statuta, quae ad ecclesiasticam praesertim iurisprudentiam illustrandam spectant. Commentaria vero quae a doctissimis viris de his decretis scripta sunt, demonstrant quanta sapientia ea fuerint a Concilio constituta. Non est autem necesse hic iterum referre, quae alio loco de sacris expeditionibus agentes ostendimus, ut appareat quam iusta de causa Concilium Lugdunense decreta fecerit de imperio Constantinopolitano iuvando, et de Palaestina a Paganorum potestate liberanda. Etenim quae tunc pertractavimus, evincunt, quantum Religionis, et civilis etiam Reipublicae interesset, eam urbem, et Terram Sanctam tueri. Neque minoris erat momenti, regiones alias, de quibus Concilium egit, ab iis periculis arcere, in quae incursiones Barbarorum, illas, ac Religionem in iisdem obtinentem adduxerant. Itaque ista tantummodo significasse satis erit, ut debita propter decreta superius memorata Concilio laus tribuatur.

Quod spectat vero ad Friderici Imperatoris causam, qui in Concilio iterum anathemate mulctatus est, et ab imperio depositus; superius cap. 20 iam significavimus, quam mala fuerit Friderici agendi ratio; quamobrem a Gregorio IX Pontifice iam excommunicatione perculsus, et ab omnibus veluti publici boni, atque Ecclesiae persequutor habitus est. Legendus vero inter ceteros Raynaldus ad annum 1245, quo loco fuse de tota hac re in Concilio gesta pertractat, atque inde apparebit quanto numero, et quam gravia Fridericus patraverit, ut ad memoratam sententiam contra eum ferendam deventum sit, quae ubique deinde iustissima reputata est.

Est vero audiendum ab Innocentio ipso in epistola ad Monachos Cistercienses quomodo res in Concilio discussa, ac pertractata fuerit; eam autem epistolam, quam Parisius habet in Hist. Angl., refert Raynaldus l. cit. n. 69. « Non vos moveant, In-
» nocentius ait, imperitorum, et ve-
» ritatis ignarorum, precamur, oblo-
» quia, ut a nobis, quasi praecipi-
» tanter putetis, et absque deliberato
» Fratrum Nostrorum, et multorum
» peritorum moroso consilio contra
» ipsum Fridericum fuerit sententia-
» tum. Non enim meminimus umquam
» causam cum tanta deliberatione,
» et diligenti examinatione fuisse
» excussam, et peritorum atque san-
» ctorum mentibus libratam exstitis-
» se; adeo, quod in secretis aliqui
» fratrum nostrorum induerunt per-
» sonam Advocati pro ipso, aliqui

» autem personam adversantis; ut » ex obiectionibus, et responsionibus » inquirentium, et disputantium, ut » solet in scholis, causae veritas ra- » dicitus, hinc, indeque discuteretur. » Nec aliquam viam invenimus sine » Dei iniuria, et gravi eius offensa, » et Ecclesiae eiusdem laesione, et » nostrarum conscientiarum vulnere, » aliter procedendi, quam ut proces- » simus, licet inviti; et eiusdem lae- » soris miseriae condolentes. Parati » igitur sumus in hac causa, et pro » illa usque ad mortem stare, et pro » ea, et in ea tam omnes fratres no- » stri, quam nos mori immutabiliter » pro causa Dei, et eius Ecclesiae di- » micantes. » Haec, et alia, quae ad hanc ipsam rem confirmandam afferri possent testimonia, ostendunt luculenter, negotium totum post permagnam in Concilio peractam deliberationem absolutum fuisse. Legi vero potest Natalis Alexandri dissertatio 5 in Hist. Eccl. saec. 13 de hac re; legenda praeterea sunt hoc loco, quae in opere suo pluries citato scripsit de materia ista tota eruditissime cl. Gosselinius.

Animadverti hic illud quoque potest, in sententia ista contra Fridericum pronuntiata, quam Raynaldus totam affert, licet gravissima omnia, quorum reus Fridericus evaserat, crimina, ac scelera recenseantur, nihil tamen ibi dici, ex quo colligi possit, Fridericum scelestissimi illius, atque impii consilii reum iudicatum fuisse, ut illi libro assentiri potuerit, qui scriptus dicitur *De tribus Barattatoribus, seu de tribus impostoribus*, qui totum mundum deceperint, inter quos D. N. I. C. per summum nefas numerari debeat. Hanc accusationem ipse Fridericus antea a se reiecerat. Consulendus vero est eruditissimus Hieronymus Tiraboschius Tom. 4. *Historiae Litteraturae Italicae,* loco ubi de *Petro de Vineis* pertractat. Refert memoratus hic praeclarus vir scriptores, qui hanc rem illustrarunt. Ostenditur autem ex iis, neque Fridericum, neque Petrum de Vineis gente Capuanum, qui ingenio, ac doctrina ex infimi generis conditione ad illustrem in Friderici aula gradum perductus est, et summa apud Principem gratia, atque auctoritate valuit, huius libri, cuius exsistentia quoque dubia plurimum est, scriptorem fuisse. Hoc autem opportunum est notare, quia, si Petrus de Vineis posset existimari istius libri scriptor, haec accusatio posset fortasse quoque in ipsum Fridericum reverti. Adiungi etiam debet, Petrum de Vineis pro Friderico ad Concilium Lugdunense venisse.

Antequam de Concilio Generali Lugdunensi I finem loquendi faciamus, restat illud quoque commemorandum, quod respicit Innocentii IV factum, qui in eodem concilio statuit, ut *rubro galero,* seu rubeo pileo S. R. E. Cardinales ornarentur. Id, inter ceteros, memoriae prodidit Nicolaus de Curbio, qui praesens adfuit, in memorati Pontificis Innocentii IV vita cap. 21. «Interim, in- » quit, Pontifex post Concilium (Lug- » dunense scilicet Generale), anno » secundo (hoc est proximo, nam » mense Novembri an. 1246 Innocen- » tius cum S. Ludovico IX Francorum » Rege colloquium Cluniaci habuit), » Cluniacum ivit cum Rege Franciae, » et ipsius fratribus loquuturus, ubi » Domini Cardinales capellos rubeos » receperunt, sicut in ipso concilio » fuerat ordinatum.» Agit vero erudite de insigniis istis purpureis, quibus S. R. E. Cardinales ornati sunt, praeter ceteros scriptores, Ludovicus Thomassinius *De veteri, et nova Ecclesiae disciplina* tom. 1 part. 1 lib. 2 cap. 113, ubi ostendit quanto iure, his illustribus ornamentis Cardinalatus amplissima dignitas praedita sit, ac refert etiam quae ad alias purpureas, sacrasque vestes, quibus induuntur Cardinales, spectant. Atque ut ostendat, nonnisi per iniuriam de hoc ornamentorum splendore detrahi posse, inter cetera, quae profert, exemplum etiam affert ex S. Caroli Borromaei vita desumptum, qui «pur-

» puram suam spectabat veluti incitamentum ad martyrium. Immo » Cardinalibus ipse aliis inusitatos » illos honores exhibebat, sibique ab » aliis exhiberi volebat, qui vulgo » eis impenduntur ab Optimatibus » etiam, Principibusque, ut vel Prin» cipes, et Reges ipsi, Christum, » Christique Ecclesiam in suis mini» stris tanto religiosius venerarentur. » Vir autem sanctissimus, et tum alio quolibet virtutum genere, tum humilitate cordis, ac demisse de se sentiendi spiritu praeclarus, intelligebat profecto, ornamentorum istorum splendorem cum christianae perfectionis, qua ipse excellebat, institutis componi posse.

Fuse Thomassinius praeterea memorato libro, cap. 113, 114, 115, 116 de Cardinalatus eminentissima dignitate pertractat, et quae ille disputat, tum ad alia plura de ea re, tum ad id praesertim sunt opportuna, ut intelligatur, iure Cardinales Romanae Ecclesiae, non modo Episcopos, sed Presbyteros etiam, atque Diaconos, superiorem in Conciliis quoque Generalibus locum, et gradum obtinere ante ceteros quosque Episcopos, prout in Concilio I Lugdunensi Oecumenico, atque in posterioribus factum esse videmus. Ad hanc autem rem evincendam, dignus est, praeter ceteros, ut legatur eruditissimus Franciscus Antonius Zaccaria in *Antifebronio* parte 2 lib. 5 cap. 2, quo loco docte, graviterque Febronium ipsum refellit, qui non solum improprie, atque imperite de Cardinalatus origine, et Cardinalitiae dignitatis amplitudine scripserat cap. 2 operis sui *de statu Ecclesiae* etc., sed etiam conquestus erat de hac, quam Cardinales obtinent super Episcopos praeeminentia. Ostendit videlicet Zaccaria quam iuste id Cardinalibus competat, qui prout Card. Bellarminus animadvertit *lib. 1 de Clericis cap. 16,* soli sunt atque exclusivi Romani Pontificis Electores, quique sub Pontificis Maximi auctoritate, sacrum Ecclesiae Senatum constituunt, atque ad decernendum de praecipuis Ecclesiae negotiis, et ad ipsas Episcoporum causas iudicandas a Summo totius Ecclesiae capite adsciscuntur.

Haec, quae breviter significavimus, confirmantur perspicue Benedicti PP. XIV auctoritate ac testimonio lib. 3 de Syn. Dioecesana cap. 10 n. 1. Nam postquam de gradus praecedentia Episcopis ubique generatim tribuenda loquutus esset Pontifex, hac ratione de Cardinalibus sermonem suum prosequutus est: « Aliud » est de Synodis, inquit, sive Gene» ralibus, sive Nationalibus, quibus » una cum Episcopis simul intersint » S. R. E. Cardinales. Hi siquidem, » etsi Episcopali careant charactere, » ob eorum tamen officii, ac digni» tatis praestantiam, Episcopis prae» feruntur, supra quos sedisse legi» mus in Concilio Lugdunensi I sub » Innocentio IV, in cuius actis ha» betur tom. 7 Collectionis Harduini » col. 378: *Ad dexteram, et in emi» nentioribus locis sederunt Episco» pi Cardinales, ex altera vero Pre» sbyteri Cardinales, Archiepiscopi, » et Episcopi post eos.* In Concilio » quoque Lugdunensi II anni 1274 » sub Gregorio X omnibus antelatos » Episcopis, et Metropolitis legitur » *apud Raynaldum ad eundem an» num n. 3.* Eandemque loci praero» gativam Cardinalibus delatam in » Concilio Florentino ex eiusdem » actis liquet.... Nec mirum est, Car» dinalibus, qui supremi Ecclesiae » Moderatoris Consiliarii sunt, eique » tamquam membra suo capiti adhae» rent, hanc tribui praeeminentiam, » quum in Ecclesia Constantinopo» litana eandem obtinuerint septem » Diaconi Cruciferi; quin immo etiam » Syncelli, hoc est, simplices Clerici, » aut Monachi, familiares, et com» mensales Patriarchae, qui loco su» periori in Synodis sedebant, quem» admodum ad rem observat Chri» stianus Lupus *in schol. et not. ad » can. Concil. tom. 2 pag. 1474, et » tom. 3 pag. 441.* Durum nihilomi-

» nus visum est Henrico Archiepi-
» scopo Cantuariensi, sibi regni pri-
» mati, atque Apostolicae Sedis Le-
» gato nato iuxta text. *in cap. 1 de*
» *offic. Legat.* anteponi *Ioannem*
» *Kemp* Archiepiscopum Eboracen-
» sem ab Eugenio IV purpura de-
» coratum, cui propterea cedere re-
» cusavit. Verum quum excitatam ab
» Henrico de praecedentia quaestio-
» nem resciverit Pontifex, litteris ad
» eundem datis, primum in sedendo
» locum honoremque supra quosvis
» Episcopos et Archiepiscopos Cardi-
» nali adiudicavit; quae quidem Eu-
» genii litterae, in quibus Cardina-
» litiae dignitatis eminentia summo-
» pere celebratur, referuntur *a Ray-*
» *naldo ad an. 1439 n. 40,* a Car-
» dinali Iacobatio *De Conciliis lib. 1*
» *pag. 35,* exstantque *Bullar. Rom.*
» *pag. 21 tom. 3 parte 3.* Latae ta-
» men ab Eugenio sententiae non
» acquievit Archiepiscopus Gnesnen-
» sis Regni Poloniae Primas, qui
» paucis post annis, idest anno 1449
» in comitiis Petricoviensibus, de loci
» praerogativa contendit cum Cardi-
» nali *Sbigneo* Episcopo Cracoviensi,
» quam tamen Nicolaus V iterum
» Cardinali asseruit, ut narrat cita-
» tus *Raynaldus ad an. 1449 n. 8;*
» quumque Archiepiscopus ad Regem
» provocasset, negavit Rex, se posse
» causam pertractare, quam Summus
» Pontifex sua sapientia terminave-
» rat, sicut prosequuntur *Spondanus*
» *ad eund. an. n. 14, et Cromerus l. 22.*

CAPUT XXVI.

DE CONCILIO LUGDUNENSI GENERALI II, SEU OECUMENICO XIV.

Cum Pontifex Maximus B. Gregorius X esset, habitum est, an. 1274 Lugduni II Generale Concilium, quod Oecumenicum XIV fuit. Indictum est ab eodem Pontifice, prout probant litterae plures ab eo ad illud convocandum scriptae.

Constituerat vero Pontifex die prima Maii anno 1274 Concilii initium fieri debere; sed prima sessio die 7 eiusdem mensis habita est. Gregorius autem tres attulit causas Concilii huius convocandi in alloquutione, quam coram Patribus habuit. « Pro subsidio scilicet Terrae
» Sanctae, et super unione Graeco-
» rum, et super reformatione mo-
rum; » prout dicitur in notitia, seu actis eiusdem Concilii. Ptolemaeus Lucensis in Hist. Eccl. lib. 23 c. 3 narrat: « Numerus Praelatorum, qui
» interfuerunt concilio, fuit quingen-
» torum Episcoporum, Abbatum se-
» ptuaginta, aliorum Praelatorum
» mille. »

Ad concilium illud veniebat etiam praeclarum aetatis suae, sanctitatis et sapientiae lumen D. Thomas Aquinas, de quo Ptolemaeus idem cap. 8, « Recedens, inquit, de Neapoli, ubi
» degebat, et veniens in Campaniam,
» ibidem graviter infirmatur, et quia
» prope locum illius, nullos conven-
» tus Ordinis Praedicatorum habebat,
» declinavit ad unam solemnem Ab-
» batiam, quae dicitur Fossam No-
» vam, et quae Ordinis erat Cister-
» ciensis, in qua sui consanguinei,
» Domini de Ceccanio erant Patroni,
» ibique sua aggravata est aegritudo,
» unde cum multa devotione, et men-
» tis puritate, et corporis, qua sem-
» per floruit, quamque ego probavi,
» quamque novi, qui suam saepe con-
» fessionem audivi, ac ipsius auditor
» fui, ex hac luce transiit ad Chri-
» stum. » Ait etiam, monachos tradere, illum ante mortem « recitasse
» symbolum, et doctrinam suam ex-
» posuisse in manus Romanae Eccle-
» siae. »

Summus vir alius, doctrina simul et sanctitate praeclarus ad Concilium vocatus est D. Bonaventura, atque is, vel a prima Concilii sessione iam Cardinalis erat, et inter

Cardinales sedebat. Nam in memorata superius notitia refertur: « In » sedibus aliis a latere dextero Pon» tificis sederunt Domini Ioannes » Portuensis, et S. Rufinae, Petrus » Tusculanus, Vicedominus Praene» stinus, Fr. Bonaventura Albanen» sis, Episcopi Cardinales. » Verum cum gravissimo Reipublicae Christianae detrimento, atque in magno bonorum omnium dolore, idem S. Bonaventura ad quintam Concilii sessionem decessit. De qua re in eadem notitia post narratam quartam sessionem haec leguntur: « Eodem « anno et mense, die dominico 15 « eiusdem, hora matutinali obiit « clarae memoriae Fr. Bonaventura » Albanensis Episcopus, qui fuit homo » eminentis scientiae et eloquentiae, » vir sanctitate quidem praecipuus, » qui sepultus est ipso die dominico, » in loco Fratrum Minorum Lugduni, » cuius exequiis interfuit Dominus » Papa cum omnibus Praelatis, qui » erant in Concilio, et tota Curia, » et Fr. Petrus Ostiensis Episcopus » celebravit Missam, etc. »

Quae vero Sixtus IV et V affirmarunt, S. Bonaventuram praefuisse Concilio, ea de privatis, non de publicis sessionibus, et conciliaribus intelligendum esse, bene admonuit Wadingus, cum his Gregorius ipse Papa praefuerit.

Prout significata superius notitia, seu Acta Concilii continent, Synodus habita est « in maiori Ecclesia » S. Ioannis, iniuncto prius quinta die » ante sessionem, scilicet secunda » eiusdem mensis omnibus Praelatis, » et Capellanis ieiunio triduano. » Absolutum vero fuit sessionibus sex. In prima sessione praemissis precibus allocutus est Patres Gregorius, et sequentem sessionem indixit. In secunda sessione habita die 18 Maii, « Lectae sunt constitutiones (ait no» titia) pro zelo fidei, et licentiati » sunt omnes Procuratores Capitu» lorum, ac Abbates, et Priores non » mitrati, exceptis illis qui fuerunt » nominatim ad Concilium evocati.» Inter primam et secundam sessionem, Gregorius Praelatis divisim apud se congregatis, proposuit, et obtinuit, decimas redituum Ecclesiasticorum ad sex annos. Haec autem, quae acta Concilii memorant, subsidia, praesertim tributa sunt ad Terrae Sanctae causam, defensionemque prosequendam. Ante diem vero sequentis sessionis acta subdunt: « Hieronymus, » et Bonagratia Ordinis Minorum, » qui Nuncii missi fuerant pro Ro» mana Ecclesia ad Graecos, mise» runt quasdam litteras Domino Pa» pae de quibus multum gavisus est.» Hae vero litterae eo praesertim referebantur, quod legati isti nuntiarent, se quamprimum esse Lugdunum adventuros, atque una secum adesse Graecorum Nuncios, qui verbo, ac litteris suam erga Romanam Ecclesiam observantiam contestarentur, et concordiam cum Ecclesia Latina, Michaelis Palaeologi Imperatoris, atque Graecorum Praesulum nomine instaurarent. Habuit vero D. Bonaventura orationem ad Synodum de ea re. Wadingus ad annum 1274 fuse de his, inter ceteros, pertractavit.

Die septima Iunii anno 1274 tertia sessio celebrata est, in qua Constitutiones aliquae lectae, et Pontifex « dedit licentiam omnibus Praelatis, » quod possent exire Lugdunum, et » elongare se usque ad sex leucas; » diem alterius sessionis non prae» fixit propter dubium adventum » Graecorum. » Etenim prope diem adventuri erant Imperatoris Graecorum Legati; qui tandem die 24 eiusdem mensis Lugdunum ingressi sunt. Iis vero « Praelati omnes ob» viam facti, deduxerunt eos ad Pa» latium Papae; ab eodem Papa stante » in aula cum omnibus Cardinalibus, » et multis Praelatis ad pacis oscu» lum honorifice sunt recepti, et iis » repraesentarunt litteras Impera» toris Graecorum bullatas bulla au» rea, et alias litteras Praelatorum; » et dixerunt, quod veniebant ad » omnimodam obedientiam Sanctae » Romanae Ecclesiae, et ad recogni-

» tionem fidei, quam ipsa Ecclesia » tenet, et primatum ipsius. » Quae omnia in recensitis Concilii actis leguntur.

Quid vero deinde gestum in Concilio sit, ex iisdem actis referemus. Die scilicet 28 « In festo Sanctorum » Apostolorum, Dominus Papa celebravit in maiori Ecclesia S. Ioannis Lugdunensis coram omnibus » Cardinalibus et Praelatis Concilii. » Lecta est epistola, in Latino, et » Graeco, et cantatum Evangelium » per Dominum Ottobonum in latino, et quendam Diaconum Graecorum, in habitu, in quo Graeci » solent cantare in Graeco. Postea » vero cantatum est symbolum in » Latino incipientibus Cardinalibus, » et Episcopis, qui sicut Cantores, » seu Primicerii, tenuerunt chorum » in cantu, et prosequentibus Canonicis eiusdem Ecclesiae. Post hoc » vero praedictus Patriarcha, cum » omnibus Graecis Archiepiscopis de » Calabria, et Poenitentiariis Domini » Papae, qui linguam Graecam noverant, cantaverunt solemniter in » alta voce praedictum symbolum, » et quando ventum est ad articulum » illum, *qui a Patre Filioque procedit,* solemniter, et devote ter cantaverunt.» Praeterea subdunt acta, Patriarcham, Archiepiscopos, et Logothetam cum aliis cantasse graece laudes solemnes Papae; Missam vero per Papam fuisse completam stantibus Graecis iuxta altare. Haec vero omnia erat opportunum adnotare, ut ritus in solemni Pontificis Maximi Missa servari solitus, legendi, videlicet, epistolam, et evangelium latine, et graece, intelligatur luculentius quantae sit gravitatis, et vere Graecos ad unitatem catholicam revertentes, hunc ritum grato animo sequutos esse, quo suam cum Ecclesia Latina concordiam, et erga Pontificem Maximum observantiam solemni ratione contestarentur. His vero gestis, cum die 3 Iulii absoluta fuisset causa Henrici Geldrensis Episcopi Leodiensis, qui, Pontificis decreto, ob gravissimas causas Episcopatu secundum canones privatus est; id quod etiam de Friderico Abbate S. Paulli in Urbe statutum fuit; die 5 Iulii « Nuncii Tartarorum Regis » repraesentaverunt se Domino Papae in camera sua, exsistentibus ibi » omnibus Cardinalibus, et multis » Praelatis, quibus etiam familia Cardinalium, et Praelatorum de mandato Domini Papae obviam exierunt. »

Cum dies octava esset Sanctorum Apostolorum, quarta sessio habita est, « sedentibus Legatis Imperatoris Graecorum a latere dextero post » Cardinales. Papa narravit, Graecos » libere venire ad obedientiam Romanae Ecclesiae nihil temporale » petendo, de quo multum dubitabatur. »

Quae gesta sunt in hac sessione post Legatorum adventum, ea spectant praecipue ad rationem explicandam, qua, solemni decreto, unio Graecorum cum Romana Ecclesia restituta est. Constabat vero, tum ex rebus antea a Latinis, praesertim sub Gregorio IX, de isto tam gravi negotio cum Graecis pertractatis; tum ex litteris Michaelis Palaeologi Imperatoris, et Graecorum Antistitum; tum denique iuramento a Legatis iurato, Graecos veram Romanae Ecclesiae fidem de Spiritus sancti processione etiam a Filio, Primatum iurisdictionis Romani Pontificis, ac reliqua omnia doctrinae catholicae capita credere, et accipere, et schisma, quo usque ad illud tempus Ecclesia afflicta fuerat, detestari. Itaque tunc solemniter unionis restitutio proclamata, ac sancita est, et in permagna Concilii totius gratulatione, a Pontifice oratione habita, Deo Optimo Maximo gratiae actae sunt. Abstineo ab his confirmandis facta testimoniorum recitatione. Essent enim ferme tota huius sessionis acta referenda, si haec quae significavi, testimoniis singillatim allatis demonstrari oporteret.

Scilicet cum Graecis B. Grego-

rius X, et Concilium Lugdunense II ita egit, quemadmodum Ecclesiam Latinam semper id egisse docet Benedictus XIV in celeberrima Encyclica, seu Constitutione sua, cuius initium est *Allatae sunt* diei 26 Iulii 1755 tom. 4 Bullarii eiusd. n. 48. Inquit autem Pontifex: « Ecclesiasti-
» cae historiae ignarum se proderet,
» qui nesciret, ita cum Orientalibus
» unionem peractam, firmatamque
» fuisse, ut dogma processionis Spi-
» ritus sancti a Patre et Filio re-
» ciperent, atque adeo licitam fuisse
» admitterent additionem vocis *Fi-*
» *lioque* factam symbolo, ut panem
» non minus fermentatum, quam azy-
» mum, Sacramenti Eucharistiae ma-
» teriam esse faterentur; ut dogma
» Purgatorii, visionis beatificae, ac
» Primatus Romani Pontificis ample-
» cterentur; uno verbo omnem cu-
» ram collatam fuisse, ut errores ca-
» tholicae fidei adversi evelleren-
» tur, numquam vero id actum esse,
» ut venerabili Orientalium ritui de-
» trimentum ullum inferretur. »

Consideranti vero ea omnia, quae ante Concilii Lugdunensis II celebrationem gesta sunt in ista causa, et quae cum Concilium haberetur, circa negotium istud evenerunt; apparet facillime, quam sint a veritate facti aliena, quae Potterius affirmat *tomo 2 de Ecclesiae spiritu* etc. *cap. 20;* quo loco universam istam restitutam cum Ecclesia Latina concordiam tribuit timori, quo Michael Palaeologus perculsus fuerit ob cruciatas expeditiones, quo metu adductus, id omne sibi faciendum esse iudicaverit, quod Gregorio X Pontifici Maximo placere posse intellexisset. Bella enim cruciata non poterant timoris eiusmodi causam ullam Imperatori Graeco afferre. Deinde ad concordiam ineundam, de qua diu antea disputatum fuerat, ventum tandem est post diuturnas Pontificis Maximi curas, ac labores. Quod si deinde Graeci promissis non steterunt, id non probat, eo tempore, quo concordiae restitutio decreta est, sine metu, et cum omni, quae requirebatur, libertate, negotium pertractatum non fuisse. Praetereo quae memorato loco Potterius dicit de Spiritus sancti processione. Ita enim Potterius loquitur in re perspicua, ut nisi dici debeat, eum Catholicae Ecclesiae fidem de hoc dogmate impugnare; necessario prorsus sequeretur, eundem scriptorem in summa rei, de qua confidenter loquitur, ignoratione versari.

Quid praeter negotium de Graecorum unione cum Ecclesia Latina restituenda peractum sit in memorata quarta Concilii Lugdunensis II sessione, continetur in actis, de quibus supra mentionem fecimus. Hoc est, de Legatorum adventu Abaghae Regis Tartarorum Gregorius Synodum certiorem fecit: « Dominus Pa-
» pa alloquutus est Concilium pau-
» cis verbis, et dixit inter alia, qua-
» liter Rex Tartarorum misit Nun-
» cios cum litteris ad eum, et Con-
» cilium, qui Nuncii stabant ad op-
» positum Domini Papae ad pedes
» Patriarcharum; et mandavit legi
» litteras ipsius Regis Tartarorum
» per quendam Capellanum. » Non est necesse, adductis monumentis ostendere, Legatos istos a Rege Abagha missos non fuisse fidei causa; sed quod optaret Rex foedus cum Christianis inire. Hoc enim manifeste continent litterae ipsae ab Rege scriptae, et Gregorii X ad Abagham epistola post Concilium absolutum missa, quae apud Labbeum, et Harduinum legi possunt. Quae vero apud Tartaros, iis, de quibus nunc loquimur, proximisque temporibus circa Religionem evenerint, Raynaldus, et Spondanus, aliique Scriptores referunt. Ex his autem Regis Tartarorum Legatis unus, et eiusdem socii duo, a Petro de Tarantasia Ordinis Praedicatorum, tunc Episcopo Ostiensi, qui deinde Innocentius V Pontifex Maximus fuit, die 16 Iulii, antequam quintae Sessionis initium fieret, solemniter baptizatus est, quibus Pontifex, prout in actis legitur,

« fecit fieri vestes de scarlato, seu » quisquiliatas more Latinorum.»

Cum vero in quarta Sessione lectae fuissent Regis Tartarorum litterae, « Dominus Papa iterum allo» quutus est Concilium paucis ver» bis, et indixit aliam Sessionem » (quintam videlicet) ad diem Lu» nae undecimam (nonam legi debet) » eiusdem mensis, et aliam ad diem » Martis sequentis, non tamen prae» cise, quia dixit, si commode posset, » in quo dixit se debere finire Con» cilium, et sic dissoluta est quarta » Sessio. » Verum quintae Sessionis initium ad diem decimam sextam mensis Iulii dilatum est. Proposita enim est a pontifice sub finem quartae Sessionis Constitutio de electione Romani Pontificis, in qua de Comitiis Pontificiis in Conclavi a Cardinalibus habendis lex lata est; de qua lege nonnulla diximus cum de Concilio III Lateranensi Generali egimus, in quo Pontificis electionis negotium totum S. R. E. Cardinalibus reservatum fuit. Iam vero constitutionis istius facta propositio occasionem attulit, ut quintae Sessionis initium ad octo alios dies differretur. Res enim tantae gravitatis non brevem postulavit tractationem. Haec vero constitutio, cuius exordium est *Ubi periculum,* ab omnibus probata, in Sessione quarta cum pluribus aliis edita est, et habetur n. 2 inter canones Concilii II Lugdunensis Generalis.

Itaque die 16 Iulii habita est quinta Sessio Concilii, postquam proxima die solemnia parentalia D. Bonaventurae nuper demortui absoluta fuissent, in qua sacra caeremonia peragenda memoratus Episcopus Ostiensis de eiusdem D. Bonaventurae laudibus orationem habuit « et praedi» cavit proposito themate: *Doleo su» per te Frater mi Ionatha:* multae » lacrimae, et gemitus ibi fuerunt.» Antequam vero quintae huius Sessionis initium fieret, Nuncius Tartarorum, prout superius retulimus, baptismate donatus est cum duobus sociis suis. Tum impletis, quae de more erant peragenda, quatuordecim constitutiones, seu canones recitati sunt. Iis autem lectis Pontifex ipse de D. Bonaventurae virtutibus, et funere alloquutus est Synodum, « et mandavit omnibus Praelatis et » omnibus Presbyteris per totum » mundum, ut quilibet eorum unam » Missam deberet cantare pro anima » ipsius, et aliam pro animabus o» mnium aliorum, qui mortui sunt » adveniendo, stando, seu redeundo » ad Concilia, sive ad Concilium. Et » quia propter baptismum Tartaro» rum, et lectionem constitutionum » hora tarda videbatur, continuavit » aliam Sessionem in crastinum, sci» licet decimam octavam eiusdem » mensis Iulii, et sic dissoluta est » quinta Sessio. »

Postrema igitur Concilii Lugdunensis II Generalis Sessio die 16 Iulii celebrata est, in qua prout Acta referunt, « In continenti Dominus » Papa intravit Ecclesiam indutus » omnibus Pontificalibus vestimen» tis; ascendit pulpitum, et nonnulli » alii Praelati: lectae sunt consti» tutiones. » Orationem postea Pontifex habuit, qua graviter de necessitate emendandae ecclesiasticorum vitae verba fecit, qua facta emendatione, neque necessarium esse affirmavit, decreta de moribus reformandis promulgare. Multa se animo volvere ad consequendam hanc emendationem, et multa statuturum se esse in posterum, quibus id consequeretur: rerum enim copiam in Concilio tractatarum impedivisse, quominus id in Concilio effici posset. Tum illa sunt omnia absoluta, quae ad Conciliorum rite celebrandorum normam statuta iamdiu fuerant. Legi vero possunt in Raynaldi annalibus quae legationem a Rodulpho Romanorum Imperatore electo missam respiciunt, de qua re non in Concilio, sed in Cardinalium Consistorio pertractatum est.

Quod spectat vero ad Graecos, scimus, illos a Gregorio X donis dein-

de cumulatos in Patriam remissos fuisse. Quo vero diligentius, et studiosius prospiceret unionis, et concordiae initae conservationi, ac securitati, gratulatorias litteras scripsit ad Michaelem Palaeologum Graecorum Imperatorem, eiusque filium primogenitum Andronicum, et ad Graecos Antistites, quibus litteris, quam feliciter negotium illud absolutum esset commemorabat, ac praeterea vehementer eos hortabatur, ut a schismate in posterum vehementer abhorrerent, et Catholicae Ecclesiae fidem perpetuo constanter tuerentur. Imperator vero Michael, atque eius filius Andronicus Gregorio Pontifici litteras scripserunt, quibus de unione restituta gratulabantur, et de sua ob hanc rem perfectam laetitia perspicuum testimonium dicebant. Praeter istas vero laetitiae significationes, dedit operam Imperator ut pax inita effectum suum consequeretur; atque ea removenda curavit, quae unioni servandae videbantur imprimis esse periculosa. Inter quae illud praecipuum fuit, ut a Iosepho Patriarcha unionis hoste infensissimo, se expediret. Itaque illum ad dignitatem patriarchalem derelinquendam, atque ad vitam in monasterio agendam compulit; eidem vero in patriarchali Sede Constantinopolitana sufficiendum providit Ioannem Veccum, magnae Ecclesiae Chartophylacem (hoc est, prout Dufresnius habet t. 1 parte 2 *in Glossario* etc., Monumentorum custodiae Praefectum, quae dignitas erat Ecclesiastica, et Palatina), qui cum antea errori, ac schismati deditus fuisset, deinde post controversiam materiamque totam diligenter perpensam, catholicae unionis studiosissimus evaserat. Tum in eos omnes, sive Clericos, sive Laicos etiam Optimates viros graviter animadvertit, quos unioni adversari, et illam perturbare conari intellexit. De his autem videri possunt quae, tum Raynaldus, ac Spondanus, tum Natalis Alexander diss. 7 in saec. 13 et 14 exposuerunt.

Satis ista sunt de ratione, qua de rebus Graecorum schisma respicientibus actum est in Concilio Lugdunensi II Generali. Cum vero certum omnino sit, hanc Synodum vere oecumenicam fuisse, apparet, publico totius Ecclesiae iudicio schisma sublatum eo tempore fuisse. Oecumenicam vero prorsus fuisse hanc synodum, prout Natalis Alexander in memorata dissertatione 7 art. 2 inter ceteros animadvertit, perspicua, atque omnibus explanata res est, cum Pontificis Maximi iussu, ac litteris, undique fuerint ad Synodum habendam convocati Episcopi; cum tanto praeterea numero ii ad Synodum venerint; cum Synodo Pontifex perpetuo praefuerit; cum omnia rite, et secundum canones, atque in permagna tranquillitate ibi gesta sint; cum denique illam Sedes Apostolica probaverit, atque eam Ecclesia catholica inter oecumenicas Synodos semper habuerit. Quae res, inter cetera, constat ex professionibus fidei, in quibus ad ostendendam fidei catholicae protestationem, concilia Oecumenica commemorata sunt, quorum fidem tenendam esse in iis affirmatur, et Lugdunense istud concilium in serie conciliorum de fide agentium numeranda, recensitum est.

Quomodo vero in posterum, mortuo Michaele Palaeologo, et in Andronici II eius filii imperii initio, contra unionem initam vis illata sit, longum esset hic diserte referre. Sed ne rem praeteriisse penitus videamur, Leonis Allatii eruditissimi viri tantummodo locum quendam afferam ex opere eius inscripto: *Ioannes Henricus Hottingerus fraudis, et imposturae manifestae convictus*, cap. 20, quo de vocis *Filioque* additione facta symbolo, plura recenset ad hanc rem illustrandam opportuna, scilicet: « Georgius Cyprius Pa-
» triarcha Vecco suffectus, cum suae
» factionis hominibus concordiam ini-
» tam, alio, atque alio modo dissol-
» vit. Rem prolixe narrat Georgius
» Metochita, et Pachymeres. Insepul-

» tus iacuit Michael Imperator. Vec-
» cus de throno eiectus custodibus
» traditur. Metochita, et Meliteniota
» carceribus includuntur, in quibus
» et vitam pro unitate dogmatis ob-
» ierunt, ob hanc solam causam de-
» positi, quod Michaelis tempore Mis-
» sae Latinorum interfuerint. » Tum de tumultu ipso ad rem gerendam excitato Allatius subdit: « Georgius
» Cyprius Latinis parentibus ortus,
» ob ambitionem, et affectatum Pa-
» triarchatus honorem, concordiam,
» quam antea enixe procuraverat, et
» dogma, quod impense defenderat,
» veri, piique dogmatis desertor, foe-
» difragus manifestus oppressit, et
» nomen hostium professus, scripto,
» factoque, quam antea profitebatur,
» Ecclesiam Catholicam conculcavit.
» Imperator ipse Andronicus (vir im-
» becillitate, crudelitate nimia, et
» timiditate notus) officiis Pontificio-
» rum coniunctus, eorum sententiam
» non improbat: vi tamen, et neces-
» sitate infimae, ac sordidissimae ple-
» beculae coactus, quae atrocissima
» illi minabatur, et fasces ac coro-
» nam imperii denegabat, ni prius in
» ambone magnae Ecclesiae adversus
» Michaelem Patrem anathema dice-
» ret, minis, et tyrannidi concutien-
» tium omnia tumultu cessit, et im-
» minenti tempestati obsecundavit. »

Essent nunc referenda quae pertinent ad canones in Concilio Lugdunensi II editos, quique in ius canonicum, in Sextum decretalium librum relati fuerunt. Canones autem isti numero 31 promulgati sunt; quorum primus de Summa Trinitate et Fide Catholica decernit; alter de Romani Pontificis electione, tertius usque ad octavum de electione, et de iis agit, quae electionem respiciunt ad dignitates, vel gradus alios, et ad causas spectant, quae pertractari possunt circa electionum eiusmodi materiam. Tum canonibus nono, decimo, undecimo, ac duodecimo plura alia statuuntur, quae opportuna sunt ad abusus in iis causis pertractandis amovendos, et animadvertitur in eos, qui contra fecerint. Canone decimotertio, et decimoquarto legitimae, atque ad animarum curam utiliter faciendae Parochialium Ecclesiarum collationi consulitur. Decimusquintus est de temporibus ordinationum, et ordinandorum qualitate. Decimus sextus de Bigamis. Decimus septimus, et octavus de officio iudicis ordinarii. Decimus nonus de postulando. Vicesimus de his, quae vi, metusque causa fiunt. Vicesimus primus de praebendis, et dignitatibus. Vicesimus secundus de rebus Ecclesiae non alienandis. Vicesimus tertius de religiosis domibus Episcopo subigendis. Vicesimus quartus de censibus et procuratione. Vicesimus quintus de immunitate Ecclesiarum. Vicesimus sextus, et septimus, de usuris. Vicesimus octavus de iniuriis et damno illato. Vicesimus nonus de sententia excommunicationis. Tricesimus, ut relationis beneficium ad cautelam in generali interdicto locum non habeat. Tricesimus primus securitati consulit eorum, quibus censurae exercendae committuntur.

CAPUT XXVII.

DE GUELPHIS ET GIBELLINIS.

Facta praecipua recensentes, quae saeculo XIII evenerunt, non possumus ea penitus praeterire, quae ad notissimas *Guelphorum*, et *Gibellinorum* factiones pertinent, quae non modo cum civili, sed etiam cum Ecclesiastica huius aetatis, ac posteriorum temporum historia sunt coniuncta. Quoniam vero Martini IV praesertim Pontificatus tempore eae factiones acrius agere, et dimicare coeperunt, significabimus primum,

quae susceptum a Martino IV Pontificatum respiciunt.

Itaque cum Nicolaus III Pontifex Maximus die 22 Augusti anno 1280 mortuus esset, diuturnum fuit, et valde turbulentum, quod consequutum est, interpontificium usque ad diem 22 Februarii anni 1281, quo tandem aliquando Viterbii Simon de Brion Gallus, Presbyter titulo Caecilia, Pontifex electus est, qui nomen suscepit Martini IV. Tanti autem erant motus, quibus ob factiones varias Urbs Roma perturbabatur, ut is debuerit non Romae, sed Urbiventi die 23 Martii consecrari. Legendus Raynaldus ad annum 1281 n. 3 et seqq., quo loco plura de Martini IV virtute continentur. Inter cetera, refert Raynaldus S. Antonini testimonium 3 part. tit. 20 c. 4, ubi haec habentur: « Post vacatio-
» nem Sedis quimestrem electus fuit
» in Papam is, qui dictus fuit Mar-
» tinus IV natione Gallus, Patria
» Turonensis (Bria oriundus in agro
» Turonensi), etsi non nobili genere
» secundum carnem, tamen moribus
» generosus et magnanimus, et a cu-
» piditate pro se, vel suis, alienus,
» Ecclesiasticique iuris zelator... cum
» germanus eius ad ipsum accessis-
» set gratia visitationis, et congra-
» tulationis, sperans aliquid ab eo
» forte magnum obtinere, quam ci-
» tissime eum remisit ad propria cum
» modicis muneribus, et moderatis
» expensis. » Haec autem virum ostendunt veteris abstinentiae amantem; atque alia simul possent adduci, quae illum ab omni Pontificatus adipiscendi ambitione immunem, prout nonnulli insinuare visi sunt, in quorum opinionem Scriptores operis de ratione temporum epochas recte computandi, proclives esse videntur.

In praedecessorum Martini IV Pontificatus historia, atque inter ceteros in Nicolai III vita, argumenta habentur, quibus demonstrari potest, Romanos Pontifices, factiones superius memoratas extinguere conatos esse; sed quod ii sibi proposuerant, consequi non potuerunt, et affirmari iure potest sub Martini IV praesertim, atque eius successorum pontificatu, Guelphorum, et Gibellinorum factiones gravius saeviisse; atque Italiam praecipue, caede, et sanguine, diu eorum opera redundasse. Sunt vero significanda ea, quae in harum factionum historia praecipua esse videntur. Legenda autem est Cl. Muratorii dissertatio 51 in Antiquitates Italicas, in qua, opportuna ad hanc rem assequendam notitia praesto est.

Haec vero ex memorata Muratorii dissertatione referam, quae ad rem explicandam, satis esse possunt. « Originem, inquit, ex Germania tra-
» xere factiones istae... a diutinis
» fere simultatibus, quae intercessere
» inter Conradum Salicum Impera-
» torem in Villa Guebelinga, aut
» progenitum, aut dominum, eiusque
» posteros masculos Henricos Impe-
» ratores, et Fridericum I eiusque
» liberos per feminam ab ipso Con-
» rado descendentem ex una parte;
» et ex altera lineam illam Estensis
» familiae, quae saeculo Christi XI
» in Germaniam per Guelphonem
» Azonis Magni Marchionis Atestini
» filium translata, Guelphae inclytae
» olim familiae facta heres, Ducati-
» bus Bavariae, et Saxoniae diu prae-
» fuit. Haec autem familia... Guel-
» phonum nomine olim propagato,
» occasionem praebuit adhaerentibus
» sibi, ut Guelphos se appellarent,
» aut ab aliis appellárentur, quum
» contra Friderico I eiusque descen-
» dentibus faventes Gibellinorum no-
» menclatura distinguerentur... Dixi
» inter Principes Guelphicae, et Wi-
» belingicae stirpis aemulationem a
» maioribus acceptam viguisse. Et
» sane quot irae, quot bella inter
» ambas hasce nobilissimas familias
» per duo ferme saecula continuata
» fuerint, non Germania solum, sed
» et Italia persaepe sensit, quum in
» hac etiam provincia tum Gibellini
» sanguinis Imperatores, tum Wel-

» phae Estenses duces saepe fuerint » versati, multisque etiam ditioni- » bus potirentur. Saeculo tamen XII » quamquam in Italia forent, qui » Friderico I Imperatori studerent, » eiusque filiis, et contra qui adver- » sarentur, nondum tamen erupere » Guelphorum et Gibellinorum infe- » sta nomina. Factiones, inquam, in- » valuerunt saeculo ipso XII; sed » subsequenti dumtaxat invidiosas » illas appellationes assumpsisse vi- » dentur. »

Atque haec quidem Muratorius de penitus ipsa prima Guelphorum ac Gibellinorum origine erudite refert. Quod vero ad ea, quae res a factionibus istis patratas proximius respiciunt, ita idem eruditissimus Scriptor prosequitur: « Ego primum au- » dita haec nomina opinor, et sensim » propagata postquam Otto IV an- » no 1209, Imperatoria corona Ro- » mae ab Innocentio III Papa dona- » tus, brevi in Pontificis odium (iu- » stam indignationem scilicet) incur- » rens, anathemate percussus, decli- » nare coepit, eique Pontificia sen- » tentia abrogatum imperium fuit. » Ottoni deiecto, sed suam dignita- » tem viriliter tuenti, continuo In- » nocentius Fridericum II Siciliae » Regem, Friderici I nepotem oppo- » suit... Italicorum animos discordia » tantorum principum mirum in mo- » dum scidit, stantibus his pro Ot- » tone, illis pro Friderico. Exinde » ergo deducta omnino videtur Guel- » phorum, et Gibellinorum appella- » tio. Otto enim IV Henrici Leonis » olim Saxoniae, et Bavariae ducis » inclyti filius ex Guelphis principi- » bus sanguinem suum trahebat, Fri- » dericus vero II per feminam ex » Augusta familia de Gueibelinga, » sive de Weibelingen prodierat. »

Tum refert Muratorius, acrius factiones istas invaluisse, cum ea evenerunt, quae Friderici II contentiones cum Romanis Pontificibus respiciunt, scilicet statim in vulgus plene erupisse odiosa illarum nomina. « Tunc populorum, inquit, illorum » portio, quae in Lombardia, Tuscia, » Ducatu Spoletano, aliisque Italiae » regionibus, Friderico, eiusque filiis » patrocinium praebuere, Pars Im- » perii, et Gibellini appellati sunt; » et contra Pars Ecclesiae, et Guel- » phi qui adversabantur. » Quae vero Muratorius dicit de hoc factionum incremento iis temporibus habito, ea monumentis aetatis ipsius, ad quae ista referuntur, confirmari possent.

Accidisse praeterea quandoque, ut Guelphi pro Pontifice, et Ecclesia non dimicaverint, Muratorius animadvertit, sed pro eventuum mutata fortuna eos stetisse. Verum generatim id obtinuit, ut Guelphi pro Ecclesia, et Romanis Pontificibus dimicare censerentur. Post haec Muratorius prosequitur: « Ita enatis, et in » perniciem Italiae confirmatis dua- » bus hisce factionibus... in sinum » ipsarum urbium eadem discordia » penetravit, sciditque Nobilium » praesertim familias, ita, ut vix » ulla esset quae huiusmodi morbo » non laboraret... Eodem viro afflatae vel ipsae familiae in eam de- » venere dementiam, ut nonnumquam » parentes unam, liberi vero alteram » factionem, tempore ipso eodem pro- » fiterentur: et fratres, nedum re- » liqui sanguine, aut affinitate iun- » cti, inter se dissiderent, atque in » perniciosissima non raro odia ra- » perentur. Quid ergo aliud exspe- » ctandum fuit ex tanto animorum, » consiliorumque dissidio, nisi inte- » stinae simultates, exilia, et mutuae » caedes, atque ingens perturbatio » urbium, immo et nonnullarum su- » prema paene ruina? »

Quam diuturna vero fuerit infelix ista, Italiae potissimum, conditio, facile produnt illorum temporum historiae monumenta, quae saeculum XIII ac XIV ea calamitate afflictum praeseferunt, neque saeculum XV ab his dissidiis penitus ereptum fuisse ostendunt. « Et haec » quidem dissidentium populorum ra- » bies, Muratorius ait, potiorem sae- » culi XIII partem, et per totum

» saeculum XIV Italiam fere univer-
» sam afflixit. Neque ab ea immune
» fuit saeculi XV exordium... Verum
» post illos annos funestissima haec
» pestilentia decrescere coepit... Fa-
» ctionibus profecto, et ingenti bel-
» lorum tumultu ne illud quidem sae-
» culum caruit; attamen aperto no-
» mine Guelphorum et Gibellinorum
» vix quidquam actum est... Tum de-
» nique ita exolevere, ut ex memo-
» ria hominum obliterata, in historia
» tantum a multo tempore vivant. »
Quae ex Muratorio hic attulimus, originem, et etymologiam, progressus, et finem factionis Guelphicae ac Gibellinae significant. Quanta vero doctrina, et eruditione Muratorius, tum in aliis rebus praestiterit, tum praesertim in iis, quae ad Italiae historiam pertinent, omnibus est exploratum. Itaque tale est in his rebus memorati scriptoris testimonium, ac talis auctoritas, ut fidem facere prorsus debeat. Quare haec illi de hoc historiae capite referenti video eruditos gravissimos viros assentiri.

Commemorabo tantummodo Carolum Dufresnium, qui similia tradit, et confirmat in *Glossario* tom. 2 p. 1 pag. 482 et seq., a Conrado scilicet de Wilbelingen Gibellingos, seu Gibellinos, a Welphone vero familiae Bavariae principe Guelphos appellatos. Adducit vero Ottonis Frisingensis hoc testimonium lib. 2 *de gestis Friderici* c. 2: « Duae in Romano orbe apud Gal-
» liae, Germaniaeque fines famosae
» familiae fuere. Una Henricorum
» de Gueibelinga, alia Guelphorum
» de Altdorffio. Altera Imperatores,
» altera magnos Duces producere so-
» lita. Istae, ut inter viros magnos,
» gloriaeque avidos assolet fieri, fre-
» quenter sese invicem aemulantes,
» reipublicae quietem multoties per-
» turbarunt. » Deinde ex Albertino Mussatio in *Ludovico Bavaro* p. 5 haec subdit: « In duas partes secta
» Christianitas erat nostra, ut paucos
» invenisse contingens fuerit per hanc
» praecipue nostram Italiam, quos
» una ex duabus optio non inquina-
» verit, aut illa, quam aiunt, Gibo-
» lengo, vel Gelfa. Haec enim a tem-
» pore Friderici II vocabula, duo
» inseparabilia germina, seu potius
» pestifera schismata pullularunt,
» atque invaluerunt, quae semper
» tenuerunt Italiam inquietam. » Tum adducit Chronici Parmensis verba ad an. 1307 apud Muratorium tom. 9 col. 860; quibus confirmatur, Guelphos fuisse « partis Ecclesiae; Gibel-
» linos vero dictos ab antiquo par-
» tis de Grisulphis, fuisse partis im-
» perii. » Concludit denique Dufresnius a vero abesse procul, qui secus scripserunt de harum factionum nomine, et origine; id, quod Bertholdus in tractatu de hac re, Ricordanus Malaspina, Villanius, aliique ostenderunt.

Quemadmodum superius significavimus, praecipue cum Martinus IV Pontifex esset, factiones istae, de quibus hactenus loquuti sumus, acerrime inter se certare coeperunt, et Italiam magna intestini atrocissimi belli calamitate affecerunt. Hoc autem ex tota illius temporis Italiae historia certum est, atque inter cetera, ex annalibus Italiae Muratorii ad annum 1281, et seqq. id colligi potest.

Est vero communis scriptorum omnium veterum sententia de ornamentis singularibus, ac vitae sanctitate, qua Martinus excelluit. Neque sunt (ut cetera omittam) veritati consona, quae de inurbana ratione relata sunt a nonnullis, qua Martinus IV exceperit Panormitanos Nuntios ad eum missos, post acerbam Gallorum cladem, quae *Vesperi Siculi* nomine usurpari solet. Legi vero potest Dominici Mansi eruditissimi viri adnotatio secunda ad annum 1282 Raynaldi n. 13, qua rationes affert, cur inverosimile sit existimandum, cladem istam ex condicto factam esse feria secunda, vel tertia Paschatis Resurrectionis die 30 Martii 1282. Abhorrebat vero prorsus a Pontificis virtute, cum

Nuntiis ad se missis inhumaniter agere. Obiit denique Martinus Perusiae die 28 Martii anno 1285 cum Pontificatum gessisset annos quatuor, et dies quinque. Ad eius tumulum patrata fuisse miracula est etiam memoriae proditum, de qua re Raynaldus ad eundem annum n.12 consuli potest. Pro sua autem erga S. Francisci Ordinem benevolentia, voluit corpus suum ea religiosa veste indutum tumulari, quae Franciscanorum sodalium propria est.

Sed illud certe est imprimis animadvertendum, quam aperte Deus Optimus Maximus, in tantis etiam illis vicissitudinibus suam erga Apostolicam Sedem providentiam demonstraverit. In permagna enim temporum difficultate providit manifeste Ecclesiae suae. Nam Pontifices sapientissimi, ac virtutis laude apud omnes commendati, aestimatione ipsa sua, temporum improbitatem superarunt. Incolumes ii sunt in mediis periculorum fluctibus servati. In cathedra autem ista, in qua omnium Christianorum Pater, et Doctor constitutus est, omnia turbulentis etiam iis temporibus ita pertractata, ac gesta fuerunt, ut Ecclesiae regimini semper ii sapientissime praefuerint. Nam potest iure affirmari, ex Pontificum Romanorum illorum temporum historia patere, eos in his quoque vicissitudinibus, ita tranquille, et pro rei gravitate res Ecclesiae peregisse, atque ea omnia, quae ad fidem tuendam, ad mores, disciplinamque regendam opportuna ac necessaria erant, ita gubernasse, veluti si tranquillitatem publicam nemo turbavisset, atque omnia peragerent tamquam toto orbe pacato, quae ad Ecclesiae bonum procurandum perducere posse viderentur.

CAPUT XXVIII.

DE GREGORII IX DECRETALIUM COLLECTIONE DEQUE ALIIS PLURIBUS, QUAE PRO ECCLESIAE BONO PONTIFICES ROMANI SAECULO XIII GESSERUNT.

Affirmavimus cap. 7, nonnulla alia praecipua historiae Ecclesiasticae capita, aetatem, de qua loquimur, respicientia, peculiari loco simul nos esse expositurus. Id autem faciemus nunc quanta poterimus brevitate. Ac primum dicemus aliquid de consilio a Gregorio IX Pontifice Maximo suscepto, ut Praedecessorum suorum decreta in unum corpus colligerentur, atque ita ad commodiorem in Ecclesia usum proponerentur. Hoc vero consilium, quanta laude dignum fuerit, non est necesse explicare. Patet enim perspicue, eo consilio inito, Canonicae Iurisprudentiae addiscendae, et rebus Ecclesiasticis accurate sapienterque administrandis, expeditiori ratione consultum fuisse.

Itaque Honorio III die 19 Martii anno 1227 Gregorius IX successerat, qui antea Ugolinus appellabatur, et Episcopus Ostiensis erat, cum Pontifex electus est. Innocentii III consanguineus Signiae in Campania natus, Pontifex fuit usque ad diem 21 Augusti 1241 quo mortuus est, cum fere centenarium annum aetatis suae ageret. Laudant plurimum eiusdem praeclara ornamenta scriptores illorum temporum. Huius rei veluti exemplum quoddam satis erit afferre, quae ad calcem perantiqui codicis Vaticani a Raynaldo ad an. 1227 n. 13 relati scripta leguntur: « Innocentium Papam III consanguinitatis tertio gradu attingens, matre vero de potentioribus Anagninis exortus, forma decorus, et pervenustus aspectu, perspicacis ingenii, et fidelis memoriae praerogativa, liberalium artium, atque utriusque

» iuris peritia eminenter instructus, » fluvius eloquentiae Tullianae, sa- » crae paginae diligens observator » et doctor, zelator fidei, disciplina » virtutis, rectitudo iustitiae, sola- » tium miserorum, religionis plan- » tator et cultor, castitatis amator, » et totius sanctitatis exemplar. »

Hic Pontifex tantis ornamentis praeditus, *iuris utriusque peritia eminenter instructus,* collectionem decretalium efficiendam, edendamque curavit, in qua re diligentem, doctamque suam operam impendit S. Raymundus de Pennafort, quem Ioannes Sabinensis Episcopus ex Hispanica legatione redux, anno circiter 1230 Romam deduxerat.

Iam ab anno circiter 1140 edita fuerat collectio canonum Gratiani, scilicet praeclari viri, qui natus Clusii in Etruria existimatur, et Monachi Benedictini vitam egisse in Bononiensi S. Felicis monasterio. In ea collectione, quae *Decretum* appellari solet, Gratianus methodum sequutus est ab ea diversam, qua antiquiores canonum collectores usi fuerant. Nam cum istae sola canonum recitatione constarent, Gratianus in opere, seu decreto suo, ius canonicum in disciplinae accuratae formam redigendum curavit. Quare opus suum in tres partes divisit, ac singulas partes in aliqua capita, quae ipse distinctionum, causarum, et quaestionum nomine distinguenda iudicavit. Studuit etiam Gratianus in opere suo elaborando, canones ipsos inter se, ubi opportunum esset, conciliare; quamobrem hoc opus *concordantiam discordantium canonum* etiam vocavit. Gratianum aetate sua doctissimum virum fuisse, opus ipsum suum ostendit, quantumvis errores plures in illud obrepserint, praesertim quod ars critica iis temporibus, etiam apud eruditissimos viros aliquanto deficeret. Gregorii autem XIII Pontificis Maximi iussu plures docti viri, et Sacrae Theologiae, ac iuris canonici peritia imprimis praestantes, de illius operis emendatione laborarunt. Consuli vero potest, inter ceteros Caroli Sebastiani Berardi hominis eruditissimi opus de hac canonum Gratiani emendatione scriptum, quo significatur diligenter, quibus in rebus Gratianus erraverit. Magno plausu opus Gratiani exceptum iure est, et in scholis ad illud explicandum institutis, plurimum est commendatum, licet ceteroquin Romanorum Pontificum publica auctoritate confirmatum idem opus non fuerit.

Praeter istam, quam nunc significavimus, Gratiani collectionem, aliae plures editae fuerant. Scilicet Bernardus Praepositus Ticinensis, tum Episcopus Faventinus, et denique Ticinensis anno 1190 *Breviarium extravagantium* ediderat, in quod opus intulit Romanorum Pontificum epistolas, ac decreta a Gratiano praeterita, et cetera complexus est decreta, litterasque pontificias, quae post vulgatum Gratiani decretum, usque ad Clementem II scriptae fuerant. Neque haec tamen collectio, licet valde laudata, Romanorum Pontificum publica auctoritate confirmata est.

Tunc sequuta est circa saeculi XII finem alia canonum collectio, quam Ioannes Gallensis in Wallia natus elaborandam curavit, et in qua decretales epistolas omnes comprehendit Alexandri III, Lucii III, Urbani III, Gregorii VIII, et Clementis III, quae in prima, seu Bernardi Ticinensis collectione, fuerant omissae, ac praeterea illa etiam decreta complexus est, quae post collectionem a Bernardo compositam Caelestinus III ediderat, aut edidisse iudicabatur.

Alia deinde collectio Innocentii III Pontificis Maximi auctoritate confirmata exstabat, cuius Innocentius ipse auctor habendus est. Hanc collectionem Pontifex anno 1212 per Petrum Beneventanum ideo componendam voluit, ut ita in unum corpus decretales suae omnes collectae haberentur, atque hoc opus ad Academiam Bononiensem misit. Cui collectioni alteram Innocentius addidit, qua de-

cretales omnes complexus est post collectionem nunc memoratam editas, ac praeterea Concilii Generalis Lateranensis IV constitutiones auctoritate sua, ac praesentia confirmatas. His denique quatuor post Gratiani decretum recensitis collectionibus, quinta adiungenda est, quam Honorius III, Innocentii III proximus successor comparandam, et in qua constitutiones omnes a se editas referendas curavit, quamque a se probatam, ad Academiam Bononiensem mitti voluit.

Haec erant commemoranda, ut appareret quo in statu Iuris canonici textus esset, cum Gregorius IX Pontificatum suscepit. Perpensis rebus omnibus ad hanc materiam spectantibus, Gregorius IX constituit, ac iudicavit, se plurimum Ecclesiae bono consulturum esse, si codicem Iuris Canonici ederet, qui uno corpore, ordinate, et accurate, suas, et plurium Romanorum Pontificum decretales litteras complecteretur, ac Conciliorum Generalium, praecipue posteriorum decreta. Operis absolvendi, prout superius significatum est, S. Raymundo de Pennafort Ordinis Praedicatorum curam Gregorius commisit, qui cum summa vitae sanctitate praeclaram doctrinae, ac praesertim iuris canonici universi peritiam coniungebat. Itaque Raymundi cura hoc opus digestum est Ecclesiae utilissimum. In eo opere, Decretales in quinque libros distributae sunt, quorum quisque pluribus capitibus constat. Eam collectionem vero anno 1234 editam Gregorius IX ipse confirmavit, ad Academiam Bononiensem misit, atque in scholis, et in ecclesiasticis iudiciis adhibendam mandavit. Non est necesse in huius operis laudibus exponendis immorari. Nam ipsa tanta rerum varietas, aptissime, sapientissimeque disposita ostendit, cuius doctrinae, ac laboris illud esse debuerit. Singulare autem illud studium, quod viri peritissimi demonstrarunt, ut amplissima commentaria in eos libros scriberent, confirmat, quantae illud opus existimandum sit esse gravitatis.

Illud praeterea Gregorius IX hac edita nova decretalium collectione effecit, ut si quae antea obscura in memoratis aliis decretalibus reperiebantur, si quae non amplius in usu, si quae non perfecta, aut alicui controversiae obnoxia in iisdem deprehendebantur, huic rei apposite et accurate providerit. Haec autem Gregorii IX collectio auctoritatem obtinet, et veluti praecipuam Iuris canonici partem constituit. Confirmatam hanc collectionem a Gregorio ipso IX fuisse significavi. Id vero hanc sequelam obtinet, ut, quoniam Pontificis confirmatio comprehendit singula, quae in collectione continentur, hinc sequatur, ea etiam, quae fortasse origine sua minus certa videri possent, omnem tamen consequuta esse, et habere auctoritatem ob Gregorii IX Pontificis confirmationem.

Quinque libris decretalium, qui Gregorii IX collectionem constituunt, accessit postea alius liber qui *sextus decretalium* appellatur. Hic vero liber ob rationem, quam nunc referam, compositus est. Scilicet, cum Gregorius IX iussisset neminem privatorum in posterum, aliquam novam decretalium collectionem edere debere; nemo per plures annos tale aliquid effecerat, quantumvis post Gregorium IX multae a Romanis Pontificibus eius successoribus de rebus Ecclesiasticis leges latae fuissent. Verum Bonifacius VIII adhibitis aetatis suae doctissimis viris, anno 1298 eas in unum corpus collegit in quinque libros distributum, quod opus, prout dixi, sexti libri decretalium nomen habet, atque a Bonifacio confirmatum, ad Bononiensem Academiam pariter ab eo missum est. Praeter istam vero a Bonifacio VIII factam collectionem, editae sunt etiam Clementinae, Extravagantes Ioannis XXII, Extravagantes communes, quae sunt etiam Iuris canonici partes. Atque haec,

quae cursim attigimus, satis sunt, tum ut significaretur quomodo a Gregorio IX in posterum, Iuris canonici corpus dispositum sit, et quantopere Pontifices Romani in ea quoque re canonicam iurisprudentiam iuverint.

Romani Pontifices hac aetate in eo etiam non de Ecclesia solum, sed de civili pariter republica optime meriti sunt, quod *Mendicantium* Religiosorum Ordines confirmaverint. In qua re, ut brevitati consulam, praeclarissimos duos tantum commemorabo Ordines PP. Praedicatorum, et Franciscanorum, quorum primum D. Dominicus Hispanus, Calarogitanus, ex illustri Guzmanorum gente, alterum D. Franciscus Assisii in Umbria natus instituit. De ceteris enim Ordinibus, in Institutionibus singillatim sumus acturi. Duos sanctissimos istos nuper memoratos viros Innocentius III, et Honorius III Pontifices peramanter complexi, atque intelligentes plane, quanta Ecclesiae utilitas, quantumque subsidium ex eorundem Ordinibus esset profecturum, utrumque Ordinem probaverunt. Itaque Honorius III die 22 Decembris 1216 praestantissimum PP. Praedicatorum Ordinem, quod Innocentius III iam facturus erat, solemniter confirmavit; Franciscanorum vero item praestantissimum Ordinem, quem Innocentius III probaverat, Honorius quoque solemniter anno 1223 probavit. Consuli potest de hac re, inter cetera, caput 7 operis Parisiis anno 1841 editi atque inscripti: *Vie de Saint Dominique par le R. Père Frère Henri-Dominique Lacordaire de l'ordre des Frères Prêcheurs.*

Nimis longa evaderet nostra tractatio, si quanta bona ex his Ordinibus in Ecclesiam, et civilem societatem manaverint, vellemus fuse persequi. Ostendunt vero id tot summi viri, non doctrina solum, sed vitae etiam sanctitate praeclari, qui horum Ordinum participes, et virtutum ac sapientiae lumina fuerunt. Inter eos, de Concilio Lugdunensi II Generali agentes, Doctorem Angelicum D. Thomam Aquinatem, et Doctorem Seraphicum D. Bonaventuram laudibus prosequuti sumus. Ostendunt ii praeterea, qui his Ordinibus addicti, praecipuis Ecclesiae dignitatibus ornati, aut gravissimis legationibus perfuncti, vel sacras litteras, vel theologicas, philosophicasque disciplinas tanta sapientia professi sunt, et tradiderunt. Ostendit denique fructus ille singularis, qui ex his Ordinibus ad populi mores informandos, ad pietatem, ac religionem ubique propagandam uberrime profectus est. Haec autem sunt in historia universa prorsus explorata, ut necesse non sit eorum dicteria refellere, qui in Religionem male animati, de his Ordinibus, aut ceteris omnibus inclytis Religiosis Institutis detraxerunt.

Sed nolo hic penitus illud omittere, quod Moshemius in Inst. Hist. Eccl. saec. XIII p. 2 c. 2 §. 22 de Ordinibus Mendicantium obloquitur, veluti si Ecclesiae non placuerint, aut videantur incommodi; quibus similia sunt, quae Eybelius de ea re habet in opere *Quid est Papa?* aliique huius generis scriptores. Abutuntur enim canone 13 Concilii IV Lateranensis Generalis, quo statuitur « ne » quis de cetero novam Religionem » inveniat; » itemque Lugdunensis II Generalis Concilii canone 23, quo post probatum Lateranensem illum canonem, de novis Mendicantium Ordinibus post Lateranense IV Concilium institutis nonnulla statuuntur.

Verum si uterque Canon ille perpendatur, profecto intelligetur, nihil in iis esse, ex quo haec, quae ab iisdem Scriptoribus affirmantur, ostendi possint. Nam Canonis IV Lateranensis ille tantummodo scopus est, ut qui inter Mendicantes adscribi velit, *is unam ex approbatis Religionem assumat.* Hoc autem nullo modo probare potest, Ecclesiae non placere, aut incommodam videri Mendicantium Ordinum institutionem. Quan-

tumvis enim Ecclesiae placeant, aut utiles iure videantur Ordines eiusmodi; potuit tamen Ecclesia sapienter iubere, eos, qui propositum habeant amplectendi tale vivendi genus, in illos Ordines dumtaxat cooptari debere, qui probatione digni fuissent iudicati.

Neque Canon 23 Concilii II Lugdunensis Generalis memoratam nuper adversariam opinionem iuvare potest. Etenim apparet ex Canonis illius contextu, id praesertim iussum esse a Concilio, ut sine Apostolicae Sedis auctoritate, novi Mendicantium Ordines condi non deberent. Id vero erat opportunissimum statuere, quin idcirco sequatur, Ordines Mendicantium Ecclesiae incommodos visos esse. Immo vero si res ipsa, non praeiudicata ratione, sed prout veritas requirit, accurate perpendatur; id ostendit, Ecclesiam potius existimare, Mendicantium Ordines in magna apud se aestimatione esse, ad quos rite statuendos, ipsius Sedis Apostolicae necessaria sit auctoritas. Factum praeterea ipsum evincit, hanc unam illius Canonis esse sententiam, cum, Ecclesia plaudente, plures post Concilium IV Lateranense memorati generis Ordines fuerint ab Apostolica Sede confirmati. Esset etiam totus Canon ille hic referendus, ut quae in eo statuta sunt, hanc significationem habere, demonstrari luculentius posset, atque eos Ordines Synodo Lugdunensi tunc non placuisse qui « nondum approbationis » meruere principium. » Denique ita Canon ille 23 Lugdunensis digestus est, ut plena, circa hos Ordines, atque ea, quae hos Ordines respiciunt, Apostolicae Sedis auctoritas asseratur.

Inter illustria facta, quibus Romanorum Pontificum, qui hac aetate Ecclesiae praefuerunt, historia nobilitata est, illud etiam praeclarum studium est recensendum, quo, tum de fide christiana propaganda, tum de Graecorum schismate tollendo la- in Raynaldi annalibus prostant, atque in peculiaribus Religiosorum Ordinum litterarum Apostolicarum collectionibus continentur quae probant, Pontifices Maximos summopere studuisse ut fides christiana amplificaretur, et sollicitudinis suae fructus in ea re consequutos esse. Quod pertinet vero ad schisma Graecorum extinguendum, atque ad Graecam Ecclesiam cum Latina reconciliandam, possumus affirmare, id impensa cura Romanos Pontifices ista aetate efficere conatos esse. Plena sunt huius rei monumenta, quae ad res ab Innocentio III, Gregorio IX, Innocentio IV gestas referuntur. Vidimus vero de Concilio II Generali Lugdunensi agentes, eo res adductas tunc fuisse, ut sub Gregorio X schisma deletum, et Ecclesia Graeca Latinae reconciliata penitus existimari debuerit.

Dum ista vero attingimus, meretur, ut singillatim commemoretur id, quod Innocentius IV pro eo, quo ferebatur de Ecclesiae Graecae negotiis rite componendis studio, gessit in Insula Cypro. Pluribus in locis de hac re Raynaldus pertractat, ac praesertim ad an. 1250 et 1254, atque ea adducit monumenta, quae hoc, quod dicimus, aperte confirmant.

Constat vero, Innocentium IV in Insula Cypro Episcopos ritus Graeci vel ab anno 1250 constituisse, et eundem Pontificem anno 1254 de pluribus controversiis Graecos inter et Latinos eam insulam incolentes exortis respondisse, et plura doctrinae, atque Ecclesiasticae disciplinae capita explicasse. Quod ad Episcopos ritus Graeci in ea insula constitutos spectat, haec Innocentius anno 1250 scripsit in epistola ad Ottonem Episcopum Tusculanum, quem suum ad eandem insulam Apostolicum Legatum destinaverat: « Petierunt iidem » nuntii (ad Apostolicam Sedem ex » Cypri insula missi) eidem Archie- » piscopo Graecorum, et suis succes- » soribus, ordinandi, et statuendi » canonice in insula Cypri quatuor- » decim suae nationis Episcopos, cum

» totidem ibi Episcopales Graecorum » sedes esse consueverint ab anti- » quo, permitti de nostra licentia » plenam et liberam potestatem, et » concedi tam sibi, quam eisdem Epi- » scopis, eorumque successoribus in » Ecclesiae Romanae obedientia per- » manentibus, ne Praelatorum Lati- » norum iurisdictioni subiaceant, sed » in subiectione Sedis Apostolicae, » pari cum illis gaudeant privilegio » libertatis. » Huic vero Graecorum petitioni Pontificem assensum esse Raynaldus eodem loco narrat.

Quod vero pertinet ad Innocentii litteras, quibus propositas superius memoratas quaestiones anno 1254 diremit, eae a Raynaldo ad eundem annum referuntur, atque ostendunt, singulari sapientia de his rebus consultum Pontificem respondisse. Meretur autem inter ista, ut aliquid referamus de ratione, qua Pontifex circa Sacramenti Confirmationis Ministrum mentem suam explicavit.

Quae sit Catholicae Ecclesiae sententia de Sacramenti Confirmationis *Ordinario* ministro, patet, ut verbis utar Benedicti Papae XIV *De Synodo Dioecesana* lib. 7 cap. 7 n. 2, ex his, quae sequuntur: scilicet, « Or- » dinarium Ministrum huius Sacra- » menti esse solum Episcopum defi- » nitum est a Concilio Constantiensi » in damnatione errorum Wicleffi, » ab Eugenio IV in decreto instructio- » nis ad Armenos, atque a Concilio » Tridentino *Sess.7 de Confirmatione* » *can.* 3. Si quis dixerit, Sanctae » Confirmationis Ordinarium Mini- » strum non esse solum Episcopum, » sed quemvis simplicem sacerdotem, » anathema sit. »

Constat tamen, Graecos Presbyteros Confirmationis Sacramentum conferre. Id vero, prout idem Benedictus XIV ait cit. lib. 7 cap. 9 n. 3, « fit ob tacitum saltem privilegium » ab Apostolica Sede illis concessum, » cuius quidem privilegii praesum- » ptionem inducit ipsamet conniven- » tia et tolerantia Romanorum Pon- » tificum, qui praedictum Graecorum » morem scientes non contradixe- » runt, nec umquam illum damna- » runt; sicuti post Goarium, et alios, » recte ratiocinatur Arcudius *de Con-* » *cord. Eccles. Occident. et Orient.* » lib. 2 *de Confirm.* cap. 14 pag. 26 » inquiens: Tutissimum est dicere, » Graecorum Presbyteros, per suos » Patriarchas, et Antistites, eius- » modi facultatem a Summo Ponti- » fice obtinuisse, a quo omnis iuris- » dictio, quasi a capite in alios vel- » uti membra, immediate, vel me- » diate derivatur, et diffunditur. » Quod ergo apud Graecos obtinuit, ut Presbyteri quoque passim Confirmationis Sacramentum conferant, id nulla ratione potest ostendere Ministrum *Ordinarium* huius Sacramenti *solum* Episcopum non esse. Cum enim ex his appareat, Graecos Presbyteros ad Sacramentum illud ministrandum, ab Apostolica Sede tacitam saltem auctoritatem habere; factum hoc Graecorum Presbyterorum, quantumvis passim Confirmationem conferentium, demonstrat tantum, extraordinarios huius sacramenti ministros presbyteros esse posse quando a Romanis Pontificibus hoc agendi acceperint potestatem.

Certum vero est, ob concessam a Romano Pontifice potestatem, Presbyteros, Sacramenti Confirmationis *extraordinarios* ministros evadere; hoc enim inter ceteros D. Thomas 3 part. quaest. 72 art. 11 ad 1 ostendit. Atque adeo id est exploratum, ut Clemens VI Pontifex, priusquam ad catholicam communionem reciperet Consolatorem Armenorum Patriarcham, certior fieri voluerit, quemadmodum Benedictus XIV loc. cit. n. 7 animadvertit, an cum Ecclesia Romana sentiret etiam in hisce articulis, qui continebantur in litteris apostolicis ad eundem Patriarcham scriptis, quas Raynaldus refert ad annum 1351 n. 12, scilicet: « Primo de consecratione chrisma- » tis, si credis, quod per nullum sa- » cerdotem, qui non est Episcopus, » chrisma potest rite et debite con-

» secrari. Secundo si credis, quod » Sacramentum Confirmationis, per » alium, quam per Episcopum, non » potest ex officio ordinarie mini» strari. Tertio si credis, quod solum » per Romanum Pontificem, pleni» tudinem potestatis habentem, pos» sit dispensatio Sacramenti Confir» mationis presbyteris, qui non sunt » Episcopi, committi. Quarto si cre» dis, quod Chrismati per quoscum» que Sacerdotes, qui non sunt Epi» scopi, neque a Romano Pontifice » super hoc commissionem, seu con» cessionem aliquam receperunt, ite» rum per Episcopum, vel Episcopos » sint chrismandi. »

Est vero audiendum praecipue a D. Thoma in 4 Dist. 7 quaest. 3 ad 3, quanta doctrinae profunditate, quantoque ingenio explicaverit hanc unius Romani Pontificis propriam potestatem, ut is possit presbyteris Confirmationis Sacramenti administrandi facultatem conferre. Itaque ibi Angelicus Doctor primo loco affirmat, vere a D. Gregorio Magno hanc facultatem Sardiniae Presbyteris quondam traditam fuisse. Deinde hac ratione prosequitur: « Sciendum est, » quod cum Episcopatus non addat » aliquid supra sacerdotium per re» lationem ad Corpus Domini verum, » sed solum per relationem ad cor» pus mysticum; Papa per hoc, quod » est Episcoporum Summus, non di» citur habere plenitudinem potesta» tis per relationem ad Corpus Do» mini verum, sed per relationem » ad corpus mysticum. Et quia gra» tia Sacramentalis descendit in cor» pus mysticum a capite, ideo omnis » operatio in corpus mysticum sa» cramentalis, per quam gratia da» tur, dependet ab operatione sacra» mentali super Corpus Domini ve» rum; et ideo solus Sacerdos potest » absolvere in foro poenitentiae, et » baptizare ex officio. Et ideo dicen» dum, quod promovere ad illas per» fectiones, quae non respiciunt Cor» pus Domini verum, sed solum cor» pus mysticum, potest a Papa, qui » habet plenitudinem pontificalis po» testatis, committi sacerdoti, qui » habet actum summum supra Corpus » Domini verum, non autem Diaco» no, vel alicui inferiori, qui non » habet perficere Corpus Domini ve» rum, sicut nec absolvere in foro » poenitentiali. Non autem potest » simplici Sacerdoti committere pro» movere ad perfectionem, quae re» spicit aliquo modo Corpus Domini » verum; et ideo simplex Sacerdos » ex mandato Papae non potest con» ferre ordinem sacerdotii, quia Or» dines Sacri habent actum supra » Corpus Domini verum, vel supra » materiam eius. Potest autem con» cedere simplici Sacerdoti, quod » conferat minores ordines, quia isti » nullum actum habent supra Cor» pus Domini verum, vel materiam » eius... Et similiter potest conce» dere alicui Sacerdoti quod confir» met, quia Confirmatio perficit eum » in actu corporis mystici, non au» tem habet aliquam relationem ad » Corpus Domini verum. »

Haec generatim de Ordinario sacramenti Confirmationis Ministro, quod ordinarium munus Episcopi dumtaxat est; et de extraordinaria eiusdem sacramenti conferendi facultate, quae tantummodo a Romano Pontifice Presbyteris tribui potest, adnotasse opportunum erat, ad significandum, quid Innocentius IV de hac re statuerit in litteris suis ad Ottonem Episcopum Tusculanum Legatum Apostolicum in Insula Cypri anno 1254 scriptis, quas Raynaldus refert ad eundem annum n. 6 et 7, quibus litteris excitatas Latinos inter et Graecos controversias diremit. Scilicet, de Sacramenti Confirmationis administratione Innocentius haec statuit: « Soli autem Epi» scopi signent chrismate in fronti» bus baptizatos, quia huiusmodi » unctio non debet nisi per Episcopos » exhiberi, quoniam soli Apostoli, » quorum vicem gerunt Episcopi, per » manus impositionem, quam Confir» matio, vel frontis chrismatio re-

» praesentat, Spiritum sanctum tri-
» buisse leguntur. »

Continentur vero in S. Congregationis de Propaganda Fide tabulario monumenta, quibus constat quanta diligentia, et gravitate res pertractata fuerit antequam Clemens VIII Pontifex Maximus decreto diei 31 Augusti 1595 prohibuit ne Italo-Graeci Presbyteri *baptizatos chrismate consignent.* Eo quidem tempore, prout ista monumenta confirmant, atque ex actis apparet congregationis habitae de ea re, cui praeerat Cardinalis Sanctorius, seu S. Severinae, quam congregationem Pontifex ad rem penitus pervolvendam destinaverat, eo, inquam, tempore, valde dubia existimabatur sententia, num generatim Graeci Presbyteri Confirmationis Sacramentum possent rite conferre. Anno autem 1600 de eadem re est iterum pertractata controversia, atque in conventu ad negotium perpendendum habito, Cardinalis Bellarminus, qui intererat, et cui Pontifex rem pensandam commiserat, una cum Cardinali S. Severinae affirmavit, sibi dubium videri, num generatim consuetudo Graecorum, ut Presbyteri baptizatos valide confirment, num, inquam, ea consuetudo non fuerit abrogata per Innocentii IV constitutionem. Et cum Clemens XI Pontifex esset, eo res pervenit, ut feria V 9 Iulii 1718 ad quaestionem propositam ab Euthymio Episcopo Tyri et Sidonis Graeco-Melchita, responsum fuerit, confirmatos a simplici Sacerdote, debere iterum ab Episcopo confirmari ad cautelam, secundum Clementis VIII decretum pro Graecis editum, nisi docuissent de aliquo privilegio ab Apostolica Sede obtento, ita vero, ut a presbyteris confirmati, cogi non deberent ad Sacramentum Confirmationis denuo accipiendum, maxime si ex ea re scandala potuissent oriri, eo quod Sacramentum Confirmationis non sit Sacramentum necessitatis.

Verum non superest nunc de Innocentii IV decreti sententia, neque potest superesse dubitatio. Nam Benedictus XIV cum aliis in locis, tum perspicue *lib. 7 de Synodo Dioec. cap. 9 n. 3* ostendit, quid de memorato Praedecessoris sui decreto sentiendum sit. «Innocentius IV, inquit,
» viribus carere voluit Confirmatio-
» nem administratam a simplici Sa-
» cerdote, sed unice quoad regnum
» Cypri, in quo praevalere incepe-
» rat ritus latinus, ob multitudinem
» Latinorum Antistitum ibidem de-
» gentium: ut enim idem ritus per
» totum Regnum propagaretur, et
» foret perpetuus, necessarium duxit
» Innocentius IV revocare delegatio-
» nem a Romanis Pontificibus tacite
» saltem factam Sacerdotibus Grae-
» cis, conferendi Sacramentum Chri-
» smatis. Ceterum in aliis locis, in
» quibus Chrismatio data a Sacerdo-
» tibus Graecis, non est a Sede Apo-
» stolica expresse improbata, ea pro
» valida est habenda ob tacitum sal-
» tem privilegium a Sede Apostolica
» concessum, cuius quidem privilegii
» praesumptionem inducit ipsamet
» conniventia, et tolerantia Roma-
» norum Pontificum, qui praedictum
» Graecorum morem scientes non
» contradixerunt, nec umquam illum
» damnarunt. »

Post haec vero Pontifex Benedictus XIV hanc normam certo tenendam esse declaravit ab Episcopis, in quorum Synodo contigerit de robore Confirmationis a simplici Sacerdote Graeci ritus administratae disputari. Scilicet, inquiri antea diligenter oportere, num in regione, de qua sermo est, hic Graecorum mos fuerit umquam ab Apostolica Sede expresse improbatus, an potius eiusdem Sedis Apostolicae conniventia, et lenitate toleratus. Nam si primum illud verum esse Episcopus repererit, «Con-
» firmationem irritam pronuntiabit,
» atque a Sacerdote Graeco inaniter
» confirmatos, absque scrupulo ite-
» randi Sacramentum, iterum sacro
» chrismate inunget: si alterum,
» confirmationem ratam habebit.» In

dubiis denique casibus, rem Pontifici Maximo referendam esse, atque eius iudicium exspectandum Benedictus Papa constituit.

Hinc, inter cetera, est exploratissimum, circa Catholicos Graecos, qui Italiam, atque adiacentes insulas incolunt, qui *Italo-Graeci,* et *Graeci-Albanenses* vocantur, eo, quod ex Peloponneso, atque Epiro, Mohammedanorum crudelitatem declinantes, in Italia perfugium, atque hospitium repererunt; est, inquam, circa colonias istas Graecas (quae Latinorum Episcoporum subsunt iurisdictioni, in quorum dioecesibus commorantur) exploratissimum, Presbyteros Graeci ritus non posse Confirmationis sacramentum baptizatis conferre. Hoc enim diserte prohibitum est, prout superius commemoravimus, a Clemente VIII anno 1595 atque in celeberrima Benedicti XIV constitutione, cuius initium est *Etsi Pastoralis,* quae edita est die 26 Maii 1742, quaeque, ut ita dicam, veluti codicem continet, quo Ecclesiastica Graecorum, in Italia, atque in insulis Italiae adiacentibus negotia reguntur. Legendus huius Constitutionis paragraphus tertius, qui totus de Confirmationis sacramento a Pontifice scriptus est.

Aliquid est etiam nunc commemorandum de cura singulari, qua, cum ceteris quibusque temporibus Romani Pontifices, tum aetate ista, de qua loquimur, operam dederunt ut liturgicis sacris caeremoniis, fovendae apud Populum Christianum pietati, et Religionis splendori, ac dignitati impense prospicerent. Ex his vero seligam id, quod praecipuum est, institutam scilicet sanctissimi Corporis Christi festam solemnitatem, quae ab Urbano IV die 11 Augusti anno 1264 litteris Apostolicis Urbiventi scriptis decreta est.

Hac solemni decreta celebritate Urbanus IV, quem Moshemius, veluti illusorio loquendi modo, notiorem potius ob institutum festum istud, quam ob res gestas, esse dicit, hac, inquam, solemni celebritate decreta, Urbanus IV effecit id, quod Concilium Tridentinum deinde tantopere probandum, et commendandum esse iudicavit. Nam *sess. 13 de Eucharistia cap. 5* haec Sancta Synodus declaranda censuit: « Declarat Sancta Synodus, pie, et religiose admodum in Dei Ecclesia inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis, peculiari quodam, et festo die, praecelsum hoc, et venerabile Sacramentum, singulari veneratione, ac solemnitate celebraretur, utque in processionibus reverenter, et honorifice, illud per vias, et loca publica circumferretur. Aequissimum est enim, sacros aliquos statutos esse dies, ut Christiani omnes, singulari, ac rara quadam significatione, gratos, et memores testentur animos erga communem Dominum, et Redemptorem, pro tam ineffabili, et plane divino beneficio, quo mortis eius victoria, et triumphus repraesentatur. Ac sic quidem oportuit, victricem veritatem de mendacio, et haeresi triumphum agere, ut eius adversarii in conspectu tanti splendoris, et in tanta universae Ecclesiae laetitia positi, vel debilitati, et fracti tabescant, vel pudore affecti, et confusi aliquando resipiscant.» Addidit praeterea canonem Sancta Synodus, qui eadem sessione n. 6 est, quo, anathemate indicto, hunc laudabilem, et universalem Ecclesiae Sanctae ritum, et consuetudinem tueretur. Itaque tum ipsa rei natura, tum Ecclesiae de huius festi institutione sententia ostendit, quanta laude dignum sit consilium ab Urbano IV initum, ut illud decerneretur.

Prostant vero in eruditissimo libro Benedicti XIV *de festis D.N.I.Christi cap. 13* ea omnia, quae ad huius festi institutionis historiae notitiam pertinere possunt. Inter quae haec sunt referenda, quae Pontifex n. 7 subdit: « Clementem V in Concilio Viennensi, anno 1311 habito, Ur-

» bani constitutionem confirmavisse, » quam demisso animo, ut par erat, » Patres acceperunt, ut videre est » in *Clementina unica de reliquiis,* » *et veneratione Sanctorum.* Cuius » exsequutionem Ioannes XXII, qui » anno 1316 Clementi V successit, » omni studio curavit (huic autem » praecipue tribuitur passim sole- » mnis processionis, hac die fieri so- » litae in universa Ecclesia peragen- » dae institutio), ad eamque rem » Martinus V et Eugenius IV novis » indulgentiis tribuendis plurimum » contulerunt, ut tandem in tota Ec- » clesia festivitas celebraretur.» Quod vero studium memorati Pontifices ad huius festi solemnitatem fovendam adhibuerunt, illud etiam eorundem Successores perpetuo confirmarunt.

Omitti tandem hoc loco non potest, quod Pontifex Benedictus XIV loc. cit. n. 11 animadvertit, revera D. Thomam Aquinatem officii auctorem fuisse, quod hoc solemni festo die recitamus. Commemorat vero inter cetera, Natalis Alexandri de ea re dissertationem, qua lecta Papebrochius in propylaeo mensis Maii parte 2 pag. 53 affirmavit, se omnem dubitationem abiecisse, qua antea is fuerat affectus, num vere D. Thomas illius officii auctor esset existimandus. Post haec autem recensita, concludit Pontifex: « Quae numquam » orta esset controversia, si iis dis- » ceptatoribus (de officii istius au- » ctore) innotuisset edita a Xisto IV » constitutio, quam reperias in tom. 3 » Bullarii Fratrum Praedicatorum » pag. 555. In ea declarat Pontifex, » eam solemnitatem ab Urbano IV » institutam; deinde subiicit: pro- » priumque eiusdem solemnitatis Of- » ficium per B. Thomam de Aquino, » tunc in ipsa curia exsistentem com- » positum edidit. »

Necesse vero non est, post ea, quae ex Concilio Tridentino retulimus, quidquam addere, quo ostendatur, quam fuerit, non opportunum tantummodo, sed etiam quanto iure debitum, ut solemne istud Corporis Domini festum institueretur, et tanta laetitia, tantoque religionis obsequio perageretur. Nam continet allatus Concilii Tridentini locus rationum omnium gravitatem, quibus ad obsequentissimum erga Dominum nostrum cultum latriae demonstrandum, et ad animi nostri sensum gratum testandum, hac pompa illud festum celebrari debeat. Apposite praeterea ex eo testimonio colligitur, quam fuerit opportuna ista celebritas, et festi diei solemnis institutio, ad obiiciendum universae Ecclesiae sensum nefariis haereticorum erroribus, qui, sive veram, realem, ac substantialem Corporis et Sanguinis Christi, una cum anima, et divinitate praesentiam in Eucharistia denegaverunt; sive latriae cultu, etiam externo in Sacramento Eucharistiae, Christum Unigenitum Dei Filium non esse adorandum ausi sunt affirmare; sive tandem contra Catholicae Ecclesiae fidem contenderunt, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiae Sacramento non esse Corpus et Sanguinem Domini, sed tantum in usu dum sumitur, non autem ante, vel post, atque in hostiis consecratis, quae post communionem reservantur, vel supersunt, verum Domini Corpus non remanere; in quos errores omnes eadem Sancta Oecumenica Tridentina Synodus, significata superius sessione 13 canonibus suis, anathematis sententiam pronuntiavit.

Haec, quae diximus, satis multa sunt, ut evincant, exemplis tantummodo quibusdam adductis, quanta pro Ecclesiae bono Pontifices Romani hac aetate peragenda, ac statuenda curaverint.

Sed dum haec, aliaque plura agebantur, quae tantopere erant Ecclesiae utilia, atque ostendebant, quam studiose Romani Pontifices Religionis bono, in posterum quoque, impense prospicerent; magnam Ecclesia ipsa molestiam ab Haereticis patiebatur, quos etiam alio loco vidimus civilem Rempublicam vehementer per-

turbavisse. Ut tanto malo occurrerent, Pontifices Maximi plurimum solliciti fuerunt, ac viri sanctitate praestantes omnem operam impenderunt; inter quos D. Dominicus Ordinis Patrum Praedicatorum Institutor excelluit, qui pro eo, quo praestabat, charitatis spiritu, et singulari Religionis amore, praedicatione, orandi studio, patientiae virtute, ac laborum sedulitate, de Albigensibus ad fidem catholicam convertendis summopere laboravit. Ad ea etiam tempora Inquisitionis tribunalis initia referuntur, quod tribunal, non ea tantum de causa institutum est, ut haereticorum audacia coerceretur, sed ut fidei catholicae ubique tuendae, ac morum in Christiano populo integritati conservandae consuleretur. De qua re non est mirum scriptores in Catholicam Ecclesiam male animatos acerbe detraxisse, prout apud Moshemium inter ceteros videri potest in *Inst. Hist. Eccl. saec. 13 parte 2 cap. 5*, ubi quoque de Innocentio III ac Gregorio IX conqueritur.

Non potuit enim eiusmodi scriptoribus non valde displicere, tale institutum esse tribunal, cui commissum sit religiosum munus, diligenter, graviterque videndi, ne quid Religio Catholica detrimenti capiat, et ne Haereticis liceret errores suos impune propagare, aut sanctissimam Ecclesiae disciplinam contemnere. Non potuerunt etiam ob institutum hoc tribunal non indignari, qui Christianae Religionis divinitatem impugnare, atque una simul bonis moribus, ac legitimi societatis regiminis conservationi, nefariis, clandestinisque consiliis suis, extremam perniciem afferre conati sunt. Meretur ut legatur de hac re, inter ceteros scriptores, *Pisti Alethini, Epistolarum ad auctorem anonymum opusculi inscripti: Quid est Papa? tom. 1* is locus, quo §. *22 pag. 304 et seqq.* de Inquisitionis tribunali pertractat, et pronuntiatas ab Eybelio contra illud calumnias refellit. Valde est praeterea opportunum, opus illud, adeo ingeniose ab Iosepho Maistrio scriptum legere, cuius titulus est: *Lettres à un Gentilhomme Russe, sur l'inquisition Espagnole;* quibus litteris clarus scriptor ostendit, quantopere a vero sint aliena, quae ad detrahendum de ipso sacro tribunali, summa confidentia saepenumero scriptores aliqui affirmaverunt. Sed haec de rebus ad saeculi XIII historiam pertinentibus exposuisse tandem aliquando sufficiat. Ad ea potius nos convertamus, quae saeculi XIV historiam ecclesiasticam respiciunt.

EX SAECULO DECIMOQUARTO

CAPUT XXIX.

DE BONIFACIO VIII ROMANO PONTIFICE.

Acturi de iis, quae praecipua saeculi XIV Historiae Ecclesiasticae capita continent, debemus primo loco de Bonifacii VIII Pontificis Maximi rebus gestis peculiarem pertractationem aliquam instituere. Id autem non modo temporis ratio requirit, quod in ipso huius saeculi exordio Bonifacius universae Ecclesiae praeesset, sed etiam quod magna fuerit huius Pontificatus celebritas, atque eae sint accusationes refellendae, quae ad detrahendum de tanti viri, ac Pontificis memoria confidenter a pluribus in medium allatae sunt.

Antea vero perstringemus quae ad proximi Bonifacii ipsius Praedecessoris Pontificatum pertinent. Nam sunt nonnulla contra Bonifacii virtutem allata, ad quae intelligenda necessarium est, proximi Praedecessoris illius notitiam habere. Itaque, ut qua ratione ad Pontificatum Maximum Bonifacius VIII pervenerit,

intelligatur, aliqua de eius Praedecessore referemus.

Scilicet Nicolao IV die 4 Aprilis anno 1292 mortuo Caelestinus V Inserninus die 5 Iulii 1294 suffectus est, qui Aeserniae in Samnio natus erat, et Petrus de Murrone appellabatur. Condidit autem illud sodalitium, quod ex Pontificio eius nomine, Caelestinorum dicitur. Florebat vero magna sanctitatis laude, quam iure sibi comparaverat; atque idcirco ad summum Pontificatus gradum est perductus. Valde diuturnum tempus lapsum erat, ex quo post Nicolai IV mortem Sedes Apostolica vacabat, cum post viginti septem fere mensium spatium, non adhuc Cardinales de Pontifice, qui Nicolao esset sufficiendus, convenissent. Verum tandem eum licet absentem die 5 Iulii 1294, prout superius dixi, Perusiae elegerunt. Nuntio autem electionis suae accepto, primum fugam Petrus molitus est, sed ab ea prohibitus, etsi invitus, delatum tamen sibi pontificium munus suscepit. Quare ex Monte Murrone secedens, in quo eremiticam vitam agebat, Aquilam se contulit, ubi, convocatis Perusia Cardinalibus die 29 Augusti anno 1294 consecratus fuit.

Plura deinde, brevi quidem Pontificatus sui tempore, Caelestinus decrevit. Inter quae illud est praecipue commemorandum, quod Gregorii X legem confirmans, aut renovans, iussit, Pontifice Romano mortuo, vel abdicante, Cardinales in custodia, seu conclavi concludi debere, ex quo egredi non possent, nisi postquam novum Pontificem elegissent, id quod in posterum in facienda Pontificis electione perpetuo servatum est. Haec vero Caelestinus decrevit, quod vehementer doleret, tam diuturnam Nicolao IV mortuo fuisse Apostolicae Sedis vacationem.

Post breve tamen temporis spatium, videlicet die 13 Decembris anno 1294 Caelestinus Pontificatu Neapoli abdicavit. Nam vir, meditationi praesertim, aliisque monastico instituto consentaneis religiosis operibus assidue deditus, quique in gerendis Ecclesiae, aut Reipublicae rebus vix ullam partem videbatur posse suscipere, postquam constitutionem edidisset, qua declaravit, Pontifices Maximos posse dignitatem suam deponere, quod vel ab initio recusare voluerat, collatum sibi munus sponte dimisit. Vixit autem postea Caelestinus usque ad diem 19 Maii anni 1296, quo die in Castro Fumonis mortuus est, ubi in honesta custodia morabatur. Habebat enim Bonifacius VIII timendi causam, ne quis hominis humilitate, aut mansuetudine abuteretur ad Ecclesiam perturbandam, licet Caelestinus ipse, ab omni, non modo schismate, sed quacumque alia re committenda esset ceteroquin alienus, quam Ecclesiae bono officere posse intellexisset. Illum vero inter Sanctos suos Ecclesia colit, in quorum album a Clemente V relatus est.

Cum Caelestinus Pontificatum sponte dimisisset, habita statim sunt comitia ad novum Pontificem eligendum. In his vero comitiis die 24 Decembris anni 1294 Neapoli Pontifex electus est Benedictus Caietanus Ananiae natus, Cardinalis tituli SS. Silvestri et Martini, qui Bonifacii VIII nomen suscepit. Vir erat utriusque iuris peritissimus. Consecratus autem Romae est die 2 Ianuarii anni 1295: Pontifex fuit usque ad diem 11 Octobris anni 1303, quo die in Urbe obiit. Iacobus De Stephaneschiis Cardinalis S. Georgii ad Velum Aureum in praefatione operis de huius Pontificis consecratione, haec de Bonifacii electione habet: « Post Caelestini cessionem die un-
» decima, vigilia scilicet natalis Do-
» mini quae labentis tunc millesimi
» ducentesimi nonagesimi quarti an-
» ni, ultimo decurrebat die, Bonifa-
» cius VIII tunc Benedictus Caietanus
» nomine, Anagnia ortus, profundae
» iuris utriusque scientiae, longique
» in illis exercitii, doctaeque expe-
» rientiae, in Romanae Ecclesiae mo-

» ribus veteranus, cardine etiam in-
» signis, in summum Pontificem,
» scrutinio, accessioneque eligitur. »
Raynaldus autem, ad eundem annum 1294 n. 1 perstringens res praecipuas a Bonifacio gestas, eiusque laudes, atque ornamenta significans, affirmat, Pontificem statim post suscepta Ecclesiae gubernacula « ani-
» mo orbem universum complexum
» fuisse; . . . et ob egregia consilia
» (quae ibi cursim recenset) cum
» praestantissimis quibusque Ponti-
» ficibus iure esse conferendum. »

Enumerat vero ista praecipua, quae Bonifacius ad Ecclesiae et Reipublicae bonum consequendum inivit consilia, eodem loco Raynaldus: hoc est, Pontificem meditatum esse, pacare Italiam, Siciliam revocare ad officium, Hispanias foedere cum Gallis coniungere, Philippum, et Eduardum Regem ad pacem adducere, Adolphum Romanorum Regem ab invadendis Galliis deterrere, ceteros christianos, qui in mutua coniurarant funera, tamquam fidelibus perdendis Saraceni non sufficerent, firmissima connectere concordia, initaque armorum societate, Schismaticos Graecos ad obsequium Ecclesiae Romanae adigere, et Terram Sanctam recuperare ob dissensiones Occidentalium amissam. Atque haec satis omnino sunt ad singularem animi magnitudinem intelligendam, qua Bonifacius praeditus erat. De disciplina autem Ecclesiae regenda vidimus alio loco Pontificem optime meritum esse, tum rebus, quas in decretalibus suis constituit, tum ob *Sexti* iuris canonici libri decretalium factam editionem. Professionem fidei, quae in libro Diurno Romanorum Pontificum continetur, cum consecraretur, summa religione fecit. Praeterea pro sua in Apostolos, aliosque illustres Ecclesiae Sanctos pietate, atque, ut populum christianum ad peculiarem erga eos venerationem excitaret ipso primo Pontificatus sui anno, voluit solemniter celebrari festa SS. Apostolorum, Evangelistarum, atque Ecclesiae Doctorum.

Illud vero est inter celeberrima Bonifacii VIII facta recensendum, quod Iubilaeum in urbe, centesimo quoque anno celebrandum (prout Benedictus XIV ait in alloquutione die 3 Martii anno 1749 ad S. R. E. Cardinales in consistorio secreto habita, qua de facienda anno 1750 Iubilaei celebratione egit), quod, inquam, Bonifacius « vel primus instituerit, vel saltem restituerit. » Atque id iure Benedictus XIV affirmavit. Etenim, ut cetera omittam, Guillelmus Ventura Estensis illorum temporum Chronographus, quem Muratorius inter rerum Italicarum Scriptores tom. 2 commemorat, quique anno circiter 1250 natus erat, haec cap. 26 memoriae prodidit: « Notum facio o-
» mnibus fidelibus christianis, quod
» de anno millesimo tercentesimo,
» ab Oriente, et ab Occidente, tam
» viri, quam mulieres ex omni ge-
» nere christiano, innumerabili quan-
» titate veloces Romam pergentes,
» dixerunt Bonifacio: Da nobis be-
» nedictionem tuam antequam mo-
» riamur. Audivimus ab antiquis,
» quod quisquis christianus omni an-
» no centesimo visitaverit corpora
» Beatorum Apostolorum Petri, et
» Paulli, liber sit, tam a culpa, quam
» a poena. » Quae verba certe argumento sunt, apud populum christianum hanc servatam esse sententiam, eius anni Iubilaei antiquiori tempore factae celebrationis. Bonifacius vero ipse in constitutione, qua Iubilaeum indixit, et quae inter Extravagantes Communes legi potest, hac ratione scripsit: « Antiquorum habet fida re-
» latio, quod accedentibus ad hono-
» rabilem Basilicam Principis Apo-
» stolorum de Urbe, concessae sunt
» magnae remissiones, et indulgen-
» tiae peccatorum. »

Quae autem, et quanta fuerit hominum copia, qui post indictum a Bonifacio VIII Iubilaeum Romam se contulerunt, ad Indulgentiae beneficium salutare suscipiendum, satis

erit a memorato superius Guillelmo Ventura accipere. « Mirandum est, » inquit, quot passim ibant viri, et » mulieres, qui anno illo Romae fue- » runt, quia ego ibi fui, et per dies » quindecim ibi steti, fenum caris- » simum ibi fuit, hospitia carissima. » Exiens de Roma in vigilia Nativi- » tatis Christi, vidi turbam magnam, » quam dinumerare nemo poterat, et » fama est inter Romanos, quod ibi » fuerunt plusquam ducenta millia » virorum et mulierum. Pluries ego » vidi, tam viros, quam mulieres con- » culcatos sub pedibus aliorum, et » egomet in eodem periculo plures » vices evasi. »

Allatum mox testimonium clare significat, quam grata fuerit Christiano Populo universo Iubilaei institutio, sive restitutio a Bonifacio VIII facta. Atque hanc piam populi christiani sententiam perseverasse temporibus posterioribus usque ad aetatem nostram, monumenta testantur omnia, quae ad Iubilaei celebrationem spectant (de qua re, inter cetera, legi potest istorum annorum celebrationis tractatus ab eruditissimo Zaccaria conscriptus); qui salutaris annus numero vicesimus a Leone XII Pontifice Maximo anno 1825 celebratus est. Quo anno testes ipsi fuimus, quanta celebritate, ac religione, quantaque hominum, ex remotissimis quibusque regionibus Romam advenientium frequentia, tempus hoc acceptabile persolutum fuerit. Quae res eo anno, Religioni nostrae, atque Apostolicae Sedi gloriosior evasit. Nam cum ineunte saeculo decimo nono ea esset publica, non Ecclesiae tantum sed civilis etiam Reipublicae calamitas, ut necesse fuerit a Iubilaeo celebrando abstinere, gratulabantur insipienter qui adversus Dominum meditabantur inania, religiosam hanc solemnitatem abrogatam fuisse. Quoniam vero, qui habitat in caelis irridebat eos, eadem celebritate, eodemque Populi christiani plausu, ac fructu, a Leone XII salutaris annus celebratus est, quo eius Praedecessores Iubilaei annum peregerant, veluti si atrox illa tempestas in Ecclesiam commota non fuisset.

Est vero imprimis Religioni utile, atque honorificum, Iubilaei annum Romae celebrare. Hoc enim ad honorandam Divi Petri memoriam, ad obsequium erga Pontificis Romani primatum in universam Ecclesiam iurisdictionis ostendendum, ad unitatem Ecclesiae Catholicae, atque ad eiusdem unitatis centrum facto ipso omnibus significandum, ad Dei Optimi Maximi misericordiam fructuosius, atque uberius implorandam, ad sanctiorem denique vitae rationem ineundam, hoc, inquam, salutare plurimum est, atque opportunum. Haec prae oculis Romanos Pontifices habuisse semper in Iubilaei celebratione res adeo perspicua est, ut Scriptorum in Ecclesiam male animatorum dicteria, qui de sacra ista solemnitate detraxerunt, peculiarem confutationem non mereantur.

Bonifacius quidem VIII cum Iubilaeum anno 1300 indixit, centesimo quolibet anno celebrari illud debere statuerat, sed frequentior deinde anni Iubilaei celebratio facta est. De qua re Benedictus XIV in constitutione cuius initium est *Peregrinantes* diei 5 Maii anni 1749, qua Iubilaeum anno 1750 celebrandum indixit, his verbis loquutus est: « Bene, ac sa- » pienter Praedecessores Nostri Ro- » mani Pontifices, quaedam tempora » in saeculorum evolutione delege- » runt, quibus universos per orbem » terrarum Christi fideles, de ingru- » ente mundi fine commonefactos, » maiori studio excitarent ad redi- » menda peccata, ad salvandas ani- » mas. Quumque id olim centesimo » quoque anno fieri consuevisset, ha- » bita deinde ratione illius temporis » intra quod generationes hominum » passim renovari conspiciuntur, post » singulos vigintiquinque annos hoc » idem provide praestandum esse de- » creverunt, ut novis subinde fami- » liis super faciem terrae succrescen- » tibus, generalia propitiationis, et

» indulgentiae consequendae media, » non sine apta poenitentialium ope» rum praefinitione suppeditarent. »

Haec vero immutatio circa Iubilaei celebrationis frequentiorem usum ita contigit. Videlicet cum Clemens VI anno 1342 Pontificatum suscepisset, non multo post Legatos a Romanis accepit, primum, ut Avenione Romam reverteretur, deinde, ut decerneret annum Iubilaei non centesimo, sed quinquagesimo quolibet anno celebrari; haec autem in litteris suis latinis Petrarcha testatur. Huic postremae petitioni Pontifex assensus fuit, prout apparet ex eiusdem constitutione, quae inter Extravagantes relata est post eam, quam de Iubilaeo anno 1300 celebrando Bonifacius VIII ediderat. Statuit igitur Iubilaeum esse peragendum inter festum Nativitatis Domini utriusque anni 1349, ac 1350, et cum amplissima potestate ad negotia Iubilaeum respicientia Hannibalem de Ceccanio Cardinalem Episcopum Tusculanum Legatum Apostolicum destinavit. Magna fuit etiam eo anno hominum multitudo, qui ad Urbem se Religionis causa contulerunt, prout Matthaeus Villanius aliique veteres Scriptores memoriae prodiderunt. Atque ea tanta hominum multitudo, quam Villanius praesertim describit, summam omnino fuisse, eo magis est miranda quod eo anno teterrima esset in pluribus Europae regionibus pestilentia, et magno numero homines pestilenti morbo correpti interirent.

Brevius deinde annorum spatium statutum est ad Iubilaei celebrationem faciendam. Nam cum Gregorius XI Avenione Romam tandem aliquando reversus fuisset, atque in hac urbe, quae Successorum D. Petri Apostolorum Principis propria sedes, ac domicilium est, permanendi mentem ostendisset, Romani studiose a Pontifice petierunt, ut ad triginta tres annos tantummodo tempus redigeret, quod ab uno ad alterum Iubilaeum fluere debet, quae petitio tum ad venerandam D. N. I. C. annorum vitae memoriam facta est; tum ut in communi hominum vitae brevitate, multi beneficio Iubilaei non privarentur. Verum Gregorius XI, quod sibi proposuerat, morte impeditus efficere non potuit, etsi eius constitutio exstet de hac re, quae incipit *Salvator Noster,* in qua statuit, ut praeter Basilicas SS. Apostolorum Petri et Paulli, ac Lateranensem, cuius visitationem Clemens VI addiderat, Basilica etiam S. Mariae Maioris, anno Iubilaei vertente, celebrari debeat. Urbanus VI, qui Gregorio XI anno 1378 successerat, quod eius Praedecessor faciendum decreverat, neque ipse exsequi potuit, quantumvis adeo notum esset, Urbanum id fuisse effecturum, ut nummus cusus in eius honorem fuerit, quo haec verba expressa sunt: *Iubilaeo ex quinquagesimo, ad trigesimum tertium annum reducto.*

Bonifacius IX tamen anno 1390 Iubilaeum istud celebravit, et licet ob schisma iam exortum nonnullae nationes Clementi VII in Galliis commoranti obtemperarent, ex quibus Romam peregrini non venerunt, refert tamen Theodoricus De Niemia in *Hist. schism. Occ. lib. V cap. 68:* « Innumerabiles peregrini toto illo » anno, postquam incepit Iubilaeum, » praesertim de Alemannia, Hunga» ria, Polonia, Bohemia, Anglia, et » aliis Regnis, et Provinciis, quae » fuerunt de obedientia Urbani, ad » Urbem venerunt. » Denique Paullus II anno 1470, quo facilius cuiuslibet aetatis Catholici, amplissimi beneficii Iubilaei participes esse possent, statuit vigesimo quinto quolibet anno Iubilaeum celebrandum esse, id, quod ab anno 1475, quo Xistus IV hoc effecit, posterioribus quibusque temporibus servatum est.

Bonifacius VIII denique prout superius indicavi, die 11 Octobris anno 1303 Romae mortuus est. De eius morte autem Cardinalis de Stephaneschiis haec scripsit: « Lecto pro» stratus anhelus Procubuit, fassus» que fidem, veramque professus Ro-

» manae Ecclesiae, Christo tunc red-
» ditur almus Spiritus. » Corpus vero Bonifacii VIII repertum est incorruptum in Vaticano eiusdem sepulcro die 11 Octobris anno 1605. Ita rem narrat Benedictus XIV *lib. 4 de Servorum Dei Beatif. et Beatorum Canonizatione part. 1 cap. 30 n. 7:* « Inclinatis parietibus antiquae Ba-
» silicae Vaticanae , ab Imperatore
» Constantino exstructae , cum pro
» magnificentia novi operis sacellum
» S. Bonifacio sacrum everteretur
» iussu Summi Pontificis Paulli V,
» in eo inventum est sepulcrum Bo-
» nifacii VIII, in quo visum est cor-
» pus eius incorruptum post trecentos
» et duos annos a die obitus, corruptis
» tantum naso, et labiis, magna ad-
» stantium admiratione , ut ex pu-
» blicis tabulis constat editis apud
» Raynaldum ad an. 1303 n. 44, ex
» quo corruit putida illa fabula, Bo-
» nifacium, videlicet, Pontificem sese
» rabiose dentibus dilaniasse, et hoc
» modo mortuum esse, veluti obser-
» vat Pagius *in Brev. Rom. Pont.*
» *t. 3 in eius vita n. 74,* et ante
» eum adnotavit Michael Mauclerus
» in opere: *de Monarchia Divina*
» *Ecclesiastica, et Saeculari,* ubi
» *parte 4 lib. 7 col. 2390* haec de
» Bonifacii morte scripta reliquit: In
» Vaticano palatio spiritum Deo red-
» didit, nec furenti similis, ut qui-
» dam falso calumniatorum, Haereti-
» corum, Schismaticorumque deliria
» sequuti scripsere , sed pleno iu-
» dicio integroque rationis sensu ,
» vera commissorum peccatorum ta-
» ctus contritione cordis, excessit e
» vita. »

Plura alia possent de rebus a Bonifacio gestis recenseri, sed quae retulimus, ad ornamenta, quibus Pontifex praeditus erat, et ad virtutem, qua idem praestabat, significandam, satis esse possunt. Nunc nonnulla de iis dicemus accusationibus, quae ad obscurandam tanti Pontificis memoriam , in medium afferri consueverunt. Id autem occasionem quoque suppeditabit, ut celebriora alia quaedam facta, quae ad huius Pontificatus historiam pertinent, explicare debeamus.

Primo quidem vix ea videntur confutationem mereri, quae de Bonifacio nonnulli affirmarunt, veluti si eius instigatione Caelestinus V adductus fuerit ad consilium ineundum de Pontificatu abdicando; et fraudem etiam aliquam ille adhibuerit, ut vir Sanctus sibi persuaderet, non communi hominum tantum opinione, sed supernis etiam significationibus ostendi , eum ad Pontificatum dimittendum teneri.

Nam haec aperte falsa sunt. Plures fuerunt Caelestini ipsius aetate scriptores , qui de abdicatione Pontificatus, quam ille fecerat, in operibus suis loquuti sunt. Inter hos nonnulli universam huius abdicationis causam ex eo deduxerunt, quod Caelestinus , pietatis , ac monastici religiosi instituti propriis operibus intentus esse vellet tantummodo, solitudinis amore animatus cetera despiceret, atque intime sibi conscius esset, se pertractandis, ac regendis auctoritate sua gravissimis Ecclesiae rebus imparem esse. Talis sententia est Cardinalis de Stephaneschiis *lib. 3 de vita Caelestini c. 3 ,* Guillelmi de Nangiis *in annalibus,* Cardinalis Iacobi de Alliaco *in Caelestini vita lib. 2 c. 2,* qui licet Bonifacio infensus esset , de Caelestino tamen affirmavit, eum « libere ces-
» sisse Papatus oneri et honori; » Eberhardi *ad an. 1290,* ac Francisci Petrarcha *de vita solitaria l. 2 c. 18.* Sunt praeterea inter illius temporis scriptores, qui abdicationis a Caelestino factae rationem afferunt, quod Cardinales intelligentes, vere Caelestinum idoneum non esse ad Pontificatum gerendum, rogati ab eo, mentem suam aperuerint, qua significaverint, expedire, ut si vellet, Pontificatum dimitteret , qua re Caelestinus in sententia confirmatus sit, atque in consilio iam ex intima persuasione suscepto de Pontificatu derelinquendo. Talis ex. gr. sententia

est Ptolemaei Lucensis *in Hist. Eccl. lib. 24.*

Denique sunt scriptores illius aetatis quorum testimonio diserte declaratur, hanc factam a Caelestino abdicationem, Bonifacii VIII, vel Benedicti Cardinalis Caietani consiliis tribui non posse. Atque id aperte colligi potest ex verbis Aegidii Columnae, qui S. Thomae discipulus fuit, qui in libro *de Renunciatione Papae,* ait: « Comprobare se potuisse ex » pluribus tunc viventibus, D. Boni- » facium Papam VIII tunc in minori- » bus agentem, et Cardinalem tunc » exsistentem, persuasisse S. Caele- » stino, quod non renunciaret, quia » sufficiebat Collegio, quod nomen » Suae Sanctitatis invocaret super » se. » Cardinalis vero Stephaneschius in poemate, quod scripsit *de Renunciatione Caelestini,* hac ratione Bonifacium cum Caelestino verba facientem inducit: « Quid pater his opus est? quaenam cunctatio curam Ingerit? Oh! tantis absiste gravare quietem. » Adducit praeterea clarissimus scriptor Nicolaus Wisemanius nunc Episcopus Melipotamensis, et centralis Angliae districtus Vicarii Apostolici Coadiutor, in dissertatione, quam recitavit die 4 Iunii anno 1840 in Romana Catholicae Religionis Academia ad Bonifacium defendendum; adducit, inquam, testimonium scriptoris anonymi libri, qui exstat in secretiori Vaticano tabulario, qui scriptor S. Caelestini discipulus fuit, et se Bonifacio inimicum aperte demonstrat. Eo autem testimonio continetur, Caelestinum per se ipsum suscepisse consilium de Pontificatu abdicando. « Adveniente, » inquit, quadragesima S. Martini, » Papa ille Sanctus decrevit solus » manere, et orationi vacare, fe- » ceratque sibi cellam ligneam in- » tra cameram fieri, et coepit in » eadem solus manere, sicut an- » te facere consueverat. Et in ea- » dem ibi permanens, coepit cogita- » re de onere, quod portabat et » quomodo posset illud abiicere abs- » que periculo, et discrimine a nimae » suae etc. »

Quod si deinde Cardinalis Benedictus Caietanus a Pontifice consultus, num Pontifex posset umquam Pontificatum dimittere, ei respondit, id a Pontifice fieri posse; hoc nullo modo argumento esse potest, Bonifacii VIII instigatione Caelestinum adductum fuisse ad Pontificatum derelinquendum. Nam primo loco constat ex iis quae superius allata sunt, Cardinalis Caietani sententiam omnino fuisse, ut Caelestinus in pontificatu retinendo perseveraret; deinde idem Cardinalis, qui adeo peritus in iure canonico erat, ignorare certe non poterat, neque huic rei omnibus notae contrariam responsionem afferre, scilicet Pontifici licere, Pontificiam dignitatem sponte ac libere dimittere, si ea adsint, quae consilii istius suscipiendi rationem gravissimam, et Ecclesiae necessitati consentaneam probare possint. Haec autem cum ita sint, facile evincitur, nonnisi per calumniam affirmari potuisse, Bonifacii instigatione factum esse, ut Caelestinus abdicaret.

Illud praeterea ad detrahendum iniuria de Bonifacii virtute excogitatum dici omnino debet, ita acerbe cum Caelestino, Bonifacii iussu, in arcta Castri Fumonis custodia actum fuisse, ut ille tot molestiis affectus, diu vivere non potuerit. Nam Ptolemaeus Lucensis in Hist. Eccl. loc. cit. ait: « Tentus igitur (Caelestinus) » in custodia non quidem libera, ho- » nesta tamen, in castro, ut dicunt, » Fumonis moritur. » Guillelmus vero de Nangiis loco superius memorato inquit: « Hic (Bonifacius) Cae- » lestinum Papam depositum, volen- » tem ad locum unde fuerat assum- » ptus redire, minime permisit, sed » honorifice fecit eum diligenti cu- » stodia in loco tutissimo custodiri. » Atque in eam custodiam Caelestinum includere Bonifacio necessarium visum est, eo quod non deessent, qui contenderent, illum Pontificatu abdicare non potuisse, atque idcirco Bo-

nifacium legitimum Pontificem existimari non posse. Factum hoc fuisse, ait Ptolemaeus citato loco, ut consuleretur « praecavendo scandalo Ro» manae Ecclesiae, quia apud aliquos » mussitabatur, an cedere potuisset, » et sic poterat schisma in Ecclesia » generari. »

Idem alii scriptores de hac custodiendi Caelestini causa tradunt. Ex quorum testimonio, ac praesertim Cardinalis S. Georgii ad Velum Aureum Raynaldus refert ad an. 1295 n. 13, post fugam, quam solitudinis amore Caelestinus arripuerat, eundem receptum, perhumane habitum a Bonifacio, persuasumque, ut in Fumonis arce in Campania sita consisteret, concessosque illi ex suo ordine aliquos religiosos viros, cum quibus divinis rebus vacaret, atque omnia illi opipare subministrata: sed virum Sanctum sacri propositi tenacem, a deliciis alienum, parce admodum cum suis oblatis usum, totum se rerum caelestium contemplationi addixisse. Quod si eo usque calumniati sunt inimici Bonifacium, ut Caelestinum mortuum esse affirmaverint ob vulnus, quod in capite, eo sic iubente, acceperit; id est penitus contemnendum, atque ostendit, quo studium inique maledicendi pervenire aliquando potuerit. Generatim enim scriptores illius aetatis, Caelestini mortem febri vehementi tribuunt, qua correptus obierit. Etenim Cardinalis de Stephaneschiis lib. *de Canonizat. Caelestini* ait: « Siccis » humoribus ardens Febris adest, sti» mulatque senem; sacrisque potitum, » Exhalare piam cogit ad sidera men» tem. » Cardinalis vero de Alliaco, qui acriter in Bonifacium invehitur, atque ei nullo prorsus in loco parcit, nihil habet de tali vulnere Caelestino inlato, quo perculsus mortuus sit. Hoc vero huius scriptoris silentium satis est ad calumniam, quam mox significavimus, demonstrandam.

Ad Bonifacii VIII electionem quod spectat, eam praecipue tribuendam Caroli II Regis Neapolis potentiae, Pontificis eiusdem inimici affirmaverunt; qui Carolo promiserit, se, modo Pontificatum consequutus esset, effecturum, ut ille Siciliam recuperaret. Verum falsum hoc quoque esse manifestum est. Ptolemaeus quidem Lucensis de Caelestini electione agens narrat, Benedictum Cardinalem Caietanum, morantem Perusiae inimicitiam cum Carolo Rege inivisse; sed Aquilae, cum Caelestinus coronaretur, Carolo fuisse reconciliatum. Verum ista probare nullo modo possunt, Regis Caroli potentia, et ob gratiam, qua apud illum Cardinalis Caietanus valeret, accidisse, ut hic Pontificatum consequeretur. Etenim idem Ptolemaeus, agens de iis, quae Neapoli evenerunt cum in vulgus spargi coeperat, Caelestinum velle Pontificatum dimittere, haec narrat: « Quod » cum Rex perpendisset, et Clerus, » mandat fieri processionem a maiori » Ecclesia, usque ad Castrum Regis, » cui processioni ego interfui. Cum» que pervenisset processio ad dictum » castrum, ubi dictus Pontifex mo» rabatur, exclamavimus more solito » pro benedictione... Data igitur be» nedictione, unus Episcopus proces» sionis praedictae, a Sancto Ponti» fice audientiam petit, loquens *in* » *persona Regis,* et totius Regni... » me praesente, supplicans eidem, » quod cum ipse esset gloria Regni, » nulla persuasione ad resignandum » consentiret. » Hoc testimonium profecto evincit, nisi fallor, Carolum Regem minime tunc curasse, ut Cardinalis Benedictus Caietanus Bonifacio sufficeretur.

Verum praeter ista afferre possumus Cardinalis de Stephaneschiis testimonium, quo aperte continetur, Bonifacii electionem contra Caroli Regis mentem evenisse. Primum quidem memoratus scriptor *lib. de Coron. Bonif. c. 2* refert, a Cardinalibus eum electum esse « digna concordia vocum: » tum subdit: « At populus » festinat: currere miles Tentat in » auditum; Caroli spes coepta pre» cando Defecit miserante Deo. Sunt

» ista relatu Digna, quod et Patri, » nec non sibi praestita noscens Mu- » nera, ab Ecclesia vultus avertit, » et ora. Nec matrem violare licet, » quin libera possit Desponsare vi- » rum. » Haec vero satis sunt ut huius etiam accusationis falsitas demonstretur. Legenda Papebrcchii ad hunc scriptoris memorati locum adnotatio.

Sunt nunc nonnulla dicenda de controversia illa gravissima, quae Bonifacium VIII Pontificem inter ac Philippum IV seu *Pulchrum* Galliae Regem pertractata est. Eam controversiam inde profectam esse contenderunt, et veluti certum affirmaverunt quamplures scriptores, quod Bonifacius in politicis Principum negotiis conaretur dominari; quamobrem evenisse dicunt, ut, vel a sui Pontificatus exordio, dirimendas susceperit quaestiones inter Philippum Regem Galliae, atque Eduardum I Angliae Regem commotas, eosque compulerit ad inducias statuendas; qua de causa Philippus indignatus, Pontifici morem gerere recusaverit, veluti ei, qui se in iis rebus immisceret, quae nulla ratione eiusdem subessent auctoritati.

Sed ista, cum rerum, quae tunc gestae sunt, veritate minime convenire, ex perspicuis monumentis ostenditur, quae continent, Bonifacium quidem ad pacem atque concordiam ineundam Christianos Principes hortatum esse, sed Principes ipsos optavisse, Pontificem in his controversiis tamquam arbitrum sententiam ferre.

Alio loco mentionem fecimus operis, quod Anglicani Gubernii ipsius iussu digestum est, quodque citari solet *Rymer foedera, acta publica* etc. Iam vero in eo opere, seu monumentorum collectione *tom. 2 pag. 682* Bonifacii VIII constitutio refertur die *21 Iulii seu 8 cal. Augusti anno 1295* Ananiae scripta, in qua ista Pontifex declarat.

« Dudum inter carissimos filios » nostros Philippum Franciae Regem » ex una parte, et Eduardum ex al- » tera Reges illustres, super diversis » articulis materia dissensionis exor- » ta, iidem Reges per speciales ipso- » rum procuratores, et nuncios ad » nos propterea destinatos, et ab eis » super his specialem potestatem ha- » bentes.... in nos.... tamquam in » arbitrum.... amicabilem composi- » torem, depositorem, et pronuncia- » torem super reformanda pace, et » concordia inter ipsos Reges, et su- » per omnibus, et singulis discordiis, » guerris, litibus, controversiis, quae- » stionibus.... quae fuerant, et esse » poterant inter eosdem Reges, oc- » casione quacumque, alte, et basse, » absolute, et libere, sub certa for- » ma compromittere curaverunt, vo- » lentes, promittentes, et expresse » consentientes tamdiu compromissa » huiusmodi perdurent, quandiu tre- » guarum voluntarie initarum antea » inter dictos Reges, tempus, et ter- » minus perduraret. Quod quidem » esse dixerunt, unius anni a festo » Epiphaniae nunc futuro proximo, » usque ad aliud festum Epiphaniae » nunc futurum proximum; et quod » nos interim, si placeret nobis, et » videremus expediens, possemus in » antea huiusmodi compromissorum, » ac ferendi arbitrii, seu arbitragii, et » aliorum in compromissis huiusmodi » contentorum, necnon et praedicta- » rum treguarum tempus, et termi- » num, simul, et non aliter, semel, » et pluries ad nostrum beneplaci- » tum prorogare. Nos vero praedictis » compromissis receptis, quandam or- » dinationem super huiusmodi nego- » tio duximus faciendam, prout tunc » conditio temporis, et negotii sta- » tus, et qualitas suadebant. »

Tale esse intelligunt facile omnes testimonium, quod attulimus, ut appareat a Bonifacio VIII inducias, seu treguae pactiones istas fuisse definitas ipsis Galliae, atque Angliae Regibus postulantibus, ut eius auctoritate componerentur. Id igitur afferre causam non potuit, ut dissidium, de quo loquimur, ex hoc Bonifacii facto profectum esse dici queat. Con-

suli quoque potest Lingardius in *Hist. Angliae tom. 3 c. 3 pag. 376 ed. Rom.*

Neque ad ostendendum, Principibus illis ita petentibus, Bonifacium arbitri partes non gessisse, illa valet animadversio, pacem, seu treguam, in adducto monumento dici initam fuisse ante festum Epiphaniae, cum ceteroquin Pontifex die 19 Februarii anno 1295 ad Eduardum scripserit, commendans, ut foederis pactiones susciperet, quas Episcopi Praenestinus, et Tusculanus Pontificii Legati ei erant expositurí. Nam quod spectat ad pacem, quae inita dicitur ante festum Epiphaniae, id respicit *compromissa treguarum, voluntarie inter dictos Reges antea initarum.* Quod vero actum est in posterum, ita, ut Pontifex die 19 Februarii potuerit Eduardo Regi treguae pactiones commendare, id spectat ad Pontificis arbitratum super eodem induciarum compromisso, quae res contigit posteriori mense, quo *praedictis compromissis receptis, ordinationem quandam* (Pontifex) *super huiusmodi negotio duxit faciendam, prout conditio temporis, et negotii status, et qualitas suadebant.*

Certum est vero, iis praesertim temporibus, hoc passim modo, veluti ad rem componendam prorsus graviori, ac tutiori, Principes Catholicos optasse controversias dirimi, prout in ipsius Bonifacii VIII Pontificatus historia habemus, ab eo inter Bononienses, et Estensem Marchionem, controversiam aliam fuisse diremptam. Denique dicere iure possumus, monumentum, quod ex Rymerii collectione depromptum attulimus, magnum lumen afferre ad rei, de qua agimus, explicationem; atque eam, ut arbitror, opinionem prorsus evertere, has inducias, scilicet, Bonifacii VIII auctoritate statutas, dissidii, de quo disputamus, causam esse potuisse.

Alia quoque affertur huius dissidii causa, prout apud Natalem Alexandrum *Diss. IX in saec. 13 et 14 art. I n. 1* videri potest, hoc est, Bonifacium iudicare voluisse de controversiis, quae obortae fuerant Philippum Pulchrum inter et Guidonem Flandriae Comitem; quamobrem missum ad Philippum a Pontifice Episcopum Meldensem, quo illum vel ad Guidoni satisfaciendum, vel ad Sedem Apostolicam adeundam adduceret. Qua re offensum Philippum, Pontifici se morem gerere in his rebus debere denegavisse.

Quodnam tamen huius rei, quae ad significandam dissidii originem adducitur, afferri grave argumentum possit, non facile intelligitur. Certe neque Raynaldus, neque Spondanus, neque scriptores historiae Ecclesiae Gallicanae, neque alii a me consulti scriptores hoc habent. Raynaldus praeterea innixus testimonio Villanii, S. Antonini, Meyeri, Iordani, discordiae inter Philippum et Flandriae comitem hanc causam fuisse refert, Guidonem, scilicet, promisisse filiam suam Regis Angliae filio se nuptui esse daturum, quin Philippus huic matrimonio inter principes illos ineundo assensum suum praebuisset. Philippus vero timens, ne ex matrimonio isto aliquod detrimentum sibi inferretur, Comitem, eiusque filiam in carcerem coniecit, quae non multo post mortua est. Guido autem in Flandriam reversus populum contra Philippum commovit, quae res gravi bello Galliam inter et Flandriam causae fuit. Legendus Raynaldus ad annum 1296 n. 17. Iam vero apparet in tota hac Raynaldi narratione nihil esse, quod ad Bonifacium Pontificem pertineat. Annalista autem doctissimus, atque in rebus narrandis copiosissimus, non omisisset id referre, si argumenta hoc probantia in promptu habuisset.

Verum praeter memoratos a Raynaldo scriptores, possumus etiam aliorum testimonia referre, quae idem de discordia, inter Galliae Regem, et Flandriae Comitem excitata narrant. Talis ex. gr. Cornelius Zanflietius est, quem Martenius fidelissimum, et diligentissimum scriptorem

appellat Is autem in chronico ait: « Comes Flandriae contra Dominum » suum Regem Franciae, Regi An- » glorum se confoederavit mediante » futuro matrimonio, quod inter fi- » lium Regis, et filiam Comitis fieri » proponebatur. Sed Rege Franciae » praemonito, ubi sponsa ad sponsum » ducebatur, insidiis positis captiva- » tur, quae post modicum tempus in » captivitate decessit. » Post haec refert bellum ob istam causam commotum, quin aliquid de Bonifacio recenseat. Consulenda hoc loco Martenii *Veterum monumentorum, et Scriptorum collectio tom. 5 col. 136.*

Rei praeterea, de qua loquimur, aliud in eadem Martenii collectione *tom. 4 col. 363* in opere, quod inscriptum est *Gesta Trevirensium Archiepiscoporum,* aliud, inquam, eiusdem generis testimonium reperitur. Nam ibi legitur: « Origo dissensio- » nis (inter Philippum et Flandriae » Comitem), et causa praecipua haec » fuit. Comes Flandriae filiam suam » desponsavit primogenito filio Regis » Angliae. » Nihil vero neque in isto etiam loco est, ex quo argumentum desumi possit, dissidium inter Bonifacium VIII Pontificem, et Philippum IV Galliae Regem, profectum esse ex eo, quod de controversia inter Philippum, et Flandriae Comitem iudicare Pontifex voluerit.

His adiungi potest, neque Bonifacium ipsum in tot, quas scripsit, litteris, et constitutionibus suis umquam de eventu isto loquutum esse, aut significasse, inde dissidium cum Galliae Rege originem derivasse. Hoc autem Pontificis silentium magni ponderis esse perspicuum est. Gravissimi etiam momenti censendum est, non modo Pontificem, ac memoratos superius scriptores factum istud silentio praeteriisse, sed neque Philippum Regem, neque eius administros, licet quascumque poterant accusationes attulerint ad evincendum, conatum esse Bonifacium ius circa potestatem politicam Christianorum Principum exercere, neque istos, inquam, factum, de quo hic sermo est, commemorasse. Est vero incredibile, rem tam gravem, et quae in Bonifacii Pontificis, ac Philippi Regis historia fuisset notissima, omitti penitus, prout significavimus, potuisse.

Alia prorsus vera occasio fuit dissidii, de quo sermonem habemus, inter Philippum IV et Bonifacium VIII Pontificem excitati; sed talis, ut Pontifex nulla ratione idcirco reprehendi possit; secus toties essent reprehendendi Pontifices atque Episcopi, quoties ad tuendam Ecclesiae libertatem, atque ad eiusdem iura propugnanda, aliquid iustissime decernunt, propter quod indignantur, aut offenduntur ii, quibus decreta eiusmodi non arrident. Ediderat, videlicet, Bonifacius VIII celeberrimam Constitutionem, cuius initium est *Clericis Laicos,* quam Raynaldus Ananiae datam esse ponit die 18 Augusti anno 1396 seu 15 cal. Septembris; scriptores vero Historiae Ecclesiae Gallicanae illam scriptam Ananiae esse existimant eo anno, die 21 Septembris.

De hac constitutione Raynaldus ad annum 1396 n. 22 ita refert: ob gravissimos sumptus, scilicet, quos bellorum causa Principes facere debebant, Ecclesiasticos reditus ad se convertendos, atque ad bellicas impensas erogandos iussisse; quamobrem magnopere Ecclesiam, et Ecclesiasticos vexatos esse: ob haec decreta Principum, « Ministrorum avaritiae, » exactorum crudelitati, ac praedae » eos expositos fuisse. Quare Boni- » facius quem tuendarum Ecclesia- » rum onus premebat, ex Cardina- » lium consilio constitutionem edidit, » qua vetuit Praesulibus, Clericis, » ac Religiosis viris, ... sine facultate » Sedis Apostolicae ista solvere: sol- » ventibus vero, atque exigentibus, » aut in locis sacris deposita occu- » pantibus, anathematis religionem » incussit, ac Legatis Apostolicis Al- » banensi, et Praenestino Episcopis » partes iniunxit, ut eam constitu- » tionem in Galliis, et Anglia pro- » mulgarent, et Praesules ad eam

» servandam adigerent. Litterarum » porro initium huiusmodi est: Con» stitutionem de Fratrum nostrorum » consilio nuper edidimus pro Eccle» siarum relevatione, ac libertate » ipsarum, quae incipit *Clericis Lai» cos* etc. »

Quae post editam Constitutionem istam evenerint, nunc breviter est referendum. Apparebit autem, licet inde dissidii, de quo loquimur, initium, seu origo deduci debeat, non posse tamen ex Constitutione ista rationem aliquam depromi, ut Bonifacius Pontifex iure accusetur.

Constitutionis enim istius *Clericis Laicos* a Bonifacio promulgatae, si natura consideretur, apparebit luculenter, Philippum Pulchrum, vel alios quoslibet, ob eam iniuste fuisse indignatos, et dissidii, de quo agimus, ex ea Bulla causam oriri non potuisse, si Philippus secundum rectam rerum rationem agere voluisset. Nam quae in Bulla memorata Bonifacius decrevit, ea ad disciplinam, ac libertatem, seu immunitatem Ecclesiae pertinebant. Talia praeterea temporis adiuncta erant, in quibus Bulla promulgabatur, ut Pontifex, ob muneris sui rationem, ad eam edendam se teneri, debuerit existimare.

Etenim, prout apud Raynaldum *ad an. 1296 n. 28* videri potest, Bonifacius ipse in posterum Philippo scripsit: «Constitutio nostra *(Clericis » Laicos)* si ad rivalem sensum non » trahatur, postposito coniuge, id, » si bene perpenditur, statuit, quod » alias per sanctiones canonicas est » statutum. »

Atque id iuste Bonifacius affirmabat. Nam, ex. gr. Concilium Lateranense Generale III canone 19 haec statuerat: « Isti onera sua imponunt » Ecclesiis, et tot angariis eas affli» gunt, ut illud eis, quod Ieremias » deplorat, competere videatur: *Prin» ceps Provinciarum facta est sub » tributo....* Quocirca sub anathema» tis districtione severius prohibe» mus, ne de cetero, talia praesu» mant attentare, nisi Episcopus, et » Clerus tantam necessitatem, vel » utilitatem aspexerint, ut absque » ulla coactione ad relevandas com» munes necessitates, ubi Laicorum » non suppetunt facultates, subsidia » per Ecclesias existiment conferen» da. Si autem Consules, aut alii de » cetero id praesumpserint, et com» moniti desistere noluerint; tam ipsi, » quam eorum fautores excommuni» cationi se noverint subiacere; nec » communioni Fidelium reddantur, » nisi satisfactionem fecerint compe» tentem. »

In Concilio autem Lateranensi Generali IV hoc canone 44 decretum est: « Cum Laicis, quamvis Religio» sis, disponendi de rebus Ecclesia» sticis nulla sit attributa potestas, » quos subsequendi manet necessitas, » non auctoritas imperandi; dolemus » sic in quibusdam ex illis refrige» scere charitatem, quod immunita» tem Ecclesiasticae libertatis, quam » nedum Sancti Patres, sed etiam » Principes saeculares multis privi» legiis munierunt, non formidant » suis constitutionibus, seu potius » destitutionibus impugnare. » Post haec eodem canone Concilium declarat, has principum constitutiones, quas destitutiones, aut destructiones potius vel iurisdictionum usurpationes appellari posse dicit, has inquam constitutiones laicae potestatis, quae fiunt sine « legitimo Ecclesiasticarum » personarum assensu... Sacri appro» batione Concilii non tenere; prae» sumptoribus per censuram Eccle» siasticam compescendis. »

Praeter ista, quae ad rem, de qua agimus, evincendam sunt gravissima Conciliorum Generalium decreta; constat etiam, Alexandrum IV, qui anno 1254 Pontifex factus est, peculiari sua epistola his decretis consentanea statuisse, ne Laica potestas onera eiusmodi Ecclesiasticis posset imponere, atque id de regionibus ipsis decrevisse, in quibus deinde Philippus Pulcher dominatus est, prout ex *Sexto Decretalium lib. 3*

tit. 23 c. 1 apparet. Quae res, quemadmodum apposite animadvertit P. Antonius Bianchi Ord. Min. Obs. in opere *de indirecta Ecclesiae potestate* etc. *lib. 6* §. *5* non Barones tantum, et Principes Regi Feudatarios respiciebat, cum talis prohibitio generatim omnem Laicam potestatem attingeret, et idcirco supremum etiam Principem, ex quo Barones iura sua derivabant. Legendus denique Thomassinius *de vet. et nov. Eccl. disciplina part. 3 lib. 1 cap. 43 n. 9*. Ostendit enim, allatis exemplis pluribus, quid in Galliae Ecclesia circa materiam istam obtineret, scilicet: « nusquam Reges abrupto imperio, » quidquam a Clero extorserant, nisi » interveniente Pontificis auctorita- » te, vel summa quadam arctante ne- » cessitate. »

Haec satis esse intelliguntur ad ostendendum, quam iniuria Philippus Pulcher ob Constitutionem a Bonifacio VIII editam *Clericis Laicos*, indignari ita potuerit, veluti si Pontifex contra potestatem Regis propriam quidquam molitus esset aut eius iura violasset. Talis praeterea Constitutio ista erat, ut neque rei, quae decernebatur, novitate quemquam offendere iure posset, cum id quod Bonifacius iubebat, esset Conciliorum Generalium, aliisque publicis monumentis idem vetantibus aperte conforme.

Quod spectat vero ad rerum adiuncta, in quibus haec Constitutio edita est, ea erant certe eiusmodi, ut Pontifex prorsus muneris sui esse iudicare debuerit, pro Ecclesiae bono illam promulgare. Significavimus superius quae generatim tunc essent tempora, ut propter bellorum, quae ubique gerebantur, impensas, ubique in suis bonis, ac reditibus vexaretur Ecclesia. Quod pertinet quidem ad Galliam, de eo Regno haec Iordanus scripsit, prout legi potest apud Raynaldum ad an. 1296 n. 23: « Rex » Franciae propter guerras, graves » exactiones pecuniarum posuit, quae » *malatolta* vocabantur. Et primo » super mercatores tantum centesi- » mam, postea quinquagesimam tam a » Saecularibus quam a Clericis ac- » cepit: propter quod Bonifacius, Re- » ges et Principes, a Clericis et Ec- » clesiis talia auferentes absque Pa- » pae licentia sententiam excommu- » nicationis tulit. » De Angliae Rege praeterea Raynaldus loco citato Polydori testimonium hoc adducit: «Bo- » nifacius VIII Romanus Pontifex, » animadvertens Christianos Princi- » pes avare, et percrebro sine iusta » causa, nova quotidie Sacerdotiorum » fructibus imponere vectigalia, at- » que sine fine, arbitratu suo, de- » cimam, vigesimamque eorum par- » tem tributi nomine imperare; im- » munitati Ordinis sibi consulendum » statuit. »

Duobus hisce modo adductis illorum temporum scriptorum testimoniis alia possent adiungi, si res perspicua non esset, quae testimonia id, quod dicimus, confirmant, revera tam gravem fuisse in re, de qua agimus, Ecclesiae vexationem, ut necesse omnino esset huic abusui graviter occurrere. Eiusdem vero rei demonstratio alia, est cura a Conciliis adhibita, quae his temporibus habita sunt. Etenim possunt plura Concilia ea aetate celebrata commemorari, quae decretis suis operam dederunt, ut Laicam potestatem ab oneribus eiusmodi Clero, et Ecclesiae imponendis deterrerent.

Tale fuit ex. gr. Concilium a. 1290 ab Episcopis Oxitanae provinciae celebratum, cuius canon n. 10 est « con- » tra infringentes libertatem Eccle- » siae, » quo canone excommunicatione mulctantur ii, qui « Ecclesiis, » et personis ecclesiasticis onera prae- » sertim gravia imponunt. » Tale Cicestriense anno 1292, quod canones duos de eadem re tulit, ac tale Salmuriense anno 1295 habitum, cuius canon num. quintus ad hoc idem obtinendum conditus est. His denique Conciliorum decretis affine est, factum Roberti Cantuariensis Archiepiscopi, qui excommunicationem tu-

lit « contra bonorum Ecclesiastico-
» rum occupatores.» Matthaeus enim Westmonasteriensis hanc refert latae huius excommunicationis rationem. Scilicet Regis iussione, decreta fuerant magna tributa, tum a Populo, tum a Clero solvenda: Cleri pars huic decreto non obtemperaverat; sed alia pars, minis et molestiis fracta, decreto morem gesserat. Ea re commotus Robertus memoratam excommunicationis poenam tulit.

Quod si talia erant rerum adiuncta, et tam aperta Ecclesiasticae libertatis, atque immunitatis violatio, profecto mirum esse non potest, Romanum Pontificem ipsum, cui praecipua totius Ecclesiae sollicitudo commissa est, ad Ecclesiae ipsius bonum, fecisse id, quod Concilia plura, et Episcopi quoque in dioecesibus suis faciendum esse iudicabant, ne tantum detrimentum Ecclesia pateretur.

Haec perspicuo argumento cuilibet rei naturam, et totius facti adiuncta accurate perpendenti, haec, inquam, perspicuo argumento esse possunt, num Philippus Pulcher ob hanc editam *Clericis Laicos* a Bonifacio VIII constitutionem, iustam offensionis causam habere potuerit, praesertim si animadvertatur, quemadmodum scriptores *de l'Histoire de l'Eglise Gallicane lib. 35* notarunt, hanc Bullam, licet generatim ad omnes datam, ad facti tamen ipsius rationem quod spectat, magis ad Angliae, quam ad Galliae Regem recta pertinuisse, cuius milites in tributis a Clero exigendis saevire quodammodo visi fuerant. Et refert quidem *ad an. 1296 n.23* Raynaldus quantopere Eduardus statim post editam Constitutionem commotus sit, plane sentiens eam conatibus suis plurimum adversari. Sed *ad an. 1297 n.42* eruditissimus annalista narrat, Regem Eduardum, mente mutata, coram Clero veniam facti sui sponte postulavisse.

Huius tamen editae Constitutionis occasione Philippus se ita gessit, veluti si graviter offensus fuisset. Videtur tamen illud verius esse, eum huius Constitutionis praetextu abusum esse, ut angustiis occurreret, in quibus versabatur ob bellum triplex, quod cum Eduardo I Angliae Rege, cum Adolpho, et cum Flandriae Comite gerebat, quorum bellorum causa, gravissimis impensis quotidie obiiciebatur. Quare edixit primo, ut sine consensu suo in scriptis impetrato, nemo posset ex Regno suo pecuniam ullam, pretiosa quaelibet aut res quascumque, quae bello usui esse possent, educere. Secundo ut extranei ob commercii causam non possent in Gallia morari.

Affirmavimus, Philippum Pulchrum, postquam Constitutio *Clericis Laicos* edita est, ita se gessisse, veluti si graviter idcirco offensus fuisset, sed verius inde occasionem suscepisse, ut pecuniae comparandae urgenti necessitati consuleret. Atque id quidem potuimus iure affirmare. Etenim Constitutio, de qua loquimur, edita est die 18 Augusti, seu 15 Calendas Septembris anno 1296. Sciebat tamen eo ipso tempore Philippus quaenam esset Pontificis mens erga eiusdem familiam. Nam eo ipso die 18 Augusti Bonifacius Philippo scripserat, eidem significans, optare se ut eius frater Carolus de Valois Romam veniret, quocum Pontifex de gravibus, et secreto communicandis negotiis erat acturus. Iam vero Spondanus ait *ad an. 1296 n. 2,* Pontificem Bonifacium animo versasse, ut Carolus, Imperator Romanorum designaretur, atque ut expeditionis ad Orientem supremus dux constitueretur. « Philippo Francorum Regi
» scripsit (Spondanus ait), ut Caro-
» lum fratrem suum Romam mitte-
» ret, quocum de magnis, et secre-
» tis negotiis conferret. Quippe co-
» gitasse putatur de Carolo ad Im-
» perium Romanum evehendo, et
» expeditioni orientali praeficiendo.»

Praeter ista tamen, quae sufficere omnino debuissent ad ostendendum benevolum Bonifacii Pontificis animum erga Philippi familiam, voluit

etiam Pontifex Regi litteras scribere ad evertendum illum sensum, quem Constitutioni suae inesse homines Bonifacio inimici, Philippo Pulchro persuasisse videbantur. Hae litterae a nobis superius citatae, quarum initium est *Ineffabilis*, scriptae sunt Anania die 25 Septembris anno 1296, et a Raynaldo referuntur ad eum annum n. 25, 32. Perspicue vero in iis litteris apparet Bonifacii in Regem benevolentia; conqueritur ibi de hominibus, qui in Regis animum conati fuerant inducere sensum ab eo diversum, et alienum, qui proprius Constitutionis sensus erat; hortatur Regem ne patiatur, se ab hominibus infensis in errorem induci; dolorem suum significat ob ea, quae mox diximus, a Rege decreta fuisse.

Mentem suam denique Bonifacius aperte declarat, atque ita Constitutionem a se editam explicat: « Non » enim praecise statuimus, pro de» fensione, ac necessitatibus tuis, vel » Regni tui, ab eisdem Praelatis Ec» clesiasticisve personis, pecuniarum » subsidium non praestari; sed adie» cimus, id non fieri sine nostra li» centia speciali, adductis in consi» derationem nostram exactionibus » intolerabilibus, Ecclesiis, et per» sonis Ecclesiasticis impositis... Ob» iicias, si quando per te, vel proge» nitores tuos, pro necessitatibus di» cti regni ad eandem Sedem habi» tus sit recursus, et inanis pertrans» ierit petitio aures eius, quin fue» ritis efficaciter exauditi. Ubi Regni » nempe gravis, quod absit, praedi» cti necessitas immineret, nedum ab » ipsius Praelatis, et personis Eccle» siasticis, tibi, vel ipsi, Sedes eadem » concederet, et faceret subveniri, » verum etiam, si exigeret casus, ad » calices, cruces, aliaque propria vasa » sacra manus extenderet, priusquam » tantum, et tale Regnum, tam ipsi » Sedi carum, immo carissimum, » et ab antiquo devotum, exponeret » minoris curae defectui, quo minus » ab ea efficacis defensionis praesidia » sortiretur. »

Esset vero referenda integra epistola, quam Bonifacius die 19 Februarii anno 1297 ad Galliae Clerum scripsit, quaeque a Raynaldo adducitur eo anno n. 43, 45. Ostendit, videlicet, illius epistolae contextus totus, hanc vere Pontificis mentem fuisse, quam paullo ante vidimus ab eo in litteris ad Regem scriptis explicatam; tribuitur praeterea in eadem epistola Clero facultas, ut in gravibus adiunctis subsidia Regi petenti conferat.

Etenim Bonifacius ait: « Licet Con» stitutionem illam ediderimus pro » Ecclesiastica libertate, non tamen » fuit nostrae mentis intentio, ipsi » Regi, aliisque Principibus saecula» ribus in tam arctae necessitatis ar» ticulo... viam subventionis excludi, » quominus ipsi Praelati Ecclesiae, » ac Ecclesiasticae personae, libero » arbitrio, atque sponte, de nostra » licentia, pro communis defensionis » auxilio, in qua proprium cuiuslibet » interesse conspicitur; Principibus, » ac sibi ipsis provideant iuxta sua» rum modulum facultatum. »

In haec autem verba Pontifex facultatem, de qua sermo est, Clero Gallicano impertitus fuit; quo rescripto dato Bonifacius manifeste docuit, Ecclesiae quidem libertatem sibi cordi esse, eamque se velle tueri; mentem tamen suam esse, ut Regi, ac Regno subsidium a Clero tribui posset. « Vestris itaque in hac parte, » inquit, supplicationibus annuentes, » praesentium auctoritate concedi» mus, ut si casus communis, et evi» dentis necessitatis immineat, ut » scripsistis; ac idem Rex vestram, » et aliorum Praelatorum, Ecclesia» rum, et personarum, atque bono» rum Ecclesiasticorum, sicut et ce» terarum personarum, locorum, et » bonorum dicti sui regni voluerit » defensionem assumere, ac assumat, » et efficaciter prosequatur, et id ex» pediri videritis; liceat vobis, et » eisdem Praelatis, Ecclesiis et per» sonis Ecclesiasticis, absque metu » constitutionis nostrae praedictae,

» ipsi Regi, pro huiusmodi vestrae, » ac ipsorum Regis, et Regni intrin- » secae defensionis subsidio, subven- » tionem congruam, prout vobis et » ceteris Praelatis Regni praefati, » seu maiori parti vestrum, et ipso- » rum videbitur, voluntariam, libe- » ralem, et liberam, non coactam, » absque omni concussione, exactione » ac exsequutione temporali, vel lai- » cali exigenda, hac vice praesenti » nostra freti licentia impertiri, eam- » que similiter Regi liceat recipere » memorato. » His consona sunt, quae Bonifacius VIII aliis litteris anno 1297 datis mense Februario Regi Philippo scripserat, ut omnem de Constitutione sua *Clericis Laicos* querelae praetextum auferret, et alienum ab inimicis ei Constitutioni sensum adscriptum repudiaret.

Post haec exposita, quae Constitutioni *Clericis Laicos* promulgandae causam attulerunt, quaeque evincunt quanta aequitate Constitutionis eiusdem sensum Pontifex explicaverit, facile possunt omnes intelligere num veritatis ratio patiatur Bonifacium reprehendere, veluti si ad eam Constitutionem promulgandam adductus fuerit cupiditate dominandi, et in Christianorum Principum Regnis politicam potestatem suam exercendi. Etenim universae rei tunc pertractatae contextus ostendit, quae in Constitutione memorata Bonifacius decrevit, ea esse canonicis sanctionibus antiquioribus consentanea; temporum adiuncta postulasse, has sanctiones confirmari; Ecclesiasticae libertatis defensionem, huius Bullae scopum fuisse; Pontificem denique, quanta potuit humanitate, ac benevolentia cum Philippo Pulchro, a quo offensus fuerat, constanter egisse; ac talem Constitutioni suae sensum inesse declaravisse, ut neque subsidia, quae Rex Philippus tantopere ambiebat, defutura sibi in posterum esse is existimare potuerit. Itaque si Philippus Pulcher post Constitutionem *Clericis Laicos* a Bonifacio editam indignatus est, vel hominum Bonifacio infensorum opera, et instigatione commotus ita se gessit, veluti si vehementer esset indignatus, id legitimam ad Bonifacium accusandum rationem suppeditare non potest.

Verum haec licet ita essent, videtur tamen omnino Philippus ad apertas cum Bonifacio inimicitias transire voluisse. Nam litteris humanitate plenis a Pontifice scriptis respondit, se quantumvis Apostolicus consensus non adfuisset, tamen iure potuisse prohibere, ne ea quoque extra Regnum asportarentur, quae ad Ecclesiam spectabant; sed animo paratum se esse, ut ista e Regno suo possent proficisci, modo ea in inimicorum suorum utilitatem, et commodum non converterentur. Quod ad tributa vero Ecclesiasticis imposita, eos in eadem cum Laicis conditione ponebat, atque ad tributa, seu census istos probandos, ea Christi verba commemorabat: « Reddite quae sunt » Caesaris, Caesari; quae sunt Dei, » Deo. » Denique superbe responsum suum absolvens, aperte affirmavit, Ecclesiam Catholicam eiusque ministros apud se in honore esse; sed minas ratione destitutas sibi timorem non afferre. Bonifacius Philippo respondit, atque inter cetera eum plurimum precatus est, ut sive tacita, sive expressa decreti sui explicatione efficeret, ne quae de non educendis e regno pecuniis, aliisque id generis indixerat, ea de Ecclesiis, atque de Ecclesiasticis ministris intelligerentur.

De hac a Bonifacio adhibita sollicitudine, ut Regem adduceret ad decretum illud revocandum, notum est quomodo obloquuti fuerint eiusdem Pontificis inimici: scilicet, hoc ideo tantopere fuisse a Bonifacio expetitum, quod doleret, magnam pecuniae copiam, quae ex Galliae Regno Romam proficiscebatur, se non posse in posterum obtinere; huius vero pecuniae amissionem, non autem aliam causam fuisse, quamobrem studium omne conferendum putaverit,

ut Regi abrogationem legis illius persuaderet.

Verum haec falso prorsus contra Bonifacium excogitata sunt. Nam, ut cetera omittam ex Pontificis epistola, quam ad Legatos suos Berardum Albanensem, et Simonem Praenestinum Episcopum scripsit de ea re, prout videri potest apud Raynaldum ad an. 1297 n. 48, ex Pontificis epistola, inquam, constat, Bonifacium idcirco decretum a Philippo editum improbavisse, quod Ecclesiasticae libertati illud officeret, et sacrae expeditioni grave impedimentum afferret. Itaque Bonifacius in suis istis ad Legatos Apostolicos litteris, latas a Philippo Rege « superius memo» ratas leges, habendas esse affirmat, » tamquam impingentes aperte in » Ecclesiasticam libertatem, et de» struentes tam pium, tam utile, tam » arduum Dei, et Terrae Sanctae ne» gotium. » Hae igitur verae causae erant, cur Pontifex tam studiose conaretur Philippum adducere ad decreta illa revocanda, non autem quod doleret, magnam pecuniae copiam ex Galliae Regno proficiscentem, ademptam sibi fuisse.

Iure autem potuisse Bonifacium leges illas a Philippo Pulchro editas appellare impingentes aperte in Ecclesiasticam libertatem, manifestum est, cum constet, sine libertatis atque immunitatis Ecclesiasticae violatione fieri non posse, ut laica potestas de bonis Ecclesiae, eiusque reditibus, pro lubitu suo disponat. Praeter rei naturam ipsam, quae luculenter id, quod dicimus, evincit, ex Ecclesiae historia quoque monumenta possent afferri, quae idem clare demonstrant. Omnium loco satis erit in Harduini Conciliorum collectione *tom. 2* ea consulere, quae in Synodo Romana anno 511 sub Papa Symmacho celebrata, circa quandam Odoacris legem in eadem Synodo a Basilio Praefecto Praetorio recitatam decreta sunt. Episcopi, scilicet, quantumvis ea lex aequa, et favorabilis esse videretur, nullius tamen auctoritatis esse declaraverunt, quod de Ecclesiae bonis sancita fuisset: « ne in exemplum remaneret prae» sumendi quibuslibet laicis quamvis » religiosis, vel potentibus, quolibet » modo aliquid decernere de Eccle» siasticis facultatibus, quarum solis » Sacerdotibus disponendi, indiscusse » a Deo cura commissa docetur.»

Neque minus verum est, Bonifacium conatum esse Regem Philippum permovere ad decreta illa abroganda, ob aliam causam, ne impediretur « tam utile, tam pium, tam » arduum Dei, et Terrae Sanctae ne» gotium. » Muratorius quidem in annalibus ad an. 1297 ita loquitur de hac causa, quae a Bonifacio allata est ad Philippum movendum, veluti si Pontifex id diceret, quia in more positum tunc esset, hanc a Pontificibus causam afferri, non autem quod studiose de expeditione illa facienda Bonifacius sollicitus esset. Et non de Bonifacio tantum, sed generatim de studio isto a Pontificibus ad defensionem Terrae Sanctae, iis temporibus demonstrato Muratorius verba facit, tamquam de usitato ad alias tamen res consequendas praetextu. Quam falso autem id Muratorius dixerit, monumenta publica generatim docent.

Sed ut de Bonifacio tantum agamus, sola eius Pontificatus historia evincit, id quod Muratorius ait, cum veritate pugnare. Etenim universae essent Bonifacii epistolae ad Principes scriptae referendae, quas Raynaldus adducit, quaeque omnes continent testimonia perspicua studii, quo Pontifex animabatur, ut expeditio sacra renovaretur. Atque ea praecipua causa fuit, cur Bonifacius, ab ipso Pontificatus initio tantopere operam dederit ut Principes Christiani bellum inter se gerentes ad concordiam revocarentur. Intelligebat enim, nisi instauraretur prius inter Principes Christianos concordia, fieri non posse, ut expeditio ista cum felicis effectus exspectatione susciperetur, ac gereretur.

Studio isti, quod litteris suis Bonifacius ostenderat, et curae, quam demonstraverat, ut expeditio nova suscipi posset, facta quoque respondent, quae item in eiusdem Pontificatus historia continentur. Ex annalibus Raynaldi huius rei probationes desumi possunt.

Itaque narrat ad an. 1298 n. 16 Raynaldus Regem Armenum Sembat, renovandi sacri belli rationes proposuisse, qui missis ad Bonifacium oratoribus, et exposita sua erga Apostolicam Sedem observantia, urgebat, ut sibi undique a Saracenis circumsesso, ac in periculis versanti opem ferret, inde nimirum amissam Terram Sanctam posse recuperari. Bonifacius vero litteris ad eum Regem 3 nonas Octobris eo anno Reate datis, inter cetera, respondit: « Intellectis itaque per nuntios ipsos, » tuis, ac regni tui vexationibus et » angustiis, intimo compatientes affectu, nostra studia praeparamus, » ut ipsius vexati regni tui, et desolatae Terrae Sanctae, funiculi » quidem hereditatis dominicae, adiutorium impendere valeamus... Et » ecce pro maiori, et praestantiori » commodo tuo, carissimos in Christo filios nostros Philippum Franciae, et Eduardum Angliae Reges » illustres, quos invicem hactenus, » instigante inimico homine, dissidentes pacificasse, Domino favente, » confidimus, ad tuum subsidium efficaciter per nostras litteras excitamus. »

De eadem re scripta est epistola, quam n. 17 idem vir doctissimus refert, scilicet ad Gregorium Patriarcham Armenorum die 26 Octobris anno 1298 Reate missa, qua ad erigendum Patriarchae animum, et eum consolandum, narrat Pontifex, Angliae, et Galliae Reges reconciliatos fuisse, res Siciliae per Iacobum Aragoniae Regem brevi componendas esse, et Occidentalium vires ad opem Orientalibus regionibus tribuendam converti debere. « Super quibus (Bonifacius ait) respondemus, quod nos » de tua devotione gaudentes, praedicti Armeniae regni vexationes, » angustias, et aerumnas paternae » compassionis charitate partimur, » et relevationem ipsarum eo amplius cupimus, quo magis necessariam, et promotioni negotii Terrae » Sanctae plus utilem existimamus. » Nos enim ab ipsis nostrae promotionis ad apicem Apostolicae dignitatis auspiciis, inter alias sollicitudines, quae ex cura nobis imminent pastorali, vigilias nostras, » studia, Deo teste, convertimus ad » pacificandos Occidentales Reges, et » Principes, illos praesertim qui consueverunt in ipsius Terrae praesidia promptius, et utilius militare... Nos quidem in favorem negotii, et succursum pridem praefatum... illud, quod Domino praestante poterimus, consilium, et » auxilium intendimus exhibere.

Haec, quae de Bonifacii studio dicimus, expeditionis ad Terram Sanctam renovandae, confirmantur quoque consilio, quod Pontifex primum susceperat, de Carolo Valesio Philippi Pulchri fratre, duce praecipuo huius belli constituendo, quod munus deinde anno Pontificatus sui quarto, Iacobo Aragoniae Regi tribuendum esse iudicavit. Confirmatur praeterea iis, quae gesta fuisse Historici illorum temporum testantur, Bonifacium inter et Casanum, sive Cassianum Argonis Tartarorum Regis filium, cuius ad Christianam fidem miram conversionem Raynaldus ad an. 1301 n. 37 describit.

Iam vero de Casano isto, seu Cassiano Tartarorum Rege Paullus Aemilius refert, missos ab eo fuisse anno 1301 ad Bonifacium Pontificem legatos, « ut communi animo, consilioque, Sacrum Regnum recuperaretur, et a barbarae religionis (Mohammedanae superstitionis scilicet) » vi tegeretur. » Prosequitur deinde idem scriptor: « Bonifacius rursus, » *amplum, magnificumque* sibi existimabat, se Pontifice recipi, quae » superioribus Pontificibus amissa

» fuissent, in Franciam litteras ad » Pulchrum Regem de bello sacro » redintegrando scripsit etc. » Profecto monumenta ista sunt eiusmodi, ut nisi demonstrent, re vera Bonifacium operam studiose dedisse, ut bellum sacrum ad Palaestinam recuperandam renovaretur, existimari debeat, nihil certi ex veteribus historiae facti cuiuslibet monumentis colligi posse.

Vidimus hactenus quanam vere de causa Bonifacius VIII adductus sit ad Constitutionem *Clericis Laicos* promulgandam, quomodo se veluti vehementer indignatum idcirco Philippus Pulcher gesserit, et quae decreta dederit. Nunc breviter reliqua attingamus, quae adhibitam ab eodem Philippo iniustam agendi rationem clarius significabunt.

Itaque inter cetera haec recensebo. Bonifacius anno 1298 Gazonem Lugdunensem Episcopum Romam vocaverat, atque eum interea iusserat a spirituali, et temporali eiusdem Episcopatus administratione abstinere debere. Philippus Pulcher « praetex- » tu cuiusdam consuetudinis, quam » appellat regalia (prout Bonifacius » ait in epistola ad Regem scripta » de ea re 4 Idus Octobris eo anno), » administrationem eandem tempo- » ralium, ac si vacaret Ecclesia, per » officiales, et ministros suos cepe- » rat, et retinebat. » Bonifacius igitur ista considerans Philippo scripsit: « Cognosce, et firmissime tene, » quod per interdictum administra- » tionis, vel suspensionem, seu et- » iam excommunicationem Praelati, » non vacat Ecclesia; et ideo cum » de iure aperto, et ratione proba- » ta, administratio non vacantis Ec- » clesiae ad te nullatenus pertinere » noscatur, consuetudo praedicta, » quam habere diceris in aliquibus, » dum vacant, Ecclesiis; ad casus hu- » iusmodi, aut similes, per quos non » vacant Ecclesiae, indubitanter... » trahi non poterit, nec debebit ex- » tendi. » Huius Bonifacii ad Philippum sententiae veritas adeo explorata est, ut non indigeat explicatione.

Contigerat praeterea, ut Ioannes Cardinalis Presbyter tituli S. Caeciliae, in pia opera collocanda, atque ad instituendum Parisiis pauperibus clericis operam Sacrae Theologiae daturis collegium, bona sua legaverit. Sed a Fisco Regio ea bona occupata sunt. Bonifacius Ioanni Cardinali tituli SS. Marcellini et Petri, ea bona repetendi munus commisit, et de eodem negotio ad Archidiaconum Narbonensem, et Grimerium Placentinum litteras dedit. Verum ista quoque Pontificis cura sine effectu fuit. Hoc autem inter cetera constat, quod de ea re Benedictus XI Bonifacii successor, cum Philippo Pulchro conquestus sit, id quod Raynaldus ad locum superius citatum animadvertit.

Refert etiam Raynaldus ad annum 1299 n. 22 Atrebatensem Comitem Ecclesiae Cameracensis bona occupavisse, et iura sprevisse; ita ut Pontifex Bonifacius necesse esse putaverit eundem reprehendere, et quaestionem hanc ab Apostolica Sede definiendam esse monere.

Eodem anno praeterea Biterae in Narbonensi Provincia Concilium Provinciale habitum est, in quo Episcopi querelas suas ad Philippum Regem detulerunt, eo quod iura Ecclesiae Narbonensis violarentur. Cum vero Episcopi nihil proficerent, a Bonifacio petierunt, ut Regi persuaderet, Episcopos id iuste petere. Pontifex anno 1300 hoc egit, prout apud Raynaldum legi fuse potest n. 27, 29. Inter cetera, in hac re pertractanda Bonifacius conquestus est etiam de Almarico Narbonensi Vice-comite, qui Episcopum Magalonensem spernebat, et eiusdem dioecesis iura servare recusabat. Verum ita loquitur Bonifacius in suis ad Regem litteris, ut aperte significet se intelligere, infructuosas suas litteras esse futuras. « Litteras, inquit, nostras, » quas super talibus, et similibus » tibi dirigimus, iam ordinavimus

» regestari ad perpetuam rei memo-
» riam. Qui autem ex his, et aliis...
» subsequentur effectus, novit ille,
» qui secretorum est cognitor, et
» praescius futurorum. »

Similia sunt quae in Ecclesia Rhemensi, memorato anno contigerant, cuius bona Philippus occupabat licet Robertus Cortiniacus Episcopus iam electus fuisset, quae causa fuit, ut Bonifacius debuerit hortari Regem ad ea bona dimittenda. Item Philippus, qui durante bello cum Flandriae Comite, poterat ex Bonifacii concessione, fructibus uti primi anni dignitatum, quae vacarent; Philippus, inquam, hoc ad alios etiam casus extendebat, quapropter Clerus Gallicanus Pontificis auctoritatem imploravit, qui Philippo scripsit eum abhortatus, ut his abusibus finem imponeret.

Notum praeterea est, eo anno Bernardum Episcopum Apamiensem, Regis iussu, in vincula coniectum fuisse; et celebratum eodem anno esse Concilium Silvanectense ab Archiepiscopo Narbonensi, in quo decretum est, Episcopum Apamiensem in custodia Ecclesiastica retineri debere; atque ut Ecclesiastica immunitas adversus laicae potestatis conatus defenderetur, septem canones ad eam propugnandam conditi sunt, quemadmodum Mansius in adnotatione ad annum Raynaldi 1301 n. 29 apposite notat.

Neque Philippus haec agere primum coepit Bonifacii VIII Pontificatus tempore. Etenim Raynaldus ad an. 1290 n. 29 refert Nicolai IV ad eundem Regem litteras, quibus manifeste continetur, etiam sub eo Pontifice, Philippum, vel propria sponte vel hominum in Ecclesiam male animatorum consiliis adductum, Ecclesiasticam potestatem graviter offendisse. « Probant haec quidem, Nico-
» laus ait, et aperte exprimunt Ve-
» nerabilis Fratris Nostri Episcopi
» Pictaviensis, et Carnotensis, ac
» Lugdunensis Ecclesiarum profunda
» suspiria, profluvia lacrimarum...
» ob afflictiones, et oppressiones in-
» numeras, atroces iniurias, auctas
» molestias, et non facile numeranda
» gravamina. »

Quod si facta ista nuper singillatim relata ostendunt, quam aperte Philippus Ecclesiae iura offenderit, non minus certe idem confirmatur scriptorum illius aetatis testimoniis, qui generatim de adhibita a Philippo in his rebus agendi ratione conqueruntur. Nam Vecerius in vita Imperatoris Henrici VII inquit: « Ad hoc
» Philippus ne quid impotentiae prae-
» termitteret, Sacerdotales Gallia-
» rum titulos, a Pontificibus antea,
» pro decretis, et pro more S. Ma-
» tris Ecclesiae componi solitos, ipse
» ordinare citra consensum Praesi-
» dis Romani statuit. Quae ubi Sum-
» mus Antistes intellexit, gravissime
» tulit iniuriam, pessimi exempli id,
» quod erat existimans, si vel Ante-
» cessorum recte instituta temere re-
» scinderentur, vel auctoritatem Pon-
» tificiam Laicus Princeps profanas-
» set. »

Eadem Mutii sententia est *in Chronico Germaniae lib. 22.* « Rex ubi in-
» tellexit Pontificis animum a se a-
» lienatum, qua erat parrhesia, vel,
» ut quidem vocant, arrogantia, ius
» Ecclesiasticum, quod Papae erat,
» sibi vindicabat, Sacerdotia, et Epi-
» scopatus conferebat quibus placuit;
» quos Praelatos cognoverat Ponti-
» fici patrocinari, deposuit, eorum
» praelaturas aliis conferens, diripuit
» etiam opulentiores Episcopatus. »
Denique S. Antoninus *3 p. tit. 20 cap. 8* §. *25* ait: « Episcopatus va-
» cantes cum essent, bona Episcopo-
» rum diripiebat, et investituras eo-
» rum facere volebat. Quamobrem
» Bonifacius, ut magnanimus nemi-
» nem timens etc. » Tum commemorat Pontificem fortiter Ecclesiae iura adversus conatus istos propugnasse.

Haec vero omnia, quae recensuimus, a Philippo Pulchro sive eius auctoritate, contra Ecclesiae iura, ac potestatem patrata fuisse, Bonifacium necessario moverunt ad ge-

rendam constanter Ecclesiae defensionem; atque inter tot litteras, quas ista de causa scripsit, illa celebris valde est, quam die 5 Decembris anno 1301 edidit, cuius initium est *Ausculta Fili,* et cuius scribendae ea ratio fuit, ut Regem tandem aliquando ab his committendis revocaret. Celeberrima quoque fuit Bonifacii VIII Constitutio, quae incipit *Unam sanctam,* die 18 Novembris 1302 promulgata, qua etiam Ecclesiasticam potestatem graviter defendit.

Cum necesse omnino sit huic historiae capiti iam nimis fuse pertractato, quanto citius fieri poterit, finem imponere, non possumus cetera omnia singillatim persequi, quae per ea tempora, et post constitutiones istas promulgatas evenerunt. Itaque simul complectemur haec, quae sequuntur: vocatos, scilicet, a Bonifacio Romam Episcopos, ac Praesules omnes Gallicanos, ut Concilium ad tantam discordiam excitatam tollendam haberetur, Regis auctoritate, ac iussu prohibitos esse Romam venire: Parisiis mense Martio ac Iunio anno 1303 habitos duos esse coram Rege conventus Procerum Regni, plurium Galliae Praesulum, et S. Theologiae, ac Iuris peritorum: in iis, operam dantibus praecipue Guillelmo Nogaretio iuris consulto, et Guillelmo Duplessio, plura in Bonifacium capita accusationum esse in medium adducta: iniuriose de Pontificis legitima potestate, ac doctrina obloquutos eos esse: ad Concilium Generale de iis, quae Bonifacius gesserat, appellatum fuisse: Pontificis Constitutiones, sensu qui Bonifacii menti non erat consentaneus, fuisse explicatas: Ecclesiasticos, qui conventui aderant, conatos esse Regi ostendere, talem earundem Constitutionum sensum non esse, neque Bonifacium per eas sibi proposuisse potestatem politicam in Galliae Regnum exercere, nihil tamen eos profecisse. Bonifacium in Concilio anno 1302 die 30 Octobris Romae habito de controversia tota, quae vere mens sua esset, et quanta pati ab Ecclesiae potestatis ac libertatis violatoribus debuerat, exposuisse: Petro Flotio, quem Philippu- Romam miserat, a Bonifacio ipso Constitutionum suarum legitimum sensum, et qui Regi displicere non poterat, expositum fuisse: constitutionem aliam denique, ut cetera omittam, a Bonifacio editam esse, qua abstinens quidem a mentione de Philippo Rege facienda, in eos tamen censuris animadvertendum iudicavit, qui ad Apostolicam Sedem proficiscentes, molestiis, aut iniuriis afficerent, vel iter ad Apostolicam Sedem impedirent.

Neque Bonifacius interea minori gravitate reiecerat accusationes sibi obiectas, quas superius significavimus. Etenim cum totius rei certior factus fuisset, Anania die 15 Augusti anno 1303 Constitutionem aliam dedit, cuius initium est *Nuper ad audientiam,* qua omnia ista sibi obiecta crimina refutavit, atque appellationem, quam arroganter hostes sui ad Concilium interposuerant, improbavit, ac nullius roboris esse demonstravit. Haec autem omnia, a Raynaldo, codicibus Vaticanis, et Vallicelliano, aliisque ab eo praesertim allatis scriptoribus accurate traduntur.

Interea tamen scelestissimum illud facinus commissum est, quod sine hominum, qui illud patraverunt, infamia commemorari non potest. Hoc est die 7 Septembris anno 1303 Guillelmus Nogaretius Bonifacium Ananiae commorantem aggressus est, cui socius aderat Sciarra, et magna armatorum hominum manus, una cum trecentis equitibus, ac pedestribus aliis copiis Pontificis domum Nogaretius invasit, eumque triduo veluti captivum detinuit. Verum post direptam domum, post multas iniurias fortissime, et magna virtutis laude a Bonifacio toleratas, Ananiae incolae ad arma tandem venerunt, aggressores fugarunt, et Pontificem in libertatem asseruerunt.

Postea Bonifacius Romam deductus est, cum permagna populi gaudio gestientis laetitiae significatione, idque inter ceteros Cardinalis S. Georgii ad Velum Aureum horum omnium spectator, prout Raynaldus notat ad eum annum n. 42, versibus suis descripsit in libro de Canonizatione Caelestini: « Oh! mira potentia tan» tis Enodata malis! Numquam sic » glorius armis, Sic festus susceptus » in urbe cleroque decorus, Insignisve » fuit, cunctos ubi ferrea texunt. » Prima Patrem Sedes Lateranensis » suscipit, inde Aetherei Petri, cuius » miracula seclo Clara patent. ». Post haec autem brevi, videlicet die 11 Octobris Bonifacium mortuum idem Scriptor commemorat, id autem contigit cum Pontifex octogesimum sextum aetatis suae annum ageret. Scelus vero istud, quod mox commemoravimus, perspicue ostendit cuius generis essent ii, quibuscum Bonifacius in tota huius controversiae pertractatione agere debuit; et quam clarum tum ab iis additum fuerit ceteris, quae iam manifesta erant, argumentis, se iniustam causam propugnare, et in Pontificem irasci, eo quod iniustis eorundem conatibus, atque Ecclesiae immunitati iniuriosis resistere, pro muneris sui ratione debuisset.

Antequam penitus de Bonifacio VIII loquendi finem faciamus, videtur saltem non omnino praetereunda eiusdem Pontificis cum Columnensibus controversia. Est enim omnibus adeo nota huius controversiae celebritas, ut, si ob necessario servandam in hoc opere brevitatem impedimur de ea fuse agere, aliqua tamen de ea attingere prorsus necesse sit. Itaque illud omnino dici debet a veritate abhorrere, ideo Bonifacium cum Cardinalibus Columnensibus severe egisse, quia illi suae ad Pontificatum electioni repugnaverint, prout inter ceteros Moshemius, et Sismondus fecerunt a cl. etiam Wisemanio in memorata superius dissertatione citati, qui hanc controversiae istius originem esse non potuisse ostendit; atque ut probet, etiam post electionem suam Bonifacium erga Columnenses se benevolum demonstrasse, rescriptum quoque affert, quod Pontifex dedit, prout colligitur ex *Regesto Vaticano RR. PP. vol. 2 p. 442,* scilicet « Iacobo nato viri Pe» tri de Columna Clerico Romano dis» pensatio super defectu natalium. » Est praeterea clarissimum S. Antonini testimonium in ista re, *p. 3 tit. 20 cap. 8* §. *1.* « Cum igitur es» sent in Conclavi, inquit S. Anto» ninus, Neapoli, Dominus Matthaeus » de Ursinis, et Dominus Iacobus de » Columnensibus, qui erant capita » partium Cardinalium, perpenden» tes factum, primi vocem dederunt » praefato Domino Benedicto, quos » alii sequuti sunt. »

His vero adiungi potest, Cardinales ipsos Columnenses in libello, quem ediderunt, et quo rationes afferebant ut Bonifacium veluti legitimum Pontificem non haberent, repugnantiae suae mentionem non fecisse, quam in Conclavi cum Pontifex esset eligendus, demonstravissent. Id autem videtur omnino Columnenses Cardinales in eo scripto non fuisse praetermissuros, si vere Bonifacii electioni restitissent. Libellus Cardinalium Columnensium ad an. 1297, inter ceteros, a Raynaldo refertur. Est etiam opportunum Bonifacii ipsius verba memorare ex Bulla ad eundem annum ab eo scriptore relata, cuius initium est *Lapis abscissus,* qua Cardinales Columnenses excommunicatione mulctavit, et allatas ab iisdem accusationes confutavit.

Bonifacii, inquam, verba ostendunt, se electum Pontificem fuisse de communi etiam Columnensium Cardinalium suffragio, sed eos in scripto suo affirmare, ipsum legitimum Pontificem non esse. Ait enim Pontifex: « Inter cetera continetur (in libello), » nos divina providentia ad summum » Apostolatus apicem, secundum sci» ta canonum licet immeritos evo-

» catos, et non solum ab omnibus » fratribus, et ab ipsis praevia ele- » ctione canonica, immo ab Ecclesia » universali receptos in Papam, con- » secratos eis assistentibus secundum » approbatum morem Ecclesiae Ro- » manae, et etiam coronatos, Papam » non esse. Haec et alia confingentes, » quae non solum sunt blasphema, et » schismatica, sed insana, prout eo- » rum scripta indicant manifeste. » Est ergo perspicuum, Bonifacii erga Cardinales Columnenses indignationis causam esse non potuisse, quod ii electioni suae repugnaverint, quando appareat eosdem una cum ceteris Cardinalibus suffragium pro Bonifacio tulisse.

Nihil dicam de alia, quae afferri solet huius discordiae causa, quod Stephanus Sciarra ex genere Columnensium, Pontificis thesaurum fuisset depraedatus, de qua re Petrinii *Monumenta Praenestina* anno 1795 edita, Wisemanii dissertatio, Rerum Italicarum Scriptores tom.9 pag.744, et Annales Muratorii consuli possunt.

Commemorabo potius illam causam, quae vere ex facto deducitur, videlicet Pontificem patrocinatum esse Cardinalis Iacobi Columnae fratribus, Matthaeo, Ottoni, ac Landulpho, qui ad impetrandam in propria iura restitutionem, Bonifacii auctoritatem imploraverant. Adiungam praeterea quae Raynaldus habet de hac re monumentis confirmata ad an. 1297 n. 26, maxime cum, ceteris praetermissis, hanc Bonifacius mali causam inde fluxisse promulgaverit, Fridericum, videlicet, Siciliae Tyrannum, Iacobum et Petrum Cardinales Columna ad rebellionis consilia pellexisse, atque ipsos ad novandas res crebris nuntiis sollicitasse; quod cum illi, magno Ecclesiae damno susciperent, atque una cum eiusdem Ecclesiae hostibus defectionem molirentur; Pontificem ad amputanda imminentia mala, ac tuendam Patriae concordiam, ab iis arces, quas tenebant, repetiisse; quas cum illi tradere respuerint, et Pontificis imperio fuerint obtrectati, anathematis nota inustos, atque omnibus honoribus deiectos fuisse. Tulit idem Pontifex plures alias in ipsos, atque eorum studiosos poenas, quae in diplomate continentur, cuius exemplum Raynaldus affert ad eum annum n. 27, 33.

Scilicet, postquam Cardinales Columnenses renuerunt Pontificis iussioni parere, neque illis ex familia sua satisfacere, qui ob violata propria iura a Bonifacio auxilium, et perfugium petierant, Pontifex in eosdem animadvertit, Cardinalatus honore, ac dignitate eos privavit promulgata Constitutione, cuius nunc mentionem fecimus. Refert autem quae sequuntur Bernardus Guido, seu Guidonis a Raynaldo relatus, in Bonifacii vita ex manuscripto Vallicelliano, loco citato n. 34. « Domi- » nus Iacobus, et Petrus de Colu- » mna, Patruus et Nepos Cardinales » videntes contra se motum Papam, » libellum conficiunt famosum con- » tra ipsum, quem ad multas partes » dirigunt, asserentes in eodem, ipsum » non esse Papam, sed solummodo » Caelestinum fuisse. Unde citati a Bo- » nifacio Papa, non duxerunt com- » parendum, et facti sunt contuma- » ces. Ob quam causam tandem fue- » runt per eum in consistorio tam- » quam schismatici condemnati, et » privati capellis rubeis (*illos de- » capellavit*, dicitur alio loco), et » omnibus beneficiis Ecclesiasticis, » et omni Cardinalatus tituli com- » modo, et honore. Insuper bona ipso- » rum, et filiorum Ioannis de Colu- » mna, videlicet Agapiti, et Stepha- » ni, et Sciarrae fuerunt pariter con- » fiscata. » Haec vero extrema Bernardi verba spectant ad aliam Bullam superius commemoratam, quae incipit *Lapis abscissus*, qua Pontifex, cum graviores evasissent Columnensium in ipsum conatus, et crimina, poenas in priori Constitutione latas confirmavit, et severiores etiam in eorundem familiam adiunxit.

Quod vero nonnulli contenderunt, Praenestinae civitatis, in quam Columnenses se receperant, et quam adversus Bonifacium muniverant, expugnationem, ac vastationem factam fuisse violata fide a Bonifacio ipso data, qui Guidoni quondam Comiti Montisferetri, tunc inter Fratres Minores vitam religiosam agenti assensus fuerit, affirmanti promittenda multa esse, sed pauca servanda; haec, inquam, narratio veluti fabulosa et a Bonifacii inimicis conficta repudianda est, prout eam Wadingus *in Annalibus Minorum,* Mansius in adnotationibus ad Raynaldum, Muratorius ad annum Italiae 1299, Petrinius in Monumentis Praenestinis, Wisemanius in memorata superius dissertatione reiecerunt. Et animadvertit apposite Muratorius in ista re Danti Alighierio celeberrimo Poetae non esse fidendum, qui Ghibellinae factioni nimis addictus, de Bonifacio ubique vehementer detrahit, quique Guidonem Montisferetri ob exhibitum illud Bonifacio consilium in Inferno constituit. Idem de Ferretto Vincentino, aliisque statuendum est, qui de Bonifacio maledicere non dubitarunt.

Quod pertinet autem ad Guidonem ipsum, illud affirmari iure potest, scriptores qui de eo pertractarunt, hoc factum penitus omittere: immo vero, cum referant, illum a conversione sua in posterum pie ac religiose semper vixisse, argumentum quoque suppeditant, quo probetur, hanc narrationem ab iis excludi. Denique ex codice, qui in Arce S. Angeli costodiebatur, et ex pergamena quadam in secretiori Vaticano tabulario servata Petrinius evincit, Cardinalem Caietanum, coram Clemente V Pont. Maximo ostendisse, *nulla pacta penitus intervenisse* antequam Praeneste caperetur, qua deinde vastata, alia a Bonifacio civitas constructa est, quae civitas Papalis fuit appellata. Neque inter ista vero pacta, quae falso quidem obiiciebantur, sed inita tamen fuisse dicebantur, ut concluderetur, Bonifacium in ea expugnatione fidem violasse; neque inter ista, inquam, obiecta pacta, mentio fiebat de eo consilio, quod Guido Montisferetri Bonifacio praebuerit.

Longiorem certe, quam in ceteris historiae Ecclesiasticae capitibus pertractandis facere consuevimus, de rebus ad Bonifacii VIII Pontificatum pertinentibus disputationem habuimus. Merebatur vero Pontificis celeberrimi memoria, de cuius virtute tantopere detractum a pluribus scriptoribus est, ut quodammodo eiusdem vindicias ageremus. Illud quoque possumus iuste animadvertere, quae pertractavimus de rebus a Bonifacio VIII gestis, adeo coniuncta esse cum universa aetatis huius, non Ecclesiastica tantum, sed etiam Civili historia, ut de Bonifacio quidem recta loquentes, ea etiam exposuisse videamur, quae generatim ad tradendam Ecclesiae, et Europae status notitiam cum saeculum decimum quartum inciperet, poterant pertinere. Continent praeterea, quae de Pontifice isto diximus, non inopportunam responsionem iis, quae tum a veteribus, tum a recentioribus Bonifacii VIII memoriae detractoribus confidenter allata sunt; a Dante Alighierio, dico, in poemate suo celebratissimo, Ferretto Vincentino, Moshemio in Institutionibus Historiae Ecclesiasticae saec. XIV, Sismondio in historia de Italiae Rebus publicis *edit. 2 tomo 4,* Potterio in historia *de Ecclesiae spiritu* etc. *tomo 3 lib. 5 pag. 326 seqq.* et auctore operis inscripti *Rome, et ses Papes,* Parisiis editi anno 1829 *lib. 1 cap 13,* aliisque huius generis scriptoribus.

CAPUT XXX.

DE CONCILIO VIENNENSI GENERALI SEU OECUMENICO XV, ET DE TEMPLARIORUM ORDINIS EXTINCTIONE.

Unum certe ex praecipuis Saeculi XIV historiae Ecclesiasticae capitibus constituit Concilium Viennae in Delphinatu in Gallia celebratum anno 1311, cum Pontifex Maximus esset Clemens V, quod Oecumenicum XV fuit. De eo nunc acturi, rationes primum referemus, quamobrem Concilii eiusdem celebratio indicta est. Eas rationes tres fuisse Clemens V ipse exposuit. Videlicet primo Ordinis Militaris *Templariorum* causa, de cuius institutione in Praelectionibus Saeculi XII cap. 16 loquuti sumus. Hic autem Ordo Militaris de pluribus criminibus, atque erroribus fidem quoque respicientibus accusatus fuerat. Altera Concilii indicendi, atque habendi ratio fuit, ut de auxilio Terrae Sanctae renovando decerneretur. Tertia demum, ut disciplinae, ac moribus consuleretur. Raynaldus in Annalibus, Pontificis Clementis V ipsius testimonium affert, quo istis de causis Concilium celebratum esse demonstratur.

Concilium Clemens V celebrandum indixerat calendis Octobribus anno 1310, sed dilatum est Concilii initium in annum sequentem, quo anno, circa medium mensem Septembrem Pontifex cum Cardinalibus Viennam se contulit. Concilio autem tercenti, et amplius Episcopi interfuerunt, prout S. Antoninus tit. 21 cap. 3, aliique veteres scriptores testantur. Memoratas superius Concilii celebrandi causas Clemens V explicavit in oratione, quam ad Patres in prima sessione habuit, quae 17 Cal. Novembris, seu die 16 Octobris celebrata est. Afferuntur a Raynaldo monumenta, quae ista omnia osterdunt, et legi possunt praeterea in Harduini, et Labbei collectionibus conciliorum. Post sessionem autem primam habitam, per totam subsequentem hiemem tempus consumptum esse narrat continuator Nangii ad annum 1311 in tractatibus, et colloquiis, quae Pontifex, cum Cardinalibus, Praesulibus, Procuratoribus, aliisque habuit, ad ea accurate perpendenda, de quibus Concilium erat decreturum. « Multaeque » deliberationes, ait, habitae, vel fa» ctae fuerunt in praemissis, usque » tamen ad adventum Regis Fran» ciae, qui habitorum a principio » contra Templariorum Ordinem, et » personas processuum, specialiter » promotor, et zelator praecipuus in » favorem fidei dicebatur. » Refert etiam idem scriptor, circa Quadragesimam anni 1312 seu ineunte mense Februario, ipsum Regem Philippum Pulchrum cum filiis suis, aliisque pluribus Viennam venisse.

Haec de iis, quae in prima sessione, et antequam secunda sessio haberetur, gesta fuerunt, retulisse satis est. Narrat vero ista Bernardus Guido, seu Guidonis in Chronico Romanorum Pontificum: « Feria quarta » in hebdomada sancta, undecimo » Cal. Aprilis, Summus Pontifex mul» tis Praelatis cum Cardinalibus, in » privato consistorio convocatis, per » provisionis potius, quam condemna» tionis viam Ordinem Templario» rum cassavit, et penitus annulla» vit. »

Postea vero refert: « Die tertia » Aprilis secunda sessio Concilii fa» cta est, in qua praedicta cassatio » Ordinis Templariorum per Sum» mum Pontificem in Concilio pu» blice promulgata fuit, praesente » Philippo Galliae Rege, cui nego» tium erat cordi, et Domino Caro» lo fratre suo, et tribus eiusdem » Regis filiis. » Proximo tandem mense Maio pridie Nonas, die festo

S. Ioannis ante Portam Latinam, tertia, et ultima Concilii sessio habita est, ac finis Concilio impositus, post septem ferme menses ex quo inceperat.

Quid de Bonifacii VIII causa scriptores veteres tradiderint, quam coram Clemente V pertractatam retulerunt, postea breviter referemus. Eam autem causam ita peractam esse, ut Bonifacius vindicatus, et legitimus Pontifex ab omnibus declaratus sit, res exploratissima est, quantumvis Pontificis huius inimici, alium, ac longe diversum postulationis suae exitum sibi proposuissent.

Ut vero quae sunt in Concilio gesta breviter complectamur, haec commemorabimus. Damnatam esse Beguardorum haeresim constitutione in Concilio promulgata, Raynaldus ad annum 1313 ostendit; qui ait, damnasse praeterea Concilium errores Petri Ioannis Olivi, qui male de Christi generatione senserat, et Christum Dominum vivum lancea perfossum dixerat, ac Ioannem Evangelistam pervertisse ordinem historiae. Aliud etiam ab eo decretum esse constat ad fidelium pietatem excitandam, confirmatae nimirum Urbani IV litterae de pompa festi Corporis Christi. Indictam expeditionem in terram Sanctam, aliud Clementis diploma apud Raynaldum probat. Denique disciplinae consultum est Concilii Viennensis decretis, et clericorum vitae honestati, praesertim ut ab indignis eorundem gradu muneribus, et ab armis abducerentur, aliaque sapienter sancita sunt, quae decretalibus *Clementinis* continentur.

Praecipuum vero negotium in Viennensi Concilio pertractatum, prout superius significavimus, fuit Ordinis Templariorum extinctio. Sententia Clementis in conciliorum collectionibus habetur una cum diplomatibus, quibus eorum bona locis piis addicuntur. Accusati autem fuerant Templarii de haeresi, criminibusque nefandis; atque occasionem aiunt desumptam ex duobus equitibus, qui in carcerem coniecti ea omnia confessi fuerant. Instante ergo Philippo Galliae Rege commissa est omnibus Episcopis, in haec crimina diligens, et accurata inquisitio, atque exstat in Conciliorum collectionibus epistola, qua id Coloniensi praesertim Archiepiscopo demandatur.

Post haec cum accusationum gravitas appareret, milites ferme omnes capti sunt, et bonorum eorum custodia demandata est Praesulibus a Pontifice Clemente. Horum vero equitum multi, scelera obiecta confessi sunt, atque inter eos insignis Eques coram Pontifice, nullo metu obiecto testatus est, solere aggregandos Ordini, cogi eiurare Christi fidem. Magister ipse Ordinis, et plures qui magistrorum gradum obtinebant, horrendorum criminum confessionem emiserunt. Eadem confessi sunt crimina Templarii septuaginta duo, qui iussu Regis ad Pontificem missi sunt; iique cum a Clemente V ipso fuissent rogati, ea vera esse affirmaverunt, de quibus se, et Ordinem antea accusaverant.

Cum tot vero essent, et tam gravia crimina, de quibus Templarii accusabantur, cumque ea crimina Templarii copiosissimo numero testarentur; rebus omnibus cum Concilio communicatis, Clemens V Constitutionem edidit de illius Ordinis abolitione, quae sexto nonas Maii anno 1312 edita est, cui Constitutioni Episcopi, qui illi Concilio intererant, rebus mature perpensis, assensi sunt. Ista autem sunt verba, quibus Ordinis extinctio decreta est: « Ordinis statum, habitum, atque no» men, non sine cordis amaritudine, » et dolore, Sacro approbante Con» cilio, non per modum definitivae » sententiae, cum eam super hoc, » secundum inquisitiones, et proces» sus super his habitos, non posse» mus ferre de iure, sed per viam » provisionis, seu ordinationis Apo» stolicae, irrefragabili, et perpe» tuo valitura sustulimus sanctione,

» ipsum prohibitioni perpetuae sup-
» ponentes... universa etiam bona
» Ordinis praelibati Apostolicae Se-
» dis ordinationi et dispositioni, apo-
» stolica auctoritate duximus reser-
» vanda. »

Deinde vero ea bona Equitibus S. Ioannis Hierosolymitanis, seu Rhodiis tributa sunt, quod nomen susceperunt postquam Rhodum Turcis eripuerunt. Excepta tamen fuere bona, quae in Hispania Templarii obtinebant, quae bona convertenda iudicata sunt ad Hispaniae ipsius defensionem contra Mauros, qui Granatense Regnum hactenus invadebant.

Quod spectat vero ad Templarios ipsos, ista statuta sunt. Scilicet Pontifex de Magno Ordinis Magistro, nonnullisque aliis sibi iudicium reservavit, ceterorum autem causa commissa est Concilio Provinciali eorum Episcoporum, in quorum Provincia illi morabantur.

Eo tamen discrimine, ut qui criminum expertes iudicati essent, de quibus Templarii accusabantur, eorum honestae vitae sustentationi de bonis Ordinis ipsius consuleretur. De illis vero Templariis, qui crimina se commisisse confessi essent, habita confessionis iusta ratione, iustitia quidem, sed cum misericordia coniuncta adhiberetur. De impoenitentibus autem, vel in crimina relapsis, iustitia, ac censura canonica servaretur. Circa eos praeterea, in quos quaestiones iuridicae fuissent institutae, atque in quaestionibus se illorum criminum innoxios esse affirmare perseverassent, statutum est, ut vel in domibus ad Ordinem spectantibus, vel in monasteriis aliorum Ordinum, impensis tamen Ordinis Templariorum, custodirentur. De illis tandem qui fugam arripuissent, statutum fuit, ut intra unius anni spatium ad Ordinarios suos se conferrent, nisi iustitiae severitatem voluissent experiri. Haec inter ceteros Bernardus Guidonis refert in Chronico Romanorum Pontificum superius memorato.

Non est vero, quod illa Constitutionis verba, quibus Clemens V affirmavit, per modum provisionis extinctionem Ordinis Templariorum fuisse decretam, quia de iure definitiva sententia promulgari non potuisset, non est, inquam, quod illa verba possint ita explicari, veluti si, habita iuris, seu iustitiae ratione, Ordinis extinctio decerni non potuerit. Causarum enim gravitas, propter quas Clemens, Sacro probante Concilio, ad decretum illud edendum adductus fuit, erat manifesta; et copiosissimo numero Templarii, crimina illa, ac permagna scelera, de quibus erant accusati, confessi fuerant. Praeterea antequam Concilium Viennense haberetur, et cum prima sessio celebrata esset, diu, et accurate Clemens Pontifex cum Cardinalibus, et Episcopis, de toto negotio, et causa ipsa deliberaverat, ita, ut decretum deinde in Concilio editum, iam antea in consistorio fuerit absolutum. Verba igitur illa legitimum sensum hunc habent, ut de forma tantummodo decreti sint intelligenda, eo quod, oeconomica, quemadmodum loqui nos solemus, sed iustissima tamen ratione, rebusque omnibus perpensis decretum editum sit.

Natalis Alexander diss. 10 in saeculo XIII et XIV *De Concilio Viennensi Oecumenico, et de causa Templariorum quaest. 2 art. 1 n. 13,* explicans verba illa a Clemente V in Templariorum Ordine condemnando pronunciata, duo etiam affert testimonia, Walsinghami, scilicet, et Guillelmi Nangii Continuatoris, quibus alia causa significatur, quapropter ea ratione Ordo condemnatus fuisse dicatur, quantumvis certum sit Ordinem illum iuste condemnatum fuisse. Itaque Walsinghamus in historia Anglicana ad an. 1311 haec ait: «Cum
» in Concilio Viennensi tractaretur,
» an propter vocationem singularum
» personarum Ordinis Templario-
» rum, vel propter acta contra eos-
» dem, posset totus Ordo damnari
» propter singularium delinquentium

» vocationes; cum constaret quod di-
» ctus Ordo non fuerat vocatus, de-
» finitum fuit per dictum Concilium,
» quod non de iure. Ideo Papa Cle-
» mens in Bulla sua condemnatoria
» Ordinis adiecit hanc clausulam. »
Continuator vero Guillelmi Nangii ad
annum 1310 inquit: « Papa assumpto
» themate, *Non resurgent impii in*
» *iudicio, neque peccatores in Con-*
» *cilio iustorum,* et per modum prae-
» dicationis ad Templarios applicato,
» Ordinem damnavit Templariorum,
» non per modum definitivae senten-
» tiae, cum Ordo, ut Ordo, non es-
» set adhuc convictus, sed per mo-
» dum provisionis, et ordinationis
» tantum. Tamen quia modus reci-
» piendi, quem nec ante voluerant
» detegere, fuerat ab antiquo suspe-
» ctus, et per infinitos fratres Ordi-
» nis, et maiores fuerat prolatus;
» Auctoritas Apostolica, Sacro ap-
» probante Concilio, delevit, et amo-
» vit, et tam ipsius nomen, quam
» habitum penitus annullavit; tum
» quia de cetero esset inutilis Ordo,
» cum nullus bonus vellet deinceps
» ipsum intrare; tum propter alia
» mala removenda, et scandala evi-
» tanda. »

Sed ut interea appareat, quorum criminum rei in iuridicis inquisitionibus exstiterint Templarii, id audiendum praesertim est a Clemente Pontifice ipso, qui post acceptos processus undique accurate institutos, postquam ipse septuaginta duos Templarios examinasset, ac rogavisset, de tota re ad Philippum Pulchrum scripsit, eumque certiorem fecit, ex Templariorum confessionibus illorum crimina constare. « Nos (inquit
» in diplomate ad Philippum scripto,
» cuius initium est *Regnans in Cae-*
» *lis*) Nos illius, cuius vices, licet
» immeriti in terris gerimus, vesti-
» giis inhaerentes, ad inquirendum
» de praedictis, ratione praevia du-
» ximus inhaerendum; multosque de
» Praeceptoribus, Presbyteris, Mili-
» tibus, et Fratribus dicti Ordinis
» reputationis non modicae, in no-
» stra praesentia constitutos, prae-
» stito iuramento, quod super prae-
» missis, meram, et plenam nobis di-
» cerent veritatem, super praedictis
» interrogavimus, et examinavimus
» usque ad numerum septuaginta duo-
» rum, multis ex Fratribus nostris
» nobis assistentibus diligenter, eo-
» rumque confessiones per publicas
» manus in authenticam scripturam
» redactas, illico in nostra, et dicto-
» rum Fratrum Nostrorum praesen-
» tia, ac deinde interposito aliquo-
» rum dierum spatio, in Consistorio
» legi fecimus coram ipsis, et illas
» in suo vulgari cuilibet eorum ex-
» poni, qui perseverantes in eis, eas
» expresse, et sponte, prout recita-
» tae fuerant, approbaverunt. »

Post haec Pontifex Clemens V summam affert eorum criminum, quae ex Templariorum confessione in eorum Ordine patrari constabat. « Praestito iuramento, inquit, quod
» super praemissis omnibus, meram,
» et plenam dicerent veritatem, co-
» ram ipsis singulariter, libere, ac
» sponte, absque coactione qualibet,
» et timore deposuerunt, et con-
» fessi sunt inter cetera, Christi ab-
» negationem, et spuitionem super
» Crucem, cum in Ordinem Templa-
» riorum recepti fuerunt, et quidam
» ex iis se sub eadem forma, scilicet
» cum abnegatione Christi, et spui-
» tione super Crucem Fratres multos
» recepisse. Sunt etiam quidam ex
» eis quaedam alia horribilia, et in-
» honesta confessi, quae ut eorum ad
» praesens parcamus verecundiae,
» subticemus. » Deinde narrat Pontifex, post elapsum nonnullorum dierum spatium, eos qui confessionem istam fecerant, illam ratam habuisse ac libere confirmasse, veniam palam petiisse, atque impetrasse. Subdit vero ex his « confessionibus, et de-
» positionibus, ac relatione, invenisse
» se, saepefatos Magistrum, et Fra-
» tres, in praemissis, et circa prae-
» missa, licet quosdam ex eis in plu-
» ribus et alios in paucioribus, gra-
» viter deliquisse. »

Multa praeterea de impuritate, morumque licentia, ex quaestionibus in Templarios institutis constabant; multa etiam superstitiosa reperta esse processus habiti demonstrabant, praesertim illud de religioso cultu Capiti cuidam veluti colubro exhibito, et alia, quae a Religionis institutis abhorrent. Quo loco, quoniam de colubro mentionem fecimus, aliqua de hac re singillatim commemorare opportunum putamus.

Scilicet Hammerius opus edidit inscriptum: *Mysterium Baphometi detectum,* seu Templarii eorum monumentis convicti, fuisse illos Gnosticos et Ophitas, et veluti tales apostasiae, idololatriae et impuritatis reos fuisse. Quod opus Hammerii relatum est tom. 6 inscripto *Mines de l'Orient.* Narrant scriptores (Hammerius refert), qui de criminibus, quae Templariis obiecta sunt, egerunt, eos accusatos inter cetera fuisse, quod capita quaedam, seu Idola venerarentur, quae *Capita Baphometi* appellabantur; quapropter Florentiis, cum unus ex Templariis interrogaretur, allatum fuisse atque illi demonstratum caput eiusmodi, atque eidem esse dictum, ut hunc *eorum Deum Bachumetum* inspiceret.

Subdit vero Hammerius, se circiter duodecim talia capita in Caesarea Vindobonensi custodia reperisse, quibus erant adiectae Arabicae, Graecae, ac Latinae inscriptiones, quae titulum afferunt *Metis,* seu rationis ac sapientiae. Putat vero nomen Baphometi efformatum esse ex vocibus Βαφὴ Μητεος, quae Spiritus, seu Ignis baptismum significarent; id quod erat veterum Gnosticorum, atque Ophitarum proprium. Animadvertit praeterea idem scriptor, eiusmodi superstitiosa signa Templarios accepisse ab Ismaelitis, quibuscum plurimum in Oriente conversati sunt; hos autem a veteribus Ophitis, et Gnosticis ista fuisse mutuatos. Haec vero idola cum superstitiosis symbolis, atque inscriptionibus, in Templariorum templis, castellis, atque etiam sepulcris pluries reperta sunt. Quae per se sufficiunt, ut confirmetur id, quod superius diximus, et quod operis inscriptio habet, Templarios convinci potuisse, eos Gnosticorum, et Ophitarum errores habuisse.

His adiungi possunt alia, quae ab Hammerio afferuntur argumenta, hoc ipsum, quod dicimus, de Templariis confirmantia. Cuius generis est, quod ille ex opere desumit inscripto: *Archives de l'Histoire, et de la Geographie* 1818 n. 44 et 45; in quo opere habetur descriptio Ecclesiae quae *Schoengrabeniae* ad Templarios pertinebat, et in qua plures reperiebantur imagines sculptura elaboratae, quae Metem referebant, atque eiusdem Antagonistam Daemonem *Ialdabaoth,* cum praecipuo gnostico emblemate, serpentis, scilicet, puerum vorantis, quod emblema S. Epiphanius *haeresi 27 n. 10* explicavit. Similia his signa sunt in Templariorum Ecclesia *Alae Novae,* item in Pragensi, et Oegriensi Bohemiae Ecclesia reperta; in quarum prima, hoc est, Pragensi, vitreae inventae sunt huius formae picturae. Eiusmodi signa Hammerius a se ipso reperta esse affirmat in Templariorum Stenfeldi et Wultendorfiae Ecclesiis. Telekius vero in suo *Voyage en Hongrie p. 216* se illa vidisse dicit in eius Ordinis Ecclesia S. Martini in peninsula Muran. Atque in oppido *Pottenstenii* in Bohemia quondam ad Templarios spectanti haec etiam inscriptio reperta est: *Signata Metis caritas extirpat hostes:* quae verba, nisi gnostico sensu, non possunt explicari.

Quod pertinet autem ad impura crimina, quae Templariis obiiciebantur, ea crimina vere a Templariis patrata esse, Hammerius probat pluribus obscenis anaglypticis operibus, quae ad illum Ordinem pertinebant, quaeque Orgia Ophitarum impudica referunt Serpentis cultorum. Eadem ratione ex obscenis multis inscriptionibus, atque inhonestis signis sculptura confe-

ctis ad hoc confirmandum argumentatur.

Huius denique operis Hammerii ea conclusio est, praecipuos istius Ordinis socios, et alios magno numero, apostasiae, superstitionis, et obscenorum scelerum reos fuisse ; atque idcirco decretum, quod de Ordine ipso abrogando in Concilio Viennensi a Clemente V latum est, iustis, gravibusque de causis latum esse; severitatem in Templarios adhibitam, illius aetatis moribus fuisse consentaneam ; quod si deinde Templarii non adeo rei a nonnullis sunt iudicati, id tribui praesertim debere secreto, quod in inquisitione, quanta potuit diligentia, servatum est, et criminum generi, quae celanda curarunt ii, quibus totius negotii investigandi , ac peragendi officium commissum fuit.

In eruditissima, quam superius memoravimus , dissertatione , Natalis Alexander graviter respondet iis, quae obiecta sunt, ad evincendum, Templariorum Ordinis abrogationem iniuste factam fuisse. Ut de his aliquid etiam hic breviter recenseatur, haec primo loco animadvertemus. Scilicet, eos, qui extinctionem Ordinis istius iniuste decretam esse contenderunt, manifestum in generali ipsa causae consideratione praeiudicium opinionis suae reperire debere. Hanc enim causam diuturna plurium annorum investigatione peractam esse, res explorata est. Eiusdem causae cognoscendae, et investigationis in Templariorum Ordinem faciendae participes fuisse constat praecipuos illius aetatis viros, Cardinales, Episcopos magno numero, Inquisitores, Regios Officiales, publicos Regnorum Administros, Doctores, aliosque. Hos autem omnes officii sui immemores esse voluisse, ac iustitiam contemnere, ut Philippi Pulchri cupiditati indulgerent, penitus incredibile est. Quod si id affirmare de regionibus ipsis Philippo subiectis incredibile prorsus apparet, multo magis falsum hoc esse perspicuum est de inquisitione, ac iudicio, de Templariis, quod in Germania, in Hispania, in Sicilia , atque in locis institutum est, in quibus Philippus Pulcher minime imperabat.

Praeterea cum ex huius inquisitionis historia manifestum omnino esse videatur, maiorem Templariorum numerum , qui criminum rei evaserant, de quibus superius mentio facta est, repertum fuisse in Gallia , ac Parisiis praecipue ; mirum certe esse non potest, in ea regione potissimum non parvo numero Templarios poenis affectos esse. Evenire quoque illud potuit, ut multi ex superiori Ordinis gradu Equites participes illorum criminum non fuerint, vel ignoraverint quousque depravatio, ac scelus perductum fuisset. Hoc autem argumento tantum esse potest, singulares istos Equites condemnari non debuisse, prout revera condemnati non sunt, sed hoc non probat, Ordinem servari debuisse, qui generatim depravatus reperiebatur, praesertim quod secundum superius allatam Continuatoris Guillelmi Nangii animadversionem, « de » cetero esset inutilis Ordo , cum » nullus bonus vellet deinceps ipsum » intrare, tum propter alia mala re» movenda , et scandala vitanda. » Denique Templariorum Ordo continebat quamplures homines , qui ad praecipuam Regni conditionem spectabant. Id vero non potest non evincere, iustam habitam fuisse Ordinis abrogationem; secus non omisissent certe nobiles viri, qui in magna erant cum eo Ordine coniunctione, ob decretam istam abolitionem reclamare.

In historiae universae specimine Voltairius Templariorum apologiam faciendam suscepit, in qua re morem ubique a se custoditum servavit, ut de Religione, videlicet, ac de Ecclesia detraheret, quae Ordinem delendum iudicavit. Verum quae ille obiicit ad Templarios defendendos, sive potius ad abolitionis iniustitiam ostendendam , sunt omnino levissima. Possumus ea brevi complecti, et non

longa disputatione refellere. Falsum scilicet est, testium, qui tanto numero sunt rogati, maiorem partem, nonnisi genericas, ac rationibus destitutas accusationes attulisse. Id autem si de iis fortasse verum est, quibus perspectus minime erat verus Ordinis status, id, inquam, non constituit causam, quamobrem in Ordinem abolitionis sententia pronuntiata est. Satis est, inter cetera, illud recordari, quod Parisiis, ac Pictavii evenit. Hoc est, Parisiis, formalis, prout appellari solet, centum quadraginta Equitum coram Inquisitore, ac pluribus honestis viris investigatio habita est; septuaginta duo autem ex iisdem a Pontifice Clemente V Pictavii rogati, quod Parisiis confessi fuerant, aperte confirmaverunt.

Est etiam illud nullius momenti, quod scriptor memoratus affirmat, non potuisse Ordinem puniri, quod plures, ex adolescentibus praesertim, ad illum pertinentibus, de Religione obloquuti sint. Etenim quemadmodum ex monumentis omnibus constat a Raynaldo, a Natali Alexandro commemoratis, atque in collectionibus Conciliorum recensitis, Clemens V, sacro approbante Concilio Viennensi, non est quidem adductus ad sententiam abolitionis ferendam ob prava, atque irreligiosa Templariorum quorundam colloquia, sed ob facta scelesta, ob patrata gravissima crimina, de quibus tanto numero confessiones habebantur.

Sequitur quod idem scriptor animadvertit de nefaria ratione, qua accusabantur Templarii candidatos suos in Ordinem cooptare. Incredibile enim esse dicit, in Ordinis statuta induci potuisse, ut adeo sceleste ii reciperentur, Christi, videlicet, detestatione facta, et Crucis signo conculcato. Verum huic animadversioni facilis responsio est; aliam, videlicet, fuisse publicam, solemnem, coram Magno Magistro faciendam candidatorum cooptationem, aliam illam, quae clandestino modo fieret. Profecto inter ea, quae in toto inquisitionis decursu confessione confirmata sunt, nihil adeo commune fuit, quam id, quod respicit istam impiam cooptandi methodum. Affirmarunt praeterea Templarii quamplures, se ad istud scelus vi ac cruciatibus adductos fuisse. Compertum est etiam, nefario quodam iurisiurandi vinculo socios istos se clam obligasse, ut mirum esse non debeat, per aliquod temporis spatium hanc tantam impietatem occultari potuisse.

Neque testium confessionis vim imminuit id, quod subditur, multa esse allata testimonia durante processu, quae Templariis erant favorabilia. Nam certum est, non ubique tantam fuisse Templariorum depravationem; neque si in Anglia non adeo rei reperiebantur Templarii, idcirco minus rei Templarii erant, qui crimina tam gravia in Gallia confitebantur. Multo magis falsum est, confessiones istas contra Templarios fuisse metu et cruciatibus extortas. Certe, ut reliqua praetereantur, non sunt quaestionibus ad confitenda haec crimina adducti centum quadraginta ii Templarii, qui Parisiis coram Inquisitore, aliisque honestis viris, ea vere commissa esse pronunciaverunt; neque ex iisdem septuaginta duo, quos Pictavii Pontifex Clemens V ipse rogavit, quique confessionem Parisiis factam ratam habuerunt.

Falsum est etiam quod dicitur, septuaginta quatuor Templarios in iudicium non vocatos, Ordinis defensionem suscipere voluisse, atque id agere iisdem esse denegatum. Nam auditos illos die 14 Martii anno 1310 ex processus historia constat, atque accepta esse scripta, quae ad Ordinem defendendum digesserant. Ii vera esse denegarunt, quae alii affirmaverant, et petierunt, ut res tota a Pontifice, et Concilio Viennensi, quod iam indictum fuerat, iudicaretur. Hoc vero istorum hominum factum ostendere ad summum potest, eos fuisse ex Templariorum numero, qui rei criminum non fuerant, de quibus sermo est, quique vel ea in Ordine

suo committi crimina ignorabant, quae alii confessi fuerant, vel incredibilia illa esse censebant.

De Iacobo Molayo Magno Ordinis Magistro duo acta habentur: primum, scilicet inquisitionis die 20 Augusti anno 1308 institutae Chinonii in provincia Turonensi, quo die confessiones antea acceptas coram Commissariis, falsitatis minime redarguit, et quod spectat ad Christi detestationem, quam candidati facere dicebantur, id expresse illum concessisse in processu relatum est. In altero autem, quod Parisiis habitum, refertur ad diem 26 Decembris anno 1309, continetur, eum hanc confessionem denegavisse, et falsitatis Commissarios accusasse. Certum est tamen, in prima illa interrogatione eidem Molayo confessiones a Templariis tanto numero factas, singillatim fuisse manifestatas, atque iisdem commotum Magnum Magistrum confessionem admisisse. Quod vero deinde addidit ad Commissarios accusandos, et ad confessionem factam reiiciendam, id ille quidem affirmavit, sed nullam rei probationem afferre potuit. Abstineo ab argumentis, quae ex Commissariorum qualitate, ex Clementis V litteris, qui aequitatem in processu, et formam iudicii servandam iusserat, aliisque monumentis desumi possent, quae ostendunt, iniuria haec a Molayo fuisse pronuntiata. Est deinde in Magnum Magistrum ipsum aliosque animadversum. Verum id contigit postquam coram Commissariis, quos Pontifex, absoluto iam Concilio Viennensi, et cum Templariorum Ordo iam esset abrogatus, designaverat, confessionem antea factam ii renovaverant; quamobrem dumtaxat perpetui carceris poena decreta in eos fuerat. Sed cum palam deinde Molayus, et ceteri, coram populo confessionem retractassent, Rex indignatus, convocavit administros suos, et re ab illis perpensa, die 11 Martii anno 1314 ab iisdem poena rogi mulctati sunt.

Praetereo quae scriptor apologiae superius significatae dicit de Philippo Pulchro, qui eo, quod superbus esset, arrogans, ultioni deditus, divitiarum Ordinis cupidus, idcirco voluerit Templariorum eversionem. Haec enim ea ipsa sunt, quae Moshemius in Institutionibus Hist. Eccl. Saec. XIV *parte 2 cap. 5* §. *9, 10,* ac Potterius in opere toties citato *tom. 4 lib. 6 pag. 21 et seqq.*, aliique huius generis scriptores affirmarunt, ut praesertim de Rege memorato, Clemente V, et de Concilio Viennensi detraherent. Quomodo enim ad Templariorum Ordinis abrogationem deventum sit, qui iudicii participes fuerint, qua ratione bona Ordinis fuerint distributa, iam diximus, idque ad falsitatem huius assertionis ostendendum satis esse potest.

Templariorum ordinem iustis, gravibusque de causis abrogatum esse, satis, ut arbitror, evincunt, quae hactenus de ea re exposita sunt. Nolo autem de abrogatione, seu abolitione ista finem loquendi facere, quin aliquid recenseam, de opere quod Londini anno 1841 cl. C. G. Addisonius edidit inscriptum *Equites Templarii,* seu Templariorum historia, quod opus anno 1842 iterum Londini editum est.

Plura memoratus scriptor adducit ad Ordinem illum defendendum. Animadverto tamen, antiquiora quaedam ei Ordini honorifica, non posse Ordinem excusare, si consideretur prout eo tempore erat, cum inquisitiones in eundem decretae, et a Clemente V, Concilio Viennensi probante, abolitus est. Nam certe non potest ostendi, tempore isto Templarios excusari potuisse, et crimina non probari, quae de iis afferebantur, eo quod ab initio omnia rite, ac religiose in Ordine fierent; S. Bernardus regulam digessisset; cum candidati erant cooptandi, accurate, ac severe in eorundem mores, vitamque integram inquireretur; in expeditionibus pro Palaestina recuperanda susceptis, Templarii valde benemeriti fuerint. Nam Ordo Templario-

rum, qui vel ab anno 1118 inceperat, atque ab Honorio II Pontifice Maximo anno 1128 probatus fuerat, saltem centum octoginta quatuor annos memorabat a confirmatione sua, cum in Concilio Viennensi abrogatus est. Quae vero ex inquisitionum decursu ab anno 1307 institutarum, et in posterum, atque ex tanta confessionum copia constabant a Templariis committi crimina, ea generatim ad recentiora tempora referebantur. Quare in Ordinem illum, in quo antea disciplina servabatur, ceteraque fiebant, quae nunc significata sunt; in Ordinem, inquam, illum ea depravatio tanta induci deinde potuerat, propter quam anno 1312 abolitus fuit. Itaque Ordo, qui antea commendatione dignus erat, rebus postea moribusque mutatis, ac depravatione inducta, dignus evaserat, qui abrogationem mereretur.

Quod si dicendum sit, Addisonii defensionem, peculiari ratione Anglos Templarios respexisse, cui scriptori monumenta certe nota erant, quae in Actis Anglicanae Templariorum Inquisitionis a Wilkinsio anno 1721 Londini editis, de ea re continentur, neque id tamen ad Templarios generatim excusandos sufficeret. Etenim doctissimus Dominicus Mansius, qui in adnotationibus ad Raynaldum, et ad Natalem Alexandrum affirmat, se ea acta Britannicae Templariorum inquisitionis perpendisse, animadvertit: « Quantum » ex actis illis Anglicanae Inquisi» tionis deduco, quamquam de fide » totus ordo forte non male sentie» bat, degeneraverat tamen a san» ctissima institutione sua, et ex illis » plures in vitia omnia turpia, fre» na laxaverant. »

Quod si praeterea constaret, non adeo reos, neque tanto numero tales repertos esse Templarios in Anglia, ita ut, quemadmodum Mansius idem ex memoratis actis concludit, « a » Conciliis Londinensibus, Eboracen» sibus, aliisque in Hibernia, et Sco» tia celebratis, nihil grave in Uni» versum Ordinem, vel in singulos » Templarios statueretur, sed ad » confessionem, et a censuris abso» lutiones admissi, in Ecclesiam re» cepti sint; » quod si, inquam, id de Anglicanis Templariis dici possit, non inde sequeretur, generatim ex processibus in Templarios ubique institutis ea non resultasse, quae iustissimas causas superius recensitas afferebant, quamobrem Ordinis abrogatio decreta est.

Meretur etiam responsionem id, quod in opere mox citato ed. anno 1842 Addisonius pag. 544 affirmat de repugnantia, quam Episcopi in Viennensi Concilio, quatuor dumtaxat exceptis, circa Ordinis abrogationem demonstraverint; quo loco de Clementis V Constitutione illam abrogationem decernente memoratus scriptor ita loquitur, veluti si Concilii Patres interfuerint quidem cum ea in Synodo recitaretur, sed consilio inito de Constitutione ipsa edenda assensi minime fuerint.

Etenim haec minime consona sunt iis, quae de Concilio Viennensi scriptores eorum temporum memoriae prodiderunt. Nam praeter ea, quae certa sunt de deliberationibus habitis antequam Concilium inciperetur; retulimus superius Continuatoris Nangii testimonium, qui post sessionem primam Concilii Viennensis, et toto illo tempore, quod lapsum est priusquam secunda sessio celebraretur, narrat « multas delibera» tiones habitas et factas fuisse in » praemissis » hoc est, praecipue circa Templariorum causam. Adduximus etiam Bernardi Guidonis verba, qui scripsit, Pontificem *multis Praelatis cum Cardinalibus convocatis*, consistorium de ista causa habuisse, atque in eo decretum abolitionis *per viam provisionis* esse factum, prout deinde Clemens V in Constitutione sua loquutus est, qua Ordinem abrogavit *Sacro approbante Concilio.*

Est vero clarissimum argumentum, quod ad ostendendum, Ordinis abrogationem decretam esse post de-

liberationem cum Patribus habitam, et postquam ii in sententiam convenissent de eodem abolendo; est, inquam, clarissimum argumentum, quod ex Clementis V Constitutione desumitur, quae legi potest in *Collectione Conc. Labbei* edit. Dominici Mansi *tom. 25 col. 390,* qua Constitutione de bonis ad Templariorum Ordinem antea spectantibus statutum est. Apertissime enim in ea Constitutione Pontifex declaravit, se de tota ista re deliberationem accuratam, ac diuturnam cum Episcopis, qui Concilio intererant habuisse, et decretum de bonis istis factum fuisse, postquam in consilium ineundum eorum sententia concordasset.

Quis vero posset sibi in animum inducere, sine Episcoporum deliberatione, et sine eorundem in consilium de Ordine Templariorum abrogando convenientia, hanc abrogationem in Concilio decretam fuisse; Episcopos ipsos deinde, post diligentem, diuturnamque deliberationem, de ratione, qua Templariorum bona destinari possent, ac deberent, communi suffragio statuisse? Non dico autem quam esset absurdum existimare Clementem V haec in publica, et quibuslibet Episcopis communicanda Constitutione sua, de Episcoporum secum convenientium sententia affirmare potuisse, si haec veritati, et facto ipsi non fuissent consentanea. Id enim adeo per se ipsum clarum est, ut omnem ita suspicandi rationem excludat.

Iam vero Clemens V haec in Constitutione illa sua habet: « Cum fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis et Praelatis, ac etiam cum nonnullis excellentibus, et illustribus personis, cum reliquorum quoque absentium Praelatorum, et etiam Capitulorum, et Conventuum, Ecclesiarum, et Monasteriorum procuratoribus in dicto Concilio constitutis, habuimus ardua, morosa, et diversa consilia et tractatus: ut per huiusmodi consiliorum, et tractatuum deliberationem praehabitam diligentem, dictorum bonorum ordinatio, et dispositio, ad honorem Dei, augmentum fidei, et exaltationem, dictae terrae subsidium, salutem quoque fidelium, et quietem, salubris et utilis perveniret. Postque utique longa, praemeditata, provisa, et matura consilia, suadentibus pluribus causis, Nostra et dictorum fratrum, nec non Patriarcharum, Archiepiscoporum, et aliorum Praelatorum, ac excellentium, et illustrium personarum praedictarum, in dicto Concilio tunc praesentium deliberationes, et consilia in hoc finaliter residerunt, ut praedictorum bona Ordini Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani .... in perpetuum unirentur.»

Refert praeterea Addisonius memorato superius loco, Episcopos, qui Concilio Viennensi intererant, et quos, exceptis quatuor, Templariorum abolitioni obstitisse dicit, postulasse, ut antea eorundem Equitum defensiones acciperentur, atque ad hoc confirmandum, ad Raynaldi annales provocat ad an. 1311 n. 55. Atqui in promptu sunt omnibus Annalistae eruditissimi scripta. Non comperi autem, quomodo ex eo Raynaldi loco ad annum 1311 n. 55 haec quae ille dicit comprobari possint. Quid enim eo loco narrat Raynaldus? Referam loci summam; atque apparebit, num ex eo loco id, quod Addisonius contendit, confirmari queat.

Itaque Raynaldus ad memoratum annum 1311 n. 55 haec habet tantummodo. Hoc est, Episcopos, qui Concilio intererant, a Clemente V consultos esse de tribus rerum capitibus, propter quae Synodum habendam esse Pontifex in prima sessione exposuerat, videlicet, consultos illos esse de Templariorum causa, de expeditione sacra renovanda, et de Ecclesiastica disciplina. Tum Raynaldus eodem n. 55 circa causam Templariorum, ut ostendat, quae fuerit huius consultationis summa, re-

fert ex codice Vaticano longum testimonium *Praesulis Religione, et scientia conspicui,* cuius nomen ipse non significat, et quem Natalis Alexander loco citato n. 12 ait, Durandum Episcopum Mimatensem fuisse a nonnullis perhiberi, cui praesuli inter ceteros, ante Concilii Viennensis celebrationem, Clemens V inquirendi in Templarios munus commiserat.

Hic vero Praesul religione, et scientia conspicuus exposuit, quae fuissent in processus decursu sententiae de ea re, alios scilicet, dandam esse Ordini defensionem, et absque iuris rigore, abrogari illum non debere, alios vero putavisse « Ordinem » destruendum sine aliqua tarditate, » tum propter grave scandalum con- » tra dictum Ordinem in tota chri- » stianitate exortum, tum quia con- » tra ipsum multi errores, et haere- » ses per dictos processus, et inqui- » sitiones, plusquam per duo millia » testium reperiebantur esse pro- » bati. »

Episcopi vero illius sententiam refert ex eodem codice Vaticano cit. loc. Raynaldus, prosequens eiusdem verba recitare. « Quantum ad Nego- » tium Templariorum, inquit, et or- » dinem Templi attinet; Ecclesiae » Dei, et toti fidei christianae mira- » biliter expediret, quod idem Do- » minus Noster, sive de rigore iuris, » sive de plenitudine potestatis, i- » stum Ordinem diffamatissimum, » qui, ut ita dicamus, odorem nomi- » nis christiani, quantum in se fuit, » apud incredulos, et infideles, foete- » re iam fecit, et nonnullos fideles » in stabilitate fidei titubare; sine » tarditate aliqua reiectis frivolis, » et calumniosis allegationibus su- » per defensione tollenda, ex officio » suo omnino tolleret, bonis eius Or- » dinis dispositioni Sedis Apostolicae » reservatis; et sine tarditate dico, » etiamsi a prima sua institutione » fuerit bonus Ordo. » Reliqua, quae Raynaldus eo num. 55 refert, nihil aliud habent, nisi testimonii Episcopi illius prosequutionem, qui rationes explicavit, quamobrem, nulla interposita mora, Ordo deleri deberet, oeconomica, ut dici solet, dispositione, et quemadmodum in Constitutione sua Clemens affirmavit, *per modum provisionis,* sensu superius explicato.

Praeter ista, quae nunc relata a me sunt, nihil prorsus aliud Raynaldi annales continent ad an. 1311 n. 55. Quamobrem perspicuum omnibus esse puto, ad illum Raynaldi locum non posse provocari, ut appareat, Viennense Concilium, quatuor dumtaxat Episcopis exceptis, noluisse assentiri Pontifici, qui Ordinem Templariorum delere volebat, et communi suffragio Episcopos in sententia perstitisse, ut Ordo non abrogaretur, nisi iuris ordine rigorose servato. De hac communi Episcoporum repugnantia nihil Raynaldus dicit; et cum eo loco testimonium tantummodo Praesulis religione, ac scientia conspicui referatur, tamquam illud, quod ostendat quid post Clementis V consultationem gestum fuerit in Concilio; iure possemus inde concludere, locum illum Raynaldi probare, Episcopos censuisse Templariorum Ordinem per modum provisionis esse abrogandum, eo sensu, qui iam a nobis significatus est.

Coram Clemente V fuisse pertractatam hoc tempore Bonifacii VIII causam superius diximus, et Pontificem hunc vindicatum, atque legitimum declaratum fuisse. De hac re quaestionem inter eruditos institutam esse sciunt omnes, num proprie haec causa peracta fuerit in Concilio Viennensi, an coram Clemente V Avenione morante, qui sibi de causa ipsa decernendi ius reservaverit, quod probare dicunt inter cetera, Bernardi Guidonis testimonium, qui ad annum 1309 retulerit, mense septembri, eo anno, in publico consisterio Avenione habito, hanc causam coram Clemente V fuisse pertractatam; ad quem etiam annum spectare arbitrantur confutationem illam

accusationum contra Bonifacium allatarum, quae a Cardinali Francisco Caietano item coram Clemente V facta est, et quam in *Monumentis Praenestinis* n. 35 Petrinius retulit.

Hanc tamen controversiam praetereuntes, de qua, inter cetera, videri potest Pagius ad vitam Clementis V n. 32, qui a Pontifice Avenione rem iudicatam esse contendit; et Dominicus Mansius in adnot. ad dissertationem Natalis Alexandri *de Concilio Viennensi quaest. 1* paullo ante citatam, qui vere in Concilio id factum esse censet, atque ibi Bonifacii causam pertractatam: hanc, inquam, controversiam praetereuntes, illud certum esse affirmamus, idque apparere ex omnibus factum hoc respicientibus monumentis, calumnias omnes, quibus Bonifacii fama impetita est, in media totius Orbis luce reiectas penitus fuisse, Bonifacii catholicam fidem, legitimum Pontificatum, virtutem, et Religionis studium vindicatum fuisse.

Atque ut verbis Maucleri utar in opere *de Monarchia p. 4 l. 7. c. 18* a Papebrochio allatis *in Conatu Chronico historico* etc. ad vitam Bonifacii VIII n. 15, « Omnes malevolorum » inimicorum calumnias, imposturas, » opprobria, mendaciaque in illius » Pontificis famam, honoremque con» torta, qui illum atrocibus crimini» bus insimulaverant, ut Francorum » Regi Philippo placerent, placendo » illuderent, illusum blanditiis, fal» lacibusque fraudibus deciperent, » ipse Pontifex cum toto Concilio » detestatus, exsecrationi subiecit. » Omnes sacrilegos conspiratores, op» pressores, detentores, captoresque » Bonifacii VIII, qui captum atroci» bus opprobriis, iniuriisque scelera» tissime laeserant, simili exsecratio» nis, anathematisque fulmine con» strinxit, nisi quos gravissima poe» nitentia, cum detestatione tanto» rum scelerum, plena contritione, » satisfactioneque convertisset. Ipsi » Philippo Regi agnoscenti dissidio» rum crimina contra Bonifacium VIII » patrata, eaque per ignorantiam se » commisisse, proditorie sycophanta» rum illusionibus, calumniarumque » falsimoniis perfidis illusum, dece» ptumque profitenti Clemens V . . . » quaecumque Bonifacius contra eum, » eiusque regnum, veluti in ultio» nem Pontificiae potestatis, sub for» ma anathematis, et interdicti ful» minaverat... (quae tamen iustis de » causis facta fuisse demonstratum » est, quaeque Bonifacius ipse revo» cavisset, si, eo vivente, Philippus » id egisset, quod ad praeteritarum » rerum correctionem sub Clemen» te V fecit), abrogavit postquam » omnes famosos libellos calumnia» rum, imposturarumque codices » contra Bonifacii memoriam ausu » sacrilego conscriptos, ustulandos » ardentibus mandari flammis impe» ravisset.»

Agit vero Raynaldus ad an. 1511 n. 50 de poenis ecclesiasticis, quae iis sunt impositae, qui participes fuerant vis Bonifacio Ananiae illatae, quos facti poenituisse, et veniam petiisse memoriae proditum est. Ac de Guillelmo Nogaretio, qui dux sceleris fuerat, haec ex Bernardo Guidonis ibi refert annalista doctissimus: « Papa Clemens absolvi» Guillelmum de Nogaretio praesen» tem, et petentem absolvi a senten» tia excommunicationis, qua tene» batur propter Bonifacii Papae ca» ptionem, fueruntque sibi ibidem im» positae et iniunctae in poenitentiam » peregrinationes etc. »

Huius nefarii consilii auctores, ac participes, nominatim vero Guillelmum Nogaretium anathemate perculerat, statim post susceptum Pontificatum etiam Benedictus XI, qui « captionem, et facinus, tunc Cardi» nalis fide viderat oculata; » prout habent acta Pontificatus Benedicti XI a Papebrochio relata. Absolverat etiam hic Pontifex a censuris Iacobum, et Petrum Cardinales Columnenses a Bonifacio dignitate Cardinalatus spoliatos, quos tamen anno 1305 Clemens V in pristinam dignitatem re-

stituit, cum decem Cardinales Lugduni creavit. Erga Philippum Pulchrum quoque Benedictus XI benignius agere coeperat, et discordiae, quae illum inter et Praedecessorem suum excitata fuerat, finem imponere, id quod Clemens V deinde perfecit.

CAPUT XXXI.

DE ROMANIS PONTIFICIBUS, QUI AVENIONE MORATI SUNT.

Clementem V Pontificem Maximum Concilio Generali Viennensi praefuisse mox vidimus. Ille vero, qui antea Bertrandus de Goth appellabatur, et gente Gallus in dioecesi Vasatensi natus, et Archiepiscopus Burdigalensis erat, Pontifex Maximus electus fuerat Perusiae die 5 Iunii anno 1305. Accepto autem die 22 Iulii decreto electionis suae, et promulgato, Burdigala venit Lugdunum, eoque Cardinalibus convocatis, coronatus est in aede S. Iusti, et cum solemniter procederet, lapsu muri cuiusdam, in grave vitae periculum adductus est. Cum videret autem factionibus fervere Italiam, substitit in Gallia, et Avenione mansit ab anno 1309 in posterum, quod eius Successores quoque fecerunt usque ad Gregorium XI.

Esset omnino incongruum de hac Romanorum Pontificum mora in Gallia, quae septuaginta ferme annos perduravit, nihil dicere. Quamobrem historico saltem modo de Pontificibus, qui Avenione morati sunt, nonnulla attingemus; praesertim quod de infelicissimo illo schismate deinde loquuturi simus, quod post Gregorii XI mortem, ac Urbanum VI iam electum, est excitatum, et cuius initii historia cum hac Avenionensi mora coniuncta est.

De Clemente V iam plura diximus cum de Concilio Viennensi ageremus; atque inter cetera, ab eo Philippum Galliae Regem, excommunicatum a Bonifacio VIII, Ecclesiae reconciliatum fuisse, et Cardinalatum restitutum esse Iacobo, et Petro de Columna; Caelestinum V canonizasse, atque alia pro Ecclesiae bono, pro fide ab erroribus defendenda, et ad disciplinam instaurandam Clementem V decrevisse. Obiit vero anno 1314, 12 Cal. Maias ad Rupem Mauram Dioecesis Nemausensis dum Burdigalam pergeret.

Clemente V mortuo cum Carpentoractem convenissent Cardinales, ortis dissidiis, et factionibus duabus, quarum una Gallum Pontificem, altera Italum petebat; cum conclave etiam incensum a Vasconibus fuisset, vacavit Romana Sedes biennium, atque etiam aliquanto amplius. Tandem operam dante Philippo Comite Pictaviensi, postea Franciae Rege, Cardinales in conclave reversi sunt, et Ioannem XXII die 7 Augusti anno 1316 elegerunt, qui olim Iacobus de Eusa appellabatur atque in dioecesi Cadurcensi natus erat. Inter inimicitias, quas contra Pontificem Ludovicus Bavarus exercebat, Petrus de Corbario eiusdem Imperatoris instigatione se veluti Antipapam gessit, suscepto Nicolai V nomine. Verum hic deinde resipuit, Avenionem ad Ioannem XXII venit, et petitam ab eo veniam cum impetrasset, Avenione mortuus est. Obiit denique Avenione Ioannes Pontifex anno 1334 die 4 Decembris cum aetatis suae annum nonagesimum implesset, et Pontificatum annos 18, menses 3, dies 27 gessisset.

De Ioanne XXII nota querela est, scilicet eum sensisse, animas iustorum nonnisi post supremum iudicii diem esse visuras Deum. Nolo autem diu in hac controversia pertractanda immorari. Satis est enim inter cetera legere de ista re, quae fuse et eruditissime Thomas Maria

Mamachius *tom. 6 Orig. et Antiq. Christianarum p. 2, l. 4* §. *6* disputavit, ubi etiam scriptores omnes recenset, qui de hac querela contra Ioannem XXII allata disputarunt, quem tomum morte correptus, cum magno eruditionis Ecclesiasticae detrimento, absolvere vir doctissimus non potuit. Huius autem pertractationis summa haec est, quam Mamachius p. 137 allato Raynaldi *ad an. 1333 n. 35* testimonio recenset. Itaque Odoricus Raynaldus, Mamachius ait, qui manuscriptos eius aetatis codices studiose legit, haec habet: « Cum Ioannes cuperet dirimi » controversiam (de visionis beati- » ficae fruitione) in suis ad Cardina- » les collationibus, Scripturae Sacrae » oracula, et Patrum dicta in utram- » que partem protulit, iussique sunt » Cardinales, Praesules, aliique con- » troversiam diligentissime excutere, » et quae a Sanctis Patribus pro- » nunciata reperirent, conferre. Li- » bellum etiam scripsit Pontifex, » quem Petro Archiepiscopo Rotho- » magensi transmisit, in quo nihil » de suo, sed dicta tantummodo Scri- » pturae Sacrae, et Patrum deprom- » psit. »

Tum subdit Mamachius: « Interea » nihil quidquam Ioannes affirmando, » sed disputando, aut summum du- » bitando dixit. Cum enim nondum » finita res esset, non modo passus » est, ut ab aliis in disputationem » vocaretur, sed fas sibi etiam esse, » ut privato, existimavit investigare » disputando verum. Quare idem ipse » in ea, quam extremo vitae tem- » pore edidit, fidei professione: *Quae » dixerat ea de re, praedicarat, scri- » pserat, recitando dicta Sacrae » Scripturae, et Sanctorum Patrum, » et conferendo, et non determinan- » do, nec etiam tenendo, sic, et non » aliter fuisse a se dicta, praedi- » cata, seu scripta testatus est.* » Haec autem satis sunt prorsus ad gravissimam memoratae querelae responsionem afferendam. Nam ista probant, nullo modo contra doctrinam catholicam de ista re Ioannem XXII sensisse, qua deinde luculenter a Concilio Lugdunensi II, ac Florentino Generali definita est, videlicet « illorum animas, qui post sacrum » baptisma susceptum, nullam omni- » no peccati maculam incurrerunt; » illas etiam quae post contractam » peccati maculam, vel in suis ma- » nentes corporibus, vel eisdem exu- » tae, sunt purgatae, mox in cae- » lum recipi, et intueri clare ipsum » Deum Trinum et Unum sicuti est, » pro meritorum tamen diversitate, » alium alio perfectius. » Legi quoque possunt Tournelyus *in tract. de Deo quaest. XII,* Witassius *de Deo quaest. XI art. 2 sect. 8,* Natalis Alexander *diss. XI in saec. XIII et XIV art. 2.*

Ioanne II Pontifice vita functo, Benedictus XII Tolosanus, antea Iacobus Furnierius, seu Novellus Abbas Ordinis Cisterciensis, creatus est Pontifex die 20 Decembris anno 1334, et die 8 Ianuarii anno 1335 Avenione coronatus est. Summam vitae continentiam eum ostendisse, historici illorum temporum referunt; disciplinae amantissimum, atque imprimis studiosum, ut beneficia, et dignitates Ecclesiasticae, secundum canonum normam conferrentur; consulendum etiam curavit Reipublicae tranquillitati, et ne quid detrimenti publicus ordo pateretur. Obiit vero die 25 Aprilis anno 1342 Avenione in Palatio, quod construxerat, cum Pontificatum gessisset annos septem, menses quatuor et dies quinque.

Suffectus est die 7 Maii an. 1342 Benedicto XII mortuo Clemens VI antea Petrus Rogerius. Et die 19 eiusdem mensis Avenione coronatus est, in quam diem festum Pentecostes inciderat. Is principibus Christianis conciliandis inter se, Francis praesertim, et Anglis maxime studuit. Legati ex Italia, quorum unus erat Franciscus Petrarcha ad eum venerunt, ut ad redeundum Romam illum adducerent. Sed memoratis his gravibus rebus, ut diximus,

intentus, id exsequi non potuit. Anathema in Ludovicum Bavarum confirmavit. Annum Iubilaei, prout alio loco diximus, singulis 50 annis celebrari statuit Extravaganti *Unigenitus*. Avenionem a Ioanna Regina Sedi Apostolicae magna numerata pecuniae copia anno 1348 acquisivit. Conclavis leges mitiores aliquanto reddidit. Obiit autem sub finem anni 1352, cum annos decem, menses septem et diem unum Pontifex fuisset.

Clementi VI Innocentius VI Lemovicensis successit, qui antea Stephanus Alberti dictus erat, die 18 Decembris 1352, et coronatus fuit die 30 eiusdem mensis. Is residentiam imperavit Praelatis, et aliis beneficiariis in curia, ut narrat Ptolemaeus Lucensis. Misit in Italiam cum exercitu Aegidium Alvarum Albornotium Cardinalem et Archiepiscopum Toletanum, qui Romanae Pontificiae ditionis oppida recuperavit. Plurimum etiam curavit ut in beneficiorum, et dignitatum collatione diligenter canones servarentur. Obiit vero die 12 Septembris anno 1362 cum annos novem, et circiter novem menses Ecclesiae praefuisset.

Urbanus V antea appellatus Gulielmus Grimoaldus, Gallus, Abbas S. Victoris Massiliensis, licet Cardinalis non esset, et abesset, in Italiam ab Innocentio missus, die 28 Octobris anno 1362 electus est, atque Avenionem veniens, ibidem consecratus. Graecam Ecclesiam cum Romana iterum conciliare conatus est, et de ea re cum Michaele Palaeologo egit, qui Romam veniens an. 1369 schisma eiuravit, et fidem Romanam professus est. Romam etiam venerat a.1367 Urbanus: sed hinc Avenionem rediit, ubi mortuus est die 19 Decembris anno 1370. Benevolum se erga viros litteratos Urbanum V exhibuisse, constat inter cetera ex litteris Petrarchae ad eum scriptis.

Urbano V Gregorius XI antea Petrus Rogerius Lemovicensis, filius Guillelmi Comitis de Bellefort, et Clementis VI nepos, de qua cognatione consuli possunt Bollandiani ad vitam S. Catharinae Senensis, summo consensu suffectus fuit die 30 Decembris an. 1370. Presbyteratus ordine suscepto die 4 Ianuarii anni 1371, postridie consecratus Episcopus, et coronatus est. Hic ille Pontifex est, qui consilium susceptum ad Urbem cum suis omnibus redeundi, exsequutus fuit, et constanter servavit. Itaque Romam venit anno 1377: « die » 17 Ianuarii ingressus est Romam » equitando de S. Paullo, ubi ad ter- » ram de navigio descenderat, usque » ad S. Petrum, fuitque ibidem re- » ceptus cum magna solemnitate et » honore, » ut dicitur in eius vita. Itaque tempora recensendo, fuit Pontificia Sedes extra Romam ab obitu Benedicti XI annis 72, mensibus 6, diebus 19; a coronatione Clementis V quando Cardinales accivit Avenionem annis septuaginta uno, mensibus 2, diebus 5; a constitutione Sedis Avenione postquam in diversis Galliae locis fuit, annis 68, ut animadvertit Spondanus.

S. Catharinam Senensem optime meritam ob Gregorium XI in consilio suscepto, et Deo soli cognito Romam redeundi confirmatum, publica monumenta testantur. De ea re videri quoque possunt Bollandiani ad eiusdem vitam die 30 Aprilis. Roma deinde Gregorius vitandi aestus causa Ananiam contendit: reversus Romam obiit 6 Calendas Aprilis anno 1378. Ad pietatem fovendam, ad Sedis Apostolicae iura tuenda, ad Ecclesiae bonum impense procurandum multa Gregorius gessit, quae in Institutionibus sunt recensenda. Satis vero sunt ista, quae diximus, ad seriem referendam Romanorum Pontificum, qui Avenione morati sunt, atque ad significandum quandiu ista Pontificum mora in illa civitate perduraverit. Stephanus Balutius *vitas Paparum Avenionensium* duobus tomis edidit, cuius operis legendi qui copiam habeat, facile intelliget, quantopere oporteat

in eiusmodi rebus a partium studiis abstinere. Nunc de gravissimo illo schismate agere debemus, quod, mortuo Gregorio XI, et postquam Urbanus VI electus esset, excitatum fuit, et annos ferme quadraginta usque ad Martini V electionem, Ecclesiam perturbavit.

CAPUT XXXII.

DE URBANI VI PONTIFICIS MAXIMI ELECTIONE, ET DE SCHISMATE DEINDE EXCITATO.

Urbem Romam ob Gregorii XI Avenione reditum, consiliumque ab eo susceptum Romae manendi, gaudio gestiisse, et permagnam laetitiae significationem exhibuisse, monumenta illorum temporum, et graves illius aetatis scriptores testantur. Neque vero poterant Romani alia ratione Pontificem redeuntem amplecti, qui sciebant huius urbis splendorem in D. Petri Sede praecipue positum esse, et nullum posse excellentius ornamentum Patriae suae excogitari, quam ibi domicilium habere illos, per quos D. Petrum ipsum loqui, antiqua, et commendata plurimum Patrum Chalcedonensium vox, ac sententia fuit.

Verum praeposteram fuisse dici quodammodo potest huius Urbis istam gratulationem, et brevem laetitiam, cum infelicissimum illud tempus quamprimum fuerit consequutum, quo gravi, diuturnoque schismate Ecclesia perturbata est. Contigit id postquam Urbanus VI suffectus fuerat anno 1378 Gregorio XI mortuo, atque usque ad Martini V electionem, quae anno 1417 Constantiae facta fuit, hoc schisma sublatum non est.

De hoc tam infelici tempore loquuturi opportunum putamus afferre primum Benedicti XIV testimonium desumptum ab opere *De Servorum Dei beatificatione, et Beatorum canonizatione lib. 1 cap. 9 n. 10.* Ex eo enim aperte intelligitur, legitimum Pontificatus ius Urbanum VI, Bonifacium IX, Innocentium VII etc. habuisse. Agens enim eo loco Pontifex de S. Birgittae canonizatione anno 1391 a Bonifacio IX Romae facta, ac deinde a Martino V anno 1419 confirmata haec habet: « Supplicatum fuit Martino V pro nova (S. Birgittae) canonizatione. Recens autem Martini constitutio edita » est Florentiae post Concilium Constantiense an. 1419, et est impressa ante revelationes S. Birgittae, » pluribusque prosequuntur Pagius » *t. 4 Breviarii* Romanorum Pontificum in vita Ioannis XXIII *pag. 387* » et Spondanus *ad an. Christi 1415* » *n. 2.* Notanda sunt verba Constitutionis Martini V confirmantis canonizationem S. Birgittae, quae » sunt huiusmodi *ab bonarum mentium, et conscientiarum serenationem puriorem.* Depulsa temporum caligine, in clara luce hodie » positum est, legitimum ius Pontificatus penes Urbanum VI eiusque » successores Bonifacium IX, Innocentium VII etc. stetisse; sed cum » id tunc temporis adhuc eliquatum » non esset, Martinus V necessarium » esse existimavit sua indubia auctoritate canonizationem a Bonifacio IX factam confirmare. »

Agit praeterea eodem loco Benedictus XIV de canonizatione S. Catharinae Senensis a Pio II Pontifice facta, quam robur suum etiam habiturám fuisse explicat, si ea ab Urbano VI, Innocentio VII aut Gregorio XII absoluta esset. Verum laudat, id non evenisse: « ne esset obnoxia, » inquit, obtrectationibus eorum, qui » in obedientia, ut appellabatur, » Pseudopontificum Avenionensium » erant; praesertim cum S. Catharina » Senensis apertissime, et constantissime pro Urbani VI iure ste-

» tisset, quod Virginis Sanctissimae, » et miraculis, et familiari cum Deo » communicatione clarissimae testi- » monium, pondus ingens Urbani » causae addiderat. » His vero Pontificis sapientissimi sententiis allatis, eo tutius possumus affirmare id, quod ex facti etiam ipsius historia depromitur, Urbanum VI legitime electum esse, eiusque Successores legitime Pontificatum consequutos fuisse.

Iuvat vero horum Pontificum seriem breviter percensere. Itaque Urbanus VI qui antea Bartholomaeus Prignanus, Neapolitanus, Barii in Apulia Archiepiscopus erat, die 9 Aprilis anno 1378 creatus est Romanus Pontifex; postquam Romani, qui verebantur, ne si homo Gallus Papa eligeretur, sedem iterum in Galliam deferret, clamoribus, et minis a Cardinalibus Romanum Pontificem depoposcissent. Sed Cardinales veriti ne vis illata ipsis videretur, non Romanum, Italum tamen hunc elegerunt.

Ex isto autem facto prima schismatis origo sive occasio profecta est; cui accessit, quod valde severe Urbanus, se Pontificatum gesturum affirmaret, et ideo aliorum animos a se averteret. Itaque Cardinales Galli numero 12 quasi romanos calores vitare vellent, Ananiam commigrarunt, ibique causati, vim sibi a populoRomano illatam esse, Urbanum non libere electum fuisse affirmare coeperunt. Inde Fundos profecti, perductis ad se tribus Cardinalibus Italis, novum Pontificem creaverunt die 20 Septembris anno 1378 Robertum Cardinalem Gebennensem, seu Genevensem, Fratrem Comitis Genevensis 36 annos natum, qui Clementis VII nomine sumpto, secessit Avenionem.

Significavimus paullo ante, quam tetrum schisma inde conflatum sit, et quam diu gravi damno, atque afflictioni Ecclesiae fuerit. Inter ceteros, qui de ea re scripserunt, auctor *fasciculi temporum* haec habet: « Schisma secundum, omnium schi- » smatum quae ante fuerunt pessi- » mum et subtilissimum. Adeo enim » plenum fuit, ut etiam doctissimi, » et conscientiosi viri non valerent » discutere, cui esset magis adhae- » rendum. Et fuit continuatum per » annos quadraginta... et ideo ab isto » Urbano Sexto usque ad Martinum » Quintum nescio quis fuit Papa. »

Sed haec de schismatis decursu, non autem de tempore, quo Urbanus VI electus est, intelligi debent. Nam monumenta Urbani electionem respicientia, eum legitime electum fuisse, facile produnt. Eiusmodi vero in schisma ipsum iam commotum irrepserunt adiuncta, ut ii quibus vera totius facti origo erat ignota, aut de industria falso descripta, in magnam obscuritatem adducti sint. Tractatus in utramque partem idcirco conscripti fuerunt, quorum magnum numerum fuisse Spondanus inter ceteros animadvertit. Sed vel ab eo tempore non defuerunt qui rei veritatem intellexerint, prout S. Antoninus narrat et « posteris diebus, cessante iam » metu, venerari ut Pontificem illum » (Urbanum VI) perseverarunt, et » Principibus, solemnibus litteris ele- » ctionem suam nunciarunt. » Accessit celebriorum hominum et doctiorum pro Urbani electione sententia, inter quos Baldus Perusinus fuit, Iurisconsultorum eo tempore princeps. Ita denique res est considerata, ut Urbanum VI legitime electum fuisse apparere potuerit, prout Spondanus concludit. Quod si vero rem accurate perpendenti facile occurrere potuit, Urbanum legitime electum fuisse, apparere etiam facile poterat, et Robertum Gebennensem, et Petrum de Luna Pontifices esse legitimos non posse. Memoranda sunt S. Cypriani verba de hac materia: « cum » post unum, scilicet, secundus esse » non possit, qui post primum ele- » ctus est; non iam secundus ille, » sed nullus est. »

Urbanus vero tempus omne Pontificatus sollicitum habuit: qui primo una cum Cardinalibus Italis Tiburem concessit, hinc per Italiam

discurrit, donec Romae decessit anno 1389 die 15 Octobris. Etsi in adeo difficilia Pontificatus sui tempora inciderit Urbanus; non omisit tamen Ecclesiae curam inpense agere, prout vel ab initio mentem suam esse significaverat. Pietati etiam fidelium fovendae operam dedit, quemadmodum illud fuit, quod Iubilaeum trigesimo tertio quolibet anno celebrandum statuerit, ad religiosam Christi vitae annorum memoriam recolendam.

Urbano VI Bonifacius IX successit, antea Petrus Tomacellus nuncupatus, Neapolitanus, qui die 2 Novembris anno 1389 electus fuit a Cardinalibus 14, qui Urbano semper adhaeserant. Hic ut Pontificiae ditioni consuleret, urbes quasdam potentibus viris fiduciarias concessit, imposito tributo. Consuluit etiam Romanae Urbi, arce in Hadriani mole constructa; aditus Tiberis praeterea, et pontes communivit. Alia etiam plura ad disciplinam Ecclesiasticam spectantia constituit. Obiit ex calculorum dolore die 1 Octobris anno 1404. Antea vero eodem anno 1404 die 16 Septembris obierat Antipapa Clemens VII ex apoplexia; atque illi die 28 eiusdem mensis substitutus fuerat Petrus de Luna Hispanus, Cardinalis Aragoniae, qui Benedicti XIII nomen suscepit, quique in schismate perstitit, et a Concilio Constantiensi anno 1417 depositus, in schismate pertinax die 17 Novembris anno 1424 obiit, cum per annos triginta se veluti Papam gessisset, et sex Pontificibus, hoc est Bonifacio IX, Innocentio VII, Gregorio XII, Alexandro V, Ioanni XXIII, Martino V, et Conciliis Pisano, ac Constantiensi restitisset.

Innocentius VII antea Cosmus Melioratus Sulmonensis die 17 Octobris anno 1404 Bonifacio IX suffectus fuit. Laudant eum ob multarum, magnarumque rerum experientiam veteres scriptores. Die 6 Augusti anno 1405 propter populi tumultum Roma Viterbium se contulit; sed Romam deinde cum magna civium gratulatione reversus est die 13 Martii 1406, atque ibi die 6 Novembris eodem anno vita functus est.

Innocentio VII Gregorius XII successit, olim dictus Angelus Corarius, Venetus, vir patritius, an. 1406 die 30 Novembris, postquam cum ceteris Cardinalibus iureiurando promiserat, se ad schisma tollendum, cessurum pontificatu, si id etiam Petrus De Luna fecisset. Verum schisma hoc modo non est extinctum, prout deinde videbimus. Etenim constat, id tandem vere evenisse cum Concilium Constantiense habitum fuit. Quod enim ad Gregorium XII pertinet, ille in eo Concilio, Sessione 14 die 4 Iunii anno 1415 celebrata, per Carolum Malatestam Procuratorem ad hoc suum « omni iure suo, quod in » papatu haberet, renuntiavit sole» mniter, » uti S. Antonius ait. Itaque Patres ut eum honorarent « Le» gatum illum instituerunt in Picen» tibus consistentem » idest, perpetuum legatum in Piceno, ubi morabatur. Deinde factus est etiam Cardinalis Episcopus Portuensis. Decessit autem senex Recineti die 18 Octobris anno 1417.

Pontifices, quos hactenus recensuimus, ii sunt, qui post Gregorium XI mortuum electi fuerunt, et quibus Pontificatum gerentibus, duo alii superius memorati, quorum alter Clemens VII, alter Benedictus XIII appellatus est, Avenione se veluti Pontifices gesserunt. Cum Gregorius XII autem Pontifex esset, habitum est Concilium Pisanum anno 1409, atque in eo, prout notum est, Alexander V Gregorio, ac Benedicto suffectus fuerat. Sed cum Gregorius XII ac Benedictus XIII in Pontificatu retinendo perseverassent, tunc evenit, ut praeter duos illos, etiam alius Pontifex exstiterit, hoc est, quemadmodum S. Antoninus ait, « non sit ab» latum schisma, sed augmentatum, » ex duobus, tribus se pro Papa ge» rentibus. »

Existimo autem hic opportunum

esse, antequam sive de Pisano isto Concilio, ac de Pontificibus Alexandro V in eodem electo, et de Ioanne XXIII, qui Alexandro successit; sive de Constantiensi aliqua dicamus, praecipua referre de ratione, qua Urbani VI electio absoluta est. Ea enim, quae continentur in monumentis hoc factum respicientibus, sunt talia, ut evincant, eundem legitime electum fuisse. Quod si legitima existimanda est Urbani VI electio, perspicuum etiam erit, legitime Pontificatum adeptos esse ceteros, qui eidem suffecti sunt.

Neque arbitror in ista re aliud quaeri debere, nisi ut appareat, num libera, an per metum, vel per vim illatam facta fuerit Urbani VI electio. Nullo enim alio vitio hanc electionem affectam esse adversarios Urbani VI affirmasse constat, nisi non liberam, non vacuam metu electionem fuisse. Praeter istas vis illatae, aut metus incussi querimonias, non video alias causas adductas ab iis esse, qui Robertum Gebennensem, seu Clementem VII elegerunt. Certum est etiam, eos neque illud umquam ostendisse, hunc Pontificem, nec eo quidem tempore veluti talem habitum a Cardinalibus fuisse, aut denuo reputatum tamquam verum, legitimumque Pontificem non esse, postquam tumultus omnis sublatus penitus erat. Atqui, inter cetera, referenda esset annalium Raynaldi magna pars, si monumenta omnia essent adducenda, quae evincunt liberos fuisse Cardinales cum Urbani VI electionem absolverunt, aut cum pluries deinde in antea factam hanc electionem convenerunt. Itaque clariora recensebimus ex facti ipsius historia desumpta, quae ostendunt legitimam Urbani VI electionem existimandam esse. Id autem satis erit ad statuendum quinam legitimi illius temporis Pontifices fuerint, si iuris ratio habeatur. Quod si talia in posterum acciderunt, quae de facto obscuram quaestionem reddiderint, id iuris rationem immutare prorsus non potuit.

Seligam ex monumentis, quae magno numero possent recitari, ea quae efficiunt, quidquid tandem evenerit, cum Cardinales post mortem Gregorii XI ingressi sunt conclave, eos tamen in electione Bartholomaei Prignanii Archiepiscopi Barensis, qui Urbani VI nomen suscepit, liberos fuisse, et aperte liberos se esse demonstrasse, cum pluribus rationibus in posterum, tranquillitate penitus restituta, eiusdem Urbani VI electionem ratam habuerunt, et confirmarunt.

Ad hanc rem probandam primum commemorabo, populum Romanum, cum timeret, ne si Pontifex eligeretur, qui Romanus non esset, iterum Roma relicta, Avenione pontificia residentia constitueretur, petiisse ut Romanus prorsus Pontifex Maximus fieret, prout apud Raynaldum, et Muratorium, inter ceteros, ad an. 1378 legi potest.

Ita profecto colligitur ex epistola Abbatis Sistriensis ad Regem Aragoniae, in qua narrat, Banderensem quendam, seu Praefectum regionum Urbis ad Conclave venisse, atque ista ratione Cardinales alloquutum esse: « Scitis, Domini mei, quod in in» troitu Conclavis multi clamaverunt » rogantes, quod eis daretis Itali» cum, vel Romanum. Nunc autem » pro parte totius populi sum missus » ad Paternitates Vestras, et vobis » eorum pro parte significo, quod » solum volunt eis dari Romanum, » nec essent contenti de Italico. Ti» ment enim, ne sub aliqua conven» tione, secreto inter vos et aliquem » Italicum non Romanum inita, ipse » post electionem, reduceret Curiam » Avenionem. » Haec magni momenti certe sunt ut concludatur, ex facto apparere, Cardinales, in electione, quam fecerunt, libere egisse. Non enim, ut morem populo gererent, Romanum elegerunt, sed virum Neapoli natum Bartholomaeum Prignanium. Neque dici potest, id osten-

dere, ideo dumtaxat electum Prignanium fuisse, quia in adeo parvo Cardinalium proprie Romanorum numero, non invenirent inter eos, quem Pontificem designarent. Nam virum eligendum iudicarunt, qui Sacri Collegii particeps non erat; id quod argumento esse potest, Cardinales si existimassent, populo morem geri omnino debere, potuisse etiam ex Romanis aliquem, qui Cardinalis quoque non esset, ad Pontificatum destinare. Sed electionis negotium ista ratione absolutum non est; id autem manifeste evincit, Cardinales, qui si vere metus causa electionem hanc fecissent, Romanum eligere debuissent; Neapolitanum potius eligendo, atque eius electionem deinde se ratam habere pluries significando, ob metum incussum egisse, dici omnino non posse.

Metuisse Romanos ne si alio modo Pontificis novi electio absolveretur, pontificia residentia iterum in Gallia constitueretur, superius significavimus. In Urbani VI autem vita refert Ioannes Baptista Platina rationes, quamobrem Romani adducebantur ad petendum, ut Romae Pontifex maneret, quae rationes ostendunt non inconsiderate, aut ob aliquam erga Gallos inimicitiam, id a Romanis fuisse postulatum. Scilicet Romanos dixisse memoratus scriptor ait, absente Pontifice, omnem provinciam, urbemque Romam tyrannicis seditionibus continuo vexari, Ecclesiasque Romanas neglectas, et incultas situ, squalore iam magna ex parte prolabi, tollique ob eam rem populorum pietatem Romam proficiscentium, cum viderent et Sedem Pontificiam, et titulos Cardinalium, et monasteria, et sacratissima Martyrum loca sine tecto, corruentibus iam parietibus, pecoribus, et brutis animantibus patere: aequum esse, ut eo loci Pontifex resideat, ubi Petrus Sedem Pontificiam, relicta Patria sua, relicta natione, volente Deo, collocaverit; auxeritque Martyrum, Confessorum, sanctissimorum Pontificum cineribus, et sanguine; unde Pastores Ecclesiae undequaque circumspicientes, mandatorum Christi memores, incitatique maiorum exemplis, quorum martyria, et res gestas, prae oculis haberent, saluti hominum consulerent, patrimoniumque B. Petri recuperarent, quod Pontificum absentia, in Hetruria, in Sabinis, in Hernicis, in Umbris, in Piceno, in Flaminia, a tyrannis quibusdam occupatum fuerat; reticere se quam imminuta esset hominum pietas, et peregrinatio ad Urbem Romam, immo ad Sanctorum corpora, et reliquias visendas ob Pontificum absentiam. Haec autem, quae ex Platinae historia retulimus, non modo ad significandas populi Romani petitionis rationes sunt opportuna, sed etiam ad intelligendum quinam esset Romanae Urbis, et Pontificiae ditionis status, cum Gregorius XI Avenione Romam reversus est.

Quomodo Cardinales alloquutus sit Praefectus regionum Urbis, paullo ante retulimus. Est vero nunc audiendum ab eodem Abbate Sistriensi, quanta constantia Cardinales Praefecto isti responderint. « Cui quidem » Capiti regionis, inquit, per Reve- » rendissimum Patrem Dominum Car- » dinalem Glandacensem pro parte » omnium aliorum Cardinalium re- » sponsum exstitit in ista forma: Mul- » tum mirantur Domini mei, et ego, » qualiter nos sic infestatis, quia » tibi, et populo Romano satisfacere » debent responsiones nostrae vobis » pluries factae super isto negotio. » Recedatis igitur, quia sic semper » diximus, sicut dicimus nunc, nec » a nobis aliam responsionem pote- » ritis obtinere (scilicet electionem » se facturos, habito tantum prae » oculis honore Dei, Christiani po- » puli salute, atque Ecclesiae Catho- » licae utilitate). Ille autem respon- » dens sic dixit: Placet Deo, quod » nobis detis Romanum, alias pro » certo, aliud quam verba sentietis. »

Intellexisse Cardinales servandam esse in electione libertatem, et po-

pulo Pontificem prorsus Romanum postulanti morem geri non debere, apparet ex iis, quae in conclavi, in congressu inter Cardinales habito evenerunt, idque ostenditur eiusdem Abbatis Sistriensis testimonio. Nam subdit: « Facta relatione aliis Do» minis Cardinalibus per eundem » Dominum Glandacensem de verbis » istius Capitis regionis, Dominus » Cardinalis Lemovicensis (Ioannes » Crosius) in haec verba prorupit: » Domini mei, vos videtis, quod isti » Romani primo petierunt unum, qui » deberet esse acceptus Deo, et mun» do, nec excipiebant patrias, vel » personas; demum in introitu con» clavis generalissimam propositio» nem restrinxerunt ad unam natio» nem, scilicet Italicam; nunc autem » nec hac contenti, ad specialissimam » restringunt, scilicet Romanam; » quod etiam si non fecissent, sed » starent etiam sub ista ultima spe» ciali, non video quod de Romano » fieri posset electio, quia Deo, et » mundo diceretur veraciter im» pressiva. »

Haec loquendi ratio manifeste demonstrat, prospexisse diligenter Cardinales, ne videri ullo modo posset, electionem a se fieri per metum. Nam si ad opinionem impressionis toleratae amovendam, a Romani electione abstinendum putavissent, etiamsi generatim Italum Romani postulassent; multo magis huius impressionis declinandae rationem Cardinales ob oculos habuisse dicendi sunt, cum, licet graviter populus Romanus flagitaret Pontificem prorsus Romanum, id non concesserunt, sed Neapolitanum potius eligendum putarunt. Hac vero in re illud est etiam animadvertendum, durantibus adhuc Novendialibus Gregorii XI, hoc est, iis diebus adhuc labentibus, quibus Gregorio XI demortuo iusta funebria persolvebantur a Cardinalibus antequam conclave ingrederentur; iam Cardinales ipsos de Archiepiscopo Barensi egisse, quem plene noverant, quemque Pontificatu dignum esse asserebant.

Narrat hoc inter ceteros Marinus quondam Episcopus Cassanensis, tunc Archiepiscopus Brundusinus in opere quod scripsit *de Schismate T. 2 et 4* pluribus locis. Loquens enim de sententia, quam ipse exquisierat a Roberto Cardinali Gebennensi, cui Marinus erat valde familiaris, scilicet, quem existimaret Pontificem electum iri, et num putaret Cardinales Lemovicenses in proximo conclavi potentes esse futuros, ita ut Pontifex aliquis, qui esset eis studiosus, eligi eorundem opera fortasse posset; loquens, inquam, de hac re Marinus, ait Robertum Gebennensem respondisse: « Habeo plures voces Cardina» lium concurrentium mecum, quam » habeant Lemovicenses; et accipiens » breviarium suum in manibus suis » iuravit: Per haec sancta Dei Evan» gelia numquam habebimus alium » Papam, nisi Archiepiscopum Ba» rensem, aut aliam, quem ad prae» sens nolo tibi publicare; et plu» ribus vicibus infra novenas dicti » Sanctae Memoriae Domini Grego» rii, quoties equitabat ad visitan» dum dictos Cardinales, confirmabat » idem ut praedicitur. »

Quae scriptor mox citatus retulit de Roberto Gebennensi, et Cardinalibus, qui ei erant addicti, idem Robertus e Straton causarum Sacri Palatii Apostolici Auditor narravit *tomo 2 de Schismate pag. 67,* idem, dico, is narravit de Cardinalibus Lemovicensibus, scilicet, eos etiam, priusquam conclave ingrederentur, egisse de Archiepiscopo Barensi Pontifice eligendo. « Quia, inquit, Do» mini Cardinales tunc exsistentes in » Urbe non potuerunt concordare ad » invicem de aliquo eligendo ex se » ipsis, antequam ingrediebantur con» clave duae partes illorum, ut di» citur, decreverant eligere Reveren» dissimum Patrem tunc Archiepi» scopum Barensem; et hoc secrete » aliqui ex ipsis illi intimarunt, de » quo, ut audivi, satis fuit tristis, » et dolens. » Hoc ipsum Cardinalis S. Petri (Franciscus Thebaldescus)

morti proximus testatus est, sibi, videlicet, antequam ingressus esset conclave, Cardinales Gallos proposuisse Archiepiscopi Barensis electionem, atque eiusdem merita valde commendasse, ut sibi persuaderet, illum vere dignum Pontificatu esse existimandum. Legi potest Raynaldus ad an. 1378 n. 2 et 3.

Iam vero haec animadversio opportuna omnino videtur ad confirmandum, Urbani VI electionem, per metum, atque impressionem, prout dici solet, factam existimari non posse. Non modo enim ex his constat, quod superius iam notavimus, a Cardinalibus in conclavi electum esse Pontificem gente Neapolitanum, cum populus Romanus Pontificem omnino Romanum peteret; sed etiam inde constat, Cardinales in conclavi, cum Archiepiscopum Barensem elegerunt, excogitatam antea, et cum nullus metus incussus adhuc esset dispositam, Pontificis electionem absolvisse.

Est etiam considerandum, quanta animi tranquillitate deinde in conclavi a Cardinalibus actum fuerit de Barensi Archiepiscopo ad Pontificatum eligendo. Exsistit id ex alloquutione, quam Cardinalis Lemovicensis ad ceteros Patres Purpuratos habuit in conclavi. Postquam enim ostendisset, atque explicasset rationes, propter quas Romanus eligi Pontifex non deberet; sex ista prae oculis habenda esse tradidit, ut electio novi Pontificis opportuna atque utilis evaderet, hoc est aetatem maturam, vitae honestatem, scientiae praestantiam, peritiam in rebus Sedis Apostolicae pertractandis, hominis erga Collegas benevolentiam: et « quod sit saltem Italicus natione, » ut per eum, patrimonium Eccle- » siae recuperetur, quod per extra- » neum fieri posse non credo. » Haec autem mihi videntur esse eiusmodi, ut ostendant, Cardinales, despecta qualibet, prout dicitur, impressione, et spretis populi postulationibus, aliud sibi non proposuisse in Urbano VI eligendo, nisi id, quod Ecclesiae, ac Reipublicae bonum requirebat.

Ista vero omnia in Archiepiscopo Barensi reperiri Cardinalis Lemovicensis affirmavit, ut concluderet idcirco eundem Pontificem eligi oportere. « Quae quidem sex, inquit, Do- » mini Nostri, in nullo alio video » contineri, nisi in uno, scilicet in » Domino Archiepiscopo Barensi. Iste » namque quinquagenarius est, et » ultra, et est adeo honestus, quod » a quatuordecim annis citra, qui- » bus conversatus est in curia Ro- » mana, numquam auditum est de » eo aliquid sinistri, renibus, vel ma- » nu, ore, vel opere. Quantum autem » ad scientiam, de hoc non est dubi- » tandum, nam magnus canonum Do- » ctor, sicut in suis collectionibus » notum est. De stilo nemo haesitat, » nam gubernavit a multis tempori- » bus citra cancellariam adeo, quod » ipse solus habet in stilo cancella- » riae documenta. Praeterea nobis » omnibus familiarissimus; nam crea- » tura omnium nostrum est, maxime » Lemovicensium, utpote qui a San- » ctae Memoriae Domino Gregorio » est in Barensem Archiepiscopum » ordinatus; natione Italicus, qui » Neapolitanus, et subditus generi » Francorum, ex quo Rex Franciae, » et fratres sui debebunt merito con- » tentari. »

Post haec in eodem opere narrantur omnia, quae pertinent ad explicandum quomodo Barensis electio ad exitum perducta sit. Scilicet formula, seu schedula refertur, qua, sponte, ac libere testatus est Cardinalis Lemovicensis se Barensem eligere, ac deinde ceteri omnes Cardinales iisdem verbis suffragium ferentes, quibus usus erat in sua formula Lemovicensis. Recensentur autem singillatim nomina omnium Cardinalium, qui in conclavi morabantur, quique omnes, communi consensu, Barensis electionem peregerunt, inter quos Roberti Gebennensis, et Petri de Luna mentio fit nominatim,

qui ante ipsos Italos Cardinales suffragium pro Barensi tulerunt. Haec porro omnia gesta sunt, antequam tumultus excitaretur. Subditur enim memorato superius loco: « Haec au» tem electio statim post recessum » illius capitis regionis sic commu» niter et concorditer facta est nullo » medio tempore, nisi quanto Domi» nus Lemovicensis verba protulit » supradicta, quae quidem electionis » hora fuit ante vesperam de dire» cto, ante omnem rumorem populi » per sex horas. »

Testimonia alia plura idem de libera ratione, qua Urbanus VI electus est, probantia, Raynaldus citato superius loco n. 5 et 6 adducit. Quamobrem potest iure concludi, si monumenta perpendantur factum ipsum electionis istius respicientia, iisdem omnino evinci, non metus causa, aut per impressionem, sed ex spontanea Cardinalium deliberatione electionem illam absolutam fuisse. Quae res confirmatur luculenter ex eo, quod Cardinales post electionem iam perfectam, differendum iudicarint eam populo notam efficere. Hoc argumento vel ab ea aetate usus est Episcopus Faventinus, qui rei veritatis explicandae causa ad Regem Castellae missus est. Adiuncta autem facti totius hic Episcopus exposuit, ut pateret, Cardinales libere egisse, et populi postulationem esse spernendam iudicasse, qui Pontificem prorsus Romanum petierat. Tum agit de dilatione, quae sequuta est antequam electionis peractae notitia populo communicaretur.

De qua re ita Episcopus Faventinus loquutus est: « Celebrata dicta » electione, dicti Domini consilium » inter se tenuerunt, an esset expe» diens electionem publicare, et con» cluserunt quod non. Dicat causi» dicus partis adversae, quod, quia » populus furebat, ideo non fuerint » ausi eam publicare. Mirabile dictu » est hoc, si impellente populo, et » propter hoc furente, et ad evitan» dum mortis periculum elegerunt » Dominum Barensem, quod electio» nem suam non audebant publicare. » Quis umquam audivit, quod exsi» stens in periculo mortis, noluit » illud evitare? Quis umquam audi» vit, quod volens evitare mortis pe» riculum, absconderit, seu celaverit » causam evitationis, seu suae libe» rationis? Sed revera ratio occul» tationis fuit, quia non imaginaban» tur satisfecisse populo, et per con» sequens metus, quem attentatum » per populum praetendunt, non im» pressit in mentibus eorum, nec eo» rum absorbuit arbitrium. »

Post ista, quae testium coaevorum magno numero Raynaldus confirmat, quaeque manifesto produnt non solum libere electum Urbanum IV fuisse, sed etiam in eiusdem electione, Cardinales se fortitudine atque constantia praeditos ostendisse; annalista doctissimus loco citato n. 8 ad 16 ea omnia narrat, quae respiciunt tumultum in Urbe Roma excitatum post Urbani electionem, periculum, in quod tunc Cardinales una cum Archiepiscopo Barensi, qui ad conclave accitus erat, sunt adducti, eorundem Cardinalium fugam, et cetera, quorum popularis iste motus causa fuit. Verum haec omnia non modo efficiunt, Urbanum per metum electum non fuisse, sed etiam perspicua facti evidentia demonstrant, in eo eligendo Cardinales libere, ac sine ulla metus, ac populi Romani minarum impressione, de illo eligendo consilium inivisse, deliberasse, electionem absolvisse, eandemque confirmasse.

Nam monumenta ista continent, tandem aliquando de electione absoluta populum Romanum certiorem fieri debuisse; Cardinales, qui penitus sciebant a populo Pontificem prorsus Romanum exspectari, passos esse ut Cardinalis S. Petri, qui Romanus erat, populo afferretur, veluti si eidem Pontificatus collatus esset; rem ipsam deinde cognitam fuisse; Romanos conatos esse de Cardinalibus veluti ultionem sumere, eo quod simulassent Romanum electum esse,

cum Neapolitano Pontificatus Maximus esset tributus; Cardinales ipsa tumultus gravitate adduci non potuisse ad mentem mutandam, sed sententiam iam susceptam confirmasse, videlicet, Archiepiscopum Barensem legitime Papam electum esse. Haec vero omnia aliud non demonstrant, nisi Bartholomaeum Prignanium, qui Urbani VI nomen suscepit, libere, ac legitime Pontificatum adeptum esse. Etenim hae turbae inde tantum exordium derivarunt, quod populo morem gestum non fuisse apparuerit; non Romanum, sed Italum Pontificem Neapolitanum declaratum esse constiterit; minas spretas, et non quod populus petierat, sed quod ad Ecclesiae bonum magis conferre existimatum fuerat, Cardinales perfecisse.

Quae vero gesta sunt, postquam opera, et hortationibus praesertim Abbatis Montis Casini, aliorumque auctoritate praestantium virorum, sedato tumultu, ac palam Cardinalium mente, et proposito ab omnibus intellecto, eos quidquid passuros esse, quam relicto Urbano, ad alium Pontificem eligendum devenire; quae, inquam, tunc gesta sunt, confirmant quoque perspicue Urbanum VI legitime Pontificatum consequutum esse. Etenim Cardinales, qui se subduxerant, aut in arcem S. Angeli confugerant, eo quod noluissent populo petenti satisfacere, deinde ad palatium venerunt, electionem, quam antea fecerant, confirmarunt, et permagnam laetitiae significationem ob tranquillitatem restitutam, et Urbanum electum exhibuerunt. Monumenta vero, quae Raynaldus affert, Cardinalium nomina commemorant, qui communi consensu, facti participes fuerunt, inter quos de Gebennensi, et Petro de Luna etiam singillatim mentio continetur.

Meretur autem ut illud praecipue referatur Theodorici de Niemia testimonium ex lib. 3 c. 1, quo narrantur, quae Urbani VI coronationem, atque eius ad Lateranensem Basilicam solemnem deductionem respiciunt. « In ipsa sacra, inquit, Paschali » Domini die, mane valde solemniter » per ipsos Dominos Cardinales, ut » moris est, ipse Urbanus suae coro» nationis insignia recepit ante por» tam dictae basilicae (Vaticanae); » sicque coronatum dicti Cardinales, » ac Praelati, et Officiales, et etiam » multi Nobiles et Curiales, ac paene » universus populus Urbis, ipsum ad » Ecclesiam Lateranensem, per ean» dem Urbem, cum papali honore, » seu pompa transeuntem associa» runt. Fuerunt etiam tunc in Urbe » valde multi Barones, et alii Ma» gnates, per plures dies praesentes, » qui universaliter, singuli videlicet » eorum, eidem Urbano Pontifici pu» blice, ac private, honorem et re» verentiam exhibuerunt. »

Haec vero acta omnia eius generis sunt, ut quando etiam de prima Urbani electione dubium aliquod commoveri voluerit (id, quod excluditur consideratione rerum, quae hactenus expositae sunt), profecto legitime, et libere Pontificatum ab Urbano susceptum fuisse demonstrent. Nam si Cardinales, postquam tumultus sedatus est, electionem antea factam cum manifesta tranquillitate confirmarunt, si caeremoniarum participes esse voluerunt, quae in Pontifice inaugurando servari solent, si de constantia sua in propugnanda Urbani electione sunt gloriati, ac multa bona ex ea electione exspectari debere testati fuerunt; perspicuum est, acta ista talia esse, ut de Pontificatu legitime ac libere ab Urbano suscepto dubium nullum relinquant.

Sed suppetunt alia plura hoc idem confirmantia, quae ostendunt, vere Benedictum XIV inter ceteros affirmavisse, « in clara luce positum ho» die esse, legitimum ius Pontifica» tus penes Urbanum VI eiusque suc» cessores fuisse. » Talis est Encyclica epistola a Raynaldo n. 16 relata, quam Urbanus ad Episcopos omnes, et Principes Christianos scripsit de electione sua, quam dicit Car-

dinalium « communi voto, raraque » concordia » factam esse. Tales litterae a Cardinalibus ad Principes privatim scriptae de eadem re, et n. 17 eodem loco recitatae; quas inter Robertus Gebennensis suam propriam ad Carolum IV Imperatorem misit; atque eae, quae communi Cardinalium Collegii nomine ad Imperatorem eundem scriptae fuerunt.

Tales denique litterae, quas Cardinales omnes, qui Urbani electionis participes fuerant, ad Cardinales reliquos Avenione commorantes die 30 Aprilis miserunt, quibus Urbanum legitime, ac libere electum nuntiarunt; eius virtutem, atque ornamenta laudarunt, et ut secum in ea re concordarent, auctores illis fuerunt. « Ad » personam, inquiunt, Reverendi Do- » mini Bartholomaei Archiepiscopi » Barensis, viri utique magnorum » meritorum claritate conspicui, et » multiplicium virtutum lampade re- » fulgentis, libere et unanimiter di- » reximus vota nostra, eum ad cel- » situdinis apostolicae speculam con- » corditer evocantes; et hanc no- » stram evocationem, seu electionem, » in conspectu maximae Christianae » plebis multitudinis nunciantes. Ce- » terum die IX huius mensis idem » Dominus electus, coram turba fide- » lium copiosa, super thronum di- » gnitatis Apostolicae sublimatus, » sibi Urbani nomen assumpsit, ac » die, qua Christus Iesus Summus » Pontifex vitam nostram resurgen- » do reparavit, sicut in Romana Ec- » clesia consuetudinis est, in Basi- » lica Principis Apostolorum de Ur- » be, cum ingenti tripudio et laeti- » tia innumerabilis populi Christiani, » pontificali regno, magnifice et so- » lemniter exstitit coronatus. . . In » illo, cuius vices idem Dominus No- » ster gerit in terris, firmam spem, » fiduciamque tenemus, quod sub eius » felici regimine, status Romanae, » ac Universalis Ecclesiae reflorebit, » et orthodoxa fides, felix, optatum- » que suscipiet incrementum. »

Hanc vero epistolam n. 19 a Raynaldo adductam Cardinales omnes subscripserunt, qui conclavi interfuerant, quos inter Robertus Gebennensis, et Petrus de Luna. Hos autem duos se Urbano VI deinde obiecisse, atque eiusdem electionem irritam fuisse declarasse, eo quod ablata Cardinalibus libertas fuisset, et per metum Urbanus electus esset; hos, inquam, hac ratione se gessisse, nisi schismatis gravissimi monumenta certissima exstarent, vix credibile videretur. Quemadmodum enim superius notavi, ad Pontificatus Urbani ius legitimum impugnandum, non aliunde, sed ex metu incusso, atque ex Electorum libertate violata, ratio, seu praetextus desumptus est; neque alia sunt obiecta electionis istius vitia, ut sibi licere iidem in posterum posse putaverint ab Urbano deficere, et schismate molestissimo Ecclesiam perturbare. Illum, scilicet, praetextum duo hi viri attulerunt, ad cuius incredibilitatem demonstrandam, tam clara, ac toties repetita testimonia, atque argumenta, ipsi in antecessum suppeditarunt.

Illud hic addam, Cardinales, ad quos Avenionem memoratae litterae missae sunt, qui sex numero erant, se cum Cardinalibus electoribus coniunxisse, et litteris Avenione scriptis, Urbanum tamquam legitimum Pontificem veneratos esse, et cum collegis electoribus plenissime se concordes significavisse. Praeter istos vero Cardinales Avenione degentes, alius Cardinalis Ioannes tit. S. Marcelli Ambianensis appellari solitus, qui Pisis versabatur cum Urbanus electus est, de eiusdem electione certior factus Romam venit, atque Urbano, prout legitimo Pontifici Maximo honorem debitum exhibuit. Narrat id Thomas Petra Canonicus Patracensis *tom. 2 de Schismate p. 80*: « Vidi, et scio, » quod dictus olim Cardinalis Am- » bianensis, qui tempore electionis » erat Pisis in loco tutissimo, et » tunc, scita electione Domini nostri, » et omnibus, quae, et prout facta

» erant, venit, et recognovit Domi-
» num Nostrum in Papam, faciens
» sibi in publico consistorio reveren-
» tiam papalem more solito. » Haec vero cum ita evenerint, manifestum est, omnes quotquot erant eo tempore Cardinales in Urbani VI electionem libere convenisse.

Sequuti sunt ii menses, qui schismatis exordium praecesserunt, quo tempore Urbanus ab omnibus veluti Pontifex legitimus habitus est, atque ea gessit, quae Pontifices Maximi in publicis Ecclesiae rebus gerendis agunt, quin quisquam dubitet de legitima eorundem potestate. Tale inter cetera fuit id omne, quod respicit Florentinos cum Sede Apostolica ab Urbano VI reconciliatos, in quos Gregorius XI poenis Ecclesiasticis graviter animadverterat. His est etiam addendum, ex testimonio patere Christophori Galina quod Raynaldus affert n. 28, litteras Sacrae Poenitentiariae iis mensibus datas, nomine, atque anno Urbani VI inscriptas fuisse; in missa celebranda, mentionem Urbani VI fieri ab omnibus consuevisse; denique discordiam obortam esse, praecipue ob eam, quam Urbanus praeseferebat decernendi, ac respondendi severitatem, vitia coercendi, atque omnia ad canonum tramites revocandi nimis apertum studium; cuius tamen rei, Urbanus, vel antequam Pontifex fieret, argumenta dederat; et exoptatam hanc disciplinae restaurationem Urbanum curaturum esse, vel ab ipso Pontificatus initio notum passim fuisse, testimonia a Raynaldo relata evincunt.

Ut denique ab aliis argumentis afferendis abstineam, quae confirmare clarius possent id, de quo disputamus, concludam quae hactenus pertractavi, illud etiam recensendo, quod Raynaldus n. 29 ostendit, videlicet ab Urbano VI petitum esse, ut Pontificatum abdicaret, tum cum discordia iam erat oborta. Affert autem annalista eo loco Alphonsi viri Religiosi ex Ordine Patrum Praedicatorum, qui olim Episcopus Giennensis fuerat, ac deinde, Episcopatu dimisso, se totum sanctis operibus devoverat, affert, inquam, annalista testimonium huius Religiosi viri, qui his verbis hanc rem explicavit: « Veni ad Dominum Papam, qui erat
» in Roma, et dicta sibi ambaxiata
» de renuntiatione... Ipse vero sicut
» miles, qui iam certum de bello fir-
» mato, et desiderato nuncium au-
» divit, laetatus fuit, et cum laeti-
» tia mihi respondit: In veritate Dei,
» de dimittendo Papatu modicum cu-
» rarem: sed non dimittam, ne dem
» locum diabolo, et cornu peccato-
» ribus; sed stabo et debellabo eos
» in nomine Domini Dei Nostri. »

Satis sunt quae hactenus exposuimus ad rerum, quae in electione Urbani VI gestae sunt, notitiam habendam. Adeo fuse vero et erudite de eadem electione Raynaldus in annalibus suis pertractavit, ut praeter illa, quae in iisdem continentur, ampliora, aut clariora reperiri vix posse videantur. Sed haec, quae mox retulimus, sufficiunt certe, non modo ad demonstrandum, quomodo Pontificis illius electio peracta sit, sed etiam ad facti in historia saeculi XIV celeberrimi statum explicandum. Est vero obvium, ex toto relatarum rerum contextu legitimum Urbani VI eiusque Successorum Pontificatum deducere. Nam si excluditur apertissime ab Urbani VI electionis facto, Cardinales per impressionem, eundem Pontificem elegisse; quoniam, hac exceptione sublata, nulla alia ratio afferri potest, quamobrem Urbanum non legitime electum fuisse statuatur, omnino sequitur, eiusdem electionem legitime peractam esse; et cum monumenta respicientia tempus illud, quod dissidio anterius fuit, evincant prorsus, Urbanum indubitanter ab omnibus veluti legitimum Pontificem tunc habitum esse, ac munia Pontificis propria eundem sine ulla controversia obivisse, apparet quoque perspicue, publicam omnium persuasionem illam

fuisse, de eius Pontificatu legitimo non posse dubitari.

Ea vero, quae ostendunt, Urbanum Gregorio XI legitime successisse, ac penes eundem legitimum Pontificatus ius mansisse, eadem evincunt, Bonifacium IX, Innocentium VII, ac Gregorium XII, qui Urbano, recto tramite suffecti sunt, legitima ratione Pontificatum consequutos esse. Nam quae legitimo Successorum Urbani VI Pontificatui obiecta sunt, ea non alia de causa sunt obiecta, nisi quod legitima Urbani electio fuerit in controversiam adducta. Quoniam vero legitime electum Urbanum fuisse evincitur, et legitime Pontificatum Maximum ab eo gestum esse; debet exinde patere, prout allata Benedicti XIV verba continent, etiam penes successores Urbani VI legitimum Pontificatus ius reperiri.

Ortum tamen est mense Septembri anni 1378 schisma illud gravissimum, quod diu Ecclesiam afflixit, quod schisma usque ad Martini V electionem, quae anno 1417 facta est Constantiae, extinctum non est. Etenim die 20 Septembris Robertus Gebennensis, quam tantopere Urbani VI electionem probasse vidimus, Fundis in Campania Pontifex electus est ab iis, qui ab Urbano VI defecerant, quique eiusdem electionem veluti per metum factam, esse irritam declararunt, scriptis ad diversos Europae principes talibus litteris, ut ex illis nonnulli vera ab iisdem narrari arbitrati sint, et Roberto Gebennensi adhaeserint, qui nomen Clementis VII suscepit, et cum se contulisset in Galliam, ibi mansit, ac die 16 Septembris 1394 obiit. Legenda sunt, quae Raynaldus ac Muratorius habent ad toties memoratum annum 1378. Referuntur ibi quae pertinent, praesertim ad agendi rationem, qua ad schisma fovendum usa est Ioanna Neapolis Regina, atque ea omnia quae evenerunt, ut tantum malum ad exitum perduceretur. Clementis VII partes sequuti sunt autem Galliae, et Castellae Reges, Sabaudiae Rex, Neapolis Regina Ioanna. In sua vero erga Urbanum VI observantia perstiterunt reliqua tota Italiae pars, Anglia, Germania, Hungaria, Polonia, ac Lusitania. Pergraves autem fuerunt motus, qui istud dissidium sequuti sunt, cum ab utraque parte contentio et animorum inimicitia pergrandis evaserit, cumque Ecclesiasticae poenae vicissim fuerint pronunciatae. Petrus De Luna praeterea die 28 Septembris anno 1394 Clementi VII suffectus est, qui accepto Benedicti XIII nomine in schismate usque ad vitae finem permansit, quod contigit die 17 Novembris anno 1424, postquam die 16 Iulii anno 1417 a Concilio Constantiensi depositus, et schismaticus declaratus fuisset.

Etsi de Conciliis Pisano ac Constantiensi, quorum primum anno 1409 habitum est, alterum vero celebrari coeptum die 16 Novembris anno 1414, die tandem 22 Aprilis anno 1418 absolutum fuit; etsi, inquam, de duobus istis Conciliis, in proximis saeculi XV praelectionibus agere debeamus, opportunum tamen est, hic significare ex iisdem Conciliis aliqua, quae spectant ad ostendendum, quomodo schisma, de quo hactenus loquuti sumus, revera extinctum fuerit.

Itaque inter eas, quae adhibitae sunt, ad schisma tollendum rationes, illud praecipue memorandum est, consilium, videlicet, quod Cardinales ab utraque parte susceperunt de Synodo habenda, quae revera Pisis anno 1409 habita fuit. In illa autem Synodo eo res perducta est, ut, tum Gregorio XII, tum Benedicto XIII Pontificatum abrogandum esse fuerit iudicatum, et deinde novum Pontificem eligendum esse, qui fuit Petrus Philargus de Candia, Ordinis Fratrum Minorum, quique Alexandri V nomen sumpsit. Is vero electus Pisis in Concilio die 26 Iunii anno 1409, obiit Bononiae die 3 Maii 1410. Ei autem mortuo Balthassar Cossa Neapolitanus die 17 Maii

eodem anno suffectus fuit, atque is die 29 Maii anno 1415 in Concilio Constantiensi Sess. 12 Pontifex esse desiit.

Apparet ex his verum esse, quod superius adducto S. Antonini testimonio significavimus, post Concilii Pisani celebrationem non deletum, sed auctum schisma fuisse. Etenim cum Gregorius XII et Benedictus XIII in retinendo Pontificatu perseveraverint, factum est, ut a tempore celebrati huius Concilii in posterum, usque ad Concilii Constantiensis celebrationem, non duo tantum, sed tres etiam semper fuerint, qui Pontificatum gerebant. Est tamen perspicuum, unam ex gravioribus, quae ad schisma tollendum adhibitae sunt rationibus, saltem si de facto loquamur (nam de rei ipsius auctoritate loquemur in saeculi XV praelectionibus), Concilii Pisani celebrationem fuisse. Cum igitur manifestum esset, per Concilium Pisanum non esse impetratam schismatis extinctionem, et interea Ecclesia indigeret omnino huic tanto malo subveniri, aliud Concilium Constantiae habitum est.

Itaque in Concilio Constantiae habito, quod an. 1414 coeptum, et an. 1418 absolutum fuisse diximus, schismati finis impositus, et Ecclesiae pax restituta est. Multa ad hanc rem tanti momenti efficiendam, in eo Concilio gesta esse suo loco videbimus. Quod spectat vero ad schismatis extinctionem, consulenda praesertim sunt quae Sessionibus 12, 14, 37 et 41 statuta fuerunt, quae Sessiones dici possunt rerum ad schisma tollendum gestarum exitum continere. Nam Sessione 12 die 29 Maii anno 1415 celebrata, absolutum est id omne, quod Ioannis XXIII causam respiciebat, isque die 31 Maii instrumento publico Papatus dimissionem iuravit, ac nihil in posterum contra susceptum hoc consilium, se esse umquam acturum promisit. Sessione vero 14, quae habita fuit die 4 Iunii eodem anno, per Carolum Malatestam, cui procuratoris sui officium commiserat, Gregorius XII omne ad Pontificatum ius sponte dimisit. Sessione tandem 37 die 26 Iulii an. 1417 celebrata, cum ea omnia impleta fuissent, quae pertinere poterant ad Petrum De Luna, seu Benedictum XIII movendum, ut sponte schismatis occasionem auferret, et cum in pertinaci proposito hoc non agendi is perseveraret, condemnatus, et omni iure ad Pontificatum destitutus a Concilio, solemni decreto declaratus est.

Cum haec vero omnia acta fuissent, habita est in posterum die 8 Novembris anno 1417 Sessio 41, in qua omnia statuta sunt, quae novi Pontificis eligendi gravissimum negotium respiciebant. Inter cetera vero illud in his Pontificis eligendi comitiis fuit singulare, ut, scilicet, ad firmiorem rei certitudinem, et concordiae plenissimae testimonium, consentientibus Cardinalibus, sex ex singulis quinque nationibus, quarum Praelati in Concilio aderant, designarentur, qui simul cum Cardinalibus, Conclave ingredi, et electionem absolvere deberent, servata norma, quae iam antea de Pontificis Romani electione erat praescripta, ut ille legitime electus Pontifex haberetur, in quem duae Electorum in Conclavi manentium partes convenissent.

Electus vero est die 11 Novembris ante meridiem Otto Columna Cardinalis Diaconus S. Georgii ad Velum Aureum, sive in Velabro, qui in B. Martini honorem, cuius festa dies ea die agebatur, Martini V nomen suscepit; quique postquam die 20 Novembris Presbyter ordinatus esset, proximo Dominico die consecratus Episcopus, et coronatus est. Pontificatum vero gessit, usque ad diem 20 Februarii anni 1431, qua mortuus fuit. Qui electionis istius historiam litteris prodiderunt, quanta laetitia, quantaque totius Ecclesiae gratulatione eadem absoluta sit, descripserunt. Platina ex. gr. dicit, Martinum ceu *quoddam salutare sidus, vel unicum Patriae Parentem* Romae exceptum esse. Certum vero est, per

electionem istam, schisma, quod ferme integros quadraginta annos Ecclesiam tantopere perturbaverat, deletum esse, atque in ea re tantam a Martino V virtutis, ac sapientiae praestantiam demonstratam fuisse, ut in aeneo eiusdem sepulcro, quod in media Lateranensi Basilica constitutum est, hic Pontifex, in honoris ei debiti, ac laudis praecipuae testimonium, *Temporum suorum felicitas* fuerit appellatus. Nihil moror in Aegidio Munionensi, Canonico Barcinonensi memorando, qui assumpto Clementis VIII nomine, Petro De Luna mortuo suffectus fuit. Hanc enim electionem sapientes, bonique omnes contempserunt, atque ipse Aegidius deinde se Martino V subiecit.

CAPUT XXXIII.

DE WICLEFFITARUM ET HUSSITARUM ERRORIBUS.

Quamquam de haeresibus, quae diversis actatibus in Ecclesia ortae sunt, sit singillatim in historiae Ecclesiasticae institutionibus pertractandum, putamus tamen opportunum in ipso etiam praelectionum decursu, de erroribus a Ioanne Wicleffio, ac Ioanne Hussio sparsis aliqua recensere. Nam primum, Wicleffitarum, atque Hussitarum secta tantae perturbationis causa fuit, ut per se ipsam grave negotium peculiare constituat. Deinde quoniam in Concilio Constantiensi, de quo quam primum in Saeculi XV praelectionibus acturi sumus, de Wicleffii, atque Hussii, eorumque errorum condemnatione fuit pertractatum, congruum est de eorundem secta recensere praecipua, quae deinde cum rerum in memorato Concilio Constantiensi gestarum historia reperientur esse coniuncta.

Itaque primum de Ioannis Wicleffii origine brevi dicamus. Fuit is natione Anglus, Presbyter, Parochus Luttervorthii in dioecesi Licolniensi, Theologiae Doctor in universitate Oxoniensi. Sectae a proprio nomine suo circa annum 1377 auctor Wicleffius fuit, atque, ut verbis utar eruditissimi Antonii Zaccaria *tom. 1 Thesauri Theologici venet. edit. an. 1762 diss. 2 cap. 4 art. 2,* quo loco eiusdem sectae errorum summam exhibet, ut, inquam, huius clarissimi scriptoris verbis utar, « Wicleffius erat » vir ingenii vehementis, sermone » disertus, sed superbia, et ambitione » tumidus. Cum praefecturam Col- » legii Cantuariensis contra ius, fas- » que invadere molienti obsisteret » Archiepiscopus, et Urbanus V Papa, » concepto in Romanam Ecclesiam » odio, nefaria dogmata tum contra » Deum, et Sanctos, tum contra Or- » dinem Ecclesiasticum spargere coe- » pit, quibus instillandis, partim vi- » tae severioris, quam exterius pro- » fitebatur, specie; partim Regiae, » saecularisque potestatis, quam su- » pra Ecclesiasticam extollebat, am- » plificatione, facile apud incautos » viam aperuit. »

Londini quidem anno 1376 quaestio instituta fuerat de Wicleffii doctrina ab Archiepiscopo Cantuariensi. Verum cum ibi tumultus esset commotus a quibusdam Aulicis Wicleffio faventibus, ita res peracta est, ut, nulla in Wicleffium censura pronuntiata, silentium tantummodo servandum ei impositum fuerit. Huius Concilii exitu audacior factus est Wicleffius, et liberius errores suos contra sacras Ecclesiae caeremonias, contra Religiosos Ordines, contra monastica vota, Sanctorum cultum, humani arbitrii libertatem, Conciliorum, ac Patrum Ecclesiae auctoritatem praedicavit.

Verum cum res ad Sedem Apostolicam perlata esset, non licuit in posterum Wicleffio errores suos impune spargere. Etenim Gregorius XI er-

rores numero decem et novem ex Wicleffii libris depromptos, seu potius eo numero tot errorum capita, anno 1377 de Cardinalium S. R. E. consilio damnavit, ac die 22 Maii eo anno litteras ad plures Angliae Episcopos scripsit, quibus de censura in eorundem errorum capita lata, eos certiores fecit. Ad Eduardum III Angliae Regem quoque Pontifex litteras dedit, ut eum, eiusque filios in tam gravi Ecclesiae negotio adiutorem haberet. Concilium Lambethiae Episcopi deinde habuerunt, sed in eo ad Wicleffii audaciam frangendam nihil profecerunt, qui minime commotus condemnatione doctrinae suae, quam Gregorius XI fecerat, ad Urbanum VI eius successorem propositiones damnatas misit, et ad earundem sensum catholicum defendendum se paratum exhibuit.

Sed Archiepiscopus Cantuariensis Guillelmus Curtenayus anno 1382 aliud Concilium Londini habuit, contra Wicleffium, in quo viginti tres, aut viginti quatuor eius propositiones perpensae ac damnatae sunt. His autem propositionibus, quae partim veluti haereticae, partim veluti erroneae, et Ecclesiae decretis, ac praxi contrariae proscriptae sunt, Wicleffius impugnabat catholicam Ecclesiae doctrinam, de praesentia Christi reali in Eucharistia, de Transubstantiationis dogmate, de Missae Sacrificio, de indulgentiis, et de Confessionis Sacramentalis necessitate. Praeterea contemnebat excommunicationis vim, verbi Dei praedicandi potestatem, decimas Ecclesiae solvendas, preces pro mortuis fundendas, monasticam seu religiosam vitam; de Ecclesiae, ac de Romani Pontificis potestate, de iure, ut possessiones, atque alia temporalia Ecclesia habeat, Wicleffius impudenter obloquebatur, ac detrahebat; de civili denique potestate, ita mentem suam Wicleffius explicabat, ut eam perverteret, et publicum quoque societatis ordinem perturbaret. Hi autem errores a Ioanne XXIII etiam in Concilio Romano anno 1413 iterum proscripti, deinde a Concilio Constantiensi, prout suo loco videbimus, condemnati sunt.

Ut vero ad Wicleffii personam redeamus, illi in memorato superius Londini Concilio anno 1382 habito formula proposita est, quam ad errorum suorum eiurationem subscribere deberet. Ac ei quidem retractationi assensum Wicleffium fuisse existimandum est, licet graves iudicandi rationes non desint, non sinceram eiusdem retractationem fuisse. Etenim Richardus II, qui consilium susceperat Wicleffii errores, atque audaciam omnino comprimendi, quique ab Universitate Oxoniensi eum eiusque discipulos excludi iusserat, non passus esset, illum in paroecia sua de Lutterworthiae manere, in qua anno 1384 paralysi, seu apoplexia correptus obiit, nisi propositam in Concilio Londinensi retractationem ille ratam habuisset, quidquid ceteroquin sit de eiusdem animi sinceritate.

De memoratis Wicleffii erroribus Zaccaria loco superius citato apposite dicit: « Haec Wicleffii dogmata, » qui cum Novatorum, altero circi» ter post saeculo exortorum exacte » contulerit, haud difficulter animad» vertet, quo ex fonte isti hauserint, » ut pridem admonuit Concilium Se» nonense anno 1528 celebratum, in » praefatione. » Non est mirum vero Protestantes, Wicleffii, ac eius doctrinae apologiam fecisse, prout Basnagius lib. 24 c. 11 efficere conatus est contra Bossuetum, qui docte, atque erudite *in Historia variationum lib. 11 n. 153* de huius Haeretici doctrina pertractaverat. Illud etiam male a Moshemio in *Inst. Hist. Eccl. Saec. XIV parte 2 cap. 2* §. *19* de Wicleffio pronuntiatum est: « Doceas » facile, neque disciplinam, quam tra» didit, neque vitam, omnis erroris, » et vitii expertem fuisse. Sed cer» tissimum tamen est, multa sapien» ter, vere atque utiliter ab eo prae» cepta esse. »

Hoc, inquam, male pronuntiatum

est. Nam primo haec loquendi ratio ad Reformatorum prolusoris memoriam, quacumque ratione potest, purgandam excogitata, valde Ecclesiae, ac legitimae Principis potestati iniuriosa est, quae severitatem suam contra Wicleffium adhibendam esse iudicavit. Nam si vera essent, quae Moshemius eo loco dicit, certe non adeo contraria de Wicleffio esset sententia efformanda, prout Ecclesia iustissime de eo, eiusque doctrina existimavit. Praeterea, cum Wicleffii doctrina, hoc veluti proprium, ac generale principium, ut dici solet, contineret, Ecclesiae auctoritatem spernendam, civilem etiam potestatem despiciendam esse, et praecipua religionis, ac cultus publici capita aspernari debere; manifestum est, in eius doctrina reperiri non posse ea, quae multa Moshemius esse dicit sapienter, vere, atque utiliter a Wicleffio praecepta. Systema enim eiusmodi, seu potius erronea, atque haeretica talis doctrina, quae ad legitimum Ecclesiae regimen evertendum, ad publicam societatis administrationem contemnendam, et ad vitae licentiam inducendam manifeste pertinuit, non potest in se sapientia, vera, atque utilia praecepta continere. Denique certum est, Wicleffium nulla fuisse auctoritate donatum, ut de religionis, ac vitae ratione tenenda, vel reformanda praecepta traderet. Immo vero explorata res est, Wicleffium errores suos, Ecclesia statim repugnante, ac censuras suas contra illum adhibente, spargere audacter coepisse. Itaque concludi debet, etiam id male, atque iniuste a Moshemio fuisse pronuntiatum, quod ad extenuandam Wicleffii infamiam excogitavit.

Quoniam de Wicleffio, et eius erroribus praecipua diximus, nunc aliqua debemus commemorare de Ioanne Hussio, atque erroribus, qui ab eo praedicati sunt. De ista autem haeresi, haec, quod ad summam rei pertinet, breviter commemorabimus: scilicet, eam, quae adeo late per Germaniam invasit, Pragae originem suam duxisse ex Ioanni Wicleffii libris in Bohemiam ex Anglia allatis, quos avide, ac studiose Ioannes Hussius Bohemus pervolverat. Fuit vero Hussius acri ingenio, sed rerum novarum, et opinionum peregrinarum vehementer cupidus, sermone disertus, et in vitae honestae formam compositus, quibus rebus factum est, ut Presbyter ordinatus, et in academia Pragensi Professoris S. Theologiae, ac Rectoris munus consequutus sit. Multa ille errorum capita docuit, et spargenda curavit, atque universim Wicleffii errores eum probavisse perspicuum est, cum inter 30 eius propositiones in Concilio Constantiensi damnatas n. 25 haec habeatur: «Con» demnatio quadraginta quinque ar» ticulorum Ioannis Wicleffii per Do» ctores, facta est irrationabilis, et » iniqua, et male facta, et ficta est » causa per eos allegata. »

Praeterea Ecclesiam solis praedestinatis constare affirmavit; omnia quae ad impugnandum Romani Pontificis Primatum iurisdictionis, ad Ecclesiae auctoritatem denegandam, ad Episcopatus, et sacrorum Ordinum naturam contemnendam pertinere posse putavit, audacter effutiebat; quaecumque opera virtuosi bona, omnia vero vitiosi mala esse; Ecclesiae obedientiam, vim censurarum, atque excommunicationis aspernabatur; de civili etiam potestate detrahebat. Haec autem videri singillatim possunt, in ipso triginta Hussii propositionum contextu, quas Concilium Constantiense proscripsit. Hussius vero ipse, cuius errores etiam ante Concilium Constantiense, ab Universitate Pragensi, et Parisiensi, atque a Ioanne XXIII damnati fuerant, in memorato Constantiensi Concilio damnatus iterum est. Cum vero agemus de Concilio Constantiensi, exponemus quae spectant ad Ioannis Hussii, ac Hieronymi Pragensis eiusdem discipuli mortem, seu extremum supplicium, quo brachio saeculari traditus, uterque Constantiae mul-

ctatus est. Evincemus autem calumniosas esse accusationes, quae ex istorum hominum causa contra Concilium illud allatae sunt; ac nonnisi per apertam calumniam esse affirmatum, docuisse Concilium Constantiense, fidem haereticis datam, impune violari posse. Nunc ista de Wicleffitis, atque Hussitis dixisse satis sit, praecipue ad significandum cuius generis errores fuerint, quos Haeretici illi spargendos curaverunt.

CAPUT XXXIV.

DE ECCLESIAE STATU SAECULO DECIMO QUINTO INEUNTE.

Quis esset Catholicae Ecclesiae status, cum Saeculum XV incepit, facile potest derivari ex iis, quae de publicis Ecclesiae negotiis ad praecipuam saeculi XIV exeuntis historiam pertinentibus eloquuti sumus. Nam si de eiusdem Ecclesiae regimine loquamur, illud statim occurrit, quod Ecclesiam universam tantopere perturbabat, schisma videlicet gravissimum post Urbani VI electionem commotum, cuius originem satis abunde descripsimus. Et monumenta quidem adeo clara attulimus suo loco, electionem illam respicientia, ut legitime prorsus Urbanum VI pontificatum adeptum esse perspicua res sit. Sed talia deinde fuerunt huius acerbissimi facti adiuncta, tanta in utramque partem est ingesta confusio, ut neque homines, optime licet animati, certo intelligerent quid sibi agendum, et quae de Pontificibus tunc inter se dissidentibus, circa legitimitatem verior sententia esset; id quod apparet manifeste, si memoria repetantur viri sanctitate ceteroquin praestantes, qui aliquandiu Pontificis in Gallia morantis partes sequi se posse putaverunt.

Ad Ecclesiam ab hac tanta calamitate liberandam conversa erant, ineunte saeculo decimo quinto, bonorum omnium studia, qui dandam omnem operam esse intelligebant, et hoc veluti omnium praecipuum negotium reputabant, ut schismate sublato, legitimus Pontifex, omnium christianorum pater, et doctor, ac verus Christi Vicarius ubique innotesceret, et ab universa Ecclesia cognosceretur. Id, habito Pisis anno 1409 Concilio, tentatum esse significavimus, sed infelici prorsus exitu, cum post Pisani Concilii celebrationem, praeter pristinos duos de pontificatu inter se dissidentes Pontifices, tertius exstiterit, et idcirco Ecclesia, quae duarum partium dissidio antea afflictabatur, ob tertiam quoque dissentientium accessionem, magis ingemiscere debuerit. Quod vero in Pisana Synodo non est impetratum, id tandem feliciter factum est in Constantiensi, quae ad finem tam gravi malo prorsus imponendum anno 1414 haberi coepit, et in qua ob absolutam Martini V Pontificis Maximi electionem, pacem Ecclesia, quam quadraginta ferme annos desideraverat, consequuta est.

Tranquillitatem tunc Ecclesiae restitutam Basileenses motus perturbarunt, sed celebrato Concilio Generali Florentino, et rescissis iis, quae contra Pontificis Maximi auctoritatem in Basileensi conventu patrata fuerant, ista quieverunt. Eugenii IV praeterea studia de abolendo penitus Graecorum schismate, et de Orientali Ecclesia cum Latina reconcilianda in eodem Concilio impleta omnino esse visa sunt. Quae enim ad errores veteres refellendos, ad doctrinam catholicam coram Graecis propugnandam, ad Pontificis Maximi primatum iurisdictionis, et summam D. Petri successoris auctoritatem Graecis persuadendam pertinere poterant, ea ita sunt Florentiae pertractata, ut schisma, quod ibi penitus deletum fuerat, perpetuo extinctum iacuis-

set, nisi homines infensi, in Ecclesiam male animati, et unitatem, quam Christus asseruit, inique despicientes, commotum primum a Photio, tum a Michaele Cerulario instauratum malum renovavissent.

Quae hactenus significavimus, praecipuum certe in historia Saeculi XV locum obtinent, et quantae molis fuerint, per se satis clare demonstrant. Non est necesse vero politicas huius temporis vicissitudines hic singillatim exponere. Ad intelligendum enim Ecclesiae statum, cum Saeculum decimum quintum inciperet, et progrederetur, haec, quae recensuimus, plurimum possunt inservire. Multa vero, quae cum politicis rebus sunt coniuncta, attingemus agentes de conciliorum, quae mox commemoravimus celebratione, aut de rebus pertractantes, quas Romani Pontifices pro Ecclesiae, ac Reipublicae bono hac aetate gesserunt.

Illud interea non omittam, quod Caveus ipse in historia litteraria, in Saeculi XV conspectu animadvertit, post diuturnum litterarum squalorem, advenisse tandem exoptatum illud saeculum, quo doctrina, et bonarum artium, linguarumque studium orbi christiano postliminio redderetur. Ille quidem summam eam laudem silentio praeterit, quae in ista re Romanis Pontificibus debetur, quorum cura, ac munificentia ad litterarum, scientiarum, ac bonarum artium gloriam tantopere contulerunt; et duas tantum causas huius rei Caveus meminit, captam, scilicet, a Turcis Constantinopolim, et inventam artem typographicam. Expugnata enim, inquit, anno 1453 Graecorum Metropoli, doctissimi quique gentis istius viri, paupertate, et barbarici iugi duritie coacti, in occidentales partes, praesertim vero in Italiam se contulerunt; et non solum graecae linguae, sed et omnis fere melioris litteraturae scientiam Latio secum invexerunt. Paucis vero antea annis reperta ars typographica, seu Batavis, seu Germanis id laudis debeatur, antiqua eruditorum monumenta in lucem protraxit, recentiora vero mira celeritate propalavit.

Praetereo hic ea commemorare, quae ostenderent certe, Romanorum Pontificum etiam studio, ac munificentiae plurimum deberi incrementum, quod litterae, ac bonae artes his temporibus habuerunt. Satis vero est laudare Nicolaum V, quem Moshemius ipse *virum litteratum, et magnum litterarum patronum* appellat: cuius Pontificis historia manifesta exhibet, et omnibus nota, huius erga bonas artes studii monumenta. Satis praeterea est Sixtum IV recensere, in cuius publicis, ac sumptuosis ad Urbem ornandam operibus referendis, Platina apposite eum *alterum Romulum* appellandum esse animadvertit. Illud dico tantum, memoratam superius Cavei, aliorumque, quantumvis ex Protestantium genere animadversionem, doctrinam scilicet, et bonas artes hoc saeculo ad splendorem veterem revocatas fuisse, opportunam imprimis esse ad ostendendum, quam iniuste Villersius in suo *Essai sur l'esprit, et l'influence de la réformation de Luther,* anno 1808 Parisiis edito, aliique contenderint, universam hanc litterarum, scientiarum, ac bonarum artium in veterem splendorem excitationem, ac restitutionem, inductae, quam dicunt, a Luthero reformationi tribui oportere. Nam si saeculo ferme ante Lutheranam sectam constitutam, tantum iam litterae, et artes ceperant incrementum, ut eruditi viri idcirco saeculum decimum quintum laudibus, et gratulatione prosequantur; apparet profecto, etiamsi Lutherus, ceterique, qui novis erroribus adhaeserunt, Ecclesiam non perturbassent, litteras, bonasque artes, ampliores progressus, ultro per se, fuisse in posterum suscepturas.

CAPUT XXXV.

DE CONCILIO PISANO AD SCHISMA TOLLENDUM CELEBRATO.

Pluries iam significavimus, ad Schismatis post Urbani VI electionem commoti extinctionem, Concilium Pisis celebratum anno 1409 fuisse; sed eiusdem Concilii exitum non respondisse communibus bonorum omnium votis, ut schisma tolleretur. De eo Concilio nunc breviter peculiarem tractationem habebimus. Referemus videlicet facti totius ipsam summam. Tum rationes praecipuas adducemus, quibus innituntur ii, qui Concilii istius auctoritati adversantur; atque simul eas, quibus potissimum usi sunt, qui Concilii auctoritatem propugnarunt. In amplissimis vero Conciliorum collectionibus fuse reperiuntur relata omnia, quae ad huius Concilii celebrationem, et ad res in eo gestas singillatim dignoscendas pertinent. Illud autem certum est, ex toto huius gravissimi negotii contextu patere, quanto studio tunc conarentur boni omnes, ut a gravissima schismatis calamitate Ecclesia liberaretur.

Itaque coeptum est Pisanum Concilium anno 1409 die 25 Martii, prout legitur initio primae sessionis, et sessionibus 23 absolutum est. Eorum, qui Concilio adfuerunt, catalogum profert Raynaldus, uberiorem Harduinus ex Cossartio. Causa huius Concilii congregandi ea erat, quemadmodum iam diximus, ut schisma tolleretur, cum praeter Gregorium XII, qui Urbani VI successor erat, se gereret veluti Pontificem Petrus De Luna nomine Benedicti XIII, qui Clementi VII suffectus fuerat. Uterque Cardinales creaverat, multosque sibi adhaerentes habebat. Quamobrem utriusque partis, atque, ut dicebant, *obedientiae,* Cardinales congregati sunt.

Leguntur autem litterae convocationis Concilii ad Benedictum XIII missae: «Sanctissimo Domino Nostro » Benedicto XIII miseratione divina » summo Pontifici, humiles et de- » voti oratores Episcopi, Presbyteri, » et Diaconi S. R. E. Cardinales, nunc » in Livurno Pisanae Dioecesis exsí- » stentes, pro nobis, et aliis reve- » rendissimis Patribus DD. Cardina- » libus pro nunc absentibus, nobis » adhaerentibus, et adhaerere volen- » tibus in hac parte, cum supplici, » et devota recommendatione utrius- » que hominis sospitatem. » Leguntur, inquam, huiusmodi litterae, atque aliae scriptae a Cardinalibus eiusdem Benedicti XIII apud Dacherium tomo 6, Harduinum in additis huic Concilio, praecipue vero apud Martenium tom. 7 amplissimae collectionis, ubi monumenta ad Pisanum Concilium spectantia plurima edidit, et in praefatione fuse, atque erudite de eodem Concilio pertractavit. Praeterea de schismatibus in Ecclesia Romana ortis a morte Gregorii XI Raynaldus edidit ad annum 1408 litteras Cardinalium Gregorii XII « ad Episcopos, et alios » de eius obedientia.» Litterae Benedicto exhibitae dicuntur per magistrum Ioannem Guiardi archipresbyterum Pictaviensem ad eum missum, apud Perpinianum; quibus etiam responsio legitur eiusdem Benedicti elusoria.

Concilio praeerat Cardinalis Pictaviensis, Cardinalium utriusque partis Decanus. Cum vero neque Gregorius, neque Benedictus comparerent, ter citati sunt; quod autem nihilominus, neque per se, neque per alium Concilio satisfacerent, in tertia sessione patrum communi suffragio in eos sententia lata est, qua pontificatu privati sunt. Ea tamen sententia lecta non est nisi sessione 14.

Post haec die 15 Iunii post Missam, et sermonem habitum ab Epi-

scopo Novariensi, Cardinales numero 24 conclave ingressi sunt, et die 26 ab iisdem electus est, et promulgatus Pontifex Petrus Philargus de Candia, Ordinis Fratrum Minorum, qui Alexandri V nomen suscepit, quique sessione 18 post promulgatum electionis decretum, concione habita super illis verbis «*Erit unum ovile, et unus Pastor*» reliquis sessionibus praefuit; quae omnia inter ceteros apud Raynaldum legi possunt, qui ea fuse prosequitur ad annum 1409, quo anno Concilium celebratum est, cumque inchoatum esset die 25 Martii, sessio 23, et ultima, celebrata est die 7 Augusti.

Quae hactenus commemoravimus, eo pertinent, ut intelligatur, quodnam fuerit praecipuum negotium, in Concilio Pisano pertractatum. Abstinemus vero, prout superius significatum est, ab iis singillatim referendis, quae in unaquaque Concilii actione, seu sessione gesta sunt. Hoc enim sane longam narrationem requireret, quae in Collectionibus Conciliorum reperitur. Ad institutum vero nostrum quod spectat, satis est in ista re, exposuisse ea, quae ostendunt, quale consilium in ea synodo susceptum fuerit ad schisma repellendum.

Aliqua nunc sunt attingenda de Concilii huius auctoritate. In qua re, ex utraque parte praecipuas rationes adducturos nos esse diximus, quae a Concilii ipsius sive defensoribus, sive adversariis allatae sunt.

Itaque de Concilii Pisani auctoritate contrariam habuit sententiam S. Antoninus, Cardinalis De Turrecremata post Bonifacium Ferrerium in defensione Benedicti XIII tom. 2, Anectodorum Martenii, Clemangium, aliosque, Caietanus Sanderus, et Raynaldus. Legitimum, et oecumenicum volunt Gersonius in tractatu *de auferibilitate Papae ab Ecclesia,* Aegidius Cardinalis Viterbiensis, Cardinalis Iacobatius, Azorius, Spondanus, Hermantius, Petrus Annatus, et praecipue Natalis Alexander dissertatione 2 *in Saec. XV,* Cardinalis Orsius capite duodecimo, ut Bossuetum refutet, nec haereseos, nec schismatis, nec temeritatis arguendos esse ostendit, qui Pisanam Synodum veluti legitimam, et oecumenicam agnoscere renuerunt, vel adhuc renuunt.

Atque ii quidem, qui Concilii Pisani auctoritati adversantur, haec passim animadverterunt: scilicet legitimam, atque oecumenicam dici Synodum illam, quae ab Episcopis ab universo orbe catholico convocatis habetur, vel si Episcopi legitima auctoritate ad illam habendam vocentur. Iam vero exploratam rem esse subdunt, ex vastissimis catholici orbis provinciis, insignibusque Ecclesiis, nullos Episcopos ad illud Concilium venisse, qui gravibus permoti rationibus iudicabant, ad eam se minus legitima auctoritate vocari. Hi autem erant Hispaniarum, et Scotiae Episcopi fere omnes: Germaniae autem, atque Italiae haud parva pars. Tanta vero regionum amplitudo, ex quibus tanto numero Episcopi se synodi istius participes esse non posse putaverunt; ostendit, non recte fecisse Natalem Alexandrum, qui nimis parvam fuisse Ecclesiae partem existimavit, quae Concilio celebrando adhaerere noluerit.

Erant vero catholici Episcopi, qui ex his regionibus negabant se concilii participes esse posse. Atque ideo illi interesse synodo noluerunt, quod de auctoritate convocationis dubitarent. Neque gravibus destituebantur ad ita iudicandum rationibus, cum certissimae sententiae adhaererent, eiusmodi Concilia absque Romani Pontificis consensione celebrari non posse, neque se ulla ratione ius habere posse censerent, ut de causa Sedem Apostolicam respiciente iudicarent. Quod si tempus schismatis tunc fuisse animadverti velit, et dubium Pontificem, qui eo tempore haberetur; hac animadversione minime movebantur, quia dubii quoque idcirco fuissent reputandi Cardinales, adeoque incerta eorum auctori-

tas. Praeterea notum erat, hoc esse canonico iure cautum, ut Episcopus exspoliatus, nisi esset restitutus, synodo adesse non cogeretur. Quare Gregorium, et Benedictum postulasse, ut sibi ante synodum obedientiae restitutio fieret. His rationibus, quae fuerant Cardinalibus propositae, non fuisse satisfactum in Labbeana Conciliorum editione adnotatur. Et quamquam Academiae Parisiensis, Florentina, et Bononiensis sententiam suam protulissent, nihilominus suspecta erant ea iudicia: Gallorum, scilicet, veluti eorum, qui in suam regionem Romanum Pontificem reducere studerent; Florentinorum etiam, quod Gallis essent coniuncti; Bononiensium denique, quod ea civitas se ad Balthassaris Cossae, qui in ea dominabatur, sententiam accommodare velle putaretur. Consulti praeterea sunt de toto negotio celebres iurisperiti. Licet vero non defuerint, qui his rationum momentis responderi, et argumenta inde desumpta extenuari posse arbitrati sunt; dubitatio tamen non est sublata, atque sententia eorum, qui Concilii Pisani auctoritatem denegabant, post ipsam Concilii celebrationem perseveravit.

Sed his, quae ad infirmandam Pisani Concilii auctoritatem allata sunt, opposuerunt qui hanc auctoritatem propugnarunt, rationes suas. Atque illud imprimis, quod ex facti natura proficiscebatur. Videlicet, cum Concilium Pisanum indictum est, gravissimi schismatis tempus fuisse, quo iamdiu Ecclesia infeliciter affligebatur. Extraordinaria idcirco existimanda esse ea adiuncta, in quibus consilium de Synodo ad schisma tollendum habenda initum est. Eo autem tempore, atque iis in adiunctis, rem geri illo modo non potuisse, quo nullo schismate Ecclesiam perturbante, talia negotia geri debent. Quamobrem, quoniam tempore etiam schismatis, provisum esse a Deo Ecclesiae suae negari non potest; factum esse ad Concilii Pisani celebrationem indicendam id, quod eo tempore, atque ad Ecclesiam a tanta calamitate liberandam fieri poterat. Existimatum vero est, controversiam totam de Pontifice dubio tunc exsistente, nulla alia ratione dirimi melius posse, qum si Concilium idcirco haberetur.

Haec vero cum ita sint, Synodi Pisanae auctoritatis defensores, memorata superius eiusdem adversariorum argumenta facile solvi posse contendunt. Nam convocationem Synodi licet inusitato modo factam, fuisse tamen legitimam aiunt, eo quod ab iis effecta fuerit, ad quos tempore schismatis pertinere poterat Ecclesiae necessitati subvenire. Neque cum Pontifex incertus esset, cumque tanta obducta fuisset rerum confusio, Pontificis legitimi auctoritati detrahebatur, cuius potestatis proprium est concilia eiusmodi convocare. Neque proprie de Sedis Apostolicae causa iudicium instituebatur, sed de iis, circa quos magna quaestio erat, quisnam legitimus Pontifex existimari deberet. Quamobrem contendunt, tot Episcoporum, qui Synodo adesse noluerunt, repugnantiam eiusdem auctoritati non officere; neque mirum esse, adversantium ingenio, et sententiae satisfactum in tanto dissidio non fuisse, cum contingat saepenumero, ut ne in rebus quidem certioribus, satisfieri adversariis possit.

His accedere subdunt, magnum pondus ad Concilii Pisani auctoritatem evincendam in eo reperiri, quod Alexander V atque eius successor Ioannes XXIII inter legitimos Pontifices recenseantur. Pronuntiatum est quidem in Concilio Constantiensi, *probabiliter* alios contrariam sententiam de ista re habere. Verum hanc sententiae contrariae probabilitatem de iis tantummodo regionibus intelligi debere animadvertunt, in quibus ob narrationes veritati minime consentaneas, iudicium de facto ipso contraria ratione efformatum, argumentis probabilitatis, et veri spe-

ciem praeseferentibus innixum omnino videbatur. Quare aiunt, si de re directe sermo sit, videlicet an Concilium Pisanum legitimum fuerit, et legitime electus Alexander; probari posse Synodum legitimam, et verum Pontificem Alexandrum fuisse. Si vero reflexe, prout dici solet, quaestio instituatur, num certa sit legitima concilii auctoritas, et certus Alexandri pontificatus; concedi posse adversariis respondent, apud memoratas superius nationes, Concilii Pisani convocationis, et celebrationis auctoritatem certam non fuisse; id tamen ipsam auctoritatis rationem non extenuare.

Denique quod ex S. Antonini testimonio concludunt contra Concilii Pisani auctoritatem eiusdem impugnatores, per Concilium illud potius auctum, quam extinctum schisma fuisse, eo quod in posterum usque ad Constantiensem Synodum, non duo tantum, ut antea, sed tres de pontificatu dimicarent; id rem de qua quaestio est, non evincere, Concilii defensores respondent, quod non iure semper, ex rei exitu liceat de rei ipsius natura, et qualitate iudicium ferre. Subdit vero Spondanus, videri quodammodo ex rebus in Pisano Concilio gestis schisma in radice sublatum, cum parata, ac demonstrata via fuerit Concilio Constantiensi, qua id feliciter consequeretur.

CAPUT XXXVI.

DE CONCILIO CONSTANTIENSI.

Eo devenimus, ut de celeberrimo Saeculi XV Historiae Ecclesiasticae capite loquamur, quo continetur, quomodo schisma gravissimum, ac tantopere diuturnum, sublatum sit, cuius causa plurimum Ecclesia perturbata fuit. Acturi enim sumus de Concilii Constantiensis celebratione, ac de rebus, quae ad schisma tollendum in eo gestae, ac decretae sunt. Nam, prout pluries antea diximus, licet Concilium Pisanum habitum esset, atque in illo Pontificatus Gregorio XII, et Benedicto XIII seu potius Petro de Luna abrogatus fuisset; atque, habitis Concilio durante comitiis, novus Pontifex Alexander V electus, eique deinde mortuo Ioannes XXIII suffectus esset; schisma tamen deletum non erat, immo ob tertii etiam Pontificis electionem, fuerat amplificatum. Neque enim Gregorius XII pontificatum dimittere, neque Petrus de Luna, seu Benedictus XIII a pontificatus retinendi consilio resilire voluerat; atque interea tum Alexander V antea, tum Ioannes XXIII in posterum, Pontifices electi fuerunt.

Itaque operam plurimam dante Sigismundo Imperatore, Concilium Constantiae celebrandum, a Ioanne XXIII indictum est; qui ceteroquin illud, veluti quandam Concilii Pisani prosequutionem habendum esse credi voluit; cuius acta, ceteraque illud respicientia vulgavit anno 1700 sex tomis Hermannus Von-der-Hardtius, atque historiam duobus tomis scripsit Iacobus Lenfantius Heterodoxus. Cum indictum esset inchoandum die 1 Novembris anni 1414, ad diem 16 eius initium dilatum est. Quadraginta quinque sessiones habitae, earumque postrema quadriennio post, quam prima celebrata fuerat, hoc est, anno 1418 die 22 Aprilis. Ex iis vero, quae magis relatu digna videntur, hic commemorabimus.

Primae sessioni die 16 Novembris anno 1414 celebratae praefuit Ioannes XXIII; atque in ea monitus est ipse Ioannes ad resignandum, et dimittendum Pontificatum, sicuti se id facturum esse antea spoponderat. Secunda sessio die 2 Martii anno 1415 habita est, in qua Ioannes idem iurato promisit, se propter bonum pa-

cis, Pontificatu promptissime esse abdicaturum, si id quoque faceret Angelus de Corrario, qui se pro Pontifice gerebat nomine Gregorii XII, et Petrus de Luna appellatus Benedictus XIII. Sed nocte postquam id fecerat, suscepto simulate rustici habitu, clam Constantia fugit, recepitque se Scaphusam, quatuor millibus passuum Germanicis Constantia distantem. Continent vero acta: « Statim post recessum Domini Papae, » omnes Cardinales in palatio apo- » stolico congregati, dixerunt, quod, » Papa stante in bono proposito dan- » di pacem Ecclesiae, per suam ces- » sionem papatus, videretur iis ho- » nestum, et ita erant dispositi, ut » illi assisterent, et obedirent; si ve- » ro aliter eveniret, quod Deus aver- » tat, tunc dispositi sunt huic sacro » Concilio; et credunt, quod primo » casu, ipsum etiam Concilium tenea- » tur, et velit eidem Domino Nostro » assistere. » Praeterea Cardinalium collegium misit tres Cardinales, Iordanum de Ursinis, Cardinalem S. Marci, et Cardinalem S. Mariae Novae « ad informandum Suam Sanctita- » tem de gestis hic post suum re- » cessum, et ad sentiendum de sua » intentione super agendis in futu- » rum per ipsos DD. Cardinales. » Idoneum tamen responsum Cardinales illi a Ioanne XXIII habere non potuerunt.

Referunt vero acta, eos voluisse proximam sessionem differri quoad Ioannes respondisset, sed aliis hoc fieri oportere visum non esse. Itaque ad tertiam sessionem die 25 Martii habendam ventum est, cui praefuit Petrus De Alliaco Cardinalis Cameracensis; ex aliis vero Cardinalibus solus interfuit Florentinus, videlicet Franciscus Zabarella: reliqui autem per cedulam lectam a Florentino, protestati sunt super eorum absentia: hoc est, quod partim infirma valetudine impedirentur, partim quod ante acceptum Ioannis responsum, iisdem honestum non videretur sessioni interesse. Quae vero in ista sessione gesta sunt, his continentur, scilicet, per Ioannis XXIII discessum non esse solutum Concilium, nec dissolvendum usque ad perfectam exstirpationem schismatis, neque esse tranferendum in alium locum, nec Patres posse recedere.

Quae post istam sessionem habitam evenerint, breviter narrari oportet. Redierunt videlicet die 27 Martii post vesperas tres Cardinales ad Ioannem a Sacro Collegio antea missi, itemque alii duo, Pisanus, et S. Ceciliae, qui testati sunt de sincera voluntate Ioannis omnia curandi, quae schisma delere possent. Tunc accidisse videtur quod Theodoricus Niemius narrat in vita Ioannis XXIII, factam scilicet congregationem, cui sex Cardinales interfuerunt, et contra Concilium loquuti sunt: id est, quod dissolutum esset propter absentiam Balthassaris. Et eis responsum fuit acriter per plures de ipso Concilio, viros magnae auctoritatis, et scientificos, Ioannem subesse concilio existimandum esse; additque magnam controversiam, et contentionem excitatam esse, eaque ferventius aucta, Cardinales discessisse. Cardinalis Pisanus vero die 28 Martii nomine aliorum Cardinalium, et pro parte Papae rite eius responsum exposuit: « Qualiter Papa pa- » ratus erat constituere suos procu- » ratores Cardinales super cessione, » modo daretur bona securitas de » sua persona non offendenda, et de » non movendo guerram contra Du- » cem Austriae. » Continetur vero in eadem narratione, haec neque Regi Romanorum, neque aliis vera esse, visum fuisse, et unanimi clamore pronuntiatum esse, sessionem haberi debere; quae causa fuit, ut non modo ea die, sed etiam proxime sequuta, disputatio acriter perduraverit.

Contigit interea, ut cum Nationes Germanica, Gallica, et Anglicana deliberassent sessionem crastina die celebrare, et idcirco capitula constituissent; die 29, Cardinales convenerint in Palatium Episcopale, ubi

Regi Romanorum obtulerunt capitula Ioannis de renunciatione. Cum Rex promisisset, iturum se ad Nationes congregatas in claustro S. Francisci, internunciatum est, Ioannem veritum, ne a Rege Romanorum Scaphusae obsideretur, inde recessisse, et Friburgum versus se contulisse; quae Ioannis altera fuga die Veneris Sancto evenit, et turbatis contra ipsum animis, plures ex Nationibus deliberarunt, die crastina quartam sessionem celebrare, et in ea statuere, primo, quod Concilium potestatem habet immediate a Deo, cui etiam Ioannes obedire teneatur in his, quae spectant ad fidem, exstirpationem schismatis, et reformationem Ecclesiae in capite, et in membris; secundo quod cogi possit, si contumaciter obedire contempserit; item alia complura, quae nationi Italicae valde displicuerunt, et Cardinalibus, atque Oratoribus Gallicanae praesertim nationis.

Cum in sessione haec declaranda proposita sunt, iam post primum Ioannis discessum, Ioannes Gersonius Universitatis Parisiensis Cancellarius, iussus orationem habere ad concilium, haec eadem in illa posuerat, metu, scilicet, ne Concilium dissolveretur. Quoniam vero Ioannes de hoc conquestus erat cum legatis Gallis, qui ad eum venerant, hi se cum Cardinalibus coniunxerant. Quae proposita fuerant, Cardinalibus ad deliberandum oblata sunt; quare neque ipsi, neque legati sessioni interesse voluerunt, nisi ex illis capitulis secundum omitteretur, et in primo decreto non fieret mentio reformationis Ecclesiae in capite, et in membris, prout probat Schelestratius ex gestis Concilii, quae in manuscriptis codicibus continentur, ex regesto Concilii, ex Eugenio IV in sua Apologia, Turrecremata lib. 2 de Ecclesia, aliisque.

De iisdem rebus die 30 Martii sabbato sancto convenientibus in palatio Episcopali, « Rege Romanorum, » DD. Cardinalibus, et Nationibus, » fuit plurimum super infrascriptis, » et aliis capitulis altercatum, » prout habent Concilii gesta; quae in quatuor codicibus manuscriptis huius rei causam produnt, scilicet, quia « Cardinalibus adhuc non fuerat plene aperta materia agendorum in » illa sessione, nec etiam Ambasciatoribus Regis Franciae; praefati » Cardinales, et Ambasciatores erant » deliberati non interesse in sessione. » Licet vero Cardinales in his nollent Nationibus assentiri, studebant tamen scandalum vitari, quod timebant ne ex eorundem absentia oriri posset, quemadmodum vulgaria acta testantur; Rex Romanorum praeterea conciliandis animis operam dabat, cum mediatoris officium suscepisset. Quapropter adhibitum est quoddam moderamen in expedienda illa sessione. Itaque Cardinales interfuerunt, inter quos Florentinus, ad quem tamquam postremum spectabat decreta pronunciare. Verum is, cum ad decreta publice recitanda venisset, « substitit, eaque falsa esse, et praeter communem deliberationem addita » asseruit. Cur Florentinus vero substiterit, animadvertit Schelestratius, causam fuisse, quod moderamen illud antea statutum non servaretur; ut nimirum omitteretur decretum secundum de potestate coactiva Concilii, et in primo decreto nulla fieret mentio reformationis Ecclesiae in capite, et in membris. Monitae etiam erant nationes « quod suspenderent ad tempus materias illas, quae habent » magnas difficultates, et maturam » exigunt deliberationem. » Haec apposite erant notanda, ut ex facto ipso intelligatur, quomodo in Concilio Constantiensi res gesta fuerit, ante quam ad promulganda, tantopere a nonnullis celebrata decreta, deventum sit.

His adiungi praeterea debet, post quartam sessionem, non fuisse publicum coram Nationibus examen institutum, nec statutum ut coram Concilio ipso haberetur. Sed quasi

de re parvi momenti ageretur, delecti sunt nonnulli, qui cum Cardinali Florentino tractarent. Cum vero aliquandiu inter illos disputatum fuisset, Deputati quatuor nationum die 2 Aprilis inter alia multa, statuerunt, « quod proxima sessione omnes articuli, et clausulae concordatae per nationes, in ultima sessione praetermissae expedirentur.» Quae ex Regesto Concilii in tribus codicibus, Schelestratius ostendit. Cardinales nolebant nationibus in his assentiri. Itaque primo statuerunt sessioni quintae celebrandae non interesse; deinde animadvertentes, sine publico scandalo, et periculo dissolutionis Concilii, id fieri non posse, consilium inierunt de sessione adeunda, sed praemissa tamen protestatione secreta, facta in Camera Paramentorum, « quod propter scandalum evitandum ad sessionem ibant, non animo consentiendi his, quae audiverant statui debere. » Haec eadem Regis Gallorum Legati protestati sunt. Verum quatuor Cardinales in suscepta primum sententia permanentes, sessioni adesse recusarunt.

Sessio quinta die 6 Aprilis celebrata est, cui praesedit Iordanus Ursinus Cardinalis Albanensis. Cum vero decreta legere spectaret ad Florentinum Cardinalem, id ille efficere noluit, legitque Andreas electus Posnaniensis.

Sunt autem hic ea referenda, prout in collectionibus Conciliorum habentur: « Sancta Synodus Constantiensis, Generale Concilium faciens, pro exstirpatione ipsius schismatis, et unione, et reformatione Ecclesiae Dei in capite, et in membris: ad laudem Omnipotentis Dei, in Spiritu sancto legitime congregata; ad consequendum facilius, securius, liberius, unionem, et reformationem Ecclesiae Dei, primo declarat, quod ipsa in Spiritu sancto legitime congregata, Concilium generale faciens, et Ecclesiam Catholicam repraesentans, potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet, cuiuscumque status vel dignitatis, etiamsi Papalis exsistat, obedire tenetur in his, quae pertinent ad fidem, ad exstirpationem dicti schismatis, et reformationem dictae Ecclesiae in capite, et in membris. Item declarat, quod quicumque, cuiuscumque conditionis, status, dignitatis, etiamsi Papalis, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus, aut praeceptis huius Sanctae Synodi, et cuiuscumque alterius Concilii Generalis, legitime congregati, super praemissis, seu ad ea pertinentibus, factis, vel faciendis, obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignae poenitentiae subiiciatur, et debite puniatur, etiam ad alia iuris subsidia, si opus fuerit, recurrendo. »

Praeter ista, quae Synodus veluti ad praecipuum scopum suum spectare putabat; alia quoque in hac sessione gesta sunt. Hoc est, electus Episcopus Posnaniensis animadversiones nonnullas legit, quibus ea proponebantur, quae ad damnationem pertinebant Ioannis Hussii, qua via, quaque ratione hoc esset agendum, ita ut libri, eius errores continentes, etiam comburerentur, et Wicleffii ossa exhumarentur. Has vero animadversiones omnes Concilium probavit. Est etiam statutum Imperatorem rogare, ut Ioannem XXIII cogeret ad Concilium redire. Verum Imperator, qui aderat, animum suum quidem paratum esse respondit, ea omnia facere, quae Concilii iudicio, Ecclesiae prodesse possent; quod respiciebat vero Ioannis revocationem, metuere se affirmavit, ne id secundum Concilii vota non esset eventurum; ceterum a se milites quoque Scaphusam missos esse, ubi Cardinales adhuc nonnulli morabantur: sibi vero esse relatum, Cardinales illos dixisse, in mente se habere, Concilium simul, et Papam deserere, ac Romam pergere velle, quo arbitrabantur, etiam Cardinales, qui Con-

stantiae manebant, esse profecturos. Sed his Cardinalis Zabarella subdidit, aliam, quod ipse sciret, esse suam, et ceterorum Cardinalium sententiam: videlicet Ioanni adhaerere eos velle, donec is in proposito perseveraret, ad pacem Ecclesiae reddendam, Pontificatus dimittendi, quod animi propositum ille hactenus non dereliquerat; ceteroquin si id eveniret, Cardinales Concilio tunc esse adhaesuros. Petiit tamen Posnaniensis, ut statueretur Concilii iussu, etiam poenis impositis, ut nemo discederet.

Dum haec eveniebant, Ioannes cum aliquibus, qui Concilio intererant, communicare prosequebatur, neque omittebat, promissionem antea factam de Pontificatu dimittendo renovare, adiectis conditionibus quibusdam. De ea re vero, in peculiari congregatione actum est; in qua, quae Ioannes scripserat, ac proposuerat, perpensa sunt, praesertim quod petebat, ut post Pontificatus cessionem, Legatus perpetuus, ac Dominus Comitatus Venosini ipse statueretur, ac trium florenorum millium reditus ei tribueretur; itemque ut pro Austriae Duce armistitium constitueretur. Concilium vero nihil tunc concedendum censuit, eo quod non a Ioanne, sed a se conditiones statuendas esse censeret. Consilium autem susceptum est, alios procuratores de cessione acturos ad Ioannem mittendi, atque litterarum ad Principes scribendarum, quibus ii, de rebus, tum a Ioanne, tum a Concilio gestis certiores fierent; id, quod in proximae sessionis materia fuit.

His peractis, Sessio sexta die 17 Aprilis habita est, cui praesedit Ioannes Episcopus Ostiensis, seu Cardinalis dictus Vivariensis, a prioris, quem obtinuerat, Episcopatus nomine. Interfuerunt vero praeter ceteros, octo Cardinales, atque Imperator. Lecta est forma Procuratorii, quod ad Ioannem pro Papatus cessione mitti debebat et sexdecim procuratores nominati: ad Ioannem vero Legati decem missi sunt, quorum duo erant Cardinales, nempe Franciscus Zabarella, seu Florentinus, et Guillelmus Philastrius tituli S. Marci. Praeter cessionem autem, postulare ab eo debebant, ut Constantiam rediret, sive ad Constantiae vicinam aliquam urbem se conferret; secus a Concilio prohibitum iri, quominus is veluti Pontifex haberetur, ac Concilium ipsum contra Ioannem esse processurum. Interea dum responsa exspectabantur, litterae scriptae sunt Principibus, in quibus quidem plura contra Ioannem continebantur. Is vero sibi metuens, Friburgo relicto, alio iter susceperat. Rediit tamen in posterum Friburgum, cum Ludovicus Bavarus Duci Austriae persuasisset, se Imperatori subiicere, in qua re tractanda, conditio praecipua fuerat, ut Ioannes revocaretur. Cum eo igitur Legati Friburgi egerunt, ac Ioannes invito animo, Procuratorii formae a Concilio missae adhaesit, sed ostendit simul, se non assentiri iis omnibus, quae a Concilio praescribebantur; Concilium vero proclamationes, seu citationes canonicas contra Ioannem faciendas esse statuit.

Nolim hic ego cetera singillatim prosequi, quae in Ioannis XXIII causa pertractanda, gesta sunt. Requireret enim id perlongam narrationem. Nolim etiam ea commemorare, quae, non servata, prout debebatur, Cardinalibus reverentia, in ista causa quandoque acciderunt; quamobrem evenit, ut plures ex illis ab huius rei pertractatione abfuerint, neque ipse aliquando Petrus de Alliaco interesse voluerit, licet Concilii Constantiensis adversarius appellari is certe non possit. Neque hic instituere disputationem volo, num gravia crimina omnia Ioanni obiecta, veritati inniterentur. Ille certe, cum a Concilio accepit accusationum capita, quae sibi obiiciebantur, noluit ad se purgandum optionem datam amplecti, sed diserte affirmavit, se Concilii sententiae omnino acquietu-

rum, id, quod animadvertit, inter ceteros, Scriptor Historiae Ecclesiae Gallicanae, magnum virtutis specimen continere, neque componi facile posse cum hominis indole, qui, posita eorundem criminum veritate, adeo malus existimari deberet.

Dicam igitur potius id generatim ac breviter, quod in reliquis sessionibus circa Ioannis XXIII causam gestum fuit usque ad duodecimam, quae die 29 Maii anno 1415 habita est. Videlicet in crimina Ioanni obiecta inquisitionem iuridicam instituendam esse, Patres Concilii statuisse; primum eidem significatum fuisse, ut a Pontificatu gerendo abstineret; deinde lata sententia, Pontificatum ei abrogatum esse Concilium declarasse. Tulit vero moderate Ioannes id, quod a Concilio statutum fuerat, atque assensu suo Synodi sententiam firmavit. Et ne qua umquam dubitatio de re ista oboriri posset, sponte iuri omni suo se cedere significavit, et Pontificatus abdicationem publice fecit.

Non est vero praetereundum, quod in sessione octava die 4 Maii habita actum est, circa errores, quos Wicleffius docuerat. Scilicet Wicleffii quadraginta quinque articuli ex eiusdem scriptis deprompti, damnati sunt. Prohibuit vero Concilium omnibus, praedicare, approbare, vel allegare hanc doctrinam nisi refutandi causa. Praeterea contra personam ipsius Wicleffii exhumationem eius ossium decrevit. Decretum contra errores confirmatum est postea in sessione 15, ubi et articuli triginta Ioannis Hussii damnati fuerunt. Qua in re animadvertendum accurate est, hos omnes, sive Wicleffii, sive Hussii articulos, et propositiones, ita generaliter damnari, atque in eosdem censuras, ac notas ferri, ut nulla sit notarum, quae non conveniat uni, vel pluribus articulis; ac nullus sit articulus cui non competat una, aut plures earum notarum; quae ratio ferendi censuras, dici solet condemnatio propositionum *in globo;* de qua re passim agunt Scriptores, qui de Ecclesiae infallibili iudicio egerunt, cum de doctrina in libris, aut scriptis contenta definit.

Postquam praecipua retulimus, quae Ioannis XXIII causam respiciunt, nunc sunt etiam praecipua commemoranda, quae in Gregorii XII et Benedicti XIII seu Petri de Luna causa, Constantiae gesta sunt. Itaque die 15 Iunii, cum Sessio decimatertia haberetur, Constantiam ingressus est cum magnifico apparatu, et splendido comitatu Carolus de Malatestis, qui Arimini, ubi Gregorius XII manebat, tunc dominabatur. Venit autem tamquam Legatus a Gregorio XII missus, quo, facta eius nomine Pontificatus libera dimissione, pax Ecclesiae restitueretur. Contulit vero primum se ad Sigismundum, non ad Concilium, quod ad illum, non ad hoc, missum se esse diceret, atque ideo missum, ut Ecclesiae pacem redderet; atque Imperatori, itineris, adventusque sui causam, reddendae videlicet Ecclesiae pacis, significavit. Deinde Patres adiit, qui Concilii participes erant. Ab Imperatore autem, atque a ceteris omnibus, honorifice, ac peramanter exceptus est. In proxima vero sessione, id, quod tunc Carolus de Malatestis nuntiaverat, ad exitum perductum revera fuit.

Est vero hic non praetereundum, in hac sessione, Concilium Constantiense decretum fecisse de communione sub una tantum specie laicis, et ieiunis quidem, ministranda. Redarguit autem Concilium in eo decreto socios Hussii, atque asseclas Wicleffii, qui contrarium tuebantur; atque apposite Synodus animadvertit, etsi antiquiori Ecclesiae aetate, diversa esset praxis, et consuetudo; tamen ad plura pericula avertenda, ac scandala evitanda, iure id statutum fuisse. In eadem sessione constituti ad examinandas causas haeresum, et errorum, quarumcumque etiam personarum, quae ad Concilium deferrentur, quatuor Cardinales, et quatuor Praelati, sive Docto-

res ex quatuor nationibus. Id vero opportune factum est, ut expeditior esset rerum gerendarum pertractatio.

Habita deinde est die 4 Iulii sessio decimaquarta, in qua nomine Gregorii XII iuris cuiusque in Pontificatum a Carolo de Malatestis cessio facta est in manibus Sigismundi. Itaque initio sessionis, Imperator ipse praesidis partes egit, et nulla facta est mentio Concilii iam congregati, prout ex actis colligitur. Quod verò Platina refert, Carolum ipsum indutum pontificalibus insignibus, ea deinde abiecisse, ut cessionem, seu dimissionem significaret; fabulis accensendum est. Illud potius statui potest accidisse, quod Niemius narrat, factum hoc esse a Gregorio ipso, eo in loco, ubi manebat. Post dimissionem vero a Gregorio XII factam, decretum est a Concilio, Petrum De Luna esse monendum, ut eodem modo cederet, secus tamquam Schismaticum damnandum illum esse.

Cum sessio decimaquinta die 6 Iulii haberetur, in Concilium est introductus Ioannes Hussius, et sublimi in loco positus, ut ab omnibus videri posset. Praeterea praemisso decreto, ut nemo quovis strepitu sessionem turbaret, lecti sunt articuli multi errorum Ioannis Wicleffii, et eiusdem Hussii. Atque hi articuli, theologicis notis, quemadmodum superius significavimus, affecti sunt; de qua re acta consuli possunt. Definitiva postea sententia pronuntiata est contra eundem Hussium, qua haereticus verus, et manifestus declaratus fuit, et cum in pertinacia permaneret, degradandus, et iudicio saeculari tradendus. Extremo autem supplicio affectum Constantiae Hussium certum est, atque igni combustum. Nolo tamen praeterire, quod in vulgus sparsum est, de nummo ab Hussitis cuso, cui inscripta fuerint verba, quae Hussius paullo ante mortem pronuntiaverit, scilicet: « Hunc quidem anserem (quae est, » videlicet, Hussii nominis significa- » tio) comburitis, sed post centum » annos, Cycnus exsistet, quem non » comburetis, » veluti si Lutheri adventum, et excitatum ab eo contra Ecclesiam bellum, quin tali extrema ab hominibus punitione mulctatus obierit, Hussius praedixerit. Rem istam fabellis accensendam esse, ut cetera omittam, erudite Gretzerus demonstravit.

Neque illud etiam praeteribo, quod Haeretici pluries falso affirmarunt, hoc est, Salvumconductum Hussio datum non servatum, immo a Concilio, nec servari illum debere statutum esse. Etenim quod ad hoc postremum pertinet, manifeste ex Concilii actis id calumniosum esse evincitur. Nam in sessione decimanona hoc tantummodo a Concilio decretum fuit, scilicet, Saecularem potestatem Ecclesiasticae potestatis actus impedire non posse; quapropter Salvumconductum a Principe Saeculari datum, non obstare, quominus Ecclesiasticus iudex suo munere fungeretur. Id autem longe differt a decreto eiusmodi, quo Salvumconductum non servandum esse statutum fuisset. Et poterat quidem iure Concilium, id, quod diximus, declarare. Est enim cuique cognitum, Salvumconductum a Principe tributum, efficere minime posse, ut Ecclesiastica potestas, ab iis exercendis, quae iuris sui sunt, impediatur.

Quod vero ad primum illud spectat, Salvumconductum, videlicet, servatum non fuisse, id etiam falsum esse ex tota re gesta intelligitur. Nam Sigismundus Salvumconductum Hussio petenti dederat hac conditione, ut si, acta causa, reus iudicaretur, poenae subesse deberet. Praeterea Salvumconductum Hussius violaverat cum iussus fuisset ita venire, ut a concionibus, et disseminandis erroribus abstineret. Ille vero contraria ratione se gesserat, cum publice fuerit concionatus. Est etiam perspicuum, Hussium Salvumconductum transgressum esse cum e Concilio, non impetrata facultate, fu-

gisset. Vere autem Hussium fugam arripuisse scriptores eiusdem aetatis testantur. Quando autem coaevorum scriptorum auctoritate, facti alicuius veritas confirmatur; nihili valet obiicere, alios, ac praesertim posterioris aevi scriptores illud non retulisse. Neque ad fugae istius factum ipsum excludendum, ullius roboris est opponere, de fugae die assignando non certam esse sententiam. Id enim facti ipsius summam non attingit. Videtur autem id iis diebus evenisse, cum ob Ioannis XXIII fugam, magnus esset Constantiae, atque in finitimis locis motus, et ferverent omnia ob inopinatum istum eventum. Natalis Alexander inter ceteros rem istam erudite pertractavit, atque in dissertatione sua de hac re, luculenter evicit, calumniam omnino esse, Concilium Constantiense docuisse, datam haereticis fidem violari licere.

Sessio decimasexta die 11 Iulii habita est, in qua constituti Procuratores Concilii Iacobus Turonensis Archiepiscopus, aliique nonnulli Abbates, et Doctores numero duodecim, qui cum Sigismundo Imperatore ad Regem Aragoniae convenirent, et Petrum De Luna ad cessionem inducerent exemplo Ioannis, et Gregorii, qui iam omne ad Pontificatum ius dimiserant. Tempus enim advenerat, quo, prout Gersonius festive dixerat, ad pacem Ecclesiae reddendam, agi debebat, ut auferretur luna. Consultum praeterea est, ne quis se a Concilio subduceret, ac censurae in eos sunt pronuntiatae, qui Caroli Francorum Regis Oratores, et eos, qui a Sigismundo ad Carolum missi fuerant in Lotharingia gravibus iniuriis affecerant. In sessione autem decimaseptima, quae die 17 Iulii celebrata est, patres fausta omnia Sigismundo adprecati sunt, qui in Aragoniam, ad colloquium cum Ferdinando Rege, et Petro de Luna habendum, erat profecturus. Publice etiam supplicationes indictae, et Missarum celebratio decreta, ad negotii istius exitum, et Imperatoris felicem reditum impetrandum. Atque etiam sanctio est promulgata, qua anathematis sententia in eos lata est, qui Sigismundo molestiam aliquam attulissent.

Discesserat die 18 Iulii Constantia Sigismundus Imperator. Interea vero Petrus De Luna scripserat ad eundem, non posse se Niciam, ubi de colloquio habendo statutum erat, venire, ob viae longitudinem; sed cum Ferdinando Aragoniae Rege mense Iunio se esse futurum Perpiniani. Ferdinandus postea eundem Imperatorem monuit, ne iter properaret, eo quod infirma valetudine ipse laboraret. Ita deinde Petrus De Luna se gessit, ut ostendere vellet, per se non stetisse, quominus colloquium, statuto die, Perpiniani haberetur; et media nocte postremae diei Iulii, Perpiniani, per Praeconem, publice, se adesse, abesse vero Sigismundum denunciavit. Nec diu postea vocatus venire voluit; atque eas simul de cessione facienda conditiones proposuit, quae concedi nullo modo poterant. Venit tandem Perpinianum; sed tot, ac tanta subterfugia quaesivit, ut nihil effici potuerit; et cum sibi iratum vereretur Regem Aragoniae, fugit Paniscolam, quasi peninsulam dictum oppidum regni Valentini, firmissimum, rupi impositum, ad maris oram, ubi vixit, obiitque in schismate pertinax die 17 Novembris 1424.

Eo tempore, quod post Sigismundi discessum fluxit, rariores habitae sunt sessiones, cum exitus eius tractatus ad renunciationem Petri De Luna obtinendam exspectaretur, quod praecipue Concilium exoptabat. Itaque die 17 Augusti Sessio decima octava celebrata est, in qua delecti sunt Iudices ad causas delatas ad Concilium cognoscendas, ac dirimendas, et decretae simul sunt poenae in falsarios litterarum Concilii. Sessio decimanona habita est die 23 Septembris; atque in ea Hieronymus de Praga errores Wicleffii, et Hussii,

de quibus accusatus fuerat, anathematizavit. Cum vero ob hanc eiurationem, quam etiam manu sua scriptam tradiderat, despiceretur a suis; facti eum poenituit, fugiensque Constantia, iam ad Bohemiae fines pervenerat: verum a Duce Bavariae captus Constantiam reductus est. In eadem sessione actum quoque est de immunitate personarum, et locorum ecclesiasticorum; aliaque negotia sunt pertractata. Sessio vicesima die 21 Novembris habita fuit, in qua, urgente Gregorio Episcopo Tridentino, decretum factum est monitorium contra Fridericum Ducem Austriae, propterea quod bona, et iura Ecclesiae Tridentinae invasisset; atque haec ultima huius anni sessio Concilii Constantiensis fuit.

Referenda nunc propius sunt, quae Petri De Luna causae exitum respiciunt, et quae praeterea eo pertinent, ut ostendatur quomodo revera pax Ecclesiae reddita sit. In Congregatione habita die 13 Ianuarii anno 1416 iterum ad negotium absolvendum Patres studiose se converterant. Interea vero Rex Ferdinandus ex morbo sontico aegrotabat, et ipso Epiphaniae die, publico edicto Perpiniani promulgato, cuius auctor fuerat S. Vincentius Ferrerius, qui antea Benedicto obtemperari posse, bona fide putaverat, subditis suis omnibus, ne eundem Benedictum, veluti Pontificem sequerentur, imperavit; ac Reges Castellae, et Navarrae simul oravit, ut una simul, trium Magorum imitatione, S. Matri Ecclesiae ad schisma penitus delendum se offerrent. Benedictus interea Paniscolae suis convocatis, Ferdinandum excommunicavit, et regno deiectum significavit. Obiit Ferdinandus die 2 Aprilis, eique successit Alphonsus filius, qui cum a nonnullis ad Benedictum protegendum excitaretur, negavit quae Pater considerate, et prudenter egerat, se esse immutaturum; et Legatos suos Constantiam misit.

Post haec die 30 Maii sessio vicesima prima habita est, in qua Hieronymus de Praga, qui anno superiori haeresim suam abiuraverat, atque in eandem relapsus fuerat, auditus est, sed Patribus minime satisfaciens, damnatus, atque ut pertinax potestati saeculari traditus, vivus postea combustus fuit. In sessione vero vicesima secunda, quae die 15 Octobris celebrata est, de Oratorum Regis Castellae proximo adventu, et de loco, quem in Concilio obtinere deberent, actum fuit, de eorundem praeterea, cum advenissent, suffragiorum auctoritate; atque eodem tempore, cum de Oratoribus etiam Aragoniae, Lusitaniae, ac Navarrae actum esset, constitutae sunt voces, seu suffragia quinque Nationum, cum antea fuissent quatuor, addita videlicet Hispanica. In sessione vicesima tertia die 5 Novembris constituti sunt iudices duodecim Commissarii ad decernendum, qua ratione contra Petrum de Luna procedi oporteret. Sessione praeterea vicesima quarta, die 18 Novembris habita, citationis forma lecta, ac decreta est, quae Petro de Luna erat facienda. In sessione vicesima quinta die 14 Decembris, Oratores Comitis Fuxiensis admissi sunt, modo, quo antea Aragonenses, et in sessione vicesima sexta die 24 Decembris, eadem ratione admissi sunt Oratores Caroli Regis Navarrae.

Die 20 Februarii anno 1417 celebrata fuit sessio vicesima septima, in qua Fridericus Dux Austriae, contumaciae accusatus est. Sessioni vero vicesimae octavae, quae die 3 Martii est habita, Sigismundus ab itinere suo redux interfuit: atque in ea excommunicatus est Fridericus, cum complicibus, et fautoribus suis, quod bona Tridentinae Ecclesiae invasisset, et periurus Sigismundo fuisset. In sessione vicesima nona, die 18 Martii, quae erat centesima a citatione Petro de Luna iam facta, accusata est eius contumacia, atque ulteriores citationes decretae, consentiente totius concilii nomine, Ioanne Car-

dinali Ostiensi, qui praeerat. Nam ob discordiam nationum Hispanicae, atque Anglicanae de praerogativa, fuerat per Nationes, et Cardinales statutum, ut praesidens solus, Concilii totius nomine responderet, habito prius in scriptis, tam Cardinalium, quam singularum Nationum consensu, et sententia. In sessione 30 die 10 Martii, Oratores Concilii missi ad citandum Petrum de Luna, se eum citasse narrarunt, et responsionem attulerunt ad singula citationis capita, quae fuse legitur in actis Concilii. Nequaquam tamen Concilium eam probavit; sed subtractionem laudavit obedientiae factam a Ferdinando, et Alphonso eius Filio Aragoniae Regibus.

In proximis quinque sessionibus, tricesima prima, secunda, tertia, quarta, et quinta, praeter alia negotia ad rem, de qua agimus, non pertinentia; praesertim de Petri de Luna causa fere semper actum est. Tandem post multiplices factas citationes, testes auditos, aliaque huiusmodi gesta, quae ad huius rei iudicium spectabant, in sessione tricesima sexta, quae die 26 Iulii habita est, et cui praefuit de more Ioannes Cardinalis Ostiensis, interfuitque Sigismundus, lecta est a Cardinali sancti Marci sententia definitiva depositionis adversus Petrum de Luna, « tamquam periurum, universalis Ec» clesiae scandalizatorem, fautorem » et nutritorem inveterati schisma» tis, schismaticum, et haereticum, » ac a fide devium, cum scandalo » Ecclesiae Dei, incorrigibilem, no» torium, et manifestum, ac omni » titulo, gradu, honore et dignitate » indignum, et omni iure eidem in » papatu, quomodolibet competente, » ipso iure privatum, et ab Ecclesia » Catholica tamquam membrum ari» dum praecisum. » Biduo post die 28 in sessione tricesima octava revocata est facultas antea concessa oratoribus Regis Aragoniae, decretumque, ut repraesentarent tantum Praelatos regnorum intra Hispaniam, sicuti Oratores Castellae, Lusitaniae, et Navarrae.

Ex his, quae hactenus exposuimus, apparet, quanam ratione a Concilio Constantiensi actum sit, ut se expediret ab iis, qui usque ad illud tempus, se tamquam Pontifices gesserant. Nunc vero restabat praecipuum negotium, quod novi legitimi Pontificis electionem respiciebat. Sed Sigismundus post adventum legatorum Hispaniae, alium rerum in Concilio gerendarum ordinem proposuerat, scilicet, ut post eiectionem Petri de Luna, ante electionem Papae, ageretur in Concilio de reformatione. Id vero cum saepius Nationibus inculcasset, natio Gallicana die 17 Iunii laesam libertatem questa erat, et die 28 datum Sigismundo fuerat scriptum, quo nomine Nationum Italiae, Galliae, Hispaniae, ac Collegii Cardinalium, postulabatur ante alia decretum Concilii de modo electionis novi Pontificis, atque aperte affirmabatur, ad eum non spectare, in rebus Ecclesiasticis, quod sequendum erat praescribere. Itaque Sigismundus die 11 Iunii litteras securitatis dederat, quibus libertas Concilio asserebatur. Cum vero post eiectionem Petri de Luna, nominati essent a nationibus Deputati, pro reformatione in capite, et curia Romana; Cardinales statim materiam electionis proposuerunt, et contra decretum sessione 14 ipsis invitis editum, de non eligendo Pontifice, sine consensu Concilii, protestati sunt. Insuper, quod iterum Sigismundus cum Nationibus Germanica, et Anglicana conclusisset, non agendum de electione, nisi postquam egissent de reformatione; tres aliae Nationes se cum collegio Cardinalium coniunxerunt, et seditio quaedam orta est; quae in actis quibusdam fuse narrantur. Cum ergo Natio Germanica, saepius a tribus nationibus, et Collegio Cardinalium monita de dandis deputatis pro decernendo modo electionis, Sigismundo adhaereret; Cardinalis Pisanus die 9 Septembris

protestationem interposuit trium Nationum, et Collegii Cardinalium, quae protestatio licet tunc legi integre non potuerit ob strepitum excitatum, et Sigismundi discessum, lecta tamen est die 11 in Ecclesia, frustra tumultuantibus Germanis: ex qua protestatione, tanta animorum conturbatio in natione Germanica orta est, ut Sigismundus habito cum suis consilio, egerit de capiendis nonnullis Cardinalibus, qui de ea re per Constantienses admoniti, die 12 Septembris protestati sunt, « quod propter » tales minas, et timores incussos, » non dimitterent prosecutionem u- » nionis Ecclesiae usque ad mortem,» ut in quatuor actorum codicibus habetur. Tandem cum post plures turbas Natio Anglicana adhaesisset Collegio Cardinalium, et tribus aliis Nationibus, Natio quoque Germanica flecti coepit, atque agere de cautione, sive assecuratione « per decre- » tum irritans, quod post electionem » Papae, fieret reformatio ante co- » ronationem eius, et administratio- » nem aliquam. » In ea tamen re notandum est, cum plures propositae essent formae decreti; pronuntiatum tamen aperte fuisse, *quod Papa electus non potest ligari.*

Accidit interea die 29 Septembris mors Francisci Zabarella Cardinalis, qui Florentinus appellari solebat. Ac deinde die 9 Octobris sessio tricesima nona habita fuit, in qua nationes omnes de legitimi Pontificis electione properanda consenserunt, et solum ad praecavenda in posterum schismata, sunt statuta nonnulla, hoc est, ut quinquennio post hoc concilium elapso, aliud concilium celebraretur, septennio post aliud, ac deinde singulis decenniis, in locis a Pontifice designandis concilium haberetur.

Non modo autem in sessione ipsa tricesima nona, sed etiam diebus proximis, plura sunt pertractata in Congregationibus, quae praecipue ad Pontificis electionis negotium absolvendum referebantur. Atque illud praesertim die 25 Octobris disputatum est, quod pertinebat ad Pontificis mox eligendi comitia celebranda. Nam notum omnibus erat, Pontificis Maximi electionis negotium totum S. R. E. Cardinalibus reservatum esse, et eam electionem in Conclavi a Cardinalibus peragi oportere, de quibus rebus in Concilio Lateranensi Generali III sub Alexandro III et in Concilio Lugdunensi Generali II sub Gregorio X Pontifice decreta edita fuerant. Videbatur tamen in praesentibus adiunctis, ut totus orbis quodammodo in Pontificis novi electionem convenisse luculentius appareret, videbatur, inquam, valde opportunum futurum esse, si eo tantum in casu, praeter Cardinales, alii etiam ad Pontificem eligendum admitterentur, id, quod die 28 Octobris statutum est.

Haec cum gesta fuissent, die 30 Octobris sessio quadragesima habita est, cui Ioannes Cardinalis Episcopus Ostiensis praefuit. Atque in ea primum articuli decem et octo sunt propositi de rebus, in quibus Pontifex tunc eligendus, una cum Concilii deputatis reformationem esset decreturus. Ii autem articuli in collectionibus Conciliorum descripti legi possunt. Deinde quod spectat ad electionem Pontificis exsequendam, statutum fuit, ut licet absentes essent Cardinales Petri de Luna, electio tamen Pontificis absolveretur. Quod si vero illi ante electionem advenissent, eos cum ceteris Cardinalibus admittendos esse declaratum est.

Praeterea quod ad electionis istius formam pertinet, de Cardinalium consensu decretum fuit, ut pro hac vice dumtaxat, ad firmiorem, prout superius significatum est, rei certitudinem, et plenissimae concordiae testimonium, admitterentur praeter Cardinales ad eligendum novum Pontificem « Sex Praelati, vel aliae ho- » norabiles personae Ecclesiasticae, » in sacris ordinibus constitutae, de » qualibet natione in Synodo exsi- » stente, » quas, nimirum, quaelibet

Natio pro se, infra decem dies elegisset; « atque is, absque ulla exceptione, ab universali Ecclesia Pontifex haberetur, qui a duabus partibus electorum in Conclavi exsistentium electus fuisset, infra vero decem dies Conclave ingrederentur in maiori domo communitatis ad hoc iam ordinata. »

Postquam vero die 2 Novembris Electoribus sortito destinata cubicula fuissent, sessio quadragesima prima die 8 eiusdem mensis habita est, in qua post lectam constitutionem Clementis VI, quae incipit *Licet*, de modo, et forma Conclavis, post praestita iuramenta in eadem praescripta, statuti sunt Electores quinque Nationum, qui Conclavis participes esse debebant, et promulgata est excommunicatio in eos, qui praetextu, prout acta continent, « praetensae cuiusdam abusivae licentiae, res et bona electi, quasi culmen dividiarum adepti, invaderent. » Eadem die Cardinales quotquot erant Constantiae ex triplici obedientia, Ioannis, Gregorii et Benedicti, qui numero viginti in actis referuntur, alibi vero ii viginti tres fuisse dicuntur, simul cum ceteris triginta electoribus ingressi sunt Conclave.

Triduo autem post, hoc est die 11 Novembris ante meridiem electus est Pontifex Maximus Otto Columna Diaconus Cardinalis S. Georgii ad Velum Aureum, sive in Velabro, qui in D. Martini honorem, cuius festa dies agebatur, Martini nomen suscepit, ac Martinus V dictus est. Habent vero acta: « Et sic per invictissimum Dominum Sigismundum Romanorum Regem, una cum S. Synodo in Ecclesia maiori civitatis Constantiensis, maximis cum solemnitatibus, et laetitia fuit inthronizatus. » Incredibilem hominum multitudinem laetitia gestientium in eandem Ecclesiam confluxisse, monumenta omnia continent, quae de tam felici eventu loquuntur. Id inter ceteros apud Dacherium legi potest, et Platinam, qui de electi Pontificis virtutibus agens ait, homines tantopere ob eam rem fuisse laetatos, « ut prae gaudio vix loqui possent. »

Pontifex electus, cum Diaconus adhuc esset, die sabbato 20 Novembris a Ioanne Episcopo Ostiensi Presbyter ordinatus, et sequenti dominica die Episcopus consecratus fuit, atque a Raynaldo Cardinali Brancatio Archidiacono, magna pompa coronatus. Deinde processione solemni per urbem deductus, regentibus hinc inde equi eius frenum Sigismundo Imperatore, et Friderico Marchione Brandeburgico Imperii Archicamerario. In itinere vero, Iudaei, quemadmodum apud Dacherium legitur, obedientiam ei exhibentes obtulerunt volumen legis; Martinum autem respondisse: memoriae proditum est, legem eos quidem habere, sed non intelligere, vetera recessisse, et nova facta esse omnia.

Ita schismati gravissimo finis impositus est. Verum illud est adnotatu dignum, ita factam hanc Martini V electionem fuisse, ut quodammodo, evidenti certitudine sua, dubitationi de Pontifice legitimo, quae tamdiu Ecclesiam perturbaverat, compensatio data videretur. Tanta enim animorum concordia, tantoque totius orbis plausu Martinus electus est, ut continuo ad peractae electionis notitiam, omnes ubique diuturnae dissensionis moestitiam obliterasse videri possent.

Die 28 Decembris sessio quadragesima secunda celebrata est, cui Martinus V praefuit, quemadmodum et ceteris tribus, quibus habitis, Concilium absolutum fuit. Eae autem sessiones celebratae sunt, videlicet quadragesima tertia die 21 Martii anno 1418; quadragesima quarta die 19 Aprilis; et quadragesima quinta die 22 Aprilis habita fuit, quae omnium Concilii Constantiensis sessionum postrema est.

Cum praecipua retulerimus, quae in Concilio Constantiensi gesta, ac decreta sunt ad schisma tollendum,

atque ad certi, legitimique Pontificis electionem absolvendam, omittimus cetera singillatim prosequi, quae in Reformationis negotio, post haec, quae narravimus, pertractata sunt. Possunt ea in collectionibus Conciliorum fuse exposita videri. Illud certum est, rem attente consideranti facile esse intelligere, ex ipsa actorum lectione apparere, quantum intersit discriminis inter ea, quae antea gesta fuerant, et reliquam pertractationem rerum, quae post Pontificem electum habita est. Scilicet acta perpendenti apparet, verum Christi Vicarium praeesse Concilio, atque eum tandem aliquando praeesse Concilio, cui a Christo Domino pascendi, regendi, gubernandi Universalem Ecclesiam potestas tributa est. Est etiam perspicuum, Constantienses Patres, erga novum Pontificem Maximum omnem semper observantiam ac venerationem ostendisse. Neque dimissum Concilium antea est, nisi postquam de Pontificis mandato, prout habent acta, Raynaldus S. Viti in Macello Diaconus Cardinalis Brancatius haec verba pronuntiasset: *Domini ite in pace, et responsum est per adstantes: Amen.*

De ratione vero, qua Martinus V Concilium Constantiense probavit, haec denique referenda, et animadvertenda putamus. Scilicet Martinus, qui de reformatione, quae statuenda erant, pro gravitate, et auctoritate sua decreverat, quique appellationem a Pontifice ad futurum Concilium generale, edita constitutione proscripserat, quam nullo in casu licere declaravit, *nec eius iudicium in causis fidei declinare;* ita tandem, quemadmodum acta referunt, Concilii gesta probavit, videlicet: « Quibus sic » propositis, protestatis, requisitis, » et oblatis, Sanctissimus Dominus » Noster Papa, cum nonnulli alii » multum dicerent, et tumultum fa- » cerent, imposito omnibus silentio, » dixit respondendo ad praedicta: » quod omnia, et singula, determi- » nata, et conclusa, et decreta in » materiis fidei, per praesens Sacrum » Concilium Generale Constantiense, » conciliariter tenere, et inviolabi- » liter observare volebat, et num- » quam contravenire quoquomodo; » ipsa sic conciliariter facta appro- » bat Papa omnia gesta in Concilio » conciliariter in materia fidei, et » ratificat, et non aliter, nec alio » ullo modo. »

Quibus verbis praecipue ea intelliguntur, quae respiciunt Wicleffii, et Hussii errores a synodo damnatos. Atque hanc confirmationis rationem a Pontifice iterato factam acta continent per Augustinum de Pisis Fiscalem, et Sacri Consistorii Advocatum, qui de hoc, a Protonotariis, et Notariis, ut publica instrumenta fierent postulavit. Satis ista esse arbitramur ad ostendendum, quae praecipuum inter res a Concilio Constantiensi gestas locum obtinent, et ad totius facti historiam breviter referendam, pertinere possunt.

CAPUT XXXVII.

DE DECRETIS SESSIONE IV ET V A CONCILIO CONSTANTIENSI PROMULGATIS.

Retulimus superius ea, quae in Concilii Constantiensis celebrationis historia praecipua sunt, saltem in iis, quae schismatis in illo factam extinctionem respiciunt. Nunc aliquid singillatim dicendum esse videtur de decretis sessione quarta, et quinta illius Concilii editis, quae tantam adepta sunt celebritatem, praesertim eorum sermonibus, et argumentatione, qui inde probari contenderunt, Romani Pontificis potestatem Concilii Generalis potestate inferiorem esse.

Arbitror ego quidem, ea decreta tantam celebritatem non fuisse con-

sequutura, nisi, qui Pontificis Maximi potestatem Concilii Generalis auctoritate inferiorem esse conati sunt evincere, argumentum inde grave ad hoc efficiendum depromi posse tanto studio contendissent. Nisi id fuisset, profecto decreta illa habita essent, prout reliquae illius Concilii partes habitae sunt, quae peculiarem ad earundem sensum explicandum disputationem non requisiverunt. Etenim si per se ipsa perpendantur memorata decreta, apparet statim, illa referri ad tempus, atque negotium, de quo tunc agebatur; atque intelligi debere de tempore illo, ac negotio, prout in iis rerum adiunctis erat pertractandum; non vero de summa Pontificis Maximi potestate, quae Concilii celebrationi, ceterisque, quae tunc gesta sunt, occasionem, ac materiam minime suppeditaverunt.

Nam, si ratio consideretur, quapropter Pisana Synodus ante Constantiensem habita fuerat, si ea perpendantur, quae boni omnes, durante schismate, excogitaverant, atque ad schisma tollendum fieri posse arbitrati fuerant, occurret continuo cuilibet, de Pontificis Maximi potestate quaestionem numquam esse institutam, sed omnium studia eo fuisse conversa, ut qui de Pontificatu contendebant, vel per se ipsos schisma tollendum curarent, vel, cum dubia essent eorum ad Pontificatum iura, Ecclesiae necessitati in ista re, opportune, ac quanta posset expeditiori ratione consuleretur.

Neque decreta illa sessione quarta, et quinta Concilii Constantiensis edita, si secundum sensum, quem materia subiecta praeseferebat, intellecta fuissent, neque, inquam, eo sensu intellecta decreta poterant occasionem afferre, ut modo, quem adversarii obiecerunt, deberent explicari. Nam nullum poterat monumentum, nullum grave testimonium adduci, quo posito, coniici posset, idcirco decreta illa edita esse, quod Pontificis Maximi potestas Concilii Generalis potestate inferior existimaretur. Etenim undique ex Ecclesiae historia, factisque certissimis constare poterat, Pontificem Maximum non fuisse umquam existimatum Concilio Generali potestate inferiorem, immo vero undique ad hanc opinionem refellendam, argumenta desumi poterant; cum nullum interea praesto esset ad diversam sententiam deducendam opportunum monumentum. Id vero facile esset ostendere, si anteriorum temporum historia repeteretur. Etenim si Conciliorum antea habitorum decreta, vel res gestae perpendantur, atque una simul quorumcumque gravium Ecclesiae scriptorum opera pervolvantur, apparebit, quae nos dicimus, verissima esse.

De eo denique nihil dicam argumento, quod ad rem istam evincendam valet plurimum, quodque omnibus quacumque aetate exploratum esse debuit, ad Concilii Generalis auctoritatem constituendam illud praecipue requiri, ut Pontifici Maximo adhaereat, atque ab eodem Concilii decreta confirmentur. Id vero tale est, ut neque intelligi quidem facile possit, quomodo allata ab adversariis sententia valeat explicari, cum nisi Pontifici Maximo adhaereat, ab eoque confirmetur, legitimum nullum intelligatur Concilium Generale.

Quamquam vero haec ita sint, negari tamen non potest, memoratis superius Concilii Constantiensis sessionis quartae, et quintae decretis abusos esse, qui Pontificem Maximum Concilio Generali potestate inferiorem esse contenderunt. Satis est defensionem declarationis Cleri Gallicani anni 1682 *lib. 5 cap. 1 et seqq.* consulere, et Cardinalis De la Luzerne opus Parisiis anno 1821 editum de eadem declaratione *part. 3 cap. 20*, ubi de Concilio Constantiensi fuse pertractat. Est etiam in omnium manibus Natalis Alexandri de eadem re dissertatio 4 in saec. XV. Ex his enim, aliisque eiusmodi scri-

ptis perspicuum est, propugnandum suscepisse Scriptores illos, decreta Constantiensia sententiam continere, de qua superius loquuti sumus. Praetereo autem scriptores alios, qui ad detrahendum de Romani Pontificis auctoritate, iniquo consilio ex iisdem decretis argumentati sunt. Moshemium, dico, Febronium, Potterium, aliosque in Apostolicam Sedem malevole animatos scriptores. Est enim exploratum, idcirco eos decretis istis Constantiensibus gloriatos esse, quod ea inservire posse putaverint ad pontificiae potestatis detrimentum.

In iis potius scriptoribus tantum insistamus, qui, quantumvis debitam erga Romani Pontificis primatum iurisdictionis observantiam profiteantur, et in Apostolicam Sedem reverentiam; ad suas tamen de Concilii Generalis auctoritate opiniones defendendas, eo modo, quem diximus, Constantiensia decreta intelligenda esse contenderunt, veluti si in iis statutum sit, Pontificem Maximum Concilio Generali auctoritate inferiorem esse. Auctorem quidem declarationis Cleri Gallicani superius memoratae, doctissimus Cardinalis Orsius in opere *de Romani Pontificis in Synodos Oecumenicas, et earum canones potestate,* circa praesentem quoque controversiam optime confutaverat. Sed Cardinalis Luzernius in eo libro, cuius antea mentionem fecimus, *part. 2 cap. 20* fuse de decretis Constantiensibus pertractavit, et Cardinalis Orsii responsiones contra defensionem declarationis Cleri Gallicani allatas infirmandas suscepit. Itaque, ne ea, quae iam toties in ista re sunt disputata, repetere potius, quam exponere videamur; breviter ostendemus, novis Cardinalis Luzernii argumentationibus, causam, quam Orsius defendit, nullum detrimentum passam esse.

Constat ex iis, quae retulimus suo loco, quae fuerint decreta a Concilio Constantiensi, quarta, et quinta sessionibus edita. Videlicet sessione quarta: « Quod ipsa Synodus in Spiritu » sancto legitime congregata, gene- » rale Concilium faciens, et Eccle- » siam Catholicam repraesentans, » potestatem a Christo immediate » habet, cui quilibet, cuiuscumque » status, vel conditionis, etiamsi Pa- » palis exsistat, obedire tenetur in » iis, quae pertinent ad fidem, et ex- » stirpationem dicti praesentis schi- » smatis, et reformationem genera- » lem Ecclesiae Dei in capite, et in » membris. » Sessione autem 5 decretum est, « Quod quicumque, cuius- » cumque conditionis, status, digni- » tatis, etiamsi Papalis, qui manda- » tis, statutis, seu ordinationibus, » aut praeceptis huius sanctae Syn- » odi, et cuiuscumque alterius Con- » cilii Generalis legitime congregati, » super praemissis, seu ad ea perti- » nentibus, factis, vel faciendis, obe- » dire contumaciter contempserit, » nisi resipuerit, condignae poenitentiae subiiciatur, etc. »

Anno 1683 Emmanuel Schelestratius librum ediderat Antuerpiae, inscriptum: « Acta Constantiensis Con- » cilii ad expositionem decretorum » eius sessionum quartae, et quintae » facientia, nunc primum ex codici- » bus manuscriptis in lucem edita. » Anno autem 1686 editus est ab eodem Scriptore Romae « Tractatus de » sensu, et auctoritate decretorum » Constantiensis Concilii sessione » quarta, et quinta, circa potestatem » Ecclesiasticam editorum. » Quibus in operibus Schelestratius contendit, decreto sessionis quartae addita esse verba: *Reformationem Ecclesiae Dei in capite, et in membris,* atque huius additionis Basileenses auctores fuisse.

Defensori declarationis Cleri Gallicani, qui affirmaverat, hanc decreti quartae sessionis depravationem, Schelestratii commentum esse existimandum, Cardinalis Orsius responderat, et argumentis adductis probaverat, certum omnino esse, verba, quae superius significavimus, et quae Schelestratius addita esse

contenderat, in pluribus, et gravissimae auctoritatis codicibus vere deesse: antequam sessio quarta haberetur, permagnam de ista re controversiam, ac disceptationem fuisse, et de verbis quidem ipsis, quae in codicibus a Schelestratio allatis reperta non sunt: praeterea a Cardinali Florentino in publica decreti recitatione ea verba lecta prorsus non esse: denique argumenta in promptu esse, cur Basileensibus eorundem verborum additio tribui debeat. His adiungi illud quoque potest, eruditos viros, et inter eos praeclarum Franciscum Antonium Zaccaria in *Antifebronio part. 2 lib. 4 cap. 3 num. 8* animadvertisse, neque illa verba in antiquis Concilii Constantiensis editionibus reperiri, scilicet: obedire tenetur in iis, quae pertinent *ad fidem,* prout in superius adducto sessionis quartae decreto legitur. Notant enim illa verba *ad fidem*, deesse in editione, quae anno 1500 *Hagenowiae*, 1511 *Mediolani,* et anno 1524 Parisiis facta est, ac Petrum Grabium primum fuisse, qui in sua Coloniensi Conciliorum editione ea verba retulerit.

Non est necesse explicare, quamobrem Defensori declarationis, de qua loquimur, displicuerit, Schelestratium probavisse, in Concilii Constantiensis decreto sessionis quartae verba deesse, quae significent omnes obtemperare Concilio debere in iis, quae pertinent *ad reformationem Ecclesiae Dei in capite, et in membris:* scilicet quod is arbitraretur, haec verba opportuna valde esse ad ostendendum Pontificem Maximum Concilio potestate inferiorem esse. Opportunum etiam esse censere debebat, in eo decreto verba reperiri, quibus dicatur, omnem, etiamsi papali dignitate praeditum, synodo in iis, quae *ad fidem* pertinent, obtemperare debere, videlicet quod ista verba significare videantur, generatim hanc subiectionem declaratam a Concilio Constantiensi fuisse.

Verum licet ea de causa Auctor defensionis declarationis Cleri Gallicani memorata superius verba in decreto sessionis quartae non deesse contenderit, iure tamen poterat ei ab Cardinali Orsio, aliisque obiici, ea verba in eodem decreto non reperiri. Quod spectat quidem ad verba: obedire tenetur in iis, quae pertinent *ad fidem,* antea significavimus cur ista quoque in decretis defuisse existimandum sit. Quod vero pertinet ad alia verba respicientia *reformationem Ecclesiae Dei in capite, et in membris;* de iis omnino demonstrari cum Schelestratio, aliisque Scriptoribus potest, ea in decreto sessionis quartae non reperta esse.

Schelestratius *diss. 1 cap. 1 de sensu* etc. tres codices attulit continentes acta a Notariis conscripta, ex quibus deinde Basileenses decreta sua confecerunt, in quibus actis ea verba desunt. Attulit praeterea codices quatuor, quorum duo circa ipsius Constantiensis Concilii tempus conscripti sunt, duo alii continent regestum actorum, quorum unus circa Concilii tempus scriptus est, alter antiquo charactere Italico. Iam vero Burnetius ipse Anglicanus Minister in suo itineris ad Helvetios, et Italiam libro, refert, Schelestratium ostendisse in manuscriptis Vaticanis a se editis ea verba non esse; atque ipsi Burnetio aliqua ex iis manuscriptis videnda praebuisse, quorum duo perspicue temporis sunt, quo Concilium habitum est, in quibus tamen ea verba non reperiuntur. Addidit vero Burnetius se iure affirmare, duo illa manuscripta esse temporis ipsius, quo Concilium Constantiense est celebratum, quia penitus cognitam, atque exploratam ipse habebat scribendi rationem illius aetatis, ut circa eam rem, in errorem is induci non potuerit.

His adiungi praeterea debet, Hermannum Von-der-Hardt *t. 1 part. 1 pag. 80 seqq.* Scriptorem certe, utpote ex Protestantium genere minime suspectum, tradidisse, memorata verba abesse ex codicibus Bruns-

wiciensi, Lipsiensi, Gothano, Vindobonensi, et Wolfenbuttelensi; quos codices in prolegomenis describit, atque eorum unum his verbis: « Primum codicem authenticum plenorum actorum Concilii Constantiensis inclyta dedit augusta bibliotheca Brunswiciensis, quod vastum volumen in ipso Constantiensi Concilio exaratum, neque titulis, et argumentis distinctum, sed, ut primi illi Notarii consueverant, una continua serie contextum. » Est etiam Lenfantius commemorandus, qui codicem quoque Parisiensem S. Victoris recenset, in quo ea verba desunt. Harduinus denique praetereundus non est, qui nullum a se visum scriptorem admonet, qui ex probis manuscriptis ea verba deprompserit; id, quod saltem illud probare concedendum est, non frequentes codices reperiri, in quibus ea verba legantur.

Opponuntur quidem a contrariae sententiae patronis, inter ceteros, a Natali Alexandro, Maimburgo, aliisque, plures codices ea verba referentes. Sed certum est tamen, codices paullo ante a Schelestratio, Von-der-Hardtio, Lenfantio, Harduino commemoratos, melioris notae esse, et praestantioris auctoritatis. Est vero ineptum, quod auctor defensionis declarationis Cleri Gallicani miratur, tanto post tempore haec adducta esse ad extenuandam decretorum Constantiensium, in re, de qua agimus, auctoritatem. Ad responsionis enim huius ex codicibus illis desumptae robur excludendum, haec admiratio nihil valet. Esset enim potius evincendum, id, quod ostendi ceteroquin nullo modo potest, falsum esse, eos codices repertos esse, vel non ea auctoritate, et gravitate illos praestare, quae ex aetate, qua scriptos illos esse constat, omnino proficiscitur. Mirum autem Scriptoribus eruditis esse non debet, post diuturnum tempus, doctos viros reperisse codices, qui diu latuerant, et quibus non apparentibus, impossibile erat de facto probare, verba, de quibus loquimur, in Constantiensi decreto minime reperiri. Contigit profecto in ista re id, quod in tot aliis evenit, ut post detecta vetera monumenta, quae ignorabantur, veritas rerum, de quibus agebatur, luculenter, et perspicue apparuerit.

Post haec, quae de codicibus diximus a Schelestratio allatis, et de iis, quos ceteri Scriptores superius recensiti attulerunt, abstineo brevitatis causa ab iis hic iterum referendis, quibus Cardinalis Orsius usus est argumentis, ut responsionem ipsam ex codicibus istis desumptam confirmaret. Videlicet ostendit contra defensorem declarationis Cleri Gallicani, Cardinalem Zabarella, seu Florentinum, ad quem spectabat solemnem decreti lectionem coram Concilio facere, verba, de quibus disputamus, certe non legisse, praesertim quod Cardinales, in quaestione antea commota de iis verbis in decreti contextum referendis, se constanter lectioni opposuissent. Ostendit praeterea, argumentis evinci posse hanc factam illorum verborum additionem Basileensibus esse tribuendam.

Haec vero cum ita sint, apparere omnibus debere manifestum est, quantopere extenuentur, quae ex Constantiensibus decretis, ad ostendendum Pontificem Romanum Concilio Generali potestate inferiorem esse, concludi posse adversarii contenderunt. Nam si de ipsa quoque scripturae authentica forma, atque id in decreti parte, quae magni momenti est, iure dubitari saltem potest, intelligunt omnes quam leve sit, illi argumento insistere quod ex decretorum toto contextu desumitur. Constat etiam inde, non prudenter eos fecisse qui ad tuendas suas de Concilii Generalis auctoritate, et potestate opiniones, ad ea decreta se converterunt, veluti si contextus ipse nulli dubitationi esset obnoxius.

Haec Defensori Declarationis Cleri Gallicani Cardinalis Orsius obiecerat, quae ad demonstrandum quidem

in decreto Constantiensi sessionis quartae, memorata verba defuisse, sunt aptissima. Argumentis istis ab Orsio allatis non video, quomodo vim auferant quae Cardinalis Luzernius animadvertit eo loco, ubi ex instituto contendit Orsii de hac re responsionem confutare.

Dicit primo Luzernius inutilem hanc quaestionem esse, atque etiamsi permitti velit, quartae sessionis decretum fuisse vitiatum, id tamen nihil valere quando decretum quintae sessionis hac vitiatione infectum non fuisse concedatur. Etenim ait, in quinta quoque sessione declaratum fuisse, Concilium supra Pontificem auctoritatem habere. Paullo post videbimus, minime in sessionis quintae decreto haec affirmari, seu non hunc illius decreti sensum esse. Negamus vero, inutilem in re, de qua agimus, quaestionem istam esse, quam exposuimus. Nam si ex codicibus, quos recensuimus, constat, in decreto quartae sessionis, vere non fuisse a Constantiensi Concilio scripta ea verba, omnes etiamsi papalis dignitatis exsisterent, obedire teneri Concilio Generali in iis etiam, quae pertinent *ad reformationem Ecclesiae Dei in capite, et in membris;* multo magis extenuatur illud argumentum, quod sive Defensor declarationis Cleri Gallicani, sive alius quislibet, ex decretorum contextu desumunt ad concludendum, Romanum Pontificem Concilio Generali potestate inferiorem esse. Et quoniam Cardinali Luzernio videtur, sufficere sibi posse decretum quintae sessionis authenticum esse; certum tamen est, hoc decretum quintae sessionis multo minus probare, id quod Defensor declarationis Cleri Gallicani obiiciebat, si demonstretur in quartae sessionis decreto verba illa deesse, de quibus disputamus.

Addit Luzernius, editiones omnes Concilii Constantiensis decretorum, semper eo modo esse factas, ut verba illa retineant. Non probat tamen idem Scriptor, post editos codices plures illos a Schelestratio, ceterisque superius recensitis doctis viris, editiones isto modo factas, veras omnibus esse videri. Immo possumus nos respondere, editiones isto modo factas, nunc ad minus suspectas, circa locum illum retinendum ab omnibus iudicari.

Neque contrarium evincit, quod Luzernius animadvertit, vel argumentatur, ex facto Cardinalis Zabarellae, qui in publica lectione decreti, ea verba omisit. Dicit quidem Luzernius hanc ipsam omissionem ostendere, verba illa revera in decreto quartae sessionis reperta esse. Sed nos, cum quaerimus de aliquo Concilii cuiuslibet decreto, quanam prorsus ratione, et qua certa forma fuerit editum, quaerimus de decreto prout in legitima, ac publica coram Concilio facta decreti lectione, illud pronunciatum, acceptumque fuerit. Non quaerimus de decreti forma, prout fortasse fuit, quando de illo exponendo controversia agitabatur. Ita de hoc rerum genere statuendum esse ostendit, inter cetera, historia Concilii Tridentini a Cardinali Pallavicinio conscripta. Quoniam igitur in legitima, ac publica decreti quartae sessionis Concilii Constantiensis lectione, ea verba, de quibus agimus, a Cardinali Zabarella, ad quem pertinebat decreta coram Concilio recitare, omissa sunt; concludere iure possumus, hanc omissionem argumento esse, illa verba ad decretum, prout vere prodiit, non spectare.

Subdit Luzernius nonnulla ad infirmandam argumenti ex manuscriptis a Schelestratio editis deprompti gravitatem. Addimus vero nos, praeter Schelestratium, repertos etiam esse alios doctos viros, qui codices plures et ipsi attulerunt, in quibus memorata verba non inventa sunt: Von-der-Hardtium dico, Lenfantium, Harduinum superius citatos. Praeterea diu hos codices latuisse, non est id argumento, codices ipsos non magnae esse auctoritatis, prout ex

diuturna eorundem codicum ignorata exsistentia, Luzernius concludere vellet hos codices non valere. Habent enim antiqui codices qualitates suas, quibus consideratis, eruditi viri demonstrant, ad quam aetatem iidem pertineant, et quantae sint auctoritatis. Nisi id verum esse concedatur, actum esset de codicibus omnibus, qui recentiori aetate a latebris in lucem prodierunt, quique ad fidem faciendam contra receptas opiniones, quae antea invaluerant, cum iidem laterent, ab eruditis quibusque viris optime adhibentur. Quoniam vero dicimus, hos codices a Schelestratio, ceterisque, post diuturnum tempus feliciter repertos esse, cum antea penitus ignorarentur; non videmus quomodo possit evinci, hos codices despiciendos esse eo quod in re, de qua loquimur, non sint consentanei iis decretorum editionibus, quae iam exstabant; neque intelligimus quomodo mirari quisquam possit argumento ex his codicibus desumpto, quantumvis opportuno, non usos esse per diuturnum tempus eos, qui ex decretis Constantiensibus non sequi contendebant, Romanos Pontifices Concilio Generali inferiores esse. Manifestum enim est, cum codices isti laterent, argumenti afferendi, ut ita dicam, materiam defuisse.

Reliqua, quae Cardinalis Luzernius Cardinali Orsio respondet, videntur omnino futiliora. Quemadmodum enim cuilibet rem attente consideranti apparet, Cardinalis Orsii argumentatio in eo versabatur, ut ostenderet, codices a Schelestratio editos evincere, verba illa, quae in decreto Constantiensi magni ponderis sunt in ista causa, revera in eo decreto non reperiri, atque idcirco argumentum, quod Defensor Declarationis Cleri Gallicani ad propriam sententiam de Concilii potestate probandam ex eodem decreto desumpserat, magnum detrimentum pati. Quid ergo valet ad talem Orsii argumentationem declinandam respondere, codices istos nimium diu post editos esse; eosque codices non esse fide dignos, eo quod non conveniant cum editionibus antea factis, et hanc codicum a Schelestratio editorum diversitatem fortasse studio partium tribui posse, quo animati supponi debeant Notarii, qui isto modo, et sine verbis, de quibus est quaestio, decretum retulerunt?

Haec responsio profecto in multis falso laborat supposito. Nam ut haec responsio valeret, necesse esset supponere, non esse idoneos ad fidem faciendam codices, quando multo tempore latuerint, et nimium diu post rei gestae aetatem in lucem prodeant. Hoc autem nullo modo concedi potest. Etenim non desunt rationes, quae demonstrent, quibus praediti esse debeant qualitatibus codices multo post tempore editi, ut fidem faciant. Est praeterea omnibus manifestum, et exemplis perspicuis id posset confirmari, secundum codicum recenti memoria editorum auctoritatem corrigi, atque emendari iure posse, ac debere ea, quae antea diverso modo in alicuius operis editione referebantur. Deinde Luzernii responsio supponit, quando antiquus aliquis codex reperiatur, atque in lucem edatur, hunc codicem non mereri fidem nisi singillatim antiquioribus editionibus is respondeat. Sed neque id concedi facile potest. Possunt enim praesto esse, atque in re nostra praesto sunt rationes cur id non concedatur, immo vero, ut concedi potius debeat, non esse fidendum veteribus editionibus, quae istis codicibus recenti memoria repertis non sint consentaneae.

Supponit denique Luzernii responsio, partium studio tribui posse omissionem verborum, quae in Schelestratii codicibus apparet. Sed, omissis ceteris, si de facto loquamur, non video quomodo partium studio tribui debeat, in codicibus omitti verba quaedam, quando codices, in quibus haec omissio est, diu latuerint, et codices potius, qui verba controversa continent, passim edita fuerint. Quid

valebat eiusmodi studium partium, si codices isti, in quibus omissio illa est, destinabantur ad tabularii tenebras diuturnas?

Veniamus nunc ad aliam controversiae partem. Scilicet de decretorum quartae, et quintae sessionis Concilii Constantiensis sensu loquamur. Defensoris quidem declarationis Cleri Gallicani, et Scriptorum, qui eiusdem opinionem in ista re sequuntur, sententia est, per ea decreta, generatim fuisse statutum, Pontificem Maximum Concilii Generalis potestate inferiorem esse, atque eum idcirco Concilii Generalis decretis subesse, et obtemperare debere. Verum nostra, Cardinalis Orsii, ceterorumque de ista re recte iudicantium sententia, seu potius, consentanea decretis ipsis Constantiensibus sententia est, minime prorsus id iis decretis generatim pronunciatum esse, Romanum Pontificem Concilii Generalis potestate inferiorem esse; aut generatim in iis statutum fuisse, Pontificem Romanum Concilio Generali subesse, et obtemperare debere; sed decreta illa de Pontifice dubio tantum, ac de tempore schismatis ob Pontificem dubium excitati intelligi oportere.

Haec, inquam, nunc memorata sententia decretis consentanea est. Quod ut ostendatur, ad ipsum decretorum contextum convertere nos debemus. Ista vero est verborum forma, qua in decretis suis condendis Synodus Constantiensis usa est: « In nomine » Sanctae, et individuae Trinita- » tis etc. Haec Sancta Synodus Con- » stantiensis Generale Concilium fa- » ciens pro exstirpatione ipsius schi- » smatis, et unione, et reformatione » Ecclesiae Dei in capite, et in mem- » bris, ad laudem Omnipotentis Dei » in Spiritu sancto legitime congre- » gata, ad consequendam facilius, et » securius, liberius, et uberius unio- » nem, et reformationem Ecclesiae » Dei ordinat, definit, decernit, et » declarat ut sequitur. »

Apparet ex his Concilii verbis, quibus pronunciatis decreta ipsa subiiciuntur, quae mens esset, ac sententia Concilii. Scilicet affirmat Synodus Constantiensis, se *Concilium Generale facere pro exstirpatione schismatis, et unione Ecclesiae Dei.* Addit praeterea se decreta, de quibus loquimur, condere *ad consequendam facilius, securius, liberius et uberius unionem,* ad quam obtinendam Concilium habebatur. Explicavit igitur aperte, quo spectarent decreta sua, et quae ipsius sententia in illis condendis intelligi deberet.

Praeterea non continetur in decretis istis, pronunciatum esse, Romanum Pontificem obtemperare debere iis, quae in decretis significabantur. Sed decreta illa habent potius, quemcumque, cuiuscumque *conditionis, status, dignitatis, etiamsi papalis* exsisteret, obedire teneri. Iam vero licet dubia res, et gravis quaestio esset, quis proprie, ac vere inter illos, qui de Pontificatu contendebant, legitimus Pontifex esset; negari tamen non potest, omnes eos se gessisse, veluti si dignitate papali potirentur. Concilium igitur his verbis adhibitis eos significasse putandum est, qui tunc de Pontificatu contendebant, et *papalis dignitatis* exsistebant.

Iam vero prout adductus superius contextus evincit, homines papali dignitate praestantes, de quibus in decreto ipso sermo est, ii erant, quibus papalem dignitatem retinere volentibus, schisma perdurabat. De iis ergo tantummodo Concilii mentem fuisse sequitur, ut illi quoque rebus a Concilio statutis obtemperare deberent. Neque vero aliqua res alia a Concilio intelligebatur, quam id omne, quod respiciebat schismatis extinctionem. Etenim affirmat perspicue Synodus in decreto, idcirco ea se statuere, quae decernit; atque ad consequendam facilius, uberius hanc schismatis extinctionem, se declarare, omnes, etiamsi papalis dignitatis exsistant, Concilio obtemperare debere. Haec autem cum ita sint,

apparet, ex Concilii verbis superius allatis demonstrari prorsus non posse, a Concilio Constantiensi definitum fuisse, Romanum Pontificem potestate Concilio inferiorem esse.

Contendunt quidem contrariae sententiae patroni, talem esse decreti sessionis quintae Concilii Constantiensis contextum, ut omnino evincat, non de solo Pontifice dubio, ac tempore schismatis, sed etiam de Pontifice certo, et quocumque tempore, Concilii Generalis potestati subiiciendo, mentem Constantiensium Patrum fuisse. Nam animadvertunt, in sessionis quintae decreto affirmari, omnem quemlibet, etiamsi papalis dignitatis exsisteret, Concilio Generali subesse, atque ei obtemperare debere, non modo, videlicet, ei Concilio, quod tunc Constantiae celebrabatur, sed etiam cuilibet Concilio Generali in posterum habendo. Itaque Concilii Constantiensis sententiam fuisse concludunt, quocumque tempore Pontificem Concilio potestate inferiorem esse, etiamsi Ecclesia schismate non perturbaretur, de quo Constantienses Patres persuasum habebant, illud perpetuo non esse duraturum.

Verum huic adversariorum animadversioni facile potest responderi. Etenim licet negari non possit, in memorato Concilii Constantiensis sessionis quintae decreto affirmatum esse, omnem quantumvis papalis dignitatis exsistentem, Concilio Constantiensi subiici, et cuilibet Concilio generali in posterum habendo; id tamen non evincit, Constantiensium Patrum mentem fuisse, ipsum Pontificem Romanum, quocumque tempore Ecclesiam gubernantem subesse Concilio generali. Modo enim decretum illud sessionis quintae legatur, et accurate perpendatur, constabit continuo, non de omni, et quolibet Concilio generali in posterum habendo, neque ob aliam quamlibet causam celebrando, Constantienses loquutos esse; sed de Concilio tantum generali etiam in posterum habendo ob schismatis causam, propter quam Ecclesia iamdiu tantopere affligebatur. In decreto enim memorato dicitur, omnem etiamsi papalis dignitatis exsistentem, Conciliis subiici etiam in posterum celebrandis, *super praemissis* tamen, *seu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis.* Est vero obvium cuilibet rem ipsam consideranti intelligere, quaenam essent ista *praemissa:* schismatis causam, scilicet, propter quam Concilium Constantiense indictum fuerat, et celebrabatur.

Atque id quidem Concilium Constantiense disertis verbis explicat, cum affirmet, omnem quemlibet obtemperare Synodo debere, *in iis, quae pertinent ad exstirpationem dicti schismatis.* Neque hoc sine gravi causa Concilium Constantiense declarandum esse putavit. Nam meminerat Concilium Pisanum nonnullos ante annos ad idem schisma tollendum habitum fuisse, sed schisma revera sublatum non esse. Poterat vero timere, ne etiam tunc, optatus iste schismatis tollendi exitus non obtineretur. Quare evenire posse videbat, ut *super praemissis,* hoc est, super schismatis delendi negotio, synodus alia celebrari deberet; atque ideo statuit, omnem quemlibet, etsi papalis dignitatis exsisteret, non solum Concilio ipsi Constantiensi, sed etiam cuicumque alteri Concilio *super praemissis* in posterum habendo debere obtemperare, scilicet, Concilio *ubi dicta unio, et reformatio finaliter concludatur, in casu, quo in praesenti non fieret,* quemadmodum Cardinalis Cameracensis affirmaverat in suo quodam scripto, quod vel ab ipso Concilii initio proposuerat. Id autem valde diversum est ab ea sententia, quam adversarii huic sessionis quintae decreto subesse contendunt. Etenim non generatim de quolibet generali Concilio in posterum celebrando, Constantienses Patres statuerunt, omnem quemlibet papalis dignitatis exsistentem ei subiici debere; sed Conciliis in schismatis causa, et cum Pontifex incertus

esset, celebrandis. Id autem non iuvat ullo modo opinionem illam, quam adversarii argumento ex Constantiensibus decretis desumpto confirmare conantur.

Sunt vero in promptu Concilii ipsius Constantiensis acta, ex quibus mox adductae explicationis veritas clarius etiam apparet. Etenim inde ostenditur, praecipuam quidem Concilii curam fuisse schisma delere, sed etiam mentem simul non fuisse Pontificem certum et legitimum decretis suis comprehendere. Afferri potest ex. gr. ad hoc evincendum sessionis tricesimae primae decretum, quod his verbis constat: « Sacrosancta generalis » Synodus... attendens ad reforma- » tionem et redintegrationem univer- » salis Ecclesiae, ac etiam omnium » cathedralium Ecclesiarum, quae, » schismate praesente durante, ha- » bebant, vel habent Episcopos di- » versarum obedientiarum, per quos » ipsae cathedrales Ecclesiae mon- » struose in capite, et in membris » videbuntur, et videntur guberna- » ri, etc.; » id quod de Baionensis Ecclesiae statu evenisse Concilium significat. Haec autem adhibita a Concilio Constantiensi loquendi ratio, id confirmat, quod superius significavimus, Constantiensium Patrum mentem non eam fuisse, ut sibi legitimum Pontificem subesse declararet, sed tantummodo ut de Pontifice incerto ageret, et schismatis, quod ob Pontifices dubios ortum erat, extinctionem consequeretur.

Nota est praeterea controversia, quam alio loco commemoravimus, quae in Concilio Constantiensi ante sessionem quadragesimam excitata est. Videlicet, natio Italica, Gallicana, et Hispana quaestionem habuit cum natione Germanica, utrum decreta de reformatione absolvenda essent ante Pontificis legitimi electionem, an potius antea Pontificis electio peragi deberet. Tres illae nationes Germanicam in ea re superarunt, atque in earundem sententiam statutum est, praecipuum reformationis negotium illud esse, ut certi, ac legitimi Pontificis electio perficeretur. Postulabat tamen Germanica natio ut sponsio daretur, reformationem peractum iri post Pontificis quidem electionem, sed antequam Pontifex electus coronaretur. Habent autem acta a nobis iam suo loco recensita etiam in ista petitione Germanicam nationem minime consequutam esse quod postulabat. « Postea » fuerunt factae diversae formae de- » creti; ac tandem fuit dictum, quod » *Papa electus ligari non poterat.* » Ita quaestioni huic finem impositum esse acta Concilii perhibent. Satis vero ista sunt, ut ex facto Concilii ipsius appareat, mentem Concilii eiusdem in condendis sessionis quartae, et quintae decretis non fuisse, nisi ut tempore schismatis, ac de Papa dubio intelligi deberent. Nisi enim ita esset concludendum, affirmare Concilium non potuisset, *Papam electum non posse ligari.* Multo minus vero natio Germanica conquievisset, si illa ratione decreta sessionis quartae et quintae potuissent explicari. Etenim affirmavisset, id quod tamen minime fecit, decretis illis contineri, etiam Papam electum Concilio obtemperare debere.

Cetera, quae in decretis earundem sessionum continentur, omnia debent ad schismatis tempus referri, de quo tempore, si Concilium habeatur, Constantienses Patres declaravisse intelligendi sunt, teneri omnes quoslibet ad obtemperandum Concilio in rebus sive indirecte ad fidem, sive directe ad reformationem pertinentibus. Neque valet quidquam animadversio ex eo desumpta, quod Concilium Constantiense in decretis sessionis quartae, et quintae auctoritatem suam derivare se dicat, ex ipsa Conciliorum Generalium natura, quae ipsam Ecclesiae Catholicae potestatem complectuntur, et cui non tempore schismatis tantummodo, sed semper omnino obedientia exhibenda est. Etenim quae in decretis illis habentur de propria Concilii auctoritate, in-

telligi debent de Concilii statu quod tempore schismatis celebretur, quo statu durante, cum Pontifex incertus sit, Concilium ipsum ad schisma tollendum statuere potest quae requirunt etiam in his, qui de Pontificatu contendunt, observantiam erga decreta sua. Minime vero ista intelliguntur de Concilio, quod celebretur, cum certus, legitimusque Pontifex adest, a quo Pontifice si Concilium disiungatur, Generalis Synodi auctoritatem illud retinere non potest.

His, quae de sensu decretorum Constantiensium hactenus animadvertimus, Cardinalis Luzernius nonnulla subiicit, quibus respondere se posse arbitratus est Cardinali Orsio, cum Defensorem declarationis Cleri Gallicani confutavit, ubi decreta illa ostendere contendit, Pontificem Romanum Concilio Generali potestate inferiorem esse. Sed quae ille obiicit, sunt prorsus levissima, et responsiones a Cardinali Orsio allatas in suo robore relinquunt.

Etenim animadvertit Cardinalis Luzernius, negari non posse, occasionem, et causam celebrandi Constantiensis Concilii fuisse schisma, quo Ecclesia iamdiu perturbabatur, et necessario statuendam rationem ut ei schismati finis imponeretur: verum id non ostendere subdit memoratus Scriptor, quaecumque Concilium decrevit, ea de tempore schismatis intelligi debere, prout existimandum esse negat de iis, quae circa viros papalis dignitatis exsistentes, statuta sunt. Verum quis est, qui non intelligat huius animadversionis levitatem? Ex contextu enim ipso totius facti, ex decretorum forma, verbisque colligitur, decreta illa condita esse, et explicari debere de tempore schismatis, et de Pontifice dubio. Quantumvis ergo in Concilio Constantiensi, praeter ea, quae schismatis extinctionem respiciebant, etiam alia de rebus, quae ad tempus schismatis non referebantur, statui potuerint; non sequitur tamen, decreta sessionis quartae, et quintae, de quibus sermonem habemus, de alio tempore, vel de alia re intelligi posse, quae ad causam schismatis non referatur.

Nego deinde Ioannem XXIII veluti legitimum, certumque Pontificem eo tempore habitum fuisse, et Concilium Constantiense cum Ioanne non egisse, tamquam cum eo, cuius ad Pontificatum retinendum iura in controversiam hactenus vocabantur. Satis est ea perpendere, quae de schismatis origine, suo loco pertractavimus. Ex iis enim, quae tunc attulimus, gravissima desumuntur argumenta, quae probant, in Urbani VI successoribus legitimum Pontificem reperiri. Nisi vero ea argumenta concidissent, dubius semper erat Ioannis XXIII, aliorumque pontificatus.

Praeter ista vero, quae ex ipsa schismatis huius origine proficiscebantur, quaeque saltem valde dubium esse demonstrabant, num Ioannes XXIII legitimus Pontifex existimari posset, possumus etiam testimonium imprimis opportunum Petri Alliaci Cardinalis Cameracensis afferre, qui quamquam Ioannis XXIII fuerit omnino studiosus, ita tamen in appendice Concilii Constantiensis affirmavit: « Licet Concilium Pisa-
» num fuerit legitime, ac canonice
» celebratum, et duo olim contenden-
» tes de Papatu iuste, et canonice
» condemnati, et electio Alexandri V
» fuerit rite, ac canonice facta, prout
» haec omnia tenet obedientia Do-
» mini Nostri Papae Ioannis XXIII;
» tamen duae obedientiae duorum
» contendentium probabiliter tenent
» contrarium, in qua opinionum di-
» versa, et adversa varietate, non
» sunt minores difficultates iuris, et
» facti, quam ante Concilium Pisa-
» num erant, de iustitia duorum con-
» tendentium. Ex quo sequitur se-
» cunda conclusio, quod sicut ante
» Concilium Pisanum ad evitandum
» difficultates iuris, et facti, et pro-
» lixitatem, et dilationem pacis Ec-
» clesiae, tunc accepta fuit ab omni-
» bus Christifidelibus, et laudata via
» cessionis amborum contendentium,

» et sic nunc trium contendentium » de papatu, siquidem maiori ratione » acceptanda est, et laudanda. » Non arbitror clarius testimonium dici potuisse ad probandum valde dubium esse, num Ioannes XXIII, qui Alexandro V in Concilio Pisano electo successerat, legitimus Pontifex existimari oporteret.

Eadem Gersonis sententia fuit, qui *1 p. oper.* licet et ipse Ioanni XXIII faveret, affirmavit: « In schismate » praesenti tam dubio, temerarium, » iniuriosum, scandalosum est asse- » rere, omnes tenentes istam partem, » vel alteram, esse extra statum sa- » lutis, vel excommunicatos, vel de » schismate suspectos.» Id autem eo recidit ut dicatur, secundum eiusdem scriptoris sententiam, valde dubium fuisse, an Ioannes XXIII legitimus Pontifex deberet omnino existimari. His denique, ut omittam cetera, his, inquam, accedit codex vetustissimus, qui ad Cardinalem Dominicum Capranica pertinuerat, quique a Labbeo *tom. 16,* et a Fr. Antonio Zaccaria in Antifebronio *loc. cit. num. 12* commemoratus est, in quo codice, ubi est sermo de Ioannis XXIII electione, eam *vitiosam fuisse,* famam esse dicitur. Satis ista sunt ad evincendum, quantopere deceptus sit Cardinalis Luzernius, cum contendens Cardinalis Orsii responsiones confutare, confidenter scripsit, Ioannem XXIII a Concilio Constantiensi habitum fuisse sine ulla dubitatione veluti legitimum D. Petri successorem.

Nihil dico de altero illo Cardinalis Luzernii argumento, quod ad respondendum Cardinali Orsio adduxit, desumptum ex verbis decreti sessionis quintae, loco, quo dicitur, omnem etsi papalis dignitatis exsistentem obtemperare debere non solum Constantiensi, sed etiam cuicumque alteri Concilio generali legitime congregato. Ostendimus enim ea verba significare tantummodo Concilium aliud, quod ob schismatis causam celebrari debuisset, non autem aliud quodlibet in posterum celebrandum generale Concilium. Id igitur animadvertens Cardinalis Luzernius, ea quae defensori declarationis Cleri Gallicani Cardinalis Orsius opposuerat, minime extenuavit.

Argumentatur praeterea Luzernius ut Orsio respondeat, ex eo, quod in decretis toties memoratis, Constantienses Patres affirmaverint, Concilium illud generale esse, Ecclesiam Catholicam repraesentare, ac potestatem a Christo immediate habere. Incredibile autem esse animadvertit, Patres Constantienses existimavisse, Conciliis Generalibus tempore schismatis diversam ab ea, quam quocumque tempore habeant, potestatem collatam fuisse. Omitto hic notare quidquam de verbis, seu forma verborum, qua usi sunt in condendis decretis suis Patres Constantienses. Eam inusitatam, ac novam fuisse apparet, modo decreta ista Constantiensia cum decretorum forma comparentur, quae in Conciliis Oecumenicis edita sunt, usque ad illa tempora celebratis. Habentur vero plura loca in historia Concilii Tridentini a Cardinali Pallavicinio conscripta, ex quibus constat Concilium Tridentinum noluisse verbis illis sessiones suas inscribere, quae adhibita sunt in Concilio Constantiensi, de Ecclesiae Catholicae repraesentatione.

Sed, his omissis, certum est, memoratam Cardinalis Luzernii animadversionem minime ostendere posse, decreta Concilii Constantiensis intelligi debere de legitimo Pontifice et indubitato, atque extra tempus, quo Ecclesia schismatis calamitate perturbetur.

Verba quidem, quibus Concilium Constantiense usum est, et quibus praesertim Cardinalis Luzernius confidit, ut sententiam suam confirmet, ea sunt, quibus Concilium declaravit, se a Christo immediate potestatem habere. Verum nihil affert Luzernius, quod evincat, haec verba de solo schismatis tempore adhibita non

fuisse, ad ostendendum videlicet, quid eo tempore Concilium ipsum valeret. Atqui si decreti contextus legatur, hanc prorsus Concilii mentem fuisse ostenditur. Ita enim ex. gr. sessione quinta Concilii Constantiensis decretum habet: « In nomine » sanctae, et individuae Trinita- » tis, etc. Haec sancta Synodus Con- » stantiensis, generale Concilium fa- » ciens, pro exstirpatione ipsius schi- » smatis, et unione, et reformatione » Ecclesiae Dei in capite, et in mem- » bris; ad laudem Omnipotentis Dei » in Spiritu sancto legitime congre- » gata ad consequendam facilius, se- » curius, liberius (seu uberius), unio- » nem, et reformationem Ecclesiae » Dei, ordinat, definit, decernit, et » declarat ut sequitur. Et primo, » quod ipsa in Spiritu sancto legitime » congregata, Concilium generale fa- » ciens, et Ecclesiam Catholicam re- » praesentans, potestatem a Christo » immediate habet, etc.» Iam vero nihil tam aperte in isto decreto continetur, quam Concilium Constantiense, schismatis causa atque occasione indictum fuisse, de schismate extinguendo Concilium impense laborare debere, et a Christo potestatem Concilio traditam fuisse, ut schismatis gravissimo malo prospiceretur. Igitur si contextus decreti perpendatur, occurret statim cuilibet, universam Cardinalis Luzernii animadversionem labefactari, eo quod Concilium omnino loquatur de potestate sua, qua tempore schismatis a Christo se donatum esse affirmavit.

Itaque decreti Concilii Constantiensis contextus talis est, ut de schismatis tempore tantum, et de schismatis causa intelligi debeat, qua posita, Concilium affirmavit, se potestatem ad ea omnia habere, quae schismatis extinctionem afferre potuissent. Non possunt igitur ista Concilii verba de quolibet tempore intelligi, vel de quocumque etiam legitimo Pontifice.

Vix est praeterea, quod morer in iis refellendis, quae de eadem re agens Cardinalis Luzernius ad sententiam suam confirmandam argumentatur ex rebus, quae in Concilii decursu evenerunt, seu ex factis ipsis Concilii, quae ostendere putat, Concilii mentem fuisse, legitimum etiam Pontificem sibi subesse. Contendit ille profecto, decreta quaedam esse facta in Concilio, quae ad tempus schismatis non referebantur. Sed ex ea re non sequitur, declaratum fuisse a Concilio, Pontificem potestate Concilio esse inferiorem. Nam licet Constantiensis Synodus ob schismatis causam habita sit, et decreta, de quibus quaerimus, de tempore, quo schisma non esset, intelligi non debeant; poterant tamen aliqua in Concilio constitui, quae ad alia tempora referantur. Etenim si in Synodo Constantiensi statutum est, ad vitandas novas schismatis occasiones, Concilia generalia post quinquennium, septennium, decennium, a Romano Pontifice indici debere; quomodo id demonstrare potest, Concilium Constantiense agendi ratione sua declaravisse, Pontificem legitimum potestate inferiorem esse Concilio Generali? Etenim poterat id de Conciliorum generalium frequenti celebratione decerni, etiam nulla ratione habita huius opinionis. Factum vero ipsum ostendit, Romanos Pontifices ad huius Concilii Constantiensis decreti exsequutionem non teneri, cum notum omnibus sit, post ea tempora, Concilium Florentinum tantummodo, Lateranense quintum, ac Tridentinum generale Concilium habitum fuisse.

Praetereo tandem, quod iam superius significavi, Concilium ipsum Constantiense declaravisse, *Papam electum ligari non posse;* atque illud tantum hic notabo, legenda esse Concilii Constantiensis acta, et ex iisdem certe patere, ita res omnes, tum a Martino V, tum a Concilio ipso post Martini electionem gestas esse, ut de facto manifestum sit, legitimum Pontificem Maximum num-

quam ab eo Concilio habitum esse, veluti potestate inferiorem.

In huius rei confirmationem commemorari potest id, quod ex Concilii ipsius historia constat, scilicet Martinum V statim post electionem suam cum potestate, atque auctoritate praefuisse Concilio; decreta facere per se ipsum coepisse *sacro approbante Concilio;* per se ipsum de reformatione cum singulis nationibus iudicio suo decrevisse; constitutionem promulgasse, qua a Pontifice ad futurum Concilium generale appellationes proscripsit; inter articulos de reformatione propositos, quod spectat ad Pontificiam dignitatem, graviter Pontificum iura servasse; ut cetera denique praetereantur, Concilium ipsum, quando Pontifici opportunum esse visum est, dimissum eius auctoritate fuisse.

Restat illud considerandum, num videlicet decreta Constantiensia, de quibus agimus, existimari debeant ea auctoritate praedita esse, qua Conciliorum Generalium decreta praedita sunt. In isto quidem quaestionis capite plurimum insistunt scriptores ii, qui Concilii generalis potestatem pontificia potestate superiorem esse contendunt. Atque id Cardinalis Luzernius fuse pertractat *parte 3 capitis 20 art. 3* operis superius citati, quo loco Cardinalem Orsium refellere conatus est, qui respondens defensori declarationis Cleri Gallicani, denegaverat illa esse praedita auctoritate, quae Concilii Generalis decretorum propria est.

Verum primo loco, si de me ipso fatear quid sentiam, ego certe non intelligo, cur in isto praesertim quaestionis capite insistendum sit, cum de decretis istis sessionis quartae, et quintae Concilii Constantiensis est pertractandum. Quando enim gravissimis adductis rationibus ostenditur, decreta illa non de Pontifice legitimo et certo extra schismatis tempora, sed de Papa dubio, et schismatis tempore intelligi oportere; non video quid proficerent adversarii ad suam propugnandam de Concilii Generalis potestate opinionem, etiamsi evincerent decreta illa potiri tanta auctoritate, quanta potiuntur decreta, quae a Concilio generali proficiscuntur. Nam licet hoc concederetur adversariis, aliud tamen inde non sequeretur, nisi in decretis istis fuisse declaratum, quaenam esse debeat durante schismate agendi ratio eorum, quorum ad Pontificatum iura dubia sunt, propter quam causam schisma in Ecclesia fuerit excitatum. Arbitror igitur hanc quaestionis partem, quae veluti praecipua in ista re pertractanda passim existimatur, non tanti esse momenti, quando rationes graves allatae fuerint, quibus evincitur, decretorum Constantiensium sententiam de tempore schismatis, et de Papa dubio esse intelligendam.

Sed hac omissa animadversione, facile est demonstrare non posse quidem probari ea decreta praedita esse auctoritate, quae decretorum Concilii generalis propria est. Profecto ut statuatur, decretum aliquod auctoritate praeditum esse, quae decretorum Oecumenici Concilii propria est, maxime illud prae oculis haberi debet, quod ex Conciliorum generalium historia ad talem materiam explicandam resultat, atque est considerandum, quid evenerit circa Conciliorum generalium decreta, ut deinde constiterit ea decreta hac auctoritate praestare. Licet enim temporum adiuncta, in quibus Concilium Constantiense habitum est, diversa fuerint ab iis, in quibus cetera Concilia generalia celebrata sunt, quoniam tamen adversarii contendunt decretorum Constantiensium auctoritatem eam esse, quae decretorum Concilii generalis propria est, non possunt ii recusare, rationem haberi oportere earum rerum, quae ad probandam aliorum decretorum in Conciliis Generalibus editorum veram auctoritatem ex Conciliorum historia desumuntur.

Quid vero est tam notum, quam

ad constituendam generalis Concilii qualitatem tria illa requiri, ut Pontificis Romani auctoritate indicatur, is Concilio vel per se, vel per Legatos suos praesit, ut Apostolica auctoritate sua, quae sunt in Concilio decreta confirmet? Haec tria servata semper in Ecclesia fuisse, atque utrum his deficientibus Concilium aliquod auctoritatem illam consequutum esse, quae Concilii generalis propria est, ex historia Conciliorum demonstrari debet. Iam vero historica monumenta ad istam rem pertinentia extra controversiam esse prorsus evincunt, tribus illis deficientibus, Concilium generale nullum intelligi posse. Quod si umquam, tribus illis deficientibus, Concilia tamen, cum tali defectu celebrata, Oecumenici Concilii auctoritatem consequuta sunt, id acceptae praesertim ab Apostolica Sede confirmationi debetur, quae illarum rerum deficientiam auctoritate sua supplevit, ac plenissime sanavit, prout de Concilio Constantinopolitano, seu generali primo, et de Concilio generali quinto contigit, in quo tria capitula sunt condemnata.

Haec vero cum ita sint, manifestum est, quam difficile sit ostendere, decreta, de quibus agimus, auctoritate potiri, quae Concilii generalis decretorum propria est. Quomodo enim ostendi poterit decreta ista a Concilio edita esse, quod vere, atque indubitanter a Pontifice Maximo indictum fuerit, cui Pontifex praefuerit eo tempore, quo edita illa sunt, et ea confirmationem proprie ac vere ab Apostolica Sede fuisse consequuta?

Quod si habendam esse dicatur rationem adiunctorum temporis, atque rerum, in quibus Concilium Constantiense celebratum est, quaeque, non ordinaria methodo servata, Concilium haberi necessario cogebant; id tamen minime potest persuadere, in decretis illis ferendis Concilium Constantiense praeditum ea auctoritate fuisse, quae propria est Conciliorum Generalium. Nam quomodo res gesta fuerit in quarta, et quinta sessione, suo loco retulimus; et facti totius expositio ostendit, quantam in se res gesta contineat difficultatem, quominus ea decreta, auctoritate Concilii Generalis praedita esse concedi possit. Ut abstineam a longiori disputatione, referam ea, quae Petrus Ballerinius sub uno veluti aspectu, de tota re notavit in libro *de potestate ecclesiastica Summorum Pontificum, et Conciliorum Generalium, una cum vindiciis auctoritatis Pontificiae contra opus Iustini Febronii cap. 7 n. 1.*

Itaque apposite eruditissimus mox memoratus scriptor haec eo loco habet. Multa nimirum hac in re, multis circumstantiis implicata in quaestionem veniunt, quae nisi apte ab adversariis statuantur, incerta semper erit earum sessionum, ac decretorum auctoritas, adeo ut ex his nihil certi contra nos, et contra ea explorata monumenta, quae in praecedentibus pro Pontificia auctoritate attulimus, elici possit.

Discutiendum siquidem esset, inquit, et constituendum, num Ioannes XXIII, cuius auctoritate Concilium Constantiense indictum fuit, potiori, certiorique iure uteretur ad ipsum indicendum, quam alii duo competitores Gregorius XII et Benedictus XIII huic indictioni repugnantes; et num de illius electione, ac iure, minores difficultates iuris, et facti vigerent post Pisanam Synodum, ac erant illae, quae obtinebant ante eandem Synodum in causa Benedicti XIII et Gregorii XII; num Constantiense Concilium, quod initio, ac tempore sessionum quartae, et quintae, ex sola Ioannis XXIII obedientia constabat, fuerit, et habendum sit vere oecumenicum, universam Ecclesiam repraesentans, duabus aliis obedientiis deficientibus, quae tunc nec schismaticae, neque a catholica Ecclesia avulsae probantur, nec probari queunt; num decreta earundem sessionum, quae a sola Ioannis XXIII obedientia prodierunt,

Generalis Concilii vim, et nomen iure possint obtinere, cum editio eorum facta fuerit, eodem Ioanne, non solum nec per se, nec per Legatos praesidente, sed palam repugnante, ac praeterea in iisdem ferendis exclusum fuerit suffragium Collegii Cardinalium, quod, absente Pontifice Romano, Ecclesiam Romanam repraesentabat.

Hoc autem loco idem Scriptor haec animadvertit: « Ob defectum dis» tincti suffragii Collegii Cardina» lium decreta Synodi *conciliariter* » facta non credebantur a multis, ut » notavit unus e patribus, Cardinalis » de Alliaco in tractatu *de potestate* » *Ecclesiastica,* qui in Constantiensi » editus, et Cardinalium nomine Cae» sari, ac Synodo oblatus fuit. *Deli» beratio, exclusa deliberatione dicti » Collegii, et non facta in communi » sessione collatione votorum, vide» tur multis non esse censenda de» liberatio conciliariter facta.* Suf» fragium Collegii Cardinalium fuis» se exclusum, questi sunt etiam » Oratores Regis Galliae in prote» statione exhibita Concilio die 3 » Martii anni 1417 Sess. 28. »

Tum argumentationem suam loco citato Ballerinius prosequitur, animadvertens alia quoque adesse rerum capita, quamobrem de decretorum illorum auctoritate dubitari plurimum debeat. Quaerendum enim etiam esse ait, num de iisdem decretis fuerit pro rei gravitate, ac difficultate mature deliberatum, an potius temere, et praecipitanter, neglecto in re tam nova accurato examine, neque conciliari facta discussione, quam Cardinales petierant, quaeque postea causa Wicleffii, et Hussii negata istis non fuit. Quid, si praeter alia multa irregularia, considerentur ea, quae Ioannes XXIII iisdem gestis obiecit in litteris ad Ducem Aurelianensem, et Academiam Parisiensem, ubi queritur, Constantienses Patres ad suffragia ferenda fuisse distributos in quatuor nationes, easque inaequales, suffragia vero non singillatim, et per capita, sed per nationes in publicis sessionibus ita fuisse computata, ut eadem vis esset suffragii nationis Anglicanae, quae ex paucissimis, et Italicae ac Gallicanae, quae ex plurimis Episcopis constabat? cumque ex sacris canonibus soli Cardinales, Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi, in Generalibus Conciliis gauderent iure suffragii; in hoc ad suffragium nationum ferendum omnes indiscriminatim essent admissi, et Clerici, et Laici etiam matrimonio iuncti, nec solum nobiles, sed et infimae, abiectaeque plebis?

Haec de tot illis, gravibusque rationibus Ballerinius in unum perstrinxit, ex quibus constat, quot ex capitibus appareat, decreta illa sessionis quartae, et quintae Concilii Constantiensis ita fuisse condita, et in iis adiunctis promulgata, ut Concilii Generalis auctoritate destituta esse concludendum sit. Quis enim hanc decretorum condendorum rationem eam esse sibi in animum inducere potest, qua posita, existimandum sit, Ecclesiae Christi mentem declaratam fuisse? Vix arbitror necesse esse posse, aliud quidquam adiungere, ut adversarii convincantur erroris, quando decreta illa, Concilii Generalis indubia decreta esse, adeo confidenter affirmaverunt.

Quoniam vero dubium esse non potest, tales esse rationes, quae contra decretorum, de quibus sermo est, auctoritatem afferuntur, ut Concilii Oecumenici decreta illa esse concludi non possit; quaerendum nunc illud est, num, saltem Apostolicae Sedis confirmatione, auctoritatem adepta decreta illa fuerint, qua, in se ipsis considerata, destituebantur. Tanta enim est Apostolicae confirmationis virtus, ut sanare defectus et rerum eiusmodi gestarum vitia possit.

Sed negandum omnino est, decreta a Constantiensi Concilio sessione 4 et 5 promulgata, Apostolica auctoritate confirmata fuisse. Attulimus superius testimonium, quo constat,

quibus in rebus Martinus V Pontifex confirmationem suam exhibuerit. Talis vero est factae a Martino Pontifice confirmationis contextus, ut, aperte manifestatis, quae inclusa sunt, cetera luculenter excludat. In iis autem, quae Martinus inclusit, certe decreta illa non contineri perspicuum est.

Nam si Martinus V disertis verbis pronuntiavit, a se non omnia quaecumque, vel quolibet modo a Concilio gesta, ac statuta confirmari, sed ea tantum, quae *in materia fidei conciliariter determinata, conclusa, et decreta* fuissent, quis non videt, hanc a Martino V factam confirmationem de sessionis quartae, et quintae decretis intelligi non posse, cum res in materia fidei definitas, Pontifex Wicleffii, et Hussii errorum condemnationem intellexerit, et praeterea decreta, de quibus agimus, non conciliariter, sed *per modum constitutionum synodalium* edita fuerint, prout in actis Concilii aperte significatum est?

Neque ex Martini V constitutione, quae incipit *Dudum praesens generale Concilium*, quaque Sigismundum Imperatorem ab onere solvit Ioannem XXIII in custodia retinendi, neque, inquam, ex hac constitutione argumentum desumi iure potest, ut ostendatur factam a Pontifice confirmationem, de decretis etiam quartae, et quintae sessionis intelligi debere. Primum enim, ipso assentiente Auctore defensionis declarationis Cleri Gallicani lib. 1 cap. 28, constat, depositionum facta *ad fidei materiam non pertinere*. Deinde licet Martinus V depositionem Ioannis XXIII *canonicam* in ea constitutione appellaverit, id tamen non evincit, decreta, de quibus est sermo, ab eodem Pontifice confirmata fuisse, veluti si canonice factam depositionem dixerit ea de causa, quod in decretis, seu canonibus illis declaratum fuisset, Concilium potestatem habere, qua Ioannem XXIII deponere posset. Canonicam enim Martinus V depositionem illam obiter, seu narrationis modo appellavit, et servatam in Ioannis depositione procedendi formam potuit intelligere. Cum denique certum sit, Ioannem XXIII sponte Pontificatum dimisisse, et Concilii decreto de ea re libenter assensum esse; factum hoc ad demonstrandam coactivam a Concilio exercitam potestatem adduci iure non potest.

Esset vero prorsus ineptum, cum non possit Martini V testimonio demonstrari, decreta illa sessionis quartae, et quintae Concilii Constantiensis ab Apostolica Sede confirmata fuisse, esset, inquam, ineptum contendere, hoc Eugenii IV auctoritate evinci posse. Concilium Basileense quidem sessione secunda, Constantiensis Concilii memorata decreta renovaverat; Eugenius IV vero, qui ob exortos in Concilio Basileensi motus, Concilium ipsum dissolverat, deinde die 18 Ianuarii 1433 constitutionem dedit, quae sessione decimasexta lecta est, quaque, non obstante dissolutione Concilii a se antea facta, illud legitime continuasse, ac prosequutum esse declaravit. In hac autem legitimae prosequutionis, seu continuationis declaratione, argumentum positum esse adversarii arbitrantur ad concludendum, Eugenium IV decreta Constantiensia confirmavisse, quae sessione secunda Basileensis Concilii fuerant renovata.

Verum hoc, ut facile sentiunt omnes, est manifeste levissimum. Etenim Eugenius IV in ea constitutione minime probavit id, aut confirmavit, quod Concilium Basileense antea fecerat, vel decreverat, sed tantummodo hac constitutione promulgata effecit, ut abrogaretur decreti sui vis et auctoritas, quo Concilium dissolverat, quaque non abrogata, Concilii Basileensis continuatio, et prosequutio illegitima evaserat, et manebat. Apparebit autem suo loco, Eugenium IV tunc, nulla facta rerum a Concilio Basileensi gestarum confirmatione, aliud sibi

non proposuisse, nisi ut cum Basileensibus benignius ageret, et mala illa graviora, ac scandala conaretur vitare, quae post obortas Basileae dissensiones videbantur imminere. Id vero consequi se posse Eugenius existimabat, modo Concilium legitime prosequutum esse declaravisset, quod dissolutionis decreto illegitime perduraverat. Hoc rei ipsius consideratio perspicue ostendit. Cardinalis autem De Turrecremata *in sum. de Eccl. c. 100* refert, Eugenium IV in solemni congressu Florentiae habito, Cardinali Iuliano Legato suo obiicienti memoratam continuationis constitutionem, respondisse: *Nos quidem progressum Concilii approbavimus, volentes, ut procederet ut inceperat, non tamen approbavimus eius decreta.* Haec vero Eugenii IV verba satis per se ipsa sunt clara, ut necesse non sit quidquam addere ad ostendendum, Pontificis mentem, et constitutionis memoratae sensum nullo modo fuisse, ut decreta, aut gesta Concilii Basileensis confirmaret.

Quae hactenus disputavimus luculenter evincunt, ut arbitror, decreta Constantiensis Concilii, de quibus sermo est, auctoritate illa prorsus esse destituta, quae decretorum Concilii cuiusquam vere generalis propria est. Multa Cardinalis Luzernius etiam hoc loco habet, ut Cardinali Orsio respondeat, qui Auctorem defensionis declarationis Cleri Gallicani refutaverat contendentem, decreta toties significata, propria Concilii generalis auctoritate praedita esse. Sed quae Luzernius animadvertit, partim ea ipsa sunt, quae Orsius confutavit, partim ita sunt levia, ut longiorem de hoc Historiae Ecclesiasticae capite disputationem postulare non videantur. Illud enim certum est, Cardinalem Luzernium numquam evincere posse, decreta illa ita fuisse condita, et promulgata, prout Concilia vere Generalia decreta sua condere, et promulgare semper consueverunt. Praeterea illud quoque non poterit umquam Luzernius demonstrare, confirmationem a Martino V factam, de decretis quartae, et quintae sessionis intelligi debere, ea decreta *conciliariter* omnino, non autem *per modum synodalium constitutionum* esse facta, aut Martinum V denique, quando voluit conversos ab haeresi Wicleffitarum, vel Hussitarum confiteri debere, se Concilium Constantiense generale revereri, id petiisse a Wicleffitis, et Hussitis de toto Concilio Constantiensi, et quacumque eiusdem parte, non autem de Concilio ipso Constantiensi, secundum eam sententiam, quam Pontifex manifeste declaravit, cum de confirmationis a se factae intelligentia disertis verbis protestatus est, se ea tantum confirmavisse, quae *in materia fidei, et conciliariter* a Synodo Constantiensi decreta fuerant.

CAPUT XXXVIII.

DE CONCILIO BASILEENSI.

Statutum fuerat in Constantiensi Concilio, ut post quinquennium, aliud Concilium generale haberetur. Itaque Martinus V Papa habendam synodum indixit; et de consensu Cardinalium anno 1423 misit eo Praesules, qui synodum ipsam inciperent, Petrum Donatum Archiepiscopum Cretensem, Iacobum Episcopum Spoletanum, Petrum Rosatium Abbatem Ordinis S. Benedicti, et Leonardum Generalem Ordinis Praedicatorum, qui Concilium, mense Maio, ut apud Spondanum habet codex Victorinus, inchoarunt, quamvis nulli, aut fere nulli Transalpini advenissent. Accessit paucitati Patrum pestilentia. Itaque cum duo menses transacti

essent, placuit Concilium transferri Senas. Hic Malavoltus in historia Senensi die 22 Augusti scribit habitam primam sessionem, atque alias consequentes, et solum ortis discordiis, et metu turbarum Alphonsi Regis, metu etiam pestilentiae, Martinum permisisse Praelatos abire. Rem aliquanto diversa ratione narrat codex Victorinus, sessionem primam, videlicet, celebratam die 8 Novembris, ubi confirmata est damnatio haeresum Constantiae facta, item sententia contra Petrum de Luna; praeterea missi nuncii ad Constantinopolitanum Imperatorem, et Patriarcham ad procurandam Graecae Ecclesiae unionem cum Latina; actum quoque de punitione, et inquisitione haereticorum. Sed mense Februario sequentis anni 1424 cum pauci adhuc Praelati convenissent, nec spes esset alios venturos, ingruentibus per universum ferme orbem bellis, et calamitatibus, Concilium hoc dissolutum, et septennio post indictum celebrandum in urbe Basileensi. Utcumque sit, liquet, nonnisi anno 1431 Concilium hac in urbe celebrari coeptum esse.

Etenim cum Martinus V mortuus esset, atque ei Eugenius IV successisset, hic indictionem Concilii a Martino V factam confirmavit, et Iulianum Cardinalem Caesarinium legatum suum ad illud destinavit. Missi ab eodem Nuntii Basileam pervenerunt die 19 Iulii, ubi convocatis paucis, qui hactenus accesserant, una cum Clero Basileensi decreverunt, maiorem numerum Patrum ad res tractandas exspectandum esse. Interea quod Bohemi quererentur, numquam sibi exhibitam qualem voluissent audientiam, scripta est nomine Concilii epistola, qua ad synodum invitabantur. Miserat Romam ad Eugenium Iulianus Legatus Ioannem Pulchripanem Canonicum Bisuntinum, qui significaret (ut Pontifex suis postea litteris narravit) Praelatorum paucitatem; atque insuper Basileam, et vicina loca, armis Burgundiae, et Austriae Ducum infestari, multis scandalis ibidem enascentibus. Eugenius autem de consilio decem Cardinalium, quos penes se habebat, Iuliano facultatem dedit, Concilium Basileense dissolvendi, et novum indicendi Bononiae, quod elapso anno cum dimidio celebraretur. Sed dum litterae ultro citroque mitterentur, admodum crevit Praelatorum numerus, Oratorum etiam Principum, et Cardinalium. Itaque Iulianus, acceptis Pontificiis litteris, cum consideraret, causam praecipuam dissolutionis Concilii cessasse, et Concilium necessarium videri ad res Bohemorum componendas; immo si nunc dissolveretur, id sine turbis, et Principum, ac Praelatorum querimonia effici non posse, habita generali Congregatione die 7 Decembris statuit continuandum Concilium et primam sessionem indixit ad diem 14. Scripsit de ea re litteras, et certiorem Sigismundum Imperatorem fecit, qui Mediolanum pervenerat, Romam progressurus ad coronam accipiendam. Atque Imperator Iuliano respondens, utilem Concilii celebrationem ostendit.

Die ergo 14 Decembris anni 1431 prima sessio Basileensis habita est, in qua lectae sunt Martini, et Eugenii litterae convocationis Concilii; eiusdem celebrandi finis expositus, videlicet exstirpationis haeresum, pacis conciliandae inter Principes ratio, et reformationis morum necessitas. Sunt etiam lecta decreta contra impedientes Concilium, aliaque, veluti Concilii praeludia, gesta sunt. Eugenius de tota re certior factus, improbans quod Bohemi iam damnati, et postea ut tenacissimi armis impetiti, ad Concilium invitati essent, de consilio pariter decem Cardinalium die 18 Decembris publico edicto Concilium dissolutum esse declaravit, et novum celebrandum Bononiae post annum cum dimidio, rursusque aliud in decennium Avenione habendum indixit. De eadem re scripsit ad Principes, et ne ipse formi-

dare Concilium videretur, eius necessitatem asseruit ad Ecclesiae praesertim Graecae unionem curandam. His litteris respondit Sigismundus Imperator, Eugenii consilium improbans, et scandala recensens, quae exortura erant ex eius edicto. Respondit in eandem sententiam Rex Angliae. Sed longe vehementius pro Concilii celebratione scripsit Iulianus Cardinalis, ut non desint qui huius litteras suppositas esse contendant. Alibi quoque, atque in Gallia praecipue turbae sunt exortae, cum Pontifex Bononiam, Basileenses Basileam Episcopos vocarent. Itaque Bituricensis conventus habitus est, qui sententiam suam seu *avvisamenta* pro concilio dedit.

Celebrata est deinde sessio secunda Basileae die 15 Februarii anni 1432, in qua declaratum est, Synodum Basileensem, rite ac legitime congregatam fuisse; Constantiensia decreta innovata sunt de Concilii Oecumenici potestate a Christo immediate accepta, eiusque supra omnes auctoritate; actumque de non impediendo accessu ad Concilium, et vetito recessu sine Patrum licentia; quae confirmata sunt sessione tertia habita die 29 Aprilis, ac insuper Oratores missi a Concilio, qui Eugenium, a quo Concilii dissolutio decreta fuerat, monerent ut desisteret, et intra tres menses, vel ipse veniret, vel legatos cum plena potestate mitteret: moniti etiam sunt, ut interessent Cardinales. Eodem tempore nuntiatum est, conventionem cum Bohemis esse factam: Iulianus Cardinalis vero novam ad Pontificem epistolam scripsit eodem acriori stilo, in qua rationes afferebat, ob quas Concilium dissolvere eum non posse contendebat.

Die 20 Iunii sessio quarta celebrata est, in qua Bohemis, aliisque vocatis ad Concilium salvus conductus datus est. Plura in eadem sessione Basileenses arbitrati sunt se posse statuere de loco, in quo, si Sedes Apostolica, Concilio durante, vacasset, electio novi Pontificis fieri deberet, atque eo etiam pervenerunt, ut Pontificem se impedire posse contenderent, quominus Cardinales a Concilio avocaret, aut novos Cardinales alibi, quam ubi Concilium habebatur, creare posset.

Cum venissent vero Basileam Nuncii Eugenii Andreas Archiepiscopus Colossensis, Ioannes Archiepiscopus Tarentinus, Bertrandus Episcopus Magalonensis, et Antonius de S. Vito causarum Sacri Palatii Auditor, iidem in publicum conventum admissi, luculentissimas orationes habuerunt, exponentes quantopere Pontifex cuperet synodum fieri ob Hussitarum, et Graecorum causam; libenter Pontificem dare, ut Concilium in quacumque Italiae civitate Ecclesiae subdita celebraretur; Concilii initium sine mora fieret, in quo statim de reformatione peragenda pertractaretur. His vero fuse responderunt qui Concilii nomine loquuti sunt: nihil autem omiserunt quo Concilii auctoritatem extollerent, atque eidem Pontificem quoque subesse contenderent. Exaggerantes autem causarum levitatem, propter quas Concilium dissolvendum esse Pontifex statuerat, contrariam Pontifici sententiam in ea re propugnarunt.

Post haec sessionibus sexta, septima et octava evenerunt plura, quae ostendunt, quibus sententiis essent animati Basileenses. De Eugenio IV enim obloquuti, eum ad revocandam Concilii dissolutionem cogendum esse statuerunt. His quidem Archiepiscopus Colossensis, et Tarentinus graviter responderunt et in Concilii potestate non esse demonstrarunt, hac ratione cum Pontifice agere. Sed praesulum istorum sollicitudinis exitus inanis fuit, cum Basileenses in sententia audacter suscepta, perseveraverint. Immo de novo Pontifice eligendo agere impudenter coeperunt. Huius vero schismatici consilii exitum distulerunt, tum quod abessent Basilea Cardinales, tum etiam quod, licet Impera-

tor Sigismundus Concilio patrocinaretur, tamen optaret ne ad schisma manifestum res evaderet. Verum eodem tempore Basileenses declarare ausi sunt, irrita esse, quae Eugenius IV mandaret, et promotiones quas fecisset, non valere; eos denique veluti schismaticos esse reputandos, qui Concilio, quod Bononiae Pontifex habendum decreverat, interfuissent.

Proximo anno 1433 die 4 Ianuarii Legati Bohemorum Basileam ingressi sunt magna pompa cum tercentis equitibus. Eos autem magnifice exceptos benigne est alloquutus Iulianus Cardinalis, cui tunc breviter Bohemi responderunt: deinde diem postularunt, quo audirentur super aliquibus articulis, quorum quatuor praecipue urgebant: communionem, scilicet, calicis concedendam, abrogandam correctionem peccatorum publicorum, liberam praedicationem clericis dandam, tollendum dominium clericorum. His vero de rebus diu et graviter disputatum est. Exstant autem perlongae orationes de his quaestionum capitibus habitae, ex quibus, quae Bohemorum sententia fuerit, plene intelligitur. Licet vero diu fuisset pertractatum, concordia tamen ad exitum non perducebatur. Itaque a Bavariae Duce propositum est, ut res amice perageretur. Sed cum neque isto modo quidquam proficeretur, decretum est, ut in Bohemiam aliqui mitterentur, qui res illic tractarent.

Verum ut ad praecipuum Concilii negotium revertamur, eodem an. 1433 die 22 Ianuarii habita sessione nona, in Concilii patrocinium recepti sunt omnes, qui eidem adhaerebant, et laudati praecipue Sigismundus Imperator, et Guillelmus Bavariae Dux. Venerunt postea missi ab Eugenio legati, qui mensis Maii initio, in congregatione auditi, exposuerunt, licet Pontifex de plenitudine potestatis Concilium dissolvere, atque alio transferre posset, quin Constantiensibus sanctionibus adversaretur, placere ei tamen pro concordia, de iure suo, quantum fas esset, cedere, se contra Basileenses acta revocaturum, si ipsi quoque sua contra eum revocassent, translationem vero Concilii Bononiam aequo animo ferrent. Sed his acerbe responsum est, et die 19 Februarii, sessione decima, et sequenti, plura alia peracta sunt, quae Pontifici erant graviter iniuriosa. Nam proxima sessione undecima die 27 Aprilis habita, decretum se condere posse Basileenses arbitrati sunt, quo declarabant, Pontificem Concilio Generali, vel per se, vel per legatos interesse debere cum aliis, ad quos hoc spectat, atque id sub poena suspensionis, et depositionis; praeterea statutum est, ut non obstante quacumque Rom. Pontificis prohibitione, possent Cardinales ad Concilium se conferre, Basileense a nemine dissolvi posse, et Cardinales ante ingressum in Conclave, iurare debere, si quis eorum electus fuisset Pontifex, curaturum, ut haec decreta servarentur.

Cum Sigismundus interea diu Senis substitisset, tentata frustra Senensium cum Florentinis pace, nec quidquam proficiens, et imparem se videns Florentinis ad obsequium suum redigendis, alio vertit cogitationes suas, et postulavit a Pontifice, ut coronaretur. Ne Basileensibus autem in suspicionem veniret, a quibus sollicitabatur ad reditum, scripserat 15 Aprilis se Concilio favere; sed quoad Pontifex persuasione ipsius, et Electorum imperii, Concilium confirmaret, noluisse se ex Italia excedere. Scripsit deinde ad eosdem Viterbio die 16 Maii, delegisse Pontificem Legatos, qui eius nomine praesiderent Concilio; sed quod impedimenta aliqua intervenissent, alios a Pontifice legatos mitti; itaque hortabatur, ut hos benigne susciperent. Ipse imperator Romam contendens, pridie calendas Iunias solemni Pentecostes die, coronatus est Imperator.

Interea Basileenses eodem contra

Eugenium animo se gerere perseveraverunt, et sessionibus 12, 13 et 15 plura iterum constituerunt, quae Pontifici iniuriosa vehementer erant; immo vero de eiusdem depositione facienda audacius etiam quam antea, agere non dubitarunt.

Ad hoc tamen impediendum valde opportunus fuit Sigismundi Basileam adventus: eo enim operam dante, schismatici conatus istius exsequutionem Basileenses differendam censuerunt. Interea 6 calendas Decembris sessione 15 condita sunt decreta de habendis synodis provincialibus, singulis trienniis, et dioecesanis semel saltem in anno.

Cum res Basileae ita procederent, Romam advenerunt Oratores Sigismundi, aliique Caroli Francorum Regis, et Philippi Ducis Burgundiae, Eugenium rogantes ut Basileensium postulatis satisfaceret. Multis praeterea incommodis affectus erat Pontifex, quod Philippus Mediolanensium Dux Pontifici iratus, quia conditiones pacis a Venetis factas ratas habuerat, in eum conspirasset, et per Franciscum Sfortiam, ac Nicolaum Fortebracium Ecclesiae urbes ab eo alienasset. Insuper ut S. Antoninus scribit, inquietum vulgus Pontificem vexabat, quod Pontificatum tranquillissimum a Martino acceptum, tot, tantisque turbis involveret; etiam Cardinales nonnulli ab eo, ad Basileenses defecerant. Incommodis ergo his, suasionibus, precibusque victus Eugenius tandem postulatis Concilii consensit, ita ut edita bulla 18 Ianuarii, Basileense Concilium legitimum esse, et hactenus legitimum fuisse affirmaret, et se revocare contra illud, atque ei adhaerentes decreta antea lata. Cum vero vellet Basileenses quoque contra ipsum, et suos acta revocare, et suo nomine praesidentes admittere, quatuor novos Legatos ad Synodum destinavit, quibus Cardinalem Caesarinium adiunxit, ne is se contemptum esse conqueri posset.

Itaque anno 1434 nonis Februarii sessione decima sexta litterae Eugenii de approbatione, seu legitima prosequutione Concilii recitatae sunt, quibus auditis, Synodus Pontificem perfecte satisfecisse postulatis declaravit, cumque die 24 Aprilis in Congregatione generali admissi essent privato nomine Legati Nicolaus Albergatus, Ioannes Archiepiscopus Tarentinus, Petrus Episcopus Paduanus, Ludovicus abbas S. Iustinae iurantes se Concilii decreta, praesertim de eius auctoritate, defensuros, sessione 16 sexto calendas Maii, praesente Imperatore admissi sunt hi, uti praesidentes Concilio una cum Iuliano Cardinali, sed absque ulla iurisdictione coactiva, atque ita, ut omnia Concilii nomine decreta efferrentur. Sessione 18, 6 calendas Iulii, absente Basilea Imperatore, renovatum est decretum de Concilii auctoritate, de quo argumento tractatum a se scriptum Concilio obtulit Ioannes Antiochenus Patriarcha. Interea Eugenius cum vix ex insidiis Ducis Philippi Mediolanensis evasisset monachi habitu simulate suscepto, et Florentiam se contulisset, hinc benevolentiae plenas litteras ad Basileenses scripsit. Quare Concilium duos destinavit Legatos Cardinales S. Crucis, et S. Petri ad Vincula, ad componendas nomine Concilii bellorum dissensiones, et civitates, quae defecerant, revocandas ad obsequium Pontificis. Cum vero Graeci coeptam Martino Pontifice de eorum unione tractationem urgerent, convenissetque per oratores utrimque missos, ut Imperator, et Patriarcha Constantinopolis cum Patriarcha Armenorum, Imperatore Trapesuntino, aliisque ad generale Concilium in Italia celebrandum se conferrent; nunc vero Imperator et Patriarcha provocati Basileensium suasionibus suos oratores misissent, sessione 19 habita 7 idus Septembris actum est de loco Concilii, ubi unio fieret, conventumque est, ut, si Basileam adduci non possent Graeci, aliquis alius maritimus locus elige-

retur, ad quem post mensem unum a Graecorum adventu, conferre se Basileenses Patres tenerentur. Decretum etiam est, ut iudaei et infideles ad verbi praedicationem audiendam compellerentur, et observaretur Viennensis Concilii statutum de lingua hebraica, arabica, chaldaica, et graeca tradenda, addiscendaque. Renovata tamen prohibitio communicationis cum iudaeis in fide, moribus, victu, potu, et commercio; utque habitationis loco, et habitu secernantur iudaei a christianis.

Haec referuntur ad sessiones anno 1434 celebratas. Illud vero non videtur hic penitus omittendum, quod respicit habitam Constantiae de revelationibus S.Birgittae Sveviae pertractationem. Fuit autem occasio, ut de his revelationibus ageretur, inde suscepta, quod Ericus Daniae, Sveviae, et Norvegiae Rex ad Synodum pro defensione regulae Ordinis S. Salvatoris a S. Birgitta instituti scripsisset, eo quod, qui eam profitebantur, apud Synodum ipsam accusati fuissent. Petierat vero Ericus, ut de revelationibus quoque eidem S. Birgittae factis Synodus ageret, easque confirmaret; quae quidem revelationes in magna erant apud gentes omnes celebritate; neque tum primum de earundem S.Birgittae revelationum auctoritate agebatur.

Cum enim S. Birgittae sanctitatis fama celeberrima esset, atque eam supernis istis illustrationibus a Christo cumulatam esse, vel a tempore, quo eadem adhuc vivebat, communi sententia divulgatum fuisset, statim ac illa mortua est, et de ea in Sanctorum numerum referenda agi coepit, illud etiam statim inquisitum est, scilicet, quidnam existimandum esset de revelationum eidem factarum auctoritate. Quare primis post eius mortem annis videmus apud Sedem Apostolicam de hac re pertractatum fuisse, et primum a Gregorio XI, tum ab Urbano VI comprobatas et multo etiam clarius in postremum a Bonifacio IX atque a Martino V in S. Birgittae canonizatione confirmatas, et commendatas eas revelationes esse. De qua re Cardinalis De Turrecremata, acta SS. Bollandiana *tom. 4 mensis Octobris,* et Benedictus XIV *de Serv. Dei Beatif. et Canoniz. lib. 2 cap. 32 num. 11* videri possunt.

Nunc vero ut ad Concilii historiam revertamur, anno sequenti, hoc est 1435 tres sessiones habitae sunt, vicesima 11 calendas Februarii, vicesima prima die 9 Iunii, vicesima secunda idibus Octobris. In harum prima contra clericos concubinarios praecipue actum; in altera Annatae prohibitae sunt; cumque Legati Eugenii protestarentur, iniquum esse inaudito Pontifice, tantum eius proventibus detrimentum afferre, Patres asserentes se eius necessitati aliunde consulturos, decretum sanxerunt, et publicarunt. Actum etiam de horis canonicis, quo cultu, et pietate in choro recitari debeant, et qua ratione ad eas clerici beneficiati teneantur. In postrema sessione damnatus est libellus, de Christo et Ecclesia, Augustini de Roma, in quo de Christo et Ecclesiae membris doctrinam pluribus in rebus erroneam tradiderat.

Anno 1436 celebratae sunt sessiones duae, vicesima tertia, 8 calendas Aprilis, vicesima quarta 18 calendas Maii. In illa condita, sive renovata sunt decreta de electione Romani Pontificis, praescriptusque Cardinalibus in conclavi vivendi modus. In postrema sessione confirmatae sunt promissiones Graecis factae, salvus conductus iisdem ad Concilium venientibus concessus; denique indulgentia semel in vita, et in mortis articulo, qualis data fuit euntibus Romam tempore Iubilaei, vel Crucesignatis ad sacram expeditionem, idest plenaria, tributa est iis, qui tantum subsidii impertirentur Graecis ad Concilium venturis, quantum una hebdomada impensarum in familiam alendam facerent. Huic ses-

sioni non interfuere nisi decem Episcopi, et tresdecim Abbates, et indulgentiarum illi concessioni reclamarunt Legati; immo praeterita decreta de electionibus, confirmationibus, atque annatis iniuriosa esse Romano Pontifici, et minime ferenda demonstrarunt. Sed Basileenses, ut bene adnotavit etiam Martenius in praefatione ad tomum VIII collectionis suae, accepta Eugenii illa constitutione de continuatione Concilii, auctoritate sua, quasi Papae dominarentur, inflati, nullam eum deprimendi, et vexandi occasionem praetermiserunt: quae ipsorum agendi ratio eo est improbanda magis, quod Eugenius, ut idem Martenius animadvertit, pacifice cum eis agere omnia consueverat, atque assensum suum libenter eisdem accommodare; sed post longa patientiae experimenta, Pontifex occurrendum eorum audaciae ratus, Legatos, suo, et Collegii Cardinalium nomine misit ad Imperatores, et Principes, cum libello, seu commonitorio, quo acta contra eum a Basileensibus significabantur. Haec vero apud Raynaldum ad annum 1436 legi fuse possunt.

Praecipua vero discordiarum causa fuit controversia de loco statuendo, in quo Concilium ad Graecorum reconciliationem comparandam celebrari deberet; cuius loci designationem cum postrema sessione Legati urgerent, responderunt Basileenses non esse tunc illud statuendi tempus. Anno vero 1437 cum ventum esset ad hoc definiendum, adeo ii fuere discordes, ut palam novum dissidium eruperit. Et Basileenses quidem habita nonis Maii sessione vicesima quinta, constituerunt, illud celebrandum, vel Basileae, vel, si non ibi posset, Avenione, aut in Sabaudia illud habendum esse, eoque ipsum Pontificem accedere teneri; quidquid autem contra statueretur, irritum esse, ac nullum: praeterea pro sumptibus alendorum Graecorum, omnibus Ecclesiasticis, etiam exemptis, vel Cardinalatu, vel Pontificali dignitate ornatis, decimam beneficiorum ecclesiasticorum imposuerunt. Avenionensibus, qui 7000 Florenorum auri mutui summam ad hoc obtulerant, pro cautione obligarunt quidque ex indulgentiis a synodo promulgatis, et decimis impositis proveniret.

Reclamarunt praesidentes, et Graeci ipsi nimium se dure tractari conquesti sunt. Contra vero Sedis Apostolicae Legati, aliique iis consentientes, Florentiam, vel Utinum pro futuri Concilii loco, ubi Graecorum unio efficeretur, designarunt. Quamobrem eodem die, et eiusdem Concilii Basileensis nomine decreta duo signata, et condita sunt, atque ab utraque parte Legati ad Graecos, ut ad regionem ab ipsis nominatam accederent, electi, et missi. Verum Eugenius locum a Legatis suis designatum probavit, eo quod electa a Basileensibus loca essent Graecis incommoda, neque ea convenirent cum pactis, quae inita fuerant. Legati qui Eugenii voluntati obsecundabant, Bononiam primo ad ipsum, deinde Venetias, et tandem Constantinopolim venientes, eo appulerunt tertio nonas Septembris; cum vero Graeci ad navigationem se accingerent, quinto Nonas Octobris, Constantinopolim pariter advenere Visensis, et Lausanensis Episcopi alterius partis legati postulantes ut Graeci Basileam, vel in Sabaudiam, aut Avenionem se conferrent. Quod cum Graeci recusarent, illi indignati abierunt. Graeci ad finem Novembris cum novem triremibus iter aggressi, Venetias pervenerunt anni proximi mense Februario ineunte.

Cum Basileenses accepissent, Eugenium alterius partis decretum confirmasse, adversus eum exarserunt. Quare sessione vicesima sexta, pridie calendas Augusti anno 1437 nequicquam contra reclamantibus Iuliano Cardinali S. R. E. Concilii Praeside, et Cardinali S. Petri ad Vincula, et plerisque optimis patribus, ad accu-

sationes, et citationes redierunt; et cum Pontificem insimulassent inertiae in ecclesiasticis rebus pertractandis, simoniae, aliorumque criminum, publicum monitorium ut intra 60 dies compareret, ediderunt. Sessione vero vicesima septima 6 cal. Octobris habita, nullam declararunt promotionem ab Eugenio Pontifice factam Ioannis Vitellii, seu Vitelleschi Patriarchae Alexandrini ad cardinalatus dignitatem eidem tributam. Irritum quoque decreverunt quod esset statutum de Concilio Utini vel Florentiae habendo. Cum vero ad sumptus ob Graecorum adventum faciendos, percrebuisset, Pontificem pecunia indigentem, ex Avenionensi civitate, vel Comitatu Venaisino velle proficere; haec vendi, oppignorari, aut quocumque modo alienari prohibuerunt.

Licet vero tantae audaciae, et temeritatis, a Sigismundo Imperatore, datis litteris, Basileenses reprehensi fuissent, in ea tamen perstiterunt, et sessione 28 Calendis Octobris celebrata, praeside Georgio Episcopo Visensi Hispano ditionis Aragoniae, Eugenium quod non comparuisset, contumacem declararunt, et ad procedendum contra eum, Concilium instruxerunt. Sed Regis Hispaniae Legati intercessere his decretis, et Regis sui, ac Praelatorum, et nationis nomine, se minime consentire testati sunt. Henricum VI etiam Angliae Regem ob hanc nefariam agendi rationem Basileenses graviter redarguisse, narrat Augustinus Patricius in sua Concilii Basileensis historia.

Haec vero cum Basileae eveniebant, Eugenius IV Constitutionem, cuius initium est *Doctoris Gentium* Bononiae dedit calendis Octobris, qua tum ad coercendos Basileensium conatus, tum etiam quod valde de felici Graecae Ecclesiae successu speraret, Concilium Ferrariam transtulit. Quare multo clarius omnis concilio Basileensi sublata est Concilii auctoritas, licet luculenter iam appareret, Basileae omnia illegitime, et contra iura fieri, atque irrita esse, quae contra pontificiam dignitatem Basileenses fuerant aggressi.

Basileenses vero tantum abfuit, ut decreto Eugenii parerent, ut in sessione 29 die 12 Octobris habita, hanc Concilii Basileensis dissolutionem, et translationem Ferrariam, irritam declaraverint, praeceperintque Eugenio eam revocare, secus Pontificem incursurum poenas olim contra eum intentatas, ut infra quatuor menses a Pontificatu esset ipso facto suspensus, et nisi intra alios duos menses agendi rationem immutasset, ad privationem quoque esse deveniendum. Epistolam etiam scripserunt 14 cal. Novembres ad Christianos omnes, qua editam pro Eugenio apologiam refellere Basileenses conati sunt. Sessione tricesima, quae die 23 Decembris habita fuit, de Eucharistica communione actum est, et a synodo declaratum, laicos, et clericos non sacerdotes ad communionem sub utraque specie non teneri. Haec vero ultima anni 1437 Basileensis Concilii sessio fuit.

Sed anno posteriori, et proximis aliis, Basileenses sessiones habere prosequuti sunt, ac schisma complere, licet Eugenii IV auctoritate Concilium Ferrariae, et Florentiae iam incepisset. Breviter vero reliquae istae Basileenses sessiones, et schismatica gesta nunc recensenda sunt. Itaque anno 1438 die 24 Ianuarii Basileenses tricesimam primam sessionem habuerunt, qua de causis nonnullis ad Romanam curiam non deferendis actum est, et prohibitae gratiae quae dicuntur exspectativae; Eugenius autem declaratus suspensus, et Pontificatus administratio ad Concilium devoluta.

Interea vero Iulianus Cardinalis a Concilio discedens, se ad Eugenium Ferrariam contulit. Viderat enim omnia ad schisma ruere, et Basileenses obfirmatos in proposito deponendi Pontificem; atque huius iniqui consilii particeps nullo modo esse voluerat. Reliqui etiam Cardinales

discesserunt. Eo autem facto Basileenses non perterriti Ludovicum Arelatensem Cardinalem, praesidem Concilii crearunt. Sessione tricesima secunda, die 24 Martii habita, Basileenses Concilium Ferrariense damnarunt; Eugenium Concilii Praesidem, et quicumque illi interessent, excommunicarunt. Ut vero Concilii auctoritatem fulcirent, sessione 33 habita die 16 Maii anno 1439 *tamquam fidei veritates* has propositiones iniuria definiverunt: 1 quod Concilium generale, universam repraesentans Ecclesiam, sit supra Papam; 2 quod Papa non possit Concilium legitime congregatum, sine eius consensu dissolvere, vel suspendere, vel transferre; 3 esse haereticum qui has propositiones pertinaciter impugnet. Sessione 34, die 25 Iunii 1439 in Eugenium depositionis sententiam Basileenses tulerunt. Huic autem sessioni, Cardinalis De Turrecremata in responsione contra Basileenses diserte tradit, de 30 Episcopis, qui tunc Basileae esse dicebantur, solos octo, vel novem interfuisse, omnes vero istos Eugenio maxime privatis rationibus infensos, et universos catholicorum principum oratores contradixisse.

Sessione tricesima quinta, quae die 10 Iulii anno 1439 habita est, renovatum fuit decretum, quo continebatur, nisi de Patrum consensu dissolvi Concilium non posse, et statutum est, electionem Pontificis post sexagesimum a depositione diem, esse peragendam. Sessione tricesima sexta celebrata die 17 Septembris 1439 sententia de immaculata Beatissimae Virginis conceptione declarata est pia, sancta, cultui ecclesiastico, rectae rationi, Sacrae Scripturae consona, ideoque tenenda; contrariam praedicare, vel docere vetitum est, iussumque fuit, Conceptionis festum celebrari die 8 Decembris.

Sessione 37 die 20 Octobris 1439 de futura Pontificis electione actum est. Sessione 38 die 30 Octobris Basileenses damnarunt Eugenii decretum quod incipit *Moyses Vir Dei* Florentiae datum 4 Septembris anno 1439, quo decreto Concilii translatio ab eodem facta defendebatur; et 32 diversarum nationum viros Basileenses designarunt, qui cum Ludovico Cardinali Archiepiscopo Arelatensi, tit. S. Ceciliae, Concilii Praeside, sequenti sessione Pontificem eligerent. Sessione 39, habita die 17 Novembris promulgata est electio Amadei Sabaudiae Ducis tunc in Ripaliae ad lacum Lemannum recessu solitariam vitam agentis, qui pontificium Felicis V nomen suscepit. Facta est ea electio septimo die post ingressum Deputatorum in conclave.

Alberto II Imperatore anno 1440 mortuo, cum Francofurti consessus Electorum haberetur, in quo Fridericus Caesar creatus est, Basileenses ad eum conventum oratores suos miserunt, ut Felicem Principes veluti Pontificem susciperent. Responsum est, nolle se schisma fovere, sed curaturos omni ope pacem Ecclesiae. Iidem Basileenses sessione quadragesima, die 26 Februarii anno 1440 habita, promulgarunt consensum impetratum magnis precibus in suam electionem ab Amadeo, et praeceperunt, ut illi fideles omnes obedirent, cassatis quibuscumque, quae ab Eugenio contradicente prodire potuissent. Sessione quadragesima prima die 23 Iulii habita, sententiam, quam contra Felicem Eugenius Papa tulerat, irritam declaraverunt. Postridie vero Felix, qui mox Basileam pervenerat, antea Episcopus a Cardinali Arelatensi ordinatus, tum pretiosissimo diademate coronatus est, quam pompam fuse describit Aeneas Silvius Piccolomineus, qui deinde Pius II fuit, quique aderat, lib. 2 *de Concilio Basileensi*. Ut vero augustiori cultu Basileam Felix veniret, indulserant Basileenses, ut is novos Cardinales etiam ante coronationem creare posset. Ille autem quatuor creatos mense Aprili approbavit, et confirmavit. Sessione 42 die 4 Au-

gusti ad honorificam Felicis sustentationem, assignarunt ad quinquennium, quintam omnium Ecclesiasticorum proventuum partem, quo elapso ad aliud quinquennium decimam; vetitum autem collectoribus, ne quid ulterius pro suis laboribus exigerent, sed pensionem tantum ex Camera Felicis assignandam acciperent.

Anno 1441 sessione quadragesima tertia, die 1 Iulii festum Visitationis Beatissimae Virginis, ad impetrandam, uti affirmarunt, eiusdem intercessione, unionem Ecclesiae, quotannis, die 2 Iulii celebrandum decretum est. Sessione autem 44 die 9 Augusti decreverunt, ut spoliati ab Eugenio beneficiis, restituerentur in integrum, et deiicerentur qui his fuerant ab illo donati, adhibito, si opus fuisset, brachii saecularis auxilio. Interea cum Francofordiensis conventus haberetur magna Principum frequentia, cui Fridericus ipse Caesar praeerat, ad eum accesserunt Legati Basileensium, sed iussi sunt antequam acciperentur, legationis insignia dimittere. Venerunt etiam ab Eugenio Pontifice missi legati. Auditi sunt Basileenses sine arbitris per tres dies, ex quibus Panormitanus iuris consultus sui temporis excellentissimus, causam Basileensium, et Felicis fuse egit; Eugenii vero partes graviter tutatus est Cardinalis Cusanus. Scripta etiam argumenta sua unaquaeque pars reliquit. Deliberatum est in conventu, aliud Concilium indubitatum esse celebrandum, cui deliberationi, etsi aegre id facerent, necesse tamen fuit Basileenses acquiescere, praesertim cum Fridericus die 13 Septembris, prope Basileam iter agens, rogatus ut urbem ingrederetur, negavit id se facturum, nisi antea celebrationi alterius Concilii Basileenses assentirentur.

Post multas ergo contentiones, in congregatione habita die 8 Octobris consenserunt sub conditionibus, quae in synodalibus epistolis de ista re continentur. Fridericus die 11 Novembris Basileam solemni pompa ingressus, altero die Felicem visitaturus, vespere cum paucis domum ingressus, numquam eum ut Pontificem salutavit. Anno autem 1443 cum promisissent Basileenses ad locum se transferre Caesari gratum, die 16 Maii sessione 45, quae postrema Basileensis numeratur, statuerunt, ex decretis Constantiensis, ipsiusque Basileensis, aliud Generale Concilium celebrandum esse post triennium in civitate Lugdunensi, quam ad id Felix delegisset, qui posset illud etiam citius indicere; nec tamen censendum Basileense dissolutum, sed potius se velle illud continuare, et prosequi, dummodo Basileensis secura ipsis civitas esset: quod si impedimentum aliquod obveniret, se eligere Lausanam. Atque in ista civitate revera nonnullas postea habitas sessiones constat, sed in quibus nihil memorabile gestum est, praeter abdicationem Felicis, Imperatoris Friderici hortatu ad pacem Ecclesiae restituendam, qui etiam paullo post ad suum Ripaliae secessum regressus est.

Continent ea, quae hactenus exposuimus, summam rerum in Concilio Basileensi gestarum. Atque arbitramur ipsam solam earundem rerum expositionem per se satis esse ut appareat, quantopere ii decipiantur, qui Concilii Basileensis historia, rebusque gestis proficere se posse putant ad suas de Concilii potestate sententias propugnandas: id quod de iis etiam dici debet, qui ex Basileensi Concilio argumentatur, ut evincant, decreta a Concilio Constantiensi lata, quae de tempore schismatis, et Pontifice dubio intelligenda esse tradidimus, etiam de Pontifice certo, et tempore, quo schisma non adsit, intelligi debere. Quid enim valere potest Concilii Basileensis factum in ista re, cum ex eiusdem historia appareat, auctoritati illius confidere hos scriptores non posse? Quis vero non intelligit in hac causa, non quaeri debere, utrum Concilium Ba-

sileense ea gesserit, quae pontificiae auctoritati sunt iniuriosa, sed utrum iure ea facere potuerit, quae fecit? Nullus vero afferri poterit scriptor, qui sine praeiudicatis opinionibus disputans, Basileensium factum, et arrogantiam non graviter reprehendat.

Quare non morabor in iis refellendis, quae sive Auctor defensionis declarationis Cleri Gallicani toties memoratae, de hac re habet *libro 6* operis sui, ubi fuse de Concilio Basileensi pertractat, sive Cardinalis Luzernius *part. 3 cap.21,* quo loco Cardinalis Orsii responsiones infirmare conatus est, quas vir doctissimus contra defensorem declarationis illius attulerat. Neque movebor iis, quae Moshemius in *Inst. Hist. Ecclesiasticae saec. 15 part. 2 cap. 2* recenset de iis quae in Basileensi Concilio evenerunt, quod *magnum, et aeternae memoriae dignissimum Concilium* appellat. Sentiunt enim facile omnes, nullam aliam rationem esse, cur tantopere Moshemio Concilium istud placeat, nisi quod in eo Pontificis auctoritas adeo inique iniuriis affecta fuerit. Idem de Febronio dico, quem Concilii Basileensis auctoritatem amplificantem eruditissimus Franc. Antonius Zaccaria *part. 2 lib. 4 cap. 3 in Antifebronio* confutavit: ad quam rem illustrandam Cardinalis Sfondratii *dissertatio 3* contra Maimburgum, et P. Roncalii adnotationes *ad 8 dissertationem* Natalis Alexandri in *Hist. Eccl.* saeculi 15 et 16 plurimum conferunt. Potterium denique prorsus praetereo, qui ut opinionibus suis inserviat, *tom. 4* operis *part. 1, l. 7* historiam istius facti penitus perturbat.

Et quoniam Febronius ex Eugenii constitutione pro Concilii Basileensis prosequutione promulgata concludit, Pontificem Concilii eiusdem decretis adhaesisse, huic capiti finem imponam illud inter cetera Eugenii testimonium ex eius epistola ad Franciscum Foscarinium Ducem Venetum afferendo, quo id omnino falsum esse aperte declaravit. « Potius » hanc apostolicam dignitatem (in- » quit Eugenius), et vitam insuper » posuissemus, quam voluissemus es- » se causam et initium, ut pontifica- » lis dignitas, et Sedis Apostolicae » auctoritas submitteretur Concilio » contra canonicas omnes sanctiones: » quod numquam antea, neque ali- » quis nostrorum praedecessorum fe- » cit, neque ab illo exstitit requisi- » tum. » Ea epistola apud Raynaldum videri potest ad annum 1433 num. 19. Scilicet, prout alio loco tradidimus, Eugenius IV quando Concilii Basileensis prosequutionem ratam habuit, id unum concedens, cetera quae in Concilio gesta sunt, nulla ratione probavit.

CAPUT XXXIX.

DE CONCILIO FLORENTINO SEU OECUMENICO XVI.

Ea nunc sumus pertractaturi, quae Florentini Concilii, seu Oecumenici XVI historiam respiciunt, cuius habendi praecipua ratio fuit, ut Graeca Ecclesia, quae diuturno dissidio ab Ecclesia Latina, atque ab unitatis catholicae centro erat divulsa, cum Ecclesia Latina ipsa, et cum Sede Apostolica reconciliaretur. Huius autem rei ad exitum perducendae rationes iustissimae afferebantur, quas Eugenius IV Pontifex Maximus libenter excipiens, nihil omittendum curavit, ut tantae gravitatis negotium feliciter absolveretur. Vidimus suo loco, schisma istud, primum Photii scelere saeculo IX excitatum, sed Hadriani II Pontificis tempore, et Concilii VIII generalis auctoritate compressum, deinde saeculo XI Episcopi Constantinopolitani Michaelis Cerularii opera, cum Leo IX

Pontifex Maximus esset, iterum fuisse conflatum; et sub Gregorio X in Concilio Lugdunensi II de unione restituenda decretum communi suffragio esse factum. Illud tamen certum est, schisma, his non obstantibus, non fuisse deletum. Cum ergo schismatis penitus exstinguendi spes oblata fuisse omnino videretur, in id Pontifex Maximus totus incubuit, atque ad unionem instaurandam, Concilium habendum iussit.

Prout superius significavimus, illud vel ab anno 1438 haberi coeperat Ferrariae, atque idcirco indicavimus litteras ab Eugenio IV Bononia scriptas, quibus Basilea Ferrariam Concilium transtulerat. Eo se contulerat Nicolaus Albergatus Cardinalis tituli S. Crucis, quem Legatum suum ad Synodum Eugenius destinaverat. Is vero die 8 Ianuarii in templo maiori conventum habuerat, praesentibus quinque Archiepiscopis, decem et octo Episcopis, aliisque Praelatis, in quo lectis Eugenii litteris, synodum Basilea Ferrariam esse translatam declaraverat. Hoc ipsum factum fuerat sessione prima, celebrata die 10 eiusdem mensis. Advenit vero Ferrariam die 27 Eugenius Pontifex, et die 8 Februarii habita Congregatione Cardinalium, Praelatorum, et Doctorum, modeste de Basileensibus conquestus, suam innocentiam testatus est; atque ad omnia se paratum affirmavit, quae Basileense dissidium delere possent. Factis deinde in aliis congregationibus statutis nonnullis, sive, ut vocant *advisamentis,* praesertim de ordine sedendi in synodo, die 15 Februarii celebrata est sessio secunda praesidente Eugenio, et praesentibus Episcopis 72, in qua irrita declarata sunt Basileensium seditiosa decreta, et eos qui in eo coetu perseverarent, incidisse in excommunicationem, et privationem quarumcumque dignitatum, vel beneficiorum affirmatum est.

Graeci vero hoc eodem anno in Italiam appulerunt. Describitur eorum adventus in actis Concilii. Ex iis autem colligitur, Ioannem Palaeologum Graecorum Imperatorem die 8 Februarii Venetum litus tenuisse cum fratre suo Demetrio, Iosepho Patriarcha Constantinopolitano, plurimis Antistitibus, et reliquo comitatu 700 circiter hominum, prout erat in pactis definitum. Postridie vero a Duce, et Senatu ingenti pompa, navi *Bucentauro* magnifice ornata exceptum in Urbem; et confestim Imperatorem, et Patriarcham, oratores ad summum Pontificem destinasse, qui ad Eugenium die 20 Februarii convenerunt. Pontifex etiam, audito Graecorum adventu, Cardinalem S. Crucis, et Marchionem Ferrariensem, ad eos salutandos destinavit. Die 28 Imperator cum Fratre, et plerisque ecclesiasticis, excepto Patriarcha, Ferrariam versus navigavit; quo cum pervenisset, ei occurrerunt Cardinales, et Marchio Estensis, urbis dominus, qui eum die 4 Martii, sub umbella aurea exceptum ad Pontificis palatium deduxit. Pontifex paullo procul a sede sua obviam occurrens, non est passus eundem genuflectere, sed benigne amplexatus, ac data dextera ad osculandum, ad sinistram suam sedentem humanissime alloquutus est. Triduo post, idest die 7 Martii, Patriarcha inaurato navigio vectus, et postero die a quatuor Cardinalibus, et 24 Episcopis Latinis, et Marchione Ferrariensi exceptus ad portum, medius inter duos Cardinales Diaconos equitavit, atque ad Pontificem visitandum se contulit.

Aliquot diebus elapsis, Imperator contendere coepit apud Pontificem, ut iuxta conventa, non solum Episcopi, et Antistites, sed Reges, ac Principes, per se, aut per legatos celebrandae synodo interessent. Quod etsi Pontifex difficile factu esse ostenderet propter ingruentia bella, aliaque impedimenta, nihilominus, urgente Imperatore, quatuor mensium spatio definito, nuncios, et litteras misit ad eos invitandos. Visum est interea non esse differendam synodi

celebrationem; et statuta sunt, quae sedendi ordinem respiciebant, et primus consessus Latinorum et Graecorum, ad indicendam communibus votis synodum, habitus est in Ecclesia maiori S. Georgii, cui tamen Patriarcha, eo quod esset octogenarius, et infirma valetudine laboraret, interesse non potuit. Hunc consessum alii inter sessiones recensent, et tertiam numerant, duabus praecedentibus computatis, plerique tamen consessum eundem non tam synodi sessionem, quam eius indictionem reputant.

Postquam Paschalia festa peracta fuissent, Patres Latini, ne vacuum tempus exspectandis aliis praefixum elaberetur, postularunt, ut de dogmatibus pertractaretur, quae Graecos inter et Latinos in controversiam vocabantur. Erant autem praecipua de processione Spiritus sancti ex Filio, de Purgatorio, et de primatu Romani Pontificis. Graeci etsi primo recusarent, causantes eorum, qui Basileae erant, absentiam; postea consenserunt, et electi sunt ex utraque parte duodecim, qui bis in hebdomada convenientes in templo S. Francisci, de Purgatorio, et Sanctorum beatitudine disputarunt. Dum ista Ferrariae fiebant, omnium studia eo erant conversa, ut tandem aliquando, sive Basilea, sive aliunde ad synodum invitati convenirent. Videbatur enim, id conducere multum posse ad unionem firmius constituendam.

Verum cum apparuit post temporis praescriptum intervallum, nullum Basilea, aut ex aliis locis ad Concilium advenire; non esse diutius exspectandum statutum est. Et quod Graeci ob Latinorum multitudinem, se numero suffragiorum vinci quererentur, rem disputationibus agi debere visum est; atque ex utraque parte sex ad id viri docti electi sunt. Et ex Latinis quidem Nicolaus Albergatus, et Iulianus Caesarinus Cardinales, Andreas Archiepiscopus Rhodius, sive Colossensis (ita enim ad Graeci Metropolitae differentiam Latinus dicebatur), Ludovicus Episcopus Forolivensis, et duo Monachi Theologiae Magistri. Ex Graecis Marcus Archiepiscopus Ephesinus, Isidorus Russiae, Bessarion Nicaenus Episcopus, Theodorus Xanthopulus, Michael Balsamon, Gregorius Gemistus. Die ergo 8 Octobris, convenientibus omnibus in amplum palatii sacellum, eo quod Eugenius podagra laboraret, et ad Ecclesiam venire non posset, primae sessioni una cum Graecis habitae factum initium est, in qua, cum Latini dicendi praerogativam Graecis concessissent, primus Bessarion luculentissimam habuit orationem, quae exstat in actis Concilii, rei magnitudinem, quam agebant, declarans, et ad constantiam in fidei negotio tractando omnes hortatus est, et praeter id in ea sessione nihil aliud est gestum. Sessione 2 celebrata die 11 nihil pariter actum est, nisi quod Andreas Rhodius, sive Colossensis, Bessarionem aemulatus, alteram ex parte Latinorum habuit orationem, decretumque est, eas disputationes dialectico more, brevibus argumentis habendas esse, exordientibus Graecis; quibus etiam facta copia est, ut in disputando, sive proponentium, sive respondentium partes agerent.

Hae vero disputationes sess. 3 die 14 Octobris habita coeptae sunt, eaeque protractae quatuor sessionibus sequentibus, videlicet quarta, die 15, quinta, die 16, sexta, die 20, septima die 25 eiusdem mensis Octobris celebratis. In his, et privatis aliis disputationibus inter Marcum Ephesium, et Andream Colossensem praecipue certatum est, interloquentibus aliquando aliis etiam deputatis, potissimum vero Iuliano Cardinali pro Latinis, Bessarione pro Graecis, et interdum Imperatore ipso, his se disceptationibus immiscente.

De Spiritus sancti processione etiam a Filio disputatio effecit, ut de vocis *Filioque* additione facta Symbolo Constantinopolitano ageretur,

quam additionem Marcus Ephesius, et ceteri Graeci, septem priorum Conciliorum decretis adversari contendebant, a quibus Conciliis nullam fieri posse symbolo additionem statutum esse dicebant. Verum Andreas Colossensis affirmabat, illam vere, et proprie additionem non fuisse, sed dumtaxat expositionem alterius vocis *ex Patre*, secundum Ecclesiae fidem de processione ex utroque. Esse autem interdictas proprias additiones, quae aliquid haberent praeter id, quod Ecclesia credit, non vero fidei expositiones catholicae fidei consonas, id quod ex facto ipso Concilii Constantinopolitani I apparebat, a quo in symbolum Nicaenum ad clarius asserendam Spiritus sancti divinitatem contra Macedonium, plura sunt inlata, quae Nicaeae scripta non fuerant.

De vocis *Filioque* additione facta symbolo fuse pertractavimus nos etiam harum raelectionum *tomo I, c. LXXXIV pag. 384.* Et eo quidem loco accurate demonstravimus, quam iniuste Graeci, ob hanc additionem symbolo factam conquesti sint. Atque illud etiam adnotavimus, adducta ad id probandum D. Thomae auctoritate, illam non tam additionem, quam explicationem catholici dogmatis clariorem appellari posse. Etiam illud luculenter evicimus, falsum omnino esse, a Concilio Ephesino Generali, vel ab alio quolibet vetitum fuisse, quominus symbolo adderetur aliquid, quod sit Catholicae fidei consentaneum. Itaque ad ea melius intelligenda, quae hic de disputatione ista Ferrariae habita recensemus, opportunum est, memoratum superius praelectionum nostrarum locum consulere.

Sessio octava die 1 Novembris habita est, et tum in ea, tum in quatuor aliis eiusdem mensis, nona, die 4, decima, die 8, undecima, die 11 praecipue disputarunt Bessarion, et Marcus Ephesius pro Graecis; pro Latinis vero Iulianus Cardinalis, et Ioannes Provincialis Ordinis Praedicatorum Longobardiae. Summa vero disceptationum ea fuit, quod Graeci concederent quidem fieri posse expositionem symboli, aliis, vel clarioribus verbis; minime tamen fieri posse expositiones, quae plus aliquid docerent, quam antea in symbolo prostaret, atque has additiones decreto Ephesinae Synodi Generalis adversari: Latini contra affirmarent, hanc factam a Concilio Ephesino prohibitionem intelligi solum debere de additionibus, quae fidei catholicae essent adversae, non vero de iis, quae ad necessariam aliquam, et fidei catholicae consentaneam explicationem adhibitae fuissent. Quare animadvertebant Latini, idcirco esse factum, ut in Ephesina Synodo novum Symbolum a Charisio Presbytero allatum reiiceretur; in Chalcedonensi vero laudati fuerint Leo Magnus, et Flavianus Episcopus Constantinopolitanus, quod fidei dogmata explicatius docuissent, et suis expositionibus, sive additamentis, eadem distinctius contra haereses propugnassent. Verum Iulianus Cardinalis, in duodecima sessione, id praecipue petiit, ut omissa tunc quaestione de vocis *Filioque* additione facta, cardo potius controversiae pertractaretur, videlicet, utrum Spiritus sanctus a Patre tantum, an a Patre, et Filio simul procederet; nam hac controversia composita, futurum facile affirmabat, ut de potestate vocem illam addendi controversia tota extingueretur.

Die 17 Novembris sessio decima tertia habita est. Et cum Ducis Burgundiae oratores introducti, Pontificem quidem venerati, nullam tamen Imperatori Graeco reverentiam exhibuissent; hic sessione finita, acerrime ea de re conquestus, aperte testatus est, nisi sequenti sessione debitus sibi honor adhiberetur, se cum suis a synodo esse abiturum. Quare sessione decima quarta, die 4 Decembris, rursum ingressi oratores obsequium ei, etsi non quale volebat, praestiterunt. Quod aequo animo fe-

rens Imperator disputationes non impedivit. In his Marcus Ephesius, cum acriter conquereretur, propter longas Latinorum orationes, temporis magnam partem frustra consumi, postulavit, ut in posterum ageretur per simplices affirmationes, et negationes. Sed Iulianus Cardinalis obiecta diluens, sermonem adeo protraxit, ut dies eum defecerit. Sessione decima quinta, die 18 Decembris rursus Marcus Ephesius institit, nefas esse vocem ullam Symbolo addi, cuius orationem Iulianus Cardinalis admirabili memoria in 28 capita distribuens, respondit ad singula, et tum ex philosophia, tum ex Sacra Scriptura adductis argumentis, vocem *Filioque* licite symbolo appositam esse contendit. Marcus contra orationem Iuliani in octo capita partitus, fuse loquutus est; nec Iulianus responsum ad haec distulit, atque addidit in extremo, si decem Marcus argumenta proponeret, ei se decem millia redditurum.

Postquam sessio decima quinta absoluta est, Graeci se morae diuturnioris pertaesos esse ostenderunt, et iam reditum in Graeciam se cogitare, quod viderent, nec fieri posse, ut Latini in eorum sententiam venirent, et ipsi animo defixum haberent, Latinorum sententiam non amplecti. Petebant ergo ut finis disputationibus imponeretur, et siquidem vox illa admittenda foret, non in Symbolo, sed in definitione aliqua seorsim esse apponendam. Contra urgebant Latini, ut quaestio directa de processione Spiritus sancti a Filio tractaretur. Etenim si erroris ipsi convicti fuissent in ea re, tunc vocem illam nec Symbolo, nec definitioni cuicumque apponi posse animadvertebant. Si vero Orthodoxum dogma illa vox contineret, fuisset absurdum, ut vox iamdiu recepta sine ratione amoveretur. Quamobrem adnitente Imperatore cum Patriarcha, qui ad unionem conciliandam sedulam operam impendebant, statutum fuit, ut duodecim Praesules Graeci cum totidem Latinis, de hac quaestione privatim agerent.

Verum dum ista pertractabantur, ad rem turbandam accessit pestilentia, quam Ferrariae non modo imminere, sed in eadem civitate iam invalescere compertum est. Quare Pontifex decrevit, ut Synodus Florentiam transferretur. Restiterunt primo Graeci; sed auctoritate Imperatoris, et Patriarchae postea commoti, assenserunt his conditionibus: 1 ut Pontifex mensium 8 cibaria Constantinopolim mitteret; 2 ut commeatus, ubicumque essent, ipsis hoc tempore suppeditarentur; 3 ut Florentiam, non alio, ire compellerentur; 4 ut Synodus quatuor mensium spatio finiretur, post quos Graecis abeundi potestas fieret. Est ergo ad translationem hanc indicendam postremo Ferrariae habita sessio decima sexta, quam aliqui, prout superius significavimus, alio modo numerant, quod inter sessiones non recenseant conventus, in quibus nulla sunt edita decreta.

Itaque nunc agendum est de Concilio proprie Florentiae habito, et de iis, quae ad unionem cum Ecclesia Graeca instaurandam Florentiae gesta sunt. Scilicet anno 1439 Ferraria egressi Eugenius Pontifex, Imperator, aliique, suo quisque itinere, Florentiam Februario mense pervenerunt. In itinere insidias Pontifici positas esse memoriae proditum est, sed insuetis itineribus Pontificem insidias istas declinavisse, quas num a Philippo Mediolanensium Duce, an ab Alphonso Aragoniae Rege structas esse censendum sit, non oportet hic inquirere. Sessio prima Florentiae, quae decima septima numerari debet, celebrata est die 26 Februarii, ubi post longum inter Imperatorem et Iulianum Cardinalem colloquium, vel altercationem, statutum est, ut Graeci inter se collatione habita de ineundae unionis modo, illum in proxima sessione proponerent. Sed hunc concordiae ineundae modum non invenientes, volebant

Graeci non agere privatis disputationibus. Verum haec privata disputandi ratio non placuit Pontifici: quamobrem die 2 Martii habita est sessio decima octava, in qua inter Ioannem Ordinis Praedicatorum Provincialem, ut diximus, Longobardiae, et Marcum Ephesium disputari coepit de processione Spiritus sancti. Ac primo de voce *Processio,* deinde de testimoniis SS. Epiphanii, et Basilii, quibus Ioannes asserebat, Marcus negabat, processionem ex Filio probari.

Haec eadem proximis quinque sessionibus pertractari prosequuta sunt, scilicet decima nona, die 5 Martii, vicesima die 7, vicesima prima die 10, vicesima secunda die 14, et vicesima tertia die 17 eiusdem mensis. In his actum etiam de modo processionis ab utroque per communem Patris, et Filii spirationem; item de significatione vocum *naturae, essentiae, substantiae, subsistentiae* atque *hypostasis;* an propterea quod a Patre, et Filio Spiritus sanctus procederet, duo principia, et duae causae Spiritus sancti admitti deberent, quod iure, et secundum catholicam doctrinam negabant Latini. Denique ostensum est, omnes ferme Patres Graecos dicere Spiritum sanctum ex Patre per Filium, vel ex utroque procedere, et neminem unum hoc dogma negare. Iam vero particulam *per,* idem hic valere ac particulam *ex.* Neque praetermissa est de codicibus Graecorum disputatio; quos codices ostensum est ab iisdem fuisse corruptos post schisma, minime vero a Latinis; quod praecipue demonstratum fuit, in codicibus S. Basilii in libris ad Eunomium de Spiritu sancto.

Cum disputationes istae nimis diuturnae Imperatori viderentur, atque iisdem interea ob infirmam valetudinem Patriarcha adesse non posset, Imperator convocatis apud ipsum Graecis unionem suadere coepit, atque hortari, ut a disputationibus desisterent; praecipue cum Latini, in doctrina de unico processionis principio convenirent. Itaque sessio vicesima quarta, die 21 Martii, et die 24 vicesima quinta, quibus Imperator vetuit interesse Marcum Ephesium, et Heracleensem Episcopum, quod nimis essent contentiosi, transactae sunt, quin Graeci novas disputationes moverent, sed Latinorum responsiones accurate iisdem audientibus.

Habiti sunt deinde plures conventus privati, tum Graecorum inter se, tum ipsorum cum Latinis. Quod vero Marcus Ephesius pertinaciter contenderet Latinos Schismaticos esse, nec Schismaticos solum, sed haereticos etiam ob additionem vocis *Filioque* Symbolo factam, et Graecam Ecclesiam ob potentiam dumtaxat et Latinorum numerum, eorundem damnationem distulisse, Bessarion pro Latinis strenue pugnavit, atque eandem esse Graecorum Patrum doctrinam probavit, quam Latini praedicabant.

Insuper habuit ad Graecos luculentissimam dogmaticam orationem in decem capita distributam, quae exstat in actis post sessionem 25 pro unione; in qua agens de causis schismatis ostendit, si aliqua Graecis de secessione sua a Latinis hactenus excusatio fuisset, nunc certe, Concilio Oecumenico celebrato, nullam esse posse, nisi manifeste ii probarent, Latinos a Catholica veritate aberrare; id autem nullo modo probari posse. Quod si veteres aliqui in speciem contradicere sibi viderentur, dandam esse operam, ut hi conciliarentur, non vero erroris illos insimulandos esse, et ad explicandos eos, qui obscure loquuti sunt, adhibendos qui clarius rem exposuissent. Orientales concordare cum Occidentalibus erui ex particulis *per* et *ex,* quibus usi sunt. Accedente ergo Orientalium consensu perspicue affirmantium processionem ex Patre et Filio, et ita ex Filio sicuti ex Patre, admitti hanc omnino debere, cum voces Graecorum *mitti, profluere,*

prodire, manare, oriri, non aliud quam *procedere* significent. Nihil ergo restare aliud, nisi ut concordibus animis unio iniretur. Addidit post Concilium Bessarion appendicem quandam, ubi eadem pertractavit, atque alia attulit Patrum loca, praesertim Basilii, quae ad processionis Spiritus sancti etiam a Filio veritatem probandam erant imprimis opportuna.

Alii postea habiti congressus sunt ad negotium absolvendum, atque eos habere utile visum est, cum nec Graeci omnino inter se, nec cum Latinis convenirent, ac Pontifex optaret, ambiguam, quam ii obtulerant fidei professionem, clarius ab iisdem exponi. Dum ista eveniebant, Patriarcha aegrotus Imperatori aperte significavit, licet is contradixisset, se tamen velle cum Latinis coniungi. Quare Imperator acrius pro rei conclusione agere coepit, et tandem iteratis congressibus, die 3 Iunii convenientes in aedem Patriarchae Graeci omnes in unam sententiam iverunt (excepto Marco Ephesio, qui obstinate semper processionem Spiritus sancti a Filio negavit), Spiritum sanctum procedere ex Patre et Filio per unicam spirationem, et ab unico principio. Hanc fidei professionem die 8 Eugenius deinde probavit, atque eodem tempore Pontifex postulavit, ut aliae quaestiones de Purgatorio, de Romani Pontificis primatu, de Fermentato, et Azymo, in quibus Graeci cum Latinis controversiam habebant, absolverentur.

Verum, quod bonis omnibus dolori fuit, interea accidit ut die 9 vespere, cum de more Patriarcha a coena in suum conclave reverteretur, repente extremum diem obierit. Repertum vero est apud illum scriptum eiusdem manu in haec verba digestum: « Ioseph miseratione divina Archie» piscopus Constantinopolis novae Ro» mae, et Oecumenicus Patriarcha, » quoniam ad finem vitae meae per» veni, soluturus iam commune de» bitum, Dei gratia scribo, et sub» scribo sententiam meam aperte uni» versitati meorum Filiorum. Omnia » igitur quae sentit, et quae dogma» tizat Catholica, et Apostolica Ec» clesia Domini Nostri Iesu Christi » senioris Romae, Ipse quoque sen» tio, et iis me acquiescentem do, ac » dico. Profiteor quoque Beatissimum » Patrem Patrum, ac Maximum Pon» tificem, et Vicarium D. N. I. C. » antiquae Romae Papam ad certam » omnium fidem, nec non Purgato» rium animarum. In horum quippe » fidem subscriptum est 9 mensis Iu» nii 1439 indictione secunda. »

Ex posterioribus huius scripti verbis, in quibus de Romano Pontifice Patriarcha loquitur, certe intelligitur quis fuerit Patriarchae sensus, cum se Oecumenicum in eo scripto appellavit. Scilicet cum ille ipse se Armenorum, et Georgianorum Patriarcham diceret catholicum, sine ulla arrogantia, atque ex simplici consuetudine titulum illum usurpans, non poterat in erroris suspicionem venire. Id vero ostendit valde diverso sensu Patriarcham tunc eo titulo usum esse, ac fecerant Episcopi antiquiores Constantinopolitani, quibus ob eam causam iure Pontifices Romani restiterant. Ceterum magna pompa iusta funebria Patriarchae illi persoluta sunt, quibus Cardinales etiam omnes interfuerunt.

Quaestiones reliquae, de quibus Latinos inter et Graecos erat statuendum, quaeque Purgatorii exsistentiam, et visionem Dei beatificam ante extremi iudicii diem respiciebant, non multum negotii attulerunt, cum Ferrariae iam fuissent pertractatae; nisi quod de ignis Purgatorii specie definienda Graeci controversiam proposuerint. Quod spectat vero ad Eucharistiae materiam, facile Graeci assensi sunt, sive azymum, sive fermentatum panem, sacramenti materiam validam, legitimamque esse. Sed de primatu Romani Pontificis quaestio difficilior fuit, et longius pertractata, atque illud inter cetera difficultatem attu-

lit, quod Imperator, licet consentiret, primatum generatim esse in Romano Pontifice agnoscendum, nollet tamen, ut concederetur singillatim, appellationes ad Romanam Sedem fieri ab aliis sedibus Patriarchalibus, aut Romanum Pontificem Synodos Oecumenicas celebrare posse sine Imperatore, et Patriarchis, quorum privilegia intacta in omnibus servari debere contendebat. Itaque res eo devenisse videbatur, ut unionem instauratum iri desperaretur.

Sed, Deo iuvante, Graeci paullatim in Latinorum sententiam venerunt, excepto tamen Marco Ephesiorum Episcopo, qui perpetuo unioni repugnavit. Itaque sex viri docti ex utraque parte delecti sunt, qui litteras unionis scriberent cum expressione dogmatum controversorum. Ex his autem litteris composita est definitio Fidei, nomine Pontificis Eugenii promulgata, et publice die 4 Iunii, post Sacrum solemni ritu a Pontifice celebratum, a Iuliano Cardinali primum latine, deinde a Bessarione Graece lecta, cuius initium est: « *Eugenius Episcopus servus servorum Dei* ad perpetuam rei memoriam, consentiente ad infrascripta carissimo in Christo Filio nostro Ioanne Palaeologo Romanorum Imperatore illustri, et loca tenentibus Venerabilium Fratrum nostrorum Patriarcharum, et ceteris Orientalem Ecclesiam repraesentantibus. *Laetentur caeli, et exsultet terra,* sublatus est enim de medio paries, qui Occidentalem, Orientalemque dividebat Ecclesiam, etc. » Exstat vero haec definitio in conciliorum collectionibus, et apud Turrecrematam post Concilii Florentini summam ab eo luculento commentario explicata. Huius definitionis die 21 Iulii quinque exempla conscripta Latine, et Graece, subscripta sunt a Latinis, et Graecis, ut unum eorum Latini sumerent, Graeci alterum; cetera mitterentur ad Patriarchas. Eugenius etiam postridie scripsit de hac ipsa re ad universos Christianos Principes litteras, quae exstant. Atque ita finem accepit negotium unionis, sive reconciliationis Ecclesiae Graecae cum Latina.

Atque hoc quidem unionis instauratae, et schismatis sublati decretum, publica, ac solemni tum ecclesiastica, tum civili auctoritate factum, promulgatumque est, postquam, prout vidimus, ea omnia essent pertractata, quae ad dissidium excusandum Graeci afferebant. Constat quidem in posterum Graecos in unione non perseverasse. Sed hoc Graecorum factum nulla ratione potest cum tantae auctoritatis decreto comparari, quo post solemnem tractationem, a schismate se resilire, et cum Sede Apostolica se reconciliatam esse Ecclesia Graeca professa est. Itaque etsi veteri schismati nunc quoque Graeci adhaereant, non poterit tamen ullo gravi argumento ab iisdem ostendi, decretum unionis Florentiae conditum, alio eiusdem auctoritatis decreto abrogatum fuisse.

In Actis graece scriptis habetur, quaesivisse postea a Graecis Latinos rationem aliquot rituum, quos in sancto Missae sacrificio ii servabant, item unctionis Chrismatis, quam Presbyteri facerent, unctionis mortuorum, denique diremptionis matrimonii, quibus quaestionibus dicitur satisfactum esse ab Episcopo Mytilenensi; excepta tamen illa, quae matrimonii diremptionem respiciebat, quod nimirum putarent Graeci dirimi fas esse matrimonium adulterii causa, et aliud deinde matrimonium iniri; Latini vero secundum Evangelicam, et Apostolicam doctrinam solum concederent, circa torum, et cohabitationem fieri separationem posse, minime vero vinculum matrimonii propter adulterii causam posse dissolvi. Sed de hoc, aliisque, Petrus Arcudius in libro de concordia, et alii passim consulendi sunt, qui de hoc gravi negotio ex instituto egerunt.

Cum haec gesta Florentiae fuissent, Imperator, et Episcopi Graeci

in patriam remearunt. Atque omnes pervenerunt Constantinopolim incolumes mense Februario anno 1440, exceptis Iosepho Patriarcha, et Metropolita Sardiensium, qui antea decesserant. Bessarion praeterea, qui ab Imperatore nominatus Patriarcha, propter rerum perturbationem, et scandala, redire noluit, ab Eugenio IV Cardinalis factus, Romae moratus est. Patriarcha autem constitutus est Metrophanes II Metropolita Cyzicenus, qui Florentino Concilio interfuerat. Praeter Bessarionem vero, alios etiam doctos Graecos viros magno litterarum bono in Italia permansisse constat.

Quid vero Constantinopoli statim post Synodum Florentinam absolutam acciderit, non erit inopportunum hic breviter significare. Itaque Metrophanes II quem mox commemoravimus, die 4 Maii anno 1440 Patriarcha electus fuerat. Verum postridie, quo die festum Ascensionis Domini celebrabatur, populus et clerus a Marco Ephesio excitatus, noluit cum eodem in sacris mysteriis communicare, ob propugnatam ab illo cum Latinis unionem. Metrophanes quidem a sacris ministris derelictus, non potuit eo die sacra solemnia peragere; sed hac insolentia et iniuria perterritus non est. Immo vero schismaticorum conatus comprimendos curavit, eiectis praesertim eorum pluribus a sedibus Episcopalibus, quas obtinebant, aliisque eorundem loco suffectis, in dioecesibus etiam, quae Patriarchatui Constantinopolitano non suberant. Quare cum anno 1443 anathema in eundem pronuntiassent Patriarchae reliqui, qui ceteroquin Concilio Florentino per deputatos procuratores suos subscripserant, maximo dolore affectus, quod Imperator illum non tueretur, neque ipse posset schismaticos coercere, gravi morbo perculsus eodem anno mortuus est.

Eo res erat adducta, ut ad evitandam vexationem neque facile posset inveniri, qui Patriarchalem dignitatem susciperet. Itaque Theophani II successor datus est non ante mensem Iulium anni 1446 cum tres annos Patriarchatus vacavisset. Is autem fuit Gregorius IV Melissenus dictus ex patriae suae in Calabria nomine, et *Mamma* appellatus. Fuerat Gregorius antea Protosyncellus, et Magnus Poenitentiarius. Ob suum erga synodum Florentinam, et unionem cum Latinis studium, multa perpessus, sedem Constantinopolitanam anno 1452 dereliquit, et Romam confugiens, ibi mortuus est an. 1459, postquam pro Concilio Florentino, cui interfuerat, aliqua scripta edidisset sub Gennadii nomine, id quod effecit, ut cum Gennadio eius successore aliquando confunderetur.

Sed hic Gennadius a Gregorio IV prorsus distinguendus, Georgius Scholarius, antequam Monachus fieret, appellabatur, et Gregorio IV an. 1453 successit, et Patriarcha electus est, postquam Turcae Constantinopolim cepissent, atque a Mohammede II ea ipsa pompa ad dignitatem illam admissus, qua Imperatores Graeci solebant Patriarchis investituram dare. Interfuerat adhuc Laicus Concilio Florentino, atque in Graeciam reversus eam synodum probaverat. Sed deinde a Marco Ephesio in adversariam partem perductus, acerrimus unionis impugnator evasit.

Eugenius IV Pontifex, ubi audivit quae Constantinopoli eveniebant, doctos quosdam viros eo misit, ut unionem tuerentur, inter quos fuit Cardinalis Ioannes Franciscus Condulmerius Eugenii Fratris Filius, qui secum attulit Episcopum Coronensem, egregium Theologum. Inter hunc vero, et Marcum Ephesium, eum impellente Imperatore, facta fuit publica concertatio, in qua Ephesius superatus, et obmutescere coactus, moerore intra paucos dies contabuit. Haec S. Antoninus tradit, sed de his quoque, et Graecorum molitionibus contra Latinos fuse synodi Florentinae defensores agunt, hoc est, praeter Bessarionem, Iosephus

Methonensis Episcopus, Gregorius Protosyncellus, seu Gennadius, qui praecipue tantam fuisse Marci Ephesii superbiam tradunt, ut licet morbo comitiali laboraret, voluerit ad Synodum venire, ratus Latinos cessuros, et copias adversus Turcas, eloquentia sua permotos, submissuros. Sed eum postea Latinorum doctrina victum, ad fraudes confugisse, et Graecos codices corrupisse; ita vero manifeste superatum a Latinis, ut Episcoporum vocibus, et pedum strepitu eloqui, et audiri impeditus sit, et tunc cessasse disputare simulato morbo. De misera etiam eius morte loquuntur, quam cum Arii morte comparant. Denique addunt de Latinis, Eugenium cum Ferraria abeundum esset, petiisse a Florentinis quadraginta numûm aureorum millia, oppignorata etiam mitra sua, cum aliunde non haberet quomodo Graecis alimenta subministraret; non solum vero ad alimenta Graecis datam esse pecuniam, sed ad indumenta quoque, atque etiam vasa argentea, quibus hi locupletati, in patriam reversi sunt.

Haec, aliaque huiusmodi, quae possent commemorari, perspicuum continent argumentum ad eos falsitatis revincendos, qui malevole cum Graecis a Latinis actum esse affirmarunt, et Graecos taedio, atque egestate devictos, fecisse id, quod Florentiae fecerunt, scilicet in unione ineunda morem illos gessisse Latinis. Profecto quae mox significavimus, ostendunt num malevolos se Latini erga Graecos exhibuerint. Totius vero Concilii historia luculenter evincit, Graecos ad unionem instaurandam, argumentorum gravitate in disputando perductos esse, non autem ad morem Latinis gerendum eos in unionem consensisse.

Continent etiam acta Graeca, dum adhuc Imperator Florentiae esset, advenisse Apocrisiarios sive Legatos Patriarchae Armenorum, ipsos quoque unionem postulantes, quos Imperator iam discessurus Pontifici Eugenio commendavit. Discessit autem Imperator circa mensis Iulii finem postquam obtinuerat ab Eugenio iis etiam plura quam conventum fuisset. Iam vero Pontifex elegit de omni Concilio viros iuris divini et humani peritissimos, qui de rebus fidei cum Armenis agerent. Post accuratissimam rerum discussionem, consentientibus ipsis oratoribus, visum est, brevi quodam compendio orthodoxae fidei veritatem, quam Romana profitetur Ecclesia ipsis tradere; traditi sunt autem Armenis articuli aliqui, qui magis visi sunt necessarii ad eorum informationem. Primo scilicet symbolum Constantinopolitanum cum additione *Filioque;* deinde definitio Chalcedonensis de duabus naturis in una Christi Persona; tertio definitio synodi sextae de duabus in Christo voluntatibus, et operationibus; quarto demonstratum est Chalcedonensem synodum praeter tres priores Synodos esse ab eis recipiendam; quinto septem omnium sacramentorum doctrina tradita, et quae eorundem materiam, ac formam respiciunt; sexto Symbolum, quod dicitur Sancti Athanasii; septimo Decretum unionis cum Graecis; postremo Armenis dies certi assignati sunt celebrandorum festorum.

Haec omnia, quae nunc recensuimus, Armenos acceptasse, et professos praeterea esse, se quidquid teneret S. Sedes Apostolica, et Romana Ecclesia, tenere velle, et quidquid damnaret reprobare, unionis decreto continetur. Hoc decretum promulgatum dicitur 10 Cal. Decembris « in » publica sessione synodali, solemni» ter in Ecclesia maiori celebrata. » In actis Latinis ab Horatio Iustinianio collectis, post unionem Armenorum subiiciuntur litterae ad Eugenium IV Pontificem, Ioannis Iacobitarum Patriarchae ex Vaticano codice depromptae, quibus petit ipse quoque unionem. Die ergo 31 Augusti, hae litterae per Andream Abbatem exhibitae sunt Eugenio coram Cardinalibus, et Doctoribus « sacrum

» Concilium repraesentantibus,» prout eo loco dicitur. Datum vero est ipsis quoque Iacobitis decretum unionis, cui simul additum est decretum unionis Graecorum, et Armenorum *Florentiae in publica sessione synodali solemniter in Ecclesia S. Mariae Novellae anno 1441 pridie Nonas Februarii.*

Hoc autem loco non possumus celeberrimam quaestionem omittere, quae datum ad Armenos, atque ad Iacobitas decretum respicit. Etenim quaeri hoc loco iure potest, qua ratione dici possit illud datum in synodali sessione, et an vere conciliare censendum sit, ac Florentinae synodo tribuendum. Haec vero quaestio celebris est non modo apud historicos, sed apud theologos etiam cum de materia sacramentorum, et praesertim sacrae Confirmationis agunt. Negant conciliare esse decretum Sirmondus, Herminierius, Habertius, Vitassius, atque ex Historicis praecipue Natalis Alexander *diss. 10 in saec. XIV et XV art. 3.* Hos scriptores etiam alii vetustiores in hac sententia praecesserunt. Est vero animadvertendum, Scriptores istos, et Natalem Alexandrum praesertim, non negare Concilium aliquod mansisse Florentiae post Graecorum discessum, quod eodem nomine, ut antea, usurparetur, sed non idem censendum esse concilium auctoritate, prout ipse affirmat.

Sunt vero significandae rationes praecipuae, quibus ista sententia innititur. Hae autem ita perstringuntur. Videlicet, prima ratio est, quod credibile non videatur, tot articulos de materia, et forma sacramentorum, in quibus Graeci, et Orientales non conveniebant cum Latinis, tunc fuisse definitos, cum Graeci discesserant, et quid Florentiae fieret ignorabant. Accedit, hoc factum esse videri, nulla speciali discussione praemissa, adhibitis Theologis, et Episcopis, licet Pontifex in decreto affirmet esse habitas plures disputationes, colloquutiones, et tractatus de his rebus cum ipsis oratoribus, qui unionem petebant. Secunda ratio est, quod aliqui Doctores scholastici, qui Florentinum Concilium subsequuti sunt, agendi ratione sua visi sint existimasse, illud decretum conciliare non esse. Huius autem agendi rationis adhibitae a scholasticis nonnullis Theologis, qui post Florentinam synodum floruerunt, argumenta proferuntur ex eo, quod sententias illi exposuerint, quae non sunt memorato decreto consentaneae: id quod non facturos fuisse illos animadvertitur, si decretum, de quo sermo est, Concilii ipsius Florentini auctoritate praeditum esse iudicavissent.

Verum inter Concilii Florentini ipsius decreta etiam hoc recensendum esse graves rationes confirmant. Etenim decretum illud non modo dicitur, in publica sessione synodali datum, neque solum Concilii mentio in eodem pluries habetur; sed etiam, quod gravius est, *Sacro Florentino Concilio approbante,* traditum dicitur. Praeterea ex Concilii Tridentini actis, quae in Arce S. Angeli servabantur, eadem sententia propugnari iuri potest. Etenim in iis actis continetur: « Die 26 Februarii an» no 1547 cum Episcopus Clodiensis, » in congregatione generali excitas» set difficultatem de Bulla unionis » Iacobitarum, quasi ea non pertine» ret ad Concilium Florentinum, et » probaret hoc ipsum ex data Bullae » anni 1441, cum Concilium termi» natum sit an. 1439, quo anno con» signata est Bulla unionis Graeco» rum; Cardinalis A Monte (Concilii » Praeses) dixit *hallucinari eos, qui* » *putant finem Concilii Florentini* » *fuisse unionem Graecorum, cum* » *longe post, post tres scilicet fere* » *annos perduraverit, usque, vide*» *licet, ad annum Domini 1442,* » *quo 6 Cal. Maii celebrata sessione,* » *Romam translatum est;* patere id » ex diversis constitutionibus medio » illo tempore editis, quae in actis » Concilii habentur, et adnotantur in » summario Concilii Basileensis, per

» Augustinum Patricium Canonicum » Senensem. » Additur etiam, cum die 23 Martii eandem difficultatem proposuisset Episcopus Castellimaris, eadem de ista re Cardinalem S. Crucis respondisse.

Haec eadem narrat Cardinalis Pallavicinius lib. 6 cap. 11 num. 12. Etenim Pallavicinius ex hoc ipso responso, quod certissime Episcopo Clodiensi a Cardinali Legato datum esse in Concilio Tridentino refert; Petrum Suavium Polanum, seu Paullum Sarpium Venetum, vel ignorantiae, vel malitiae reprehendendum esse concludit, qui de hac ipsa re agens, responsum memoratum silentio praeterierat. Atque animadvertit simul, opportunam fuisse editionem, tempore suo factam ab Horatio Iustiniano Actorum Concilii Florentini, quae acta veram ostendunt Cardinalis Legati responsionem, de qua loquimur; et evincere quoque Legati ipsius eruditionem, qui adeo gravem, et certam responsionem Episcopo Clodiensi dederat tempore, quo horum factorum notitia obscura esse debuisse videbatur.

Hoc idem habetur apud Spondanum ad annum 1439 num. 18, Raynaldum ad eundem annum, aliosque Historicos. Arcudius vero lib. 6 cap. 5 *de concordia Ecclesiae Orientalis, et Occidentalis*, refert Cardinalem Iulium Antonium Sanctorium S. Severinae appellari solitum, in familiari sermone sententiam erroris reprehendisse, quae continet, decretum, de quo loquimur, Eugenio Pontifici tantum, sed non Concilio ipsi Florentino esse tribuendum. Quamvis enim Graeci in toto illo Concilio fuerint pars Concilii, illisque non praesentibus, eius aliqua pars defuerit; tamen quia ipsis consentientibus, unio Armenorum consequuta est; Graecis enim placebat, Armenos a Latinis edoceri, ut intelligere licet ex colloquio illorum cum Imperatore; et Concilium censetur unum, et integrum ex continuatione, quando praesertim caput, quod est Summus Pontifex, cum quibusdam nobilissimis membris perseverat, negari non posse sequitur, Concilium etiam post Graecorum discessum perdurasse.

His argumentis illud etiam addendum mihi videtur, quod gravissimae est auctoritatis, quodque ex Benedicti XIV Constitutione proficiscitur, edita die 26 Iulii anno 1755, quaeque incipit *Allatae sunt*, et continetur *t. 4* Bullarii eius *p. 286 et seqq.* Nam eiusdem Constitutionis §. 5 dum Pontifex sapientissimus unionem Graecorum, Armenorum, et Iacobitarum sub Eugenio IV factam commemorat, omnium harum gentium unionem in Concilio Florentino factam affirmat, et quo modo Graecorum unionem Concilio Florentino tribuit, eodem modo Armenorum, et Iacobitarum illi Concilio adscribit unionem. « In Concilio » Florentino, inquit, sub Eugenio IV » ad quod Ioannes Palaeologus, et » Ioseph Patriarcha Constantinopolis » cum ceteris Orientalibus Episcopis » convenerant, unio statuta fuit, et » uniuscuiusque subscriptionibus ac» ceptata; eodemque in Concilio Ar» menorum, et Iacobitarum Ecclesiae » ad obedientiam Sedis Apostolicae » redierunt. » Haec vero Pontificis verba demonstrant eum existimavisse, decretum de Armenorum et Iacobitarum unione concilio tribui debere.

Haec satis per se esse debere videntur ad ostendendum contrariam sententiam probari non posse. Nam si, non obstante Graecorum discessu, Concilium Florentinum vere perdurabat adhuc quando decreta, de quibus agimus, condita sunt, manifestum est, ea non Eugenio Pontifici tantum, sed Concilio etiam Florentino tribui debere. Sed facile est etiam iis animadversionibus respondere, quas ad contrariam istam sententiam probandam afferri solere superius diximus.

Etenim cum ex tota facti istius historia constet, praeter illa, quae ad fidem catholicam, atque ad essentialia sacramentorum pertinent, in quibus Armeni, et Graeci catholici necessario debent convenire, reliqua

de quibus in decretis istis agitur, proprie pro Armenis et Iacobitis esse statuta, quid mirum est, hoc esse factum etiam postquam Graeci discessissent? Atque hoc multo magis valet, quia Graecis erat exploratissimum, probatos eorundem ritus, atque consuetudines ab erroribus alienas, Eugenium IV ac Latinos nulla ratione voluisse immutare. In ipso praeterea Eugenii decreto ad Armenos statuebatur, exemplum decreti unionis cum Graecis initae, Armenis esse tradendum, id quod ostendebat Armenorum unionis tractatum, ac decretum, a tractatu cum Graecis habito esse distinctum.

Certum est autem decretum ad Armenos et Iacobitas, post accuratam rerum pertractationem, atque investigationem diligenter institutam, fuisse conditum. Nam in decreto continetur, « multis adhibitis disputatio- » nibus, colloquutionibus, et tracta- » tibus; postque non mediocrem testi- » moniorum inspectionem, quae ex » sanctis Ecclesiae Patribus, et Do- » ctoribus deducta sunt, et earum, » de quibus agebatur, rerum discus- » sionem, » decretum ipsum, consentientibus Armenorum Legatis, scriptum esse. In publica vero totius orbis terrarum luce, haec in decreto illo affirmari potuisse, quin permagna ista inquisitio ante fuisset instituta, est prorsus absurdum. Quare dubium esse non potest, ea quae in decreto statuta sunt, post accuratissimam rerum omnium, quae negotium respicerent, pertractationem sancita esse.

Denique quod dicitur, temporibus quoque Concilio Florentino posterioribus Scholasticos Theologos nonnullos sententias tradidisse decreto isti minime consentaneas; id non evincit, decretum, de quo loquimur, Eugenio IV tantum, non autem Concilio Florentino tribui oportere. Est enim omnibus notus decreti contextus, ut sciant omnes, alia ad fidei doctrinam, atque ad sacramentorum essentiam spectantia in eodem contineri, a quibus nemini liceat discrepare, alia vero in illo decreto esse, quae non sunt eiusmodi, quaeque tradita Armenis fuerunt, ut iisdem explicaretur, ac persuaderetur praecipue in sacramentorum administratione, Romanae Ecclesiae praxis, et gravissima consuetudo. Quid ergo mirum, non de iis quae fidem, aut sacramentorum essentialia respiciunt, sed de reliquis Theologos illos, salva decreti auctoritate, speculative sententiam aliquam exposuisse, quae decreto non esset consentanea? Concludamus ergo necesse est, animadversiones, vel argumenta, quae afferri solent, ut decretum illud Pontifici tantum, non etiam Concilio tribuendum esse evincatur, id, quod assumitur, non efficere, et argumenta, quae decretum conciliare omnino esse confirmant, positivam habere, et multo graviorem auctoritatem.

Vix illud addendum esse arbitror, quod spectat ad ostendendum, Concilium Florentinum vere Oecumenicum fuisse. Nihil enim esse posse censeo adeo exploratum, quam vere Concilium illud Oecumenicum haberi debere. Etenim nisi praeiudicatis opinionibus potius, quam rei ipsius naturae insistendum esse dicatur, perspicuum omnibus erit, Florentinum Concilium vere Oecumenicum fuisse, quod Pontifex Maximus Eugenius IV indixit, cui per se ipsum perpetuo praefuit, quod Eugenius ipse, eiusque Successores, et Ecclesia universa tamquam verum, legitimumque Concilium Oecumenicum semper venerata est. Praeter ista vero ad propugnandam Concilii cuiuslibet Oecumenici auctoritatem nihil potest gravius afferri. Quare indubiam esse concludamus oportet Florentini Concilii auctoritatem illam, quae Concilii cuiuscumque vere certeque Generalis propria est.

Haec autem quae pertinent ad demonstrandum vere Oecumenicum Concilium Florentinum fuisse, possunt inter cetera fuse videri in Natalis Alexandri *dissert. 10 in saec. 15 et 16*

art. 1, quo loco refellit etiam ea, quae contra Concilii istius auctoritatem praesertim a Marco Ephesio Archiepiscopo unionis hoste infensissimo allata sunt.

Nam argumentum ex Basileensium oppositione desumptum, quod tanto studio Natalis Alexander dissolvendum curavit, ut ostenderet, non obstante illa oppositione, Concilium Basilea Ferrariam, ac Florentiam legitime translatum fuisse; argumentum, inquam, illud, non video cur tantae gravitatis existimari possit. Etenim si Basileenses ad probandum, se ius habere impediendi quominus Eugenius IV Ferrariam Concilium transferret, decretis Concilii Constantiensis oppositionem suam fulciri posse contendebant; id erat certe nullius roboris, cum ostenderimus, Constantiensia decreta de eo tempore, et de Papa certo intelligi non debere. Si vero impedimentum a se oppositum Basileenses fulciebant ea ratione ducti, quod Eugenius IV Concilii suspensionem sessione 16 revocasset, et ab initio in posterum legitime illud prosequutum esse declaravisset; id etiam non poterat oppositioni robur afferre, cum manifestum sit Eugenii IV constitutionem de Concilii continuatione, nullam decretorum, aut rerum a Basileensibus gestarum confirmationem attulisse, sed effecisse tantum, ut Concilium, quod ob decretam suspensionem legitime perdurare, ac prosequi non potuerat, ea suspensione sublata, posset legitime perseverare.

Erat praeterea in promptu gravissima causa, quamobrem ad Ecclesiae bonum procurandum Pontifex Basilea posset Concilium transferre; erat notissimum in Pontificis Maximi auctoritate esse positum, ut legitima quoque conciliorum decreta moderetur, atque ad Ecclesiae utilitatem in iisdem dispenset: apparebat denique Basileensium conatus iniustos esse, eorumque agendi rationem iniuriosam Pontificiae potestati, et vel ab eo tempore ad schisma renovandum dispositam, non posse impedire quae Ecclesiae causa Pontifex Maximus requirebat.

In memorata superius dissertatione Natalis Alexander, prout significavimus, ea etiam refellenda curavit, quae Marcus Ephesius ad vituperandam Florentinam Synodum, atque ad unionem Latinos inter et Graecos in ea initam evertendam adduxerat. Videlicet Florentia per fraudem rem totam absolutam esse, Unionis decretum partim potentiae, ac minis Latinorum, partim praemiis ab iisdem tributis, taedio, quo Graeci afficiebantur, egestati, in qua versabantur, tribui debere; veteres denique controversias de pluribus doctrinae capitibus, non argumentis, et persuasione, sed assentatione, aliisque artibus fuisse absolutas.

Verum legentibus ipsam solam Concilii Florentini historiae summam, quam tradidimus, et multo magis consulentibus acta Concilii universa, ab Harduino, Labbeo, Mansio, Iustinianio conscripta, apparet statim haec omnia a Marco Ephesio ob acerrimum illud odium fuisse pronuntiata per calumniam, quo adversus Latinos, et unionem initam manifeste flagrabat. De facto praeterea constat non fraudes, non minas, non vim adhibitam, sed palam Florentiae, atque in pacifica agendi libertate, rem totam cum Graecis gestam esse. Eorundem commoditati a Pontifice fuisse impense consultum. Benevole eos esse pertractatos; munificis etiam donis post unionem initam, et cum essent in patriam reversuri eos fuisse cumulatos, minime vero id factum esse ut a repugnando desisterent. De controversiis denique doctrinae capita nonnulla respicientibus, erudite, et graviter, et modo ad persuadendum opportuno, in Concilio fuisse disputatum; neque assentatione, aliisque artibus, sed argumentorum copia, et pondere Graecos permotos esse, ut in iisdem doctrinae capitibus, cum Ecclesia Latina convenirent.

Postquam ea breviter refutavimus,

quae a Marco Ephesio praesertim excogitata sunt ad Florentinae Synodi auctoritatem extenuandam, non est hic penitus omittendum quod Graeci unionis inimici opposuerunt argumentum ex cuiusdam Concilii, quod Constantinopoli anno 1450 habitum esse dicunt, celebratione desumptum, in quo Concilio, unionis decretum Florentiae conditum, fuisse abrogatum contendunt.

Sed primo loco potest, ac debet de hoc argumento animadverti, etiamsi concedi vellet, illud Concilium anno 1450 Constantinopoli esse habitum, id tamen minime efficere posse Concilium Florentinum vere Oecumenicum non fuisse. Hoc enim aliud non probaret, nisi Graecos schismaticos unionis inimicos, atque ad eam evertendam acriter inflammatos, in schismaticam synodum convenientes, fecisse id, quod antea sine Concilii forma facere tanta insolentia consueverant. Numquam vero hoc Graecorum Schismaticorum factum ostendere poterit, Concilium Florentiae celebratum non iis vere qualitatibus fuisse praeditum, quibus indubitata Oecumenica concilia praedita esse debent; et numquam id posset evincere, decretum Florentiae de instauranda unione promulgatum, publica universae Ecclesiae auctoritate promulgatum non esse.

Verum, his omissis, certum est, istud Concilium quod a Graecis Schismaticis anno 1450 in templo S. Sophiae Constantinopoli habitum dicitur, commentitium existimandum esse. Praeter ea, quae Natalis Alexander inter ceteros in memorata superius dissertatione de ista re habet, consuli possunt Leo Allatius *De consensione utriusque Ecclesiae col. 1381,* et Le-Quienius *in Oriente Christiano tom. 1 col. 311,* quibus locis de ista commentitia synodo in templo S. Sophiae Constantinopoli anno 1450 habita pertractarunt. Iuvat autem ad concinnam, sed eruditam huius rei notitiam afferendam Le-Quienii locum recitare.

Hanc Synodum animadvertit Le-Quienius dici habitam «intervallo uni» us anni cum dimidio a finita Synodo » Florentina post obitum usque Io» annis Imperatoris sub eius filio Con» stantino; illi porro Synodo inter» fuisse tres Patriarchas Orientis, » Alexandrinum, Antiochenum, et » Hierosolymitanum: vocatum tertio » per Oeconomum Michaelem, et Ma» gnum Rhetorem Theodorum, Pa» triarcham Gregorium, qui Oecono» mo, et Rhetori dixerit, se rata ha» bere omnia, quae in Concilio in Ita» lia habito gesta erant, quippe quod » aliis Oecumenicis Conciliis ante il» lud celebratis nihil discordaret. » Quamobrem ab illa Synodo statu» tum fuisse pellendum Gregorium, » eique substituendum Athanasium, » qui proinde a tribus Metropolitis » Macario Nicomediensi, Neophyto Ni» caeno, et Metrophane Cyziceno sit » ordinatus. Tum vero a fratre Leo» nardo Chiensi Dominicano, et Theo» doro Magnae Ecclesiae Rhetore dis» ceptari coeptum de processione » Spiritus sancti; Leonardum autem » victum ipso primo congressu fuisse. » Alia omitto huius Synodi, quae » proposito meo extranea sunt.

» Hoc unum dicere interest, eam » a Graeculo quopiam confictam fuis» se. Tot enim apertissimis menda» ciis illius acta scatent, ut nulla » ratione fides illis haberi queat. » Enimvero, anno altero a celebrata » synodo Florentina, Constantinopo» litana Sedes omnino vacabat, immo » tres annos fere integros pastore » caruit post obitum Metrophanis, » qui tres annos, ac menses tres Pa» triarcha fuerat; quo fit ut Grego» rius nonnisi sexto anno transacto » Metrophani suffectus fuerit. Prae» terea Ioannes Palaeologus Impera» tor non post annum cum dimidio, » ex quo Graeci e Florentina Synodo » redierunt, supremum diem obiit, » hoc est anno 1440 vel 1441, sed » nono prorsus completo, Christi 1449.

» Ad haec in illis actis Athana» sius, ut praedictum est, ordinatus

» legitur a Macario Nicomediensi, » Neophyto Nicaeno, et Metrophane » Cyziceno, nulla mentione facta An- » tonii Heracleensis, ad quem prae » aliis ea ordinatio spectabat, qui » tamen inter Synodi Praesules ibi- » dem censetur, subscripsisseque tum » suo nomine, tum *Episcopi quoque* » *Caesareensis*. Decretum insuper ex- » stat, de quo superius diximus, » trium Patriarcharum Orientis, Ar- » senio Caesareensi instigatore latum » anno 1443 adversus Metrophanem » Constantinopolitanum, non adver- » sus Gregorium. Atqui in isto de- » creto anni 1443 Philotheus Ale- » xandrinus, Dorotheus Antiochenus, » et Ioachim Hierosolymitanus no- » minantur, quemadmodum etiam in » Synodi Florentinae gestis. Actis » vero huius spuriae Synodi subscri- » bit *Theophanes Deo curante Pa-* » *triarcha Hierosolymorum*. Plura » non addo, quae congessit Allatius, » quibus magis magisque synodi hu- » ius vanitas, falsitasque arguitur. » Monere satis sit, neminem alium » scriptorem illius aevi, Graecum, » alteriusque generis, *Athanasii il-* » *lius* Patriarchae meminisse, uti » nec illius synodi, qua creatus fer- » tur. »

Ad extenuandam Concilii Florentini auctoritatem, nihil etiam illud valet, atque aperte simul iniuriosum est, quod Moshemius *in Inst. H. Eccl. saec. 15 parte 2 cap. 3 n. 15* ait, « pacem hanc cum Latinis variis ar- » tibus expressam stabilitate caruis- » se; et Graecos Constantinopolim re- » versos civibus suis fraudulenter o- » mnia Florentiae gesta esse, renun- » tiasse, atque ad arma rediisse. » Primum enim ipsa Moshemii verba continent Graecorum calumniae significationem. Nam si post reversos in patriam Graecos, ad arma reditum est, eo quod Florentia reduces ii affirmarent inter populares suos, omnia ibi fraudulenter gesta esse, quod aperte erat calumniosum, est etiam id perspicuo argumento, pacem stabilitate caruisse, non quod variis artibus fuisset expressa, sed quod dolo malo falsa relata sint, et falsa rerum narratione ab unionis inimicis excitati fuerint Graeci ad schisma renovandum. Praeterea cum de Concilii Florentini auctoritate disputamus, atque illud oecumenicum fuisse contendimus, argumenta ad id probandum, ex Concilii ipsius Florentiae celebrati natura depromimus; illud Florentiae habitum, absolutumque esse propugnamus; ita ut posterius Graecorum factum ad Concilii auctoritatem infirmandam valere non possit.

Neque mirum videri debet, sive Moshemium, sive alios quoslibet ex Protestantium genere scriptores, Concilii Florentini auctoritatem extenuare conatos esse, atque etiam illud sprevisse. Etenim si quae in eodem Concilio decreta sunt, tantisper considerentur, continuo intelligetur, fere universam, et per singula capita factam ibi esse illorum errorum solemnem condemnationem, quos Novatores brevi post tempore erant praedicaturi. Itaque quid mirum esse potest, huius generis scriptores de illius Concilii auctoritate detraxisse, in quo, veluti in antecessum, facta continetur proscriptio, et refutatio illarum opinionum, quas contra Ecclesiae doctrinam erant inducturi?

Atque in ea re videtur mihi non inopportunum animadvertere, etiam tunc apparuisse quam sapienter Ecclesiae suae Christus prospiciat. Etenim dogmata, quae in Concilio Florentino sunt definita, in constanti Ecclesiae Catholicae doctrina, ac fide perpetuo praedicata continebantur. Negari tamen non potest, in Concilio Florentino accidisse, ut in praeclara totius Ecclesiae concordia, in summa Latinorum, et Graecorum Antistitum frequentia, communi Latinae, et Graecae Ecclesiae suffragio, ac plausu, dogmata illa fere omnia solemni decreto confirmarentur, quae Lutherus non multo post, et Calvinus, ac Novatores post illos inducti, erant impugnaturi, et veluti si a vera Chri-

sti doctrina aliena essent, imminebant aspernaturi.

Etenim in unionis decreto, seu fidei definitione Florentiae condita, et promulgata affirmatum est, Romanum Pontificem in universam Ecclesiam habere primatum, ipsum Christi Vicarium, totius Ecclesiae caput, Divi Petri Successorem exsistere, omnium Christianorum Patrem et Doctorem esse, eidemque in D. Petro, pascendi, regendi, gubernandi universalem Ecclesiam a Christo Domino plenam potestatem traditam esse. Praesentiae realis Corporis et Sanguinis Christi in Eucharistico sacramento fides asserta, reliquorum sacramentorum Ecclesiae doctrina confirmata, Purgatorii fides, Sacrosancti Missae Sacrificii virtus, animarum in Purgatorio degentium fidelium suffragiis iuvandarum fides exposita est. Haec vero magnam partem exhibent eorum dogmatum, quae Lutherus, Calvinus, ac Novatores post illos invecti impugnarunt. In eo igitur frequentissimo totius Ecclesiae conventu, Novatorum errores magno numero, solemni decreto sunt in antecessum proscripti, ac vere totius Ecclesiae doctrinam a Christo traditam hanc esse demonstratum est, quam illi respuendam esse tanta audacia deinde contenderunt.

Sed antequam de iis scribendi finem faciam, quae demonstrant, quam falsa, et iniusta sint quae ad extenuandam Concilii Florentini auctoritatem excogitata fuerunt, arbitror non esse incongruum nonnulla adiungere ut Potterio respondeam, qui in Opere toties memorato *de Spiritu Ecclesiae ex Conciliorum, et Pontificum historia demonstrato tom. 4 lib. 7 pag. 122* de Concilio Florentino loquens haec animadvertit.

Itaque eo loco Potterius plura habet, quae ostendunt eius animum Eugenio IV et Concilio Florentino adversum, quaeque declarant eiusdem propositum animi fuisse, ea omnia improbandi, quae sive a Pontifice, sive a Concilio illo peracta sunt. Verum ad demonstrandum, in isto etiam rerum capite, quae fides scriptori, de quo loquimur, haberi possit, in duobus tantummodo, quae Potterius citato loco animadvertit, breviter immorabor.

In Concilio Florentino de voce *Filioque* symbolo Constantinopolitano iuste addita actum esse, et Graecos huic additioni assentiri debuisse Potterius commemorat, ac de ea re pertractationem habitam irridet. Verum eodem loco subdit statim exstare hactenus quandam epistolam anno 879 a Ioanne VIII Pontifice ad Photium scriptam, in qua Pontifex haec Photio significaverit: « quod » non solum hoc non dicimus (scilicet » vocem *Filioque* in symbolo reci- » tando) sed etiam, quod eos, qui » principio haec dicere sua insania » ausi sunt, quasi transgressores di- » vini verbi condemnamus, sicut » Theologiae Christi Domini everso- » res, et sanctorum Pontificum, et » reliquorum sanctorum Patrum, » qui synodice convenientes, san- » ctum Symbolum nobis tradiderunt, » et una cum Iuda illos collocamus.» Facile est intelligere, cur epistolae istius, veluti a Ioanne VIII scriptae mentionem Potterius fecerit. Videlicet, ut sive Ioannem errare ostendat vocem *Filioque* reiiciendo, sive Concilium Florentinum, et Eugenium IV erravisse, qui a Filio etiam Spiritum sanctum procedere, et vocem *Filioque* ad id significandum, in symbolo recitari debere docuerit.

Verum manifesta est simul Potterii calliditas. Non dissimulat ille quidem de hac epistola responderi solere, epistolam confictam esse, et dolo malo sive a Photio, sive verius ab alio Graeco impostore, atque in doctrina de Spiritus sancti processione a fide catholica prorsus alieno, fuisse excogitatam. Sed una simul Potterius, utrum haec responsio gravis, et iure data censenda sit, dubium esse affirmat. Atque in hoc fallaciam, et calliditatem suam aperte demonstrat. Est enim positum extra

controversiam, hanc epistolam confictam esse, et a Photianarum partium sectatore aliquo Ioanni VIII iniuria adscriptam fuisse. Legi potest inter ceteros Baronius ad annum 879 *num. 54 et seqq.* quo loco falsitatis istius argumenta refert.

Quod spectat vero ad Ioannis VIII Pontificis causam, nos *tom. I* praelectionum nostrarum *cap. LXXXV p. 389* evicimus, hunc Pontificem iniuste fuisse accusatum imbecillitatis in Photii negotio pertractando. Ostendimus praeterea, a Photio fuisse depravatas, et corruptas Ioannis VIII Pontificis litteras, eas etiam, quas Pontifex vere, cum ageretur de Photio restituendo, sive ad Imperatorem, sive ad eum, sive ad Legatos suos dederat.

Alterum, quod ad clarius demonstrandam Potterii calliditatem me hoc loco non praeteriturum esse dixi, illud est, quod respicit decretum a Clemente VII Pontifice Maximo editum de Ludovico Cardinali Archiepiscopo Arelatensi inter Beatos colendo.

Agens de Concilio Ferrariensi, seu Florentino Potterius animadvertit, dum Ferrariae, vel Florentiae de Graecis reconciliandis ageretur, multo graviora negotia Latinam Ecclesiam respicientia Basileae pertractata esse. Videlicet, eo quod, non obstante Basileensium oppositione, Concilium Ferrariam ab Eugenio IV translatum fuisset, eo devenisse Basileenses, ut Eugenium Pontificatu privatum declaraverint, eidemque Amadeum VIII quondam Sabaudiae Ducem suffecerint, qui Felicis V nomine suscepto Pontificatum gerere coeperit. Hunc Basileam venientem a Cardinali Arelatensi consecratum Episcopum, et coronatum deinde esse.

His narratis Potterius animadvertit, Cardinalem Arelatensem in posterum, nullo umquam exhibito resipiscentiae signo, ac nulla prodita doloris ob hoc schismaticum factum significatione, in permagna sanctitatis fama mortuum esse, multa ad eius sepulcrum patrata esse miracula, et Clementem VII Pontificem, edito Brevi Apostolico honores illi sacros, qui Beatis haberi solent, decrevisse. Haec Potterius refert, tum ut ostendat non fuisse a Clemente VII existimatum, schismaticum factum beatificationi Cardinalis Arelatensis impedimentum afferre posse; tum generatim ut Sedem Apostolicam, ac Concilium Ferrariense, seu Florentinum irrideat.

Verum quae etiam de ista re Potterius recenset, facile possunt ita explicari, ut appareat nihil ex hoc facto, sive ad schisma commendandum, sive ad Eugenium IV, Clementem VII, et Concilium Florentinum accusandum desumi posse.

Henricus Spondanus ad an. 1438 num. 11 haec de Ludovico Alemanno, sive Alemando Cardinali titulo S. Caeciliae, Archiepiscopo Arelatensi habet: « Vir quidem ille Arelatensis » legationibus Apostolicis, aliisque » rebus praeclare gestis insignis, ma- » gnaque pietate, doctrina, et reli- » gione, ac vitae integritate conspi- » cuus (ut sunt plurimorum Aucto- » rum elogia, quae in unum colle- » gerunt Auctores Amadei Pacifici, » et additamentorum ad vitas Pon- » tificum Ciacconii), sed quem sive » simultas aliqua (a pluribus adserta, » licet non adeo probata), seu zelus » non secundum scientiam, et nimia » credendi calumniatoribus facilitas, » ab Eugenio retraxerat, et in de- » fensione Concilii Basileensis, quod » legitimum credebat, obfirmaverat. » Sed schismatis hinc exorti culpam » poenitentia ipsum diluisse intelligi » datur ex sancto eius fine, quippe » quem et miraculis ad eius sepul- » crum Arelatae fieri solitis, ut Ae- » neas Sylvius testatur, claruisse » constat, et una cum Petro Lucem- » burgio, quem aeque in schismate » sub Clemente dicto VII sancte vi- » xisse, et obiisse vidimus (ad an- » num 1387), postea Clemens vere VII » ad annum 1517 ob memoriam egre-

» giarum utriusque virtutum, ac pio-
» rum operum, nec non miraculo-
» rum coruscationem, debito Beatis
» cultu, ac veneratione honorari con-
» cessit, haud tamen propterea in-
» tendens, ut ait (exstat enim eius de
» his Constitutio), eosdem in catalogo
» Sanctorum esse relatos, donec, ser-
» vatis debitis solemnitatibus in ca-
» nonizatione servari solitis, ad il-
» lorum canonizationem deventum
» fuerit. »

Memoratum autem Clementis VII Breve Apostolicum die 9 Aprilis anno 1527 datum, reperitur in additamentis ad vitam Cardinalis Ludovici Arelatensis, qui a Martino V Cardinalis factus fuerat, et sexagenarius mortuus est die 17 Septembris 1450 Salonae ad Cranum.

Narrat autem Pontifex in eo Brevi, quod Sadoleti calamo scriptum dicunt, narrat, inquam, Franciscum Episcopum Tusculanum Cardinalem Claromontium, suum in Gallia Legatum a latere, ad se Arelatensium civium nomine preces pertulisse, ut quoniam adeo celebrata erat in iis locis sanctitatis fama, qua Ludovicus Alemandus Cardinalis claruerat, celebria et saepissime ad eius sepulcrum Arelate patrata prodigia, et iamdiu obtinuisset ut ille (quod idem de Petro Lucemburgio refert) propter virtutes, quibus praestiterat, in Caelitum numero existimaretur relatus, posset eiusdem corpus ex humiliori ad commodiorem, et nobiliorem locum transferri, eius imagines, prout iamdiu fiebat, apud fideles haberi, et eum una cum Petro Lucemburgio pro beatis coli. His vero precibus Pontifex annuendum ratus, quod petebatur concessit, illud tamen aperte declarans, non idcircō eos inter Sanctos censeri posse relatos, sed id reservari ad tempus, quo causa canonizationis peracta, et absoluta fuisset. Si res ergo consideretur ea ratione, qua vere gesta est, Clemens VII cultum Ludovico Arelatensi non tunc primum veluti Beato tribuendum decrevit, sed assensus est tantummodo, ut Arelatenses in eodem cultu Cardinali Arelatensi exhibendo perseverarent, quem iamdiu ei, et Petro Lucemburgio exhiberi gravissimis testimoniis, et publica celebritate, ac populi veneratione constabat.

Affirmat quidem Potterius, Clementem VII Beatorum honores Ludovico Cardinali Arelatensi decrevisse, licet ille nullam poenitentiae, nullam displicentiae suae significationem exhibuisset de iis, quae Basileae gesserat, praesertim cum Amadeus a Sabaudia electus est, et Felicis V nomine suscepto, Eugenio IV Pontificatum abrogare Basileenses ausi sunt. Sed haec quae Potterius tanta confidentia pronuntiat, omnino falsa sunt iudicanda.

Etenim, omissis ceteris, quae ad hoc evincendum afferri possent, recensebo tantum id, quod in Martyrologio Ecclesiae Gallicanae ad diem *16 calendas Octobres*, de Ludovico Alemando Cardinali Archiepiscopo Arelatensi legitur. Videlicet eo die habetur eiusdem Cardinalis elogium. Itaque praeter cetera, quae de eiusdem virtutibus, vitae sanctitate, ac morte, quam cum singulari pietatis laude obivit, haec de Basileensi facto in Martyrologio illo continentur. Scilicet refertur in elogio superius memorato, Ludovicum Cardinalem Arelatensem poenituisse vehementer eorum, quae Basileae fecerat; ad Nicolai V, qui Eugenio IV successerat, obedientiam eum venisse; illum, veluti pacis amatorem, Felicis V abdicationem procurasse, Ecclesiae unitatem resarcivisse, et a Nicolao V receptum benevole, inter Cardinales S.R.E. habitum, eo ipso titulo S.Caeciliae, qui illi collatus fuerat a Martino V, et quem retinebat antequam ista cum Eugenio IV simultas exerceretur. Satis ista sunt ad ostendendum, num potuerit Potterius maiori confidentia falsum pro veris affirmare; atque etiam isto in loco illum demonstravisse, in opere illo suō scribendo, id vere sibi proposuisse,

ut quamcumque posset occasionem suscipiens, de Sede Apostolica, et de Conciliis detraheret.

Haec vero cum ita sint, non est necesse aliud ad propugnandam Concilii Florentini auctoritatem adiungere. Quae enim attulimus ad ostendendum, illud vere Oecumenicum fuisse, gravissima sunt, atque ad hanc causam demonstrandam prorsus ineluctabilia. Quae vero ad eiusdem auctoritatem extenuandam afferuntur, levissima sunt, et falsitati, ac calumniis innixa.

CAPUT XL.

DE NICOLAI V PONTIFICATU.

Inter Romanos Pontifices, de quorum sapientiae laudibus plena sunt vetera monumenta, et quorum virtutum ornamenta posterorum memoriae singulari plausu sunt commendata, Nicolaum V numerandum esse explorata res est. Nam satis est omnem quemlibet illius aetatis scriptorem consulere, qua Nicolaus V Ecclesiae praefuit, ut intelligatur inter praestantissimos et de Ecclesia non solum, sed de civili etiam Republica egregie meritos viros, illum recenseri oportere. Ad ostendendum vero quanta esset Nicolai V in omni rerum genere praestantia illud etiam accessit, quod is Pontificatum inter difficilia temporum adiuncta susceperit, atque in difficillimis his rebus pertractandis summam semper virtutem Nicolaus V demonstraverit. Itaque meretur tanta virtutis celebritas ut peculiarem de Pontifice hoc sermonem habeamus, id, quod ad exponenda etiam plura, quae in Saeculi XV historia scitu digna imprimis sunt, exsistet valde opportunum.

In quam difficilia tempora Nicolai V Pontificatus inciderit, res est adeo manifesta, ut expositione non indigeat. Etenim si de Ecclesia Latina loquamur, ea tunc tolerabat adhuc Basileensis dissidii, ac schismatis reliquias; atque ii, qui Felicis V electione Ecclesiam vehementer perturbaverant, ubi Eugenium IV mortuum esse acceperunt, occasionem se nactos esse arbitrati sunt, ad eiusdem electionem constabiliendam, atque ad illius auctoritatem confirmandam. Quare inter cetera referunt illius temporis scriptores, Felicem V adductum esse a suis instigatoribus, ut statim plures Cardinales crearet, legatos suos ad Principes Christianos mitteret, qui eum legitime electum esse apud illos contenderent, et novi Pontificis electionem retardarent. Frustra quidem suscepti sunt isti labores, et inanes prorsus, ac ludibrio etiam habiti schismaticorum conatus fuerunt. Negari tamen non potest, haec ad temporum calamitatem, ac difficultatem augendam plurimum valuisse.

Si vero de Ecclesia Graeca sermonem habeamus, talia tunc erant illius Ecclesiae adiuncta, ut magnam Sedi Apostolicae molestiam afferrent. Etenim videbantur quodammodo Graeci schismatici eo acrius adversus Latinos inflammati, quo manifestior eorundem dissidii iniustitia post Concilii Florentini celebrationem evaserat. Immo vero videbantur multo vehementius schisma renovare velle, quo solemnior, et concordior Ecclesiae Graecae cum Latina reconciliatio, in generali Florentina synodo facta demonstrabatur. Sunt vero omnibus nota quae Constantinopoli tunc evenerunt, ut ii omnes veluti inter proscriptos relati esse existimarentur, qui unioni cum Ecclesia Latina adhaerere, et Concilii Florentini auctoritatem propugnare iudicabantur. Haec vero non poterant Pontifici Maximo magnam sollicitudinis rationem suppeditare, tum ut unionem initam, quacumque posset

ratione, tueretur, tum ut adversarios coerceret, daretque operam ne in manifestum schismatis malum factiosorum hominum conatus perducerentur.

Haec ad Ecclesiae publicum regimen spectabant, et temporum magnam difficultatem praeseferebant. Quod vero pertinet ad civilis reipublicae statum, hic etiam difficillimus erat. Nihil dico de Turcarum, ac Mohammedanorum potentia. Illi quidem imperium Constantinopolitanum penitus delere minitabantur, sed eorundem impetus universam simul Europam in permagnum metum induxerat. Neque enim eo tempore, cum de Turcarum incursione agebatur, id unum quaeri solebat, num, scilicet, eorundem dominatui regiones aliquae essent subigendae: sed illud etiam maxime percellebat omnes, quod Mohammedanorum incursionis proprium erat, ut Religionem Christianam everterent, Christianos crudelissime vexarent, bonorum spoliatione, deportatione, aliisque calamitatibus afficerent. Quare cum Mohammedes II Constantinopoli tunc immineret, quam urbem Imperii Orientalis principem, cum Nicolaus V adhuc Pontifex esset, deinde ille expugnavit, ac cepit; perspicuum est, quantopere hoc ad temporum illorum calamitatem graviorem efficiendam conferret.

Sed si Italiam, et eas regiones consideremus, quae Pontificia ditione comprehendebantur, ex illorum temporum historia constat, eas intestinis discordiis, et turbulentorum hominum conatibus perturbatas tunc esse, et magnam molestiarum segetem Pontifici Maximo attulisse. Haec, quae cursim attigimus, satis sunt ad ostendendum, quanta esset difficultas temporum, in quae Nicolai V incidit pontificatus. Cum vero is sapientissimi Pontificis gloriam singularem sit assequutus, intelligi facile potest, praeclaris virtutum ornamentis illum praeditum esse debuisse.

Extremum diem Eugenius IV obierat die 27 Februarii anno 1447 cum ferme sexdecim annos pontificatum gessisset. Ad novi Pontificis electionem comitia habita sunt Romae in aedibus PP. Dominicanorum ad S. Mariam supra Minervam, et die 6 Martii eiusdem anni Thomas Parentuncellius de Sarazana Archiepiscopus Bononiensis Cardinalis tit. S. Susannae Pontifex electus est, qui Nicolai V nomen suscepit, et die 19 eodem mense in Lateranensi Basilica, solemni pompa coronatus. Illum honesto quidem, sed non nobili genere natum esse scriptores tradunt, ac non desunt inter eos, qui supernis significationibus eidem pontificatum praenuntiatum esse narrant. Adeo concors vero, et adeo celeriter facta est a Cardinalibus, qui in Conclavi aderant, Nicolai V electio, ut Urbem, bonosque omnes singulari, atque inopinato gaudio repleverit. Legendus Raynaldus in annalibus loco, quo de rebus ab hoc Pontifice gestis narrationem habet. Videtur enim illa historia panegyricam prorsus huius Pontificis rerum gestarum expositionem suppeditare.

Nos ut rem perstringamus, ad ostendendam Nicolai V virtutem, in iis tantummodo pertractandis immorabimur, quae superius ad significandam breviter temporum, in quae eiusdem pontificatus incidit, difficultatem recensuimus. Tanta enim sapientia ea Nicolaus V gessit, quae ad mala ista a nobis commemorata avertenda pertinere poterant, ut merito ex his, generatim, Pontificis istius in reliquis etiam rebus pertractandis praestantia intelligi possit.

Itaque primo loco diximus, cum Nicolaus V Pontifex factus est, hactenus perdurasse schismatis a Basileensibus excitati reliquias, atque inde magnam Pontifici Maximo molestiam allatam esse. Nicolaus V ipse in epistola anno 1447 ad Carolum VII Galliae Regem scripta, qua eius opem ad schismatis istius calamitatem extinguendam postulavit, quae mala ex Basileensium facto exstitissent con-

questus est. «Vides, inquit, quantum » scandalum excitaverunt in Dei Ec- » clesia odia, et cupiditates eorum, » qui in Basilea sedem suam ab Aqui- » lone posuerunt. Vides quantam la- » bem intulerint nomini Christiano, » quantam pestem excitaverint inter » fideles, quantam divisionem fabri- » caverint in plebe Christi, quantam » dubitationem mentibus hominum » iniecerint, ut vere omnium malo- » rum, quae dici, aut excogitari pos- » sint, seminarium videantur in Dei » populo exstitisse. »

Et quidem Nicolaus cum videret Basileenses in proposito persistere, neque mentem mutaturi ullo modo viderentur, existimaverat severitatem adhiberi oportere, et de ea re ad Robertum Aquensem Archiepiscopum Oratorem suum eodem anno 1447 litteras dederat, ut apud Carolum VII Regem, ad schisma coercendum ageret. Verum ubi primum Pontifex accepit, Galliae Regem singulari prudentiae laude laborare, ut Amadeum seu Felicem V una cum ceteris, qui in ea factione dignitate eminebant, ad Ecclesiae universae unitatem, et ad debitam erga Sedem Apostolicam observantiam perduceret; omnem potius animi benignitatem usurpandam iudicavit. Quare litteris ad Regem, et ad Archiepiscopum Aquensem iterum scriptis, Regi Carolo VII omnem potestatem tribuit, ut cum Amadeo, eiusque sectatoribus pacisceretur, et ad concordiam cum Sede Apostolica instaurandam eosdem pertraheret.

Concessit etiam facultates omnes Archiepiscopo Aquensi, ut si vere Amadeus, seu Felix V a pontificatu quem affectabat, destitisset, et vellet ex animo cum Sede Apostolica reconciliari, et si reliqui etiam, qui Felici V adhaerebant, ad unitatem catholicam reverti se velle demonstrassent, omni quacumque Ecclesiastica poena in eosdem lata illos absolveret, et illis plenam Sedis Apostolicae benevolentiam significaret. Ad Felicem vero quod spectat, ut se erga eundem magis benevolum ostenderet, Aquensi Archiepiscopo copiam largitus est Pontifex, eidem « dignitatem Cardinalatus, ac etiam » Legationem in omnibus civitatibus, » terris, et locis sui Dominii, cum » facultatibus consuetis, Nostro et » Apostolicae Sedis nomine pollicen- » di, et promittendi, ac secum au- » ctoritate nostra omnia, et singula, » Ecclesias, beneficia, et officia, quae » obtinet, saecularia, et regularia, » quotcumque, quaecumque, et cu- » iuscumque valoris exsistant, reti- » nere libere, ac licite ad vitam pos- » set, dispensandi. »

Eam vero, quam erga Amadeum ipsum, et praecipuos eiusdem asseclas Nicolaus clementiam adhibendam iudicavit, in alios etiam quoslibet demonstrandam esse decrevit, qui ubicumque commorantes a Basileensibus decepti, schismatis participes evasissent. Cuius rei inter cetera perspicuum argumentum continet epistola a Nicolao V ad Iacobum Episcopum S. Andreae die 28 Iulii anno 1447 scripta, qua eundem ad veniam iis omnibus tribuendam facultate donavit, qui in Scotia Basileensi schismati adhaesissent. Sunt etiam benevolentiae plenae litterae sexto nonas Octobris eodem anno a Pontifice missae ad Vincentium Archiepiscopum Gnesnensem in Polonia, quibus eundem a schismate resilientem complexus est, atque omni censura, et Ecclesiastica poena solvit, cui eandem ob causam obnoxius fuerat. Una cum Archiepiscopo autem etiam omnes ex Clero, et Populo Gnesnensis dioecesis sunt a Nicolao Pontifice recepti, qui Praesulis sui exemplo adducti schisma Basileense amplexati fuerant.

Tulit vero benignitatis, et prudentiae suae uberrimum fructum Nicolaus V anno 1449, cum penitus schisma deletum est, et pacem, quam Basileenses motus iamdiu turbaverant, Ecclesia penitus recuperavit. Plenam habet huius rei historicam demonstrationem Raynaldus ad eundem annum, quo loco Gobelinii,

Monstreletii, Aeneae Sylvii, Stephani Infissurae, Platinae, Poggii Florentini adductis testimoniis, id hoc anno feliciter evenisse narrat. Est etiam valde erudita, ad eundem annum num. 1, Dominici Mansii adnotatio, qua totam rem gestam perstringit, atque accurate pertractat.

Itaque tunc Felix V, seu Amadeus Sabaudiae omne quodcumque ad pontificatum ius sponte dimisit; ii qui Felicem sequebantur, et Lausanae conventus habere prosequuti fuerant, Nicolaum V veluti verum, legitimumque Pontificem venerati sunt, et Lausanae Concilium, quod ipsi appellare consueverant, dissolutum esse declaraverunt. Amadeus vero licet post schisma reiectum, a Nicolao V Cardinalis Sabiniensis factus, et per totam Sabaudiam legati Apostolici munere insignitus esset, « abdicatio- » ne tamen bene usus (ait Raynal- » dus ad an. 1449 num. 7) Ripaliam » reversus, caelestium rerum con- » templationi se addixit, et pie obiit.» Eius vero mors Ianuario mense anno quarto pontificatus Nicolai V, hoc est, prout Mansius notat, anno 1451 contigisse dicenda est. Et de Amadeo legendus praecipue est liber inscriptus *Amadeus Pacificus* a P. Monodo Societatis Iesu compositus, qui de eiusdem laudibus plura habet. Et quamquam huius libri Auctor est recentior; opus enim hoc primum Taurini prodiit anno 1642; eius tamen de Amadeo sententiam, recte Mansius idem animadvertit, a veteribus pluribus, egregiisque scriptoribus confirmari.

Stephanus autem Infissura inter ceteros illorum temporum scriptores, in chronico ad hunc annum refert, quanta laetitia omnes undique affecerit schismatis penitus extincti notitia, quantaque ubique consequuta sit ob eam rem bonorum omnium gratulatio. Et Romae quidem certum est singularem fuisse huius laetitiae significationem, et non clerum dumtaxat, sed populum etiam Romanum magno gaudio exsultantem, nocte sequenti cum facibus per urbem equitantem, faustis clamoribus longam Nicolao Pontifici vitam adprecatum esse, equestres ludos esse deinde factos, et ipsum Pontificem ad gratias Deo agendas, solemni supplicatione instructa, singulari religionis, ac pietatis exemplo, a Basilica Vaticana S. Petri ad Molem Hadrianam processisse; id a reliquis etiam Italiae populis factum esse.

Cum vero Nicolaus Pontifex optaret omnem dissidii renovandi occasionem tolli, animadvertit Raynaldus loco citato num. 7, illum omnia gesta, et concessa ab Amadeo hominibus, ac locis, quae ipsi, ut Pontifici, concessionis tempore obtemperabant, assentiente S. R. E. Cardinalium Collegio, rata, firmaque esse iussisse, tum omnes in pristinum gradum, et ius restituisse, qui ob sequutas Amadei, seu conventus Basileensis partes, sacerdotiis, bonisve, Eugenii sententia, fuerant eversi: demum quaecumque fuerant in Amadeum ipsum, et Basileae congregatos Praesules, aliosque eorum sectatores gravius dicta, vel scripta, Pontificis iussu fuisse revocata.

Neque minus se Nicolaus V benevolum erga eos ostendit, qui praecipui fuerant inter Felicis V studiosos. Id nos iam superius de Ludovico Alemanno, seu Alemando, Cardinali Archiepiscopo Arelatensi sermonem habentes significavimus. Eum enim, qui Felicem ipsum electum Pontificem, Episcopum consecraverat et coronaverat, deinde, errore detecto, et ex animo curantem, ut Felix pontificatu abdicaret, ac profitentem, a se Nicolaum V veluti verum, legitimumque pontificem haberi, et coli, Nicolaus benigne complexus, cardinalatu, aliisque honoribus, quibus ab Eugenio IV is spoliatus erat, iterum cumulavit. De ceteris vero Felicis V seu Amadei Cardinalibus haec breviter cum Raynaldo adnotasse sufficiet.

Scilicet cum illis ad pactionem ullam Nicolaum non venisse ex Infis-

surae testimonio Annalista doctissimus animadvertit; sed voluisse eos Pontificis arbitrio se permittere debere: neque eos exspectatione sua frustratos esse; usum Nicolaum clementia in omnes fuisse, ac die 20 Decembris anno 1449 nonnullos ab Amadeo quondam Cardinales sine legitima auctoritate creatos, in sacrum Cardinalium S. R. E. collegium vere adscivisse; videlicet Ioannem Arsium, de Artus, Archiepiscopum Tarantasiensem, Ludovicum e Warambone Episcopum Maurianensem, et Guillelmum Hugonis e Sagno Archidiaconum Metensem, Gallos, quorum alteri SS. Nerei et Achillei, alteri S. Anastasiae, tertio S. Sabinae titulos tribuit, data etiam facultate, ut sedes, ac sacerdotia antea parta retinerent: reliquos Antipapae Cardinales vel demortuos esse subdit Raynaldus, vel sponte cardinalatu abdicavisse.

Haec, quae de schismate Basileensi deleto recensuimus, non possunt argumentum non afferre Nicolai V Pontificis sapientiae. Etenim negotium hoc difficile fuisse, et huius dissidii causa Ecclesiam, ac Rempublicam graviter perturbatam iamdiu esse omnes norunt. Sed Nicolaus integrum ferme biennium, quod ad negotium istud absolvendum insumpsit, singularem semper prudentiam ac temperantiam adhibuit, qua factum tandem aliquando est, ut adversariorum animi pacati, atque ad optandam reconciliationem perducti, finem tanto malo imponendum esse et ipsi intellexerint, ac dissidium penitus sublatum sit.

Ut hanc laudem Nicolai V virtuti tribuendam non esse Potterius persuadeat, *tom. 4* operis toties citati *parte 1 lib. 7 pag. 137* affirmat, Concilium Lausanense, quod constabat iis, qui hactenus supererant Concilii Basileensis propugnatoribus, per se ipsum schismati finem imposuisse novam Nicolai V Pontificis electionem Lausanae faciendo. Ita enim evenisse ait, ut Felix V patrocinio Concilii illius destitutus potestatem suam se brevi amissurum esse intelligens, existimaverit, se satis commode pontificatum adeo incertum dimissurum esse, si inter Nicolai V Cardinales primum locum consequi posset.

Haec tamen, quae Potterius ait, sunt de industria ad obscurandam Nicolai V virtutem excogitata. Dum ista commemorat Potterius, ad factum illud alludit, quod Lausanensium litterae continent, ac narrant, videlicet loco, quo referunt, se Nicolaum V eligere, et omnibus se mandare, ut illum veluti legitimum, certumque Pontificem venerarentur. Sed consideranda est huius rei tota ratio, ut hoc etiam loco appareat Scriptoris, de quo loquimur, mala fides.

Etenim negari quidem non potest, Lausanenses, seu eos, qui Lausanae Concilium se celebrare contendebant, in litteris, quas 13 calendas Maii anno 1449 Lausana dederunt, affirmavisse, ab eo Concilio electum esse *in Summum Pontificem dilectissimum Ecclesiae filium Thomam, nomine, quo nunc appellatur, Nicolaum V.* Sed hoc Lausanensis conventus factum, omnino spretum ab omnibus est, neque fuit a quolibet existimatum eo tempore, ab hac nova Nicolai V Pontificis electione Lausanae facta, schismatis extinctionem pendere potuisse.

Eo modo, inquam, istud factum ab omnibus spretum est, quo modo decreti de hac electione peracta inscriptionem contempserunt omnes, qui vel minimam rerum ad ea tempora pertinentium notitiam habuerunt. Inscripserunt enim Lausanenses decretum illud his verbis, quae ad synodum ipsam irridendam videbantur excogitata: *Sancta haec Synodus,* inquiunt, *in Spiritu sancto legitime congregata, universalem Ecclesiam repraesentans eligit,* etc. Quid vero his verbis ineptius fingi potuisset ad synodum irridendam? Nam ea synodus, non in Spiritu sancto legitime congregata, sed veluti schi-

smatica generatim habebatur, non universam Ecclesiam repraesentans, sed miserandum potius Basileensium desperatae causae perfugium existimabatur. Atque erat interea omnibus exploratum, legitime electum mense Martio anno 1447 Nicolaum V Pontificem fuisse, isque veluti legitimus, certusque Pontifex Maximus universae Ecclesiae, vel ab integro biennio iam elapso praeerat.

Est etiam captiosa illa a Potterio huius rei narrandae ratio usurpata. Refert enim schismati, a Lausanensibus ultro finem impositum fuisse novam hanc Nicolai V electionem faciendo, et tunc Felicem V Concilii istius fulcimento derelictum, sibi commodum, et valde opportunum esse intellexisse, nutantem Pontificatum dimittere idcirco, ut inter Nicolai V Cardinales primum locum obtineret.

Sunt haec omnia plena falsitatis. Etenim prostant adhuc Felicis V litterae, quibus solemnem pontificatus sui abdicationem fecit, eaeque inter ceteros a Raynaldo citato loco *num.3 et 4* recitantur. Scriptae autem sunt Lausana *7 idus apriles anno 1449,* hoc est die 7 eiusdem mensis. Litterae etiam Lausanensis, quod vocant, Concilii, quibus novae Nicolai V electionis in Concilio factae decretum continetur, ab eodem Annalista *num. 5 et 6* referuntur. Sunt vero hae Concilii litterae scriptae *13 cal. maii anno 1449,* hoc est, die 19 Aprilis eius anni. Si consideretur ergo utriusque epistolae scriptae dies, apparebit continuo, dimissionem Pontificatus a Felice V factam, decreto Lausanensis Concilii de Nicolao V iterum eligendo esse anteriorem, ut falsum etiam esse inde sequatur, Felicem V pontificatum dimittendi consilium, ratione habita electionis istius a Concilio factae, ad exitum perduxisse.

Praeterea agendi ratio, ac vivendi propositum, quod Felix V seu Amadeus VIII retinendum a se esse ostendit, postquam pontificatum dimisit, certe demonstrat falso Potterium affirmavisse, illum rebus suis consulentem iudicasse, se feliciter negotium hoc esse compositurum, pontificatum ita abdicando, ut inter Nicolai V Cardinales locum principem consequeretur. Eum enim post dimissum Pontificatum ad veterem suum Ripaliae recessum iterum confugisse, atque omni rerum humanarum cura deposita, et divinarum potius rerum contemplationi deditam vitam agentem anno 1451 mortuum deinde esse monumenta certissima continent.

Denique constat litteris a Nicolao V ad Robertum Archiepiscopum Rhemensem anno 1447 scriptis, Pontificem sponte sua statuisse Felicis V seu Amadei benevolam omnem rationem habere, et cum eodem, si Pontificatum dimisisset, honorificentissime agere. Quare in iis litteris Pontifex decreverat, Felicem ipsum, pontificatu dimisso, retenturum « dignitatem cardinalatus, ac etiam legationem in omnibus civitatibus, terris, et locis sui dominii » Ducatus Sabaudiae esse habiturum. Non ergo dubius umquam haerere potuerat antea Felix V de futurae conditionis suae prosperitate, si pontificatum dimisisset, neque ob hanc spem anno 1449, hoc est tanto post tempore, ex quo Nicolai V benevolam mentem de ea re sciebat, et constantem esse videbat, consilium istud ab eo susceptum fuisse dici potest, cum se a Lausanensibus derelictum esse sensit. Concludamus igitur oportet, quae Potterius memorato superius loco dicit, ut hanc a Nicolai V schismatis extincti laudem imminuat, esse prorsus contemnenda.

Neque minus Nicolai V sapientia demonstrata est in iis peragendis, quae ad coercendos Graecos Schismaticos, qui despecta Concilii Florentini auctoritate, unionem in eodem Concilio, Graecam inter et Latinam Ecclesiam feliciter instauratam, infringere conabantur. Muneris sui esse Pontifex ratus ut ad conatus istos nefarios comprimendos oecumenicam

Florentiam synodum tueretur, vel ab ipso Pontificatus sui initio ad hoc consequendum sollicitudinem suam convertit. Itaque die 3 Augusti anno 1447 litteras ad Andream Archiepiscopum Nicosiensem scripsit, quibus eidem commisit, ut vigili cura, et censurarum etiam severitate adhibita videret, ne unionis instauratae firmitas ob schismaticorum fallacias, atque artificia detrimentum aliquod caperet in iis locis, ad quae Archiepiscopus idem Nicosiensis Legatus a Pontifice fuerat destinatus. Fuerat autem Andreae Archiepiscopo Nicosiensi Apostolici Legati munus commissum gerendum in Regno Cypri, in insula Rhodio, nonnullisque aliis insulis, et finitimis regionibus. Amplissimum igitur regionum tractum Legato suo Nicolaus commendavit, in quo Religionis catholicae bonum ob memoratam causam procurandum ei commendavit.

Exstant praeterea Nicolai V litterae die 6 Septembris anno 1449 scriptae ad haereticae pravitatis Inquisitores in Graecia constitutos, quibus eorundem sollicitudinem excitavit ut prospicerent, ne ritu, in quo quis natus est, derelicto, ad diversum ritum aliquis pertranseat, quae res Graecis, atque Orientalibus etiam semper cordi fuit. Eadem cura Nicolaus Archiepiscopum Nicosiensem superius memoratum graviter hortatus est, ut Chaldaeos in Cypro commorantes a schismatis renovandi periculo averteret. Etenim cum Pontifex accepisset, nonnullos ex Chaldaeorum natione, qui in Cypro erant, ad vetus schisma deficere, idcirco litteras anno 1450 ad Legatum suum Apostolicum dedit, atque ei commendavit ne Chaldaei, qui post translatum Florentia ad Lateranensem Urbis aedem Concilium generale, sub Eugenio IV fuerant cum Sede Apostolica reconciliati, ab unione resilirent, atque in schisma iterum laberentur.

Sed in ista causa celeberrimae prorsus sunt Nicolai V litterae die 11 Octobris anno 1451 ad Constantinum Palaeologum *Dragasem* appellatum, Graecorum Imperatorem. Etenim postquam Amurathes II Turcarum Imperator mortuus est, Graeci respirare visi sunt, et metum deponere, quo vehementer tenebantur ne brevi Amurathis potentia, Imperium Constantinopolitanum funditus everteretur. Eiusmodi autem eventus, qui excitare Graecos debuisset ad promissa implenda, quae de unione cum Ecclesia catholica retinenda fecerant, eosdem superbiores effecit.

Nam Amurathis metu deposito, in schismatis renovandi improbo consilio obduruerunt, Patriarcham cum Romana Ecclesia sentientem abiecerunt, Imperatorem Constantinum Dragasem a Patriarcha tuendo, atque ab unione propugnanda perterruerunt. Sed haec a Graecis non modo inique, verum etiam insipienter fiebant, veluti si, Amurathe mortuo, Deus Optimus Maximus non haberet quomodo praeposteram ab eis conceptam laetitiam in luctum converteret, et Ecclesiae causam a Graecis proditam ulciscereturur. Non multo enim post Graeci poenas sceleris sui dederunt, cum a Mohammede II Constantinopolis capta, et imperium Constantinopolitanum deletum omnino est. Tunc Nicolaus V cum insanam, et iniquam Graecorum agendi rationem videret, litteras superius memoratas ante Constantinopolis expugnationem Imperatori scribendas iudicavit.

Itaque Imperator Legatum suum Andronicum Brienium Leonardum nobilem virum una cum litteris suis miserat Legatum ad Pontificem, quo eum certiorem faceret de suo studio unionis cum Ecclesia Latina tuendae, eumque ad auxilium Imperio Constantinopolitano in tantum discrimen adducto opem ferendam moveret. Respondens Nicolaus Imperatori affirmavit primo loco, se impedimentorum gravitatem intellexisse, quibus factum erat, ut decreti Florentiae conditi de unione Graecorum cum

Ecclesia Latina promulgatio retardata fuisset : Ioannem Palaeologum eius fratrem nimium diu rem protraxisse, ac morte praeoccupatum non potuisse decreti promulgationem ad exitum perducere. Unam vero esse Ecclesiam, unum Ecclesiae Caput, cui universa Ecclesia subsit ; extra veram Ecclesiam frustra salutem requiri.

Tum Imperatori ob oculos ponendam esse causam Pontifex existimavit, cur adeo infelix evasisset Imperii Constantinopolitani status, scilicet, « ut ea gens, quae sub uno Im» peratore tam effusum habebat im» perium, quae olim abundavit in» numerabilibus sanctissimis, et do» ctissimis viris, in praesentiarum » ad id miseriae devenerit, ut o» mnium gentium miserrima esset.» Atque, omissis ceteris, quae de antiquioribus tanti mali causis Pontifex eo loco commemoravit, de schismate per Photium invectò cum Nicolaus I Pontifex esset, et de temporibus, quae Photii aetatem consequuta sunt, Nicolaus V sermonem instituit.

In schismate autem contra Ecclesiam Latinam conflato, causam praecipuam positam esse Pontifex animadvertit, qua Deus iustas ab Imperio Constantinopolitano poenas exegerit. « Subest aliud sacrilegii ge» nus, Pontifex ait, quod divina iu» stitia impunitum esse non sinit, » diligenter inquirentibus, quantum » cordis humani valeat infirmitas in» tueri, licet intelligere; hanc capti» vitatem non aliunde profectam, » quam ex reatu schismatis, quod, » auctore Photio, tempore Nicolai » Primi sumpsit exordium, et eo us» que inveteratum est, ut usque ad » tempora ista pervenerit. »

Quid autem diuturno post Photium tempore Graeci egissent, quanta cura Romana Ecclesia operam dedisset interea, ut schisma tolleretur, Pontifex recenset, sed nihil revera potuisse stabiliter impetrari, et dissidium ad aetatem suam usque perseveravisse. « Ecce iam fere, inquit, » quingenti anni transiere, ex quo » Satan princeps, et auctor omnium » peccatorum, et maxime schismatis, » et divisionis inductor, ab obedien» tia Romani Pontificis, qui Petri » Successor est, et Domini Nostri » Iesu Christi Vicarius, Constanti» nopolitanam seduxit Ecclesiam. In» finiti tractatus intervenere, plu» rima sunt celebrata concilia, in» numerabiles legati in hanc rem » destinati, ut tam atrox vulnus in » Dei Ecclesia sanaretur. Novissime » autem, Deo ita providente, in Fer» rariensi, et Florentino Concilio » Ioannes Palaeologus Romanorum » Imperator cum magna Procerum, » et nobilium comitiva, et Iosephus » Constantinopolitanus Patriarcha » cum multa Metropolitanorum, Epi» scoporum, Abbatum, ceterorumque » Praelatorum numerositate conve» nientes, cum Eugenio Papa IV » praedecessore Nostro, et venera» bilibus S. R. E. Cardinalibus, et » Praelatorum Occidentalis Ecclesiae » numerosissimo comitatu, ad exstir» pandum inveteratum schisma, o» mnem operam, atque diligentiam » tribuere, et tandem, Deo inspi» rante, est perventum, ut difficul» tatibus a medio sublatis, decre» tum huiusmodi unionis publicare» tur. Facta sunt ista, teste toto orbe » terrarum, et decretum unionis hu» iusmodi et Graecis, et Latinis lit» teris editum, cum scriptione ma» nuali eorum, qui interfuere terra» rum ubique transmissum. »

Deinde testes huius celeberrimi facti appellat gentes omnes, quae Florentinae synodo dici poterant per Episcopos, et Praesules suos participes fuisse : Italiam, dico, Hispaniam, Galliam, Angliam, Hiberniam, Scotiam, Germaniam, Daniam, Norvegiam, Sveciam, Poloniam, Hungariam, Pannoniam: verum quae fuerant Florentiae decreta, inanibus quotidie dilationibus non servari; facile tamen Romanum Pontificem, et Latinos intelligere, has dilatio-

nes non esse factas bona fide, sed idcirco dilatam esse decreti unionis exsequutionem, quod homines antiquo dissidio addicti, in iis regionibus potentes, rei exitum impediissent. « Dantur, inquit, quotidie dilationes, » et eaedem excusationes penitus in- » ducuntur: ne credant Graeci Ro- » manum Pontificem, et omnem oc- » cidentalem Ecclesiam lumine esse » privatos, quod non intelligant, quod » in hac dilatione responsionum sua- » rum, verba pertendant. Intelligunt, » sed tolerant, intuentes Dominum » Iesum Christum aeternum Ponti- » ficem, qui ficulneam infructuosam » arborem, usque ad tertium annum » servari iussit, cum cultor illius » propter sterilitatem cuperet am- » putari. » His autem verbis visus est Pontifex proximum Constantinopolitani imperii extremum excidium praedixisse, quod die 29 Maii anno 1453 a Mohammede II Constantinopolitanam urbem occupante absolutum est.

Pollicetur quidem Pontifex Imperatori, se quantum posset, auxilio suo Imperii periculis occursurum, eum tamen operam dare debere, ut schisma tolleretur, decretum unionis promulgaretur, Patriarcha protegeretur, Pontificis Maximi nomen, quod catholici dogmatis significatio est, recitaretur in diptychis, et pro ipso ab universa Graecorum Ecclesia preces fierent, quemadmodum antea, et priusquam schisma excitaretur, religiose servatum fuerat. Haec aliquanto copiosius ex memorata superius Nicolai V epistola recensenda esse iudicavi, tum quod ad Pontificis sapientiam demonstrandam inservire possunt, tum etiam quod ad schismatis Graecorum iniustitiam luculentius evincendam sunt opportuna.

Magnam quidem a Nicolao V Pontifice adhibitam esse curam, ut Graeci tandem aliquando quod Florentiae promiserant, vel proficerent, haec, quae hactenus retulimus, aperte demonstrant. Verum tantae isti Pontificis sollicitudini felix exitus non respondit. Neque enim Nicolaus Graecum schisma videre extinctum potuit, prout Basileensis dissidii finem eum vidisse demonstravimus. Haec tamen, quae adducta sunt, Pontificis providentissimi in rebus Ecclesiae gerendis singularem diligentiam evincunt. Atque illud etiam adiungi potest, etsi Nicolaus schismatis extinctionem impetrare non potuerit, effecisse tamen agendi ratione sua ut multo clarius appareret quam iniuste, et quam manifesta fidei datae proditione Graeci ea exsequi non voluerint, quae ad unionem instaurandam fuerant Florentiae decreta.

Animadvertit vero Raynaldus apposite ad annum 1453 n. 3, Nicolaum Graecos non aspernatum esse, sed operam, ac studia sua ad ipsos tum a schismate revocandos, tum a Turcarum tyrannide vindicandos interposuisse. Miserat enim, inquit, iam ante Isidorum Ruthenorum Episcopum, ac S. R. E. Cardinalem Legatum, ut renovato Ecclesiarum foedere, Latini ad Orientale imperium auxilia conferrent. At Graeci illud confirmare tamdiu recusarunt, donec se undique Turcico exercitu, et periculis circumsessos viderunt, ut scribit Calchondylas, cuius testimonium Annalista refert, qui scriptor, de postrema Turcarum in Constantinopolim impressione, qua urbem expugnarunt, haec memoriae prodidit: « Cardinalis Isidorus Sarmata- » rum Antistes, cuius ante memini- » mus, Graecis, penes quos ea tem- » pestate fuit, auxilio fuit: aderat » enim ut Synodum congregarent, » et Romano Pontifici Graecos re- » conciliaret. Haec quidem paullo » ante confecerat: at Graecis illa » cum Romanis reconciliatio nimis » sera exstitit. » Etenim Mohammedes II ante Constantinopolim cepit, quam Latinorum auxilia pervenissent.

Atque hic nobis ultro offertur occasio, aliqua breviter commemorandi, quae Nicolaus V fecit, cum Constan-

tinopolim a Mohammede II captam, et imperium Constantinopolitanum funditus eversum esse accepit. Pontifex quidem tanto dolore ob Constantinopolitanae urbis expugnationem perculsus est, ut communis sit Scriptorum sententia, eum ista de causa, gravissimo moerore pressum reliquum pontificatus sui tempus duxisse, atque in ea animi moestitia morbos contraxisse, qui eiusdem mortis causam attulerunt.

Verum etsi ista vera sint, omnem tamen animi magnitudinem Nicolaus in eo eventu demonstravit, quo universa ferme Europa contremuit. Renovatae sunt enim eo tempore omnes causae timoris, quem iamdiu Turcarum potentia ubique excitaverat, et omnes ubique advenisse tempestatem illam intellexerunt, qua Europa ipsa in summum periculum adducta crederetur.

Cum nos in saeculi XI praelectionibus de bellis ad recuperandam Palaestinam gestis egimus, et causas exposuimus, quare iustissimam sacram expeditionem fuisse ab Urbano II decretam, ac deinde ab eius Successoribus renovatam ostendimus; hanc inter cetera attulimus, quod omnium Christianorum Principum interesse plurimum deberet, ne Constantinopolitano imperio a Turcis excidium inferretur: Constantinopoli enim capta, atque eo imperio everso, iis temporibus magnum periculum universae Europae imminebat, ac non modo Christianae Religionis, sed etiam civilis Reipublicae incolumitas nutari videbatur. Inter felices autem effectus, quos expeditiones sacras attulisse vidimus, ille certe fuit permagnus, quod Imperium Constantinopolitanum, quantumvis valde debilitatum, ac fractum, tamen ferme tercentum annos postea fuerit servatum. In Nicolai V igitur Pontificatus tempora incidit, ut quod iamdiu Europa timuerat, quodque simul coniunctae Europae exercituum vires impediverant, id infeliciter eveniret. Itaque omnem dandam esse operam Nicolaus V intellexit, ne in isto casu Europaei terrore perciti animo deficerent, ac Mohammedis impetum non retardarent.

Id vero Pontifex efficere conatus continuo est. Referuntur autem a Raynaldo in annalibus monumenta, quae singillatim Pontificis curam demonstrant, quo Europaei Principes coniunctis consiliis, et armis, Mohammedis insolentiae resisterent, et Europae regiones a vastitate, populum christianum a servitute, Religionem ab ingenti discrimine liberarent. Itaque legenda quae ad an. 1453 num. 8 et posterioribus pluribus locis, in eo opere referuntur. Huius vero Pontificis curae veluti summam continet diploma illud n. 9 a Raynaldo relatum, quo Pontifex expeditionem renovandam, et Principes, ac populos Christianos ad Turcas coercendos excitavit. Licet vero Nicolaus certe consequi non potuerit, ut Constantinopolis a Mohammede relinqueretur, imperium Constantinopolitanum restitueretur, eius tamen consilium hunc fructum habuit, ut Mohammedani non potuerint calamitatem istam graviorem efficere. Ea vero ratione, qua Urbano II, ceterisque Pontificibus Nicolao V antiquioribus fuit honorificum, ad Europae, et Christianae Religionis defensionem, sacras expeditiones peragere, eo modo de Nicolao existimari debet, qui quanto maius periculum evaserat, tanto impensius laboravit, ut Europae, et Christianae Religionis defensioni consuleret.

De iis rerum adiunctis aliquid etiam recensendum est, quae Occidentales regiones respiciunt, quaeque magnam etiam temporum difficultatem ostendunt, cui prospicere Nicolaus Pontifex debuit, ut saluti publicae provideret.

Plura possent illorum temporum monumenta afferri, quae perspicue ostenderent, Nicolaum V repressisse undique exardentes bellandi cupiditate discordias, et eas ubique sedare studuisse. Omissis vero ceteris, quae

apud Raynaldum legi fuse possunt in eiusdem Pontificis historiae decursu, ea commemorabo tantum, quae Italiam respiciunt. Colligitur vero, inter cetera, quae ab illius aetatis Scriptoribus de ea re memoriae prodita sunt, quanta esset discordia in Italia eo tempore, et quanto studio Nicolaus illam componendam curaverit, colligitur, inquam, ex iis, quae in Nicolai V vita habet Iannozius Manettius, ubi loquitur de bello, quod gerebat Alphonsus Aragoniae Rex, qui Mediolanensem Principatum consequi conabatur, atque etiam Ferdinandus eius Filius Calabriae Dux et Veneti, cum Francisco Sfortia, ac Florentinis.

Itaque narrat Iannozius, Nicolaum tam prudenti usum esse agendi ratione, ut dum belli calamitatem arcendam curabat, et Christianorum inter se pugnantium vires colligere, atque ad bellum adversus Turcas gerendum convertere satagebat, nullam tamen sibi invicem adversantium partem offenderit, nec Alphonso, nec Venetis, nec Florentinis, nec Francisco Sfortiae displicuerit, et ditionem Pontificiam a bellicis tumultibus, militaribusque direptionibus illaesam, inviolatamque custodierit. « Quemadmodum, inquit, et primo, et secundo sui pontificatus anno ante prudentissime fecerat, quando Alphonsus, priusquam ipse ad pontificale fastigium assumeretur, cum copiis ingentibus idcirco Tibur venerat, ut exinde adversus Florentinos hostilibus exercitibus moveret, ac deinde, in eodem conservandae, ac retinendae pacis proposito continue perseverans, cum per Philippi Mariae (Mediolanensis Ducis) mortem, tota pene Italia bellicis hinc inde tumultibus confunderetur, solum ipse Alphonso, Venetis, Florentinis, Senensibus, ac Francisco Sfortia, inter sese contendentibus, invicemque bellum gerentibus, quietem novit, quietem adamavit, quietem, et tranquillitatem ceteris omnibus humanis praeposuit, longeque praetulit, tum quia suapte natura a bellis abhorrebat, tum etiam ut in praeclara illa de componendis, traducendisque operibus, et de construendis, ordinandisque et extra, et intra urbem aedificiis liberius vacare, ac studiosius subministrare posset, atque omnes insuper subditos suos a bellicis fremitibus, et militaribus direptionibus, veluti a pestilentibus, et contagiosis morbis illaesos servaret. » Haec ad annum 1452 referuntur.

Neque vero quae Pontifex ad pacem Italiae componendam meditabatur, et impense cupiebat, optatum ab eo fructum consequuta non esse existimanda sunt. Immo vero, quod Pontifex sibi proposuerat, id tandem aliquando perfectum feliciter est. Postquam enim diu de isto gravissimo negotio pertractatum fuisset, pax demum inita est, cuius conditiones ad annum 1454 num. 7 Annalista eruditissimus refert. Ita vero res est statuta, ut Alphonsus, Veneti, Florentini, Senenses, Genuenses, Franciscus Sfortia, ceterique omnes in Italia inter se dissidentes ad concordiam mutuam reverterentur.

Florebat tunc inter ceteros peculiari laude praestantes Cardinales, Dominicus Capranica tit. SS. Crucis in Ierusalem Archiepiscopus Firmanus, qui a Martino V circa vitae finem in sacrum Cardinalium Collegium fuerat cooptatus. Virum hunc amplissimum, cuius laudibus plenae sunt illorum temporum litterae, cuiusque sapientiae, et Religionis amplificandae singularis studii perenne monumentum exstat in Urbe Roma, in eius aedibus conditum collegium, ad adolescentes ad bonas artes, ac sacerdotium informandos ab eodem institutum, ad quod me ipsum adolescentem pertinuisse, atque ibi plures annos in adolescentia mea, philosophiae ac theologiae operam me dedisse honoris mei causa hic recordor hunc, inquam, virum amplissimum Nicolaus V elegit, cui Legati Apostolici a latere munus commit-

teret, ut pacis initae negotium solemniter absolveret.

Gravissimi muneris istius a Nicolao V Dominico Cardinali Capranicae tributi testimonium habemus litteras a Pontifice Maximo ad eundem Cardinalem 8 idus Novembres anno 1454 scriptas, quibus ei commendavit, ut sese Neapolim conferens, quae de ineunda pace statuta fuerant ad exitum perduceret. Illum vero tamquam pacis Angelum, ad Italiae pacem comparandam, a se Neapolim destinari Pontifex affirmat, et se omnem sperandi rationem habere, ut pro « singulari prudentiae, scientiae, aliarumque virtutum magnitudine, quibus earum Dator altissimus illum insigniverat, ad effectum optatum perducturum esse eum quae aliis fortasse impossibilia viderentur. »

Huius vero consilii a Nicolao V suscepti sapientiam, ut pacis componendae negotium Cardinali Capranicae committeret, huius, inquam, consilii sapientiam Iannozius Manettius in Pontificis vita plurimum laudat loco, quo commemorat, Venetos in amicitiam cum Florentinis, et Duce Sfortia reversos, Alphonso id penitus ignorante, sex Oratores per id ferme tempus ad Nicolaum misisse, ut ad concordiam ineundam Alphonsum ipsum auctoritate sua pertraheret. Narrat enim Oratores istos vehementer laetatos fuisse, cum a Nicolao audierunt, eum etiam de pace componenda studiosissime laborare, pacis tractatum iam esse dispositum, et eum ad rem absolvendam Cardinalem Capranicam Legatum suum velle Neapolim mittere. « Hoc Nicolai responsum, Iannozius ait, quam gratum, atque acceptum Oratoribus fuerit, non satis dici, explicarique potest, praesertim quando Dominicum, tit. S.Crucis, Presbyterum Cardinalem Dominum Firmanum, prudentissimum, et optimum virum, et magnae apud omnes mundi Principes auctoritatis, et ardentem insuper pacis amatorem, vivae vocis oraculo pronuntiatum, atque ad id sanctum opus peragendum designatum, destinatumque acceperunt. »

Quod vero Nicolaus optaverat, et quod commisso praesertim Cardinali Capranicae Legationis munere se consequuturum esse speraverat, id vere perfectum anno 1455 est. Haec autem etsi Cardinali Legato plurimum honori fuerint, demonstrant tamen Pontificis sapientiam, ac virtutem, qui difficilis negotii pertractatorem virum adeo idoneum elegerit, quique antea omnia ea disposuerat, quae ad pacem impetrandam esse poterant opportuna. Ad res, quas Cardinalis Capranica gessit agnoscendas legi praecipue potest Michaelis Catalanii *De vita, et scriptis Dominici Capranica Cardinalis Antistitis Firmani commentarius.*

Equidem intelligo, ea, quae hactenus de Nicolai V rebus gestis adducta sunt, satis esse posse ad praeclaram Pontificis virtutem ostendendam. Sed ad plenam eiusdem in omni rerum genere praestantiae notitiam comparandam consuli praesertim potest opus viri doctissimi Dominici Georgii, Romae anno 1742 editum, quod inscriptum est: *Vita Nicolai V Pontificis Maximi, ad fidem veterum monumentorum..... Accedit Disquisitio, de Nicolai V erga Litteras, et Litteratos viros patrocinio.* Etenim haec historia continet omnia, quae ad illustrandam Pontificis memoriam pertinere possunt, atque una simul demonstrat, quanta esset Praesulis clarissimi eruditio, qui illam litteris commendavit.

Itaque praeter illa, quae attulimus ad significandam Nicolai V sapientiam in gravissimis rebus gerendis, de reliquis eiusdem ornamentis aliqua adiungemus. Atque illud praecipue, quod ostendit quanta fuerint Pontificis circa litteras, et studia scientiarum merita. Ferebatur enim natura ipsa ad ea studia excitanda, et tum aliis ornamentis, tum ista de optimis artibus promerendi vo-

luntate, ad amplissimos honoris gradus, atque ipsum Pontificatum Maximum sibi viam munivit, quantumvis generis nobilitate non emineret.

Vir eruditissimus Hieronymus Tiraboschius in sua litteraturae Italicae historia, *tom. 6 cap. 2 num. 27* nullum Nicolai V praedecessorem eo usque pervenisse animadvertit, quo ille pervenit in studiis litterarum, ac scientiarum promovendis, et eorum cultoribus large remunerandis. Huius autem suae erga litteras, ac litteratos voluntatis Nicolaus vel ab ipso Pontificatus eius exordio perspicuum argumentum dedit, amicitiae, ac benevolentiae suae consuetudinem tribuendo doctissimis viris, qui ea aetate florebant, inter quos commemorari possunt Poggius Florentinus, Iannozius Manettius, Antonius Loschius, Leonardus Brunius, Georgius Trapesuntinus, Nicolaus Perrottius, Bartholomaeus Montis Politiani, Cincius Romanus, Franciscus Zilelphius, Ioannes Tortellius, Laurentius Valla, Georgius Civitatis Castelli, Ioannes Aurispa, Theodorus Gaza, aliique, quos Georgius recenset.

Huic Pontificis litterarum excitandarum studio debetur, veterum scriptorum Graecorum plura opera tunc latine reddita fuisse, qualia fuerunt Dionysii Areopagitae, Basilii, Gregorii Nazianzeni, Ioannis Chrysostomi praeclara scripta. Alias plures Georgius in Nicolai V vita recenset latine factas Graecorum scriptorum versiónes, ad quas elaborandas Pontifex viros doctissimos, quos consortio suo dignabatur, amplissimis etiam praemiis propositis excitavit. Merentur vero, ut silentio hic non praetereantur inter ceteras illae Dionis a Gregorio Tifernate, Appiani a Demetrio Decembrio, Aristotelis, et Theophrastis a Theodoro Gaza factae versiones, de quibus Georgius singillatim agit, et argumentis adductis ostendit, eas Nicolai V hortatu absolutas fuisse. Testimonium vero Iannozii a Raynaldo relatum ad annum 1453 n. 24 continet versionum istarum veluti tabulam, et quanta cura Pontificis Nicolai fuerit, ut post Urbis Constantinopolitanae excidium, libri celeberrimi e naufragio servati, in Urbe Roma perfugium reperirent.

Hinc factum est, ut coaevi, posterioresque scriptores, ob hoc demonstratum erga bonas artes patrocinium Nicolaum V magnopere laudaverint, ii etiam, qui ab omni adulandi Pontificis suspicione sunt prorsus alieni. Ex eorum autem numero possumus inter ceteros Aeneam Sylvium commemorare, Iannozium Manettium, et Vespasianum Florentinum, quos duos postremos scriptores Muratorius, *tom. 3 part. 2 inter rerum Italicarum scriptores* edidit.

Ex altero autem numero scriptorum, qui Nicolaum V ob eam rem laudarunt, quantumvis in assentationis suspicionem vocari non possint, recensebo Isaacum Causobonum, qui in sua *Polybii* ad Regem Henricum IV dicatione, ita de Pontifice isto loquitur: « Prima terrarum Ita-
» lia, ad hanc palmam occupandam
» e diuturno tempore tunc primum
» expergefacta sese concitavit, et
» nationibus aliis per Europam exem-
» plum, quod imitarentur, praebuit.
» In ipsa vero Italia ad certamen
» adeo gloriosum Nicolaus V Ponti-
» fex Maximus, in cuius extrema
» tempora Byzantini imperii eversio
» incidit, princeps, quod equidem
» sciam, signum sustulit. Nam et lit-
» terarum dicitur fuisse intelligen-
» tissimus, et, quod res arguit, ea-
» rum amore flagrantissimus. Primus
» hic illa aetate libros antiquorum
» scriptorum sedulo conquirere curae
» habuit, magnamque eorum copiam
» in Vaticanam Bibliothecam intulit.
» Primus cum assiduis hortatibus,
» tum ingentibus etiam propositis
» praemiis, ad meliorem litterarum
» e tenebris oblivionis in lucem re-
» vocandarum amorem homines sti-
» mulavit. » Causobono adiungam Simondum Sismondium in *Histo-*

ria Italicarum Rerumpublicarum medii Aevi tom. 10 cap. 75. Ex iis quae deinde dicentur, apparebit, haec a Sismondio nonnisi rei manifestam evidentiam extorquere potuisse.

Singularis praeterea, quo Nicolaus praestabat erga litterarum et scientiarum progressum studii monumentum est celeberrimum Vaticana Bibliotheca, cuius ad tantum splendorem perducendae Nicolaus V auctor fuit, prout Tiraboschius loco superius citato *cap. 4 num. 17* ostendit, ac Vespasianus Nicolao ipsi coaevus scriptor *loc. cit. pag. 282.* Narrat praeterea incredibilem librorum copiam a Pontifice collectam, atque id a Nicolao factum idcirco fuisse refert, quod sibi proposuisset in Vaticano Bibliothecam condere, quae ad publicum Urbis usum pateret, id quod mirabile plurimum fuisset, sed Nicolaum morte praeoccupatum quod optabat efficere non potuisse.

Quae vero Nicolaus V gessit ad Romanum Sapientiae Archigymnasium amplificandum, ornandumque, id etiam imprimis honorificum Pontifici fuit, atque aliud perspicuum exhibet argumentum praeclari studii, quo litteras, ac scientias prosequebatur, et quo fiebat, ut praesentiens etiam in posterum, dum erga Romanam Universitatem sollicitudinem suam ostendebat, scientiarum incremento, posteriori qualibet aetate etiam prospiceret. Exstat a Iosepho Caraffa Historiae Ecclesiasticae in eadem Universitate Professore opus scriptum: *De Gymnasio Romano, et de eius Professoribus ab Urbe condita, usque ad haec tempora. Romae 1751.* Iam vero in eo opere *tom. 1 pag. 174 et seq.* Caraffa recenset Professores doctissimos a Nicolao V in Romana Universitate constitutos, et Pontificis eiusdem Bullam commemorat, qua studiorum rationem in ea Universitate servandam moderatus est.

Denique licet cetera omittam, quanta fuerit Nicolai V munificentia, commemorandum breviter est. Id demonstrant Aedes sacrae, quas non Romae solum, sed in ceteris etiam pontificiae ditionis locis a Pontifice conditas Georgius in eiusdem vitae historia refert. Ipse quoque Nicolaus sibi proposuerat Vaticanum S. Petri Apostolorum Principis templum ad eam amplitudinem, ac maiestatem excitare, quae cetera quaeque aedificia splendore, ac celebritate sua superaret; et manus operi celeberrimo iam impositae fuerant, sed Nicolaus morte praereptus rem tantae molis Iulio II et Successoribus suis ceteris, summa cum gloria perficiendam reliquit. Iannozius Manettius propositam Nicolao aedificii tunc construendi rationem fuse narrat, ex qua intelligitur, Pontificem illum magnificentissimam omnino aedem construendam curasse.

Non est necesse ut aliquid adiungam de summa pietate, qua Nicolaus V praeditus erat, cuius rei universa eius vitae historia exhibet indubia documenta, prout etiam singularis diligentiae, qua Apostolici muneris sui partes semper obivit. Raynaldus inter ceteros suis locis monumenta refert, quae id evincunt, inter quae Iubilaeum Universale anno 1450 tanta religione, ac tanta populi Christiani frequentia, et fructu celebratum, peculiarem laudem promeretur.

Hic Pontifex, quem tanta virtutis laude praestitisse hactenus vidimus, non poterat Scriptoribus placere, qui hoc operum suorum propositum habent, ut de Romanis Pontificibus perpetuo detrahant, et quacumque occasione suscepta, historicas narrationes depravando, eosdem acriter calumnientur. Quare videmus Potterium, *tom. 4* operis citati *part. 1 pag. 159 et seqq.*, ex iis, quae evenerunt Romae anno 1553 cum coniuratio a Stephano Porcario, Equite Romano, conflata contra Pontificem Nicolaum V, et Cardinales detecta, et severe compressa est; videmus,

inquam, Potterium, Pontificem ex iis acerbe reprehendere ob agendi rationem contra coniurationis auctorem, eiusque complices adhibitam. Atque in facto isto referendo Potterius Simondi Sismondii auctoritatem sequitur, qui loco superius memorato, hoc eodem abutitur ut Nicolaum accuset.

Verum ut desumptam ex isto facto accusationem refellamus, est primo loco referendum, quid tunc Romae acciderit, atque adducam Platinae testimonium ex Nicolai V vitae historia depromptum, quod ad rei notitiam habendam opportunum esse mihi videtur.

Iam vero refert primo loco Platina, vel a tempore quo comitia ad Nicolaum eligendum Romae habebantur, conatum esse Stephanum Porcarium ad seditionem Populum Romanum excitare, et pontificiam politicam dominationem evertere. « Uno » eodemque anno, inquit, Thomas » Sarzanus et Episcopatum Bononien- » sem, et Cardinalis dignitatem, et » pontificatum adeptus est cum ma- » xima Cleri, et Populi Romani lae- » titia, licet dum adhuc in conclavi » Cardinales essent, tumultuatum » aliquantulum sit, Stephano Porca- » rio Equite Romano, viro in dicendo » acerrimo, et eleganti, cives suos » in Ecclesia Araecaeli congregatos » ad capessendam libertatem cohor- » tante, qui diceret, parvum quod- » que oppidum, mortuo loci domino, » de libertate, vel saltem de mode- » randa regentium cupiditate verba » facere. »

Nihil quidem tum Porcarium impetrare a Romanis potuisse narrat Platina, ea etiam de causa, quod Alphonsus Rex Aragonum Tibure subsisteret, et bellum cum Florentinis parare videretur. Sed Pontifex Nicolaus iussit Porcarium ab Urbe discedere, atque eum Bononiam relegatum, in illa civitate morari, cuius gubernatio a Bessarione Cardinali tunc retinebatur. Verum Porcarius coniurationem, quam antea molitus erat, acrius renovandam, atque ad exitum perducendam anno 1453 omnino curavit.

Itaque Platina subdit: « Sed Nico- » laus Pontifex, coniuratione Ste- » phani Porcarii Equitis Romani tum » deprehensa, rem inchoatam omit- » tens (pacis, videlicet, Italicae com- » ponendae negotium), ad sedandum » intestinum bellum animum adiecit. » Stephanus enim maioris animi, » quam potentiae, vir quidem in di- » cendo materna lingua eloquentis- » simus, multa seditionis indicia prae » se ferens (ut in principio diximus), » Bononiam a Pontifice relegatur hac » conditione, ut singulis quibusque » diebus, Nicaeno Gubernatori Urbis » (Bessarioni) sese offerret; quem » simulata aegritudine decipiens, » Romam, admonentibus coniuratis, » propere rediit hac mente, ut cum » Urbem attigisset, sumptis armis » populum ad libertatem convocan- » do, Pontificem, et Cardinales cape- » ret. Verum dum fessus longitudine » itineris, et diutina vigilia aliquan- » tulum quiesceret, aliquot enim no- » ctes insomnes duxerat, detegen- » dae rei tempus, et occasionem dat. » Cognita hominis audacia, Pontifex » senatorem Lavagnolum Veronen- » sem civem, et Vicecamerarium cum » armato milite domum eius statim » mittit, ut captum in carcerem per- » ducerent. Is autem adventare ar- » matos intelligens ad sororem con- » fugit, relicto domi Baptista Sciarra » cum aliquot servis, homine quidem » impigerrimo, et audacissimo, qui » cum sociis erumpens, incolumis » aufugit. Cognita deinde Stephani » per indices fuga, hominem apud » sororem in capsa delitescentem ca- » piunt, et seriem coniurationis fas- » sum ad muros Sancti Angeli sus- » pendunt. Eodem quoque supplicio » afficitur in Capitolio Angelus Massa » cum filio, et socio Sauo, lecta prius » audientibus omnibus coniurationis » serie, millesimo quadringentesimo » tertio, quinto idus ianuarii. Perse- » quutus deinde reliquos coniuratos,

» omnes oppressit, maxime vero Fran-
» ciscum cognomento Gabadeum, et
» Petrum Monterotundum, et Bapti-
» stam Sciarram a Venetis ad suppli-
» cium deditum. Eo enim confugerat
» post patefactam coniurationem. »

Aeneas Sylvius vero *in hist. Europae cap. 58* narrat qua prorsus die Stephanus Porcarius Pontificem cum Cardinalibus comprehendendum statuisset, quam factiosam, ac turbulentam ad populum commovendum orationem habuisset, et quomodo a Pontifice animadversum fuerit in coniuratos. « Rem factu facilem, si viri
» fuerint, Porcarium dixisse (Aeneas
» Sylvius ait), Nicolaum Pontificem
» celebri Epiphaniarum die, in aede
» B. Paulli sacra facturum, haud ma-
» gno negotio comprehendi posse,
» populum libertatis amore, quam
» proclamari audierit, mox opem au-
» dentibus daturum. Ad colligandum
» autem Praesulem catenam auream
» secum attulit, a se iampridem pa-
» ratam, quam coniuratis ostendit,
» neque enim mox occidendum Prae-
» sulem ex usu esse dicebat, sed ob-
» servandum donec arcem S. Angeli
» per eum recuperarent. Atque ut
» erat homo facundus, facile in suam
» sententiam congregatos traxit, at-
» que eo facilius, quod inopes, aere
» alieno gravatos, et ob patrata sce-
» lera iudicium formidantes ad se
» vocaverat, quibus nihil erat in
» pace sperandum. »

Huius sceleris auctoris, et horum hominum, qui pestis patriae, et sentina Reipublicae poterant appellari, Potterius Sismondium sequutus, quodammodo patrocinium suscipit, et ob eorundem miserum exitum commovetur. Non inquisitum in coniurationis veritatem, Sismondius ait, non inter se coniuratos iuridice vicissim comparatos, et cognitos fuisse, non institutum legalem, quem dicere solemus, circa crimina processum affirmat; de consiliis coniurationis initae tantummodo genericam notitiam esse habitam, eodemque die Stephanum Porcarium ad muros molis Hadrianae cum sectatoribus, extremo supplicio mulctatum esse; negata iisdem fuisse Poenitentiae, et Eucharistiae sacramenta, licet eadem vehementer illi postulassent; zelo enim praeditos Catholicos istos fuisse animadvertit, licet ea moliti essent, quae perficere non potuerunt.

Non est difficile Potterio, ac Sismondio haec obiicientibus respondere. Et satis esse arbitror facti historiam ipsam recordari, ut intelligatur, Porcarium eiusque socios machinantes tanta scelera, quae diximus, dignos certe non esse ut Scriptores, qui bona fide loquantur, ad miserationem commoveant.

Primum, nonne cum facti ipsius historiae veritate pugnat, iudicium sine debita criminum cognitione absolutum fuisse? Etenim coniurationis natura consideranda est, et cuius generis essent consilia, a coniurationis sociis inita, est prae oculis habendum. Non agebatur enim de negotio clandestine pertractato, sed de crimine in ipsa Urbis luce patrato, ac de hominibus simul agebatur, qui tale crimen nonnullos etiam ante annos moliti erant. Ac primum quidem constabat certe omnibus, Porcarium illum ipsum hominem esse qui Interpontificio durante, Urbem ad seditionem commovere conatus fuerat, qui deinde Bononiam relegatus, cum se infirma valetudine laborare simulasset, Cardinalis Bessarionis vigilantiam vitaverat, et Romam properato ut nefaria consilia sua impleret, reversus erat. Concionem ille ad populum excitandum habuerat, atque omni occultandi sceleris timore deposito, ad Pontificium regimen evertendum, atque ad scelestissima quaeque idcirco patranda se paratum esse manifeste dixerat, ac Romanos ut sceleris sui participes evaderent, impudentissime inflammandos curaverat. Haec autem erant eiusmodi ut rem in propatulo positam ostenderent, et inquisitionem ad facti veritatem confirmandam vix requirerent.

Praeterea quis est, qui contendat, ad ostendendum alicuius criminis reos post causae cognitionem condemnatos esse, non autem crimine minime probato, poena mulctatos esse, omnino requiri, Scriptores, qui facti historiam narraverint, debuisse praecisis verbis affirmare, processum esse institutum, non autem sufficere ad hoc probandum, Scriptores eos toto orationis contextu id significavisse? Iam vero hoc aperte colligitur ex narrationis contextu eorum Scriptorum, qui Stephani Porcarii coniurationis historiam litteris prodiderunt, eum, illiusque socios post causam cognitam, extremo supplicio mulctatos fuisse.

Etenim si de narratione huius facti loquamur, quam Platina habet in Nicolai V vita, vidimus superius ab eo scriptum esse, Porcarium *in capsa* apud sororem *delitescentem captum, et seriem coniurationis fassum,* extremo supplicio in arce S. Angeli affectum esse. De reliquis autem, qui in Capitolio mortis poena mulctati sunt, Platinam retulisse vidimus, eos interfectos esse *lecta prius audientibus omnibus coniurationis serie.* Est vero perspicuum, haec Platinae verba, quibus Porcarium crimen suum confessum, et tum extremo supplicio affectum esse retulit, atque antequam coniurati ceteri in Capitolio necarentur, lectam fuisse audientibus omnibus seriem coniurationis, aliud non significare, nisi totius causae cognitionem factam esse priusquam capitis poena in coniuratos decerneretur.

Est manifesta, ut arbitror, Platinae narratio. Sed huic etiam reliqui illius aetatis, qua res gesta est, Scriptores consonant. Ac primum hoc idem colligi potest ex Stephani Infissurae narratione. Omitto animadvertere, si res eo modo absoluta fuisset, ut iustitia violata censeri posset, id certe Infissuram non fuisse praeteriturum, qui Scriptor se Romanis Pontificibus vehementer infensum luculenter ostendit, ita ut in eius *Diario* Urbis edendo *tom. 3 part. 2 pag. 1110 Rerum Italicarum Scriptorum,* Muratorius idcirco aliqua expungenda iudicaverit, et honestis auribus, atque oculis non offerenda. Quod si, vel in laetitia ob Basileense schisma sublatum significanda, vel in Nicolao V ob studiorum excitatum progressum laudando, idem Scriptor publica rei celebritate permotus, ista diffiteri non potuit, ex operis tamen eius lectione constat, eum infenso in Romanos Pontifices animo, in opere scribendo fuisse.

Sed hac animadversione omissa, videamus quid de Porcarii supplicio Infissura habeat. Itaque refert, Porcarium in arce S. Angeli morte mulctatum, atque una cum eodem alios complures, sed lectam fuisse sententiam, et rationis causam, quare ea poena afficiebantur, scilicet tentatum ab eo, eiusque sociis fuisse, Pontificem cum Cardinalibus comprehendere, Urbis domos depopulari, virgines multas violare. Nomina quoque refert nonnullorum, qui capti fuerant, sed cum eiusdem criminis rei reperti non essent, dimissi sunt. Haec vero, si rem pacato animo considerare velimus, ostendunt prorsus inquisitionem circa patratam coniurationem, et de coniuratis ipsis esse factam, cuius exitus esse potuerit, ut de commissi sceleris veritate, ac gravitate constiterit, ac nonnulli etiam, qui veluti coniurationis participes fuerant comprehensi, innoxii deinde iudicati, et in libertatem restituti fuerint.

His consonant quae in Bononiensi Chronico *tom. 18 pag. 700* eiusdem operis Muratorii, in Annalibus Bonincontrii Miniat. *ad annum 1452 tom. 21 pag. 157* referuntur; quos tamen Scriptores, et Platinam Potterius loco citato, Sismondium exscribens, veluti narrationis, ac sententiae suae auctores commemorat.

Iuvat etiam his adiungere quae in *commentario de coniuratione Porcaria tom. 35 oper. citat. pag. 310*

et seq. Leo Baptista Albertus, qui facto ipsi praesens adfuit, de ista re habet. « Nocte proxima, inquit, in» clusus (Porcarius) a sorore scrinio » repertus est. *Ex capto* quaeque di» scenda videbantur, didicere, poe» nas sumpsere suspendio. Quae in» stituerat haec sunt, etc. » Quibus consentanea dicit Vespasianus affirmans, Porcarium virum scelestum captum, ac Iudici ordinario traditum, capite damnatum fuisse. Haec autem testimonia etsi expressis verbis non dicant processum esse factum, compendio tamen idem continent, cum Iudici Ordinario aliquem tradi ad discendum, quod in iudicio discendum est, aliud non significet, nisi processum ad crimen probandum esse institutum.

Denique ut appareat, quam facile simul esset, reos istos in iudicio criminis patrati convincere, et quam aperta pateret Iudicibus ratio, ut capitis sententiam in eosdem pronuntiarent, colligere id quoque possumus ex Aeneae Sylvii testimonio loco superius citato. « Illi eum (Por» carium), inquit, iam animo fra» ctum, et apud sororem in arca la» tentem invenerunt; complices eius » in domo, qua convenerant, expu» gnati, captique sunt, ex quibus » unus Baptista Sciarra manu prom» ptus, et animo intrepido, per me» dias Pontificis cohortes viam gla» dio sibi aperiens effugit.» Si ergo eo res adducta est, ut coniurati cum militibus Pontificiis palam manus conserere non dubitaverint, sique in ea ipsa domo illi capti sunt, quae ad eosdem capiendos fuerat expugnata, manifestum est, quam facile Iudices processum absolvere potuerint, quo Porcarius, eiusque socii, Maiestatis, et publicae proditionis rei, extremo supplicio mulctandi pronunciarentur.

Ostendunt hucusque allata testimonia quam falso memorati Scriptores affirmaverint, Porcarium, et coniurationis socios, incognita veluti causa, condemnatos fuisse. Nunc illud quoque considerandum est, eadem falsitate esse ab illis pronunciatum, Porcarium, et sceleris eius complices, eodem die, quo comprehensi sunt, capitis poenam dedisse. Etenim Auctorum, quos superius commemoravimus testimonia hoc habent, Stephanum Porcarium die 26 Decembris Bononia fugisse, die autem quinta Ianuarii, Epiphaniae pervigilio, noctu comprehensum esse, et *quinto idus Ianuarias,* hoc est quatriduo postquam capti fuerant, capitis poenam obivisse. Est igitur manifeste falsum, eodem die supplicio mulctatos illos esse, quo comprehensi sunt. In re autem adeo manifesta, atque in tam clara sceleris convictione, et hominum ipsorum, qui crimen patraverant, confessione, satis longum fuit temporis spatium quod fluxit ad plenam causae cognitionem absolvendam, atque ad capitis sententiam iustissime ferendam. Possent profecto, si argumentum id requireret, exempla afferri, ex quibus appareret, criminales eiusmodi causas, non adeo tamen ab initio perspicuas, neque crimina, inspectante universa civitate, patrata respicientes, breviori, aut pari quandoque temporis spatio fuisse absolutas, ut mirum esse non possit, Porcariam coniurationem quatriduo iudicatam esse.

Prout superius retulimus, Simondus Sismondius de Porcarii, et eorum, qui cum illo conspiraverant, morte sermonem habens affirmavit, iisdem Poenitentiae, atque Eucharistiae sacramenta fuisse denegata, licet illa vehementer postulavissent. Potterius autem loco citato acerbius etiam, quam Sismondius facit, de Nicolao V loquitur. Inquit enim Pontificem fecisse ut sine confessione sacramentali coniurati illi interficerentur: in qua re, subdit, licet etiam fortasse Pontifex putavisset nihil mali se coniuratis irrogare; erat tamen id miseris magno dolori, quod tamen Pontifici ad pleniorem ultionem capiendam satis erat.

Possuntne atrociora de Pontifice excogitari, qui aetatis suae delicias

efformaverat? Potestne iniquius de Pontifice detrahi, cuius non modo sapientia, benignitas, sed pietas etiam, et Religionis studium ab omnibus commendatum est? Ut tantae, ac tam acerbae a Potterio pronunciatae calumniae isti credi posset, necesse esset omnino statuere, Nicolaum V id fecisse eo tempore, quod cum omni eiusdem vitae ratione, ingenio, institutisque pugnaret. Utrum vero id concedi liceat, intelligunt omnes, qui sine praeiudicatis opinionibus, rerum naturam considerant. Non moror in iniqua illa animi sui insinuatione refellenda, quam Potterius inducit, ut confessionis sacramentalis necessitatem contemnat. Non enim est huius loci, divinitus institutam sacramentalem confessionem esse, docere: neque dignus est is scriptor, ut catholicam de ea re Nicolai V doctrinam, ac sententiam, de qua nemo umquam dubitavit, argumento aliquo demonstrare debeamus.

Dicam potius id, quod accusationem ipsam a Sismondio exceptam respicit. Itaque certum est, plures Scriptores qui de coniuratione Porcaria egerunt, cum de poena loquuntur, qua Coniurati affecti sunt, non adiuncta rei singillatim exponere, sed compendio extremum supplicium commemorare, quo Porcarius ad Arcem S. Angeli, ceteri vero in Capitolio affecti sunt. Et cum certum praeterea esse debeat, neque Pontificis iussu, neque eiusdem Ministrorum opera, coniuratis sacramenta denegata fuisse, sequeretur, si iidem sine sacramentis mortui sunt, id eorum repugnantiae tribui debere, qui gravissimum hoc scelus, aliis criminibus, quorum poenas luebant, addidissent. Verum si id evenisset, incredibile est, rem tanti momenti omissam esse a tot scriptoribus, qui de Porcario, deque eius sociis indignati, nefaria eorundem consilia detestati semper sunt, atque ab iisdem, tamquam ab hominibus perditis, abhorruerunt.

Stephanus quidem Infissura in diario Romano ait, sine Confessione, et Communione, laqueo suspensos coniuratos esse. Sed notus est, ut diximus, huius scriptoris animus, ut suspicari etiam liceat, id ab eo affirmari potuisse, quod fortasse videret, eventum eiusmodi in Pontificis Nicolai V dedecus converti posse. Omnes vero istos reos numero novem, tanto cum Urbis totius scandalo ita mortuos esse, et solum Infissuram id agnovisse, non videtur esse concedendum.

Quare video Muratorium in annalibus Italiae ad annum 1453, quo loco de Porcarii Equitis coniuratione sermonem habet, etsi in huius facti testimonium Infissuram citaverit, nihil tamen de Poenitentiae, et Eucharistiae sacramentis a coniuratis, antequam interficerentur, non susceptis retulisse. Id autem mihi videtur significare, Muratorium existimavisse, hanc sacramentorum omissionem ab Infissura commemoratam veluti narrationem fide minime dignam, non esse attendendam. Denique illud etiam praetermitti non potest, quidquid tandem sit de rei veritate, quam Infissura commemorat, valde tamen diverso modo Infissuram de eadem re loquutum esse, quam vel Sismondius, vel Potterius de illa loquitur. Ait enim Infissura, « die 9 Ianuarii » laqueo appensos in Capitolio sine » Confessione, et Communione fuisse » infrascriptos etc. » Non dicit ergo Infissura, prout Sismondius ait, coniuratis sacramenta vehementer petentibus fuisse denegata. Neque dicit multo minus, quod Potterius inquit, a Nicolao sine confessionis sacramento, coniuratos fuisse extremo supplicio mulctatos. Haec satis sunt ad demonstrandum quot sint in uno narrationis capite, ea, quae Scriptores isti referant tamquam certa, cum constet, illa ipsa esse a veritate prorsus aliena.

Post haec omitto cetera, quae Sismondius, et Potterius ex hoc eodem Coniurationis Porcariae facto

commenti sunt ad Nicolai V memoriam vituperandam; etenim certum est, inter apertas calumnias, ea recenseri posse.

Nam quod refertur ab Sismondio, Nicolaum post eam coniurationem detectam, atrocem agendi rationem inivisse, id falsum omnino est. Platina enim inquit: « Nicolaum qui ha» ctenus Romanos omni genere offi» cii, et liberalitatis iuverat, quique » liberior, quam ullus antea Ponti» fex, incedere per Urbem consueve» rat, sibi ipsi deinceps caventem, » morosiorem, cum in omnes, tum » vel maxime in Romanos factum » esse. Accedentes enim alloquendi » causa, non ita facile admittebat. » Quid vero haec Platinae narratio commune habet cum Sismondii accusatione? Natura siquidem ipsa, hominem quantumvis benignum, quantaque morum humanitate praeditum impellit, ut sibi caveat ab iis, quorum occulta machinatione, in grave vitae discrimen fuerit adductus. Ac iure Muratorius animadvertit, cum ageretur de Pontifice, qui de urbe Roma, et de Romanis optime meritus erat, tentatam eiusdem Pontificis aggressionem in Urbe, multo formidabiliorem existimari debuisse.

Quod si praeterea Infissura refert, post supplicium eorum, qui Romae comprehensi fuerant, Nicolaum acri studio operam dedisse, propositis etiam magnis praemiis, ut ceteri, qui fugerant, ubique caperentur, et poenas darent, superius nos indicavimus quantam fidem in his rebus referendis Infissura mereatur. Neque vero haec tanta Pontificis cura, etiamsi vera esset existimanda, crimini verti Pontifici Nicolao posset. Leo Baptista Albertius in commentario de coniuratione ista a nobis citato ostendit, quantus esset numerus eorum, qui a Porcario decepti, conspirationis participes facti fuerant, sed subdit, magnum fuisse etiam Urbis metum post Porcarii, eiusque sociorum supplicium, eo quod « ex his, qui tan» tum facinus incoharint, vix sex, » qui poenas luerint, deessent. » Ad calamitatem igitur istam penitus vitandam, atque ad impediendum, ne conatus coniuratorum Urbem iterum, et bonos omnes, in grave periculum adducerent, non erat id hominis indicium ultionem suam cupientis, sed iustitiae, et Principis proprium officium, qui Reipublicae prospicere tenebatur.

Est etiam fide indigna illa Infissurae narratio, cui tamen Scriptores duo toties memorati confidunt, Cardinalem Metensem a Pontifice impetravisse libertatem cuiusdam inter coniuratos comprehensi, eo quod innocens ille deinde repertus esset, sed eum a Pontifice postridie capi iterum, et capite plecti iussum fuisse. Quare ait, Cardinalem Pontifici ob id vehementer succensuisse, et graviter indignatum, statim ab Urbe digressum, in Galliam reversum esse, et Romam in posterum numquam rediisse. Animadvertit apposite tamen Georgius in Nicolai V vita, Cardinalem Metensem reperiri in Urbe manentem toto illo anno 1453 cum die 5 Novembris eius anni, munere fungeretur adhuc Camerarii Sacri Senatus, prout *in diario constitutionum* ad eundem annum Rodulphus narrat. Praeterea mortuus est Romae anno 1455 Cardinalis iste Metensis, atque ad S. Sabinam sepultus. Quomodo igitur Infissurae credi potest affirmanti, eum indignatum ob Pontificis factum superius recensitum, ab Urbe statim discessisse, et Romam in posterum numquam reversum esse?

Illud denique, quod de Angelo Roncone Nicolai V iussu interfecto, licet salvumconductum a Pontifice is antea consequutus esset, Sismondius ex Infissurae testimonio narrat, cuius fidei esse potest, cum Infissuram Nicolao V infensum fuisse sciamus, et ex coaevis scriptoribus nemo praeter Infissuram, salvumconductum istum Ronconi a Pontifice datum, ac deinde ab eodem non servatum

referat? Ronconi quidem Nicolaus iuste indignatus erat, eo quod missus is a Pontifice, ut Eversum de Ursiniis Comitem Anguillariae, qui bellum Nursinis intulerat, ab his conatibus impediret, et eum, si potuisset, comprehenderet; Ronconis potius opera, Comes Eversus adiutus, fugerat. Sed Nicolaum fidei datae Ronconi non stetisse falsum omnino censeri debet. Est etiam hoc incredibilius, quia Infissura mortem Ronconis die 12 Octobris anno 1454 evenisse dicat, apud Georgium vero constet, Nicolaum, vel a die 5 Augusti eius anni, litteras scripsisse, quibus Everso, et eius complicibus veniam tribuit. Quomodo ergo credibile videri potest, Ronconem, duos post menses ob Eversum adiutum tantummodo, a Nicolao V capitis poena mulctatum esse?

Nicolaus V vero mortuus est die 24 Martii anno 1455 cum Pontifex fuisset annos octo, et dies decem ac novem. Platina Pontificis mortem narrans ait, « Nicolaum Pontificem » sive taedio animi, quo maxime cru» ciabatur post captam Constantino» polim, sive febri, et podagra, qua » potissimum vexabatur, mortuum » esse. » Retulerat vero superius, nulla re fuisse umquam magis cruciatum Pontificem, quam urbis illius expugnatione, et casu; ab hoc moerore tunc concepto numquam Pontificem fuisse recreatum dubitari non potest.

CAPUT XLI.

DE CONVENTU MANTUAE ANNO 1259 A PONTIFICE PIO II CUM CHRISTIANIS PRINCIPIBUS HABITO.

Callisto III die 8 Augusti Romae mortuo Aeneas Sylvius Piccolomineus Cardinalis tit. S. Sabinae suffectus est, et Pii II nomen suscepit. Is vero Senensis natione, et Episcopus erat, atque in Corsiniano oppido natus fuerat, quod deinde Civitatis titulo auxit, atque ex nomine suo *Pientiam* appellavit. Quo prorsus die Pius II electus fuerit, non conveniunt inter se illorum temporum monumenta. Platina enim die 20 mensis Augusti, Historia Senensis die 21, Chronicum Bononiense die 19, atque alii Scriptores die 23 vel 27 eiusdem mensis electum perhibent. Illud vero certum est, plurimum gratam omnibus fuisse Pii II electionem, viri, scilicet, litterarum laude praestantis, quique magnam sibi eloquentiae, eruditionis, atque ingenii celebritatem comparaverat. Pontificatum autem gessit annos ferme sex, cum mortuus fuerit anno 1464 die 16 Augusti Anconae, quo se contulerat, ut ipse per se expeditionis, quae contra Turcas parabatur, ad effectum perducendae adesset.

Inter cetera, quae in huius Pontificis historia peculiarem laudem merentur, commemorari praecipue potest singulare illud studium, quod demonstravit, ut Mohammedi II, eiusque armis vires suas Christiani Principes opponerent, eaque mala impedirent, quae ex Mohammedanorum progressibus erant pertimescenda. Hoc negotium praecipuas Pii II sollicitudinis partes semper occupavit. Indixit propterea, atque habuit ipse Mantuae anno 1459 et seq. congressum, ad quem Christianos Principes convocaverat, ut collatis simul consiliis, ex universis occidentalibus Regnis, expeditio contra Turcas decerneretur. Igitur post rem in eo congressu pertractatam, Constitutio a Pontifice *anno 1459 18 cal. Februarii* Mantuae edita est, quae incipit *Ecclesia Christi*, quaque ea omnia explicavit, ac iussit, quae ad expeditionem feliciter absolvendam

opportuna esse, communi suffragio reputatum est.

Cum adhuc Mantuanus congressus perduraret, Pius II celeberrimam etiam edidit aliam Constitutionem, *10 Calendas Februarii an. 1459,* quae incipit *Exsecrabilis,* qua a Romani Pontificis sententia ad futurum Generale Concilium appellationes condemnavit, prout antea a Martino V in Concilio Constantiensi factum esse, suo loco significavimus. Nam, ut Gobelinii verbis utar, in comment. lib. 3, « Irrepserat iam » pridem in Ecclesia Dei exitialis » consuetudo adversus Romani Pon» tificis censuras. Victi enim, damna» tique Apostolica sententia, ad fu» turum Concilium appellabant, iu» dicem, qui non erat, et Superio» rem Romano Praesuli dabant, qui » non invenitur in terris. Et cum » ipsi a suis sententiis appellari non » sinerent, a Christi Vicario appel» landum esse consentiebant. Consu» luit Pius Patres, qui aderant in » conventu, quid censerent. Hi com» muni voto responderunt, appella» tiones huiusmodi cum suis aucto» ribus damnandas esse, atque ita » decretum editum est. »

Intelligi facile potest, quam sapienter a Pio II Constitutio ista promulgata fuerit. Nihil enim erat opportunius, quam solemni condemnatione coercere improba eorum ingenia, qui appellationis eiusmodi praetextu, frena licentiae dimittere, fidei Catholicae, et Ecclesiae disciplinae detrimentum afferre potuissent, qui denique, hac ratione, notissimam illam sententiam a Patribus pronuntiatam, et Ecclesiae doctrinae innixam, eludere conati essent, qua scilicet continetur, ut *Capite constituto, schismatis tollatur occasio.* Illud etiam verissime a Pontifice fuit affirmatum, hunc appellationum a Papa ad Concilium futurum Generale interponendarum abusum, detestabilem existimari oportere, vetustis Ecclesiae temporibus inauditum, iuris regulis, et sacris canonibus repugnantem. Non mirum tamen esse debet, Scriptores Apostolicae Sedi infensos, Moshemium ex. gr. et Potterium, hanc Bullam a Pio II editam irridere; neque mirum de ista Bulla conquestos graviter esse homines, qui ut Romani Pontificis sententiis resisterent, et praeconceptas Ecclesiae Catholicae doctrinae contrarias opiniones suas impune spargere interea conarentur, hanc antea pluries condemnatam ad futurum Concilium appellandi audaciam renovaverunt.

Atque ut hic ea tantum breviter attingamus, quae argumento ex historia desumpto, eiusmodi appellationum iustissimam factam condemnationem demonstrant, animadvertam id, quod eruditissimus Franciscus Antonius Zaccaria in Antifebronio *parte 2 lib. 4 cap. 5* notavit, Pelagianos quidem primos, atque eorum exemplo insistentem Nestorium fuisse, qui tales ad Concilium appellationes interposuerint, sed ab iis temporibus, usque ad Lutherum, qui contra Leonis X iudicium, et ad eos, qui postea contra Constitutionem *Unigenitus* a Clemente XI editam appellarunt, hoc ab Ecclesia improbatum factum, circa decreta fidem respicientia, numquam renovatum esse.

Verum sunt notissima Patrum testimonia, quibus demonstratur, vel ab antiquissimis iis temporibus, hunc ad futurum Concilium provocandi abusum, improbandum omnino existimatum fuisse. Quare inter cetera videmus a S. Prospero *contra Collat. cap. 41* S. Caelestinum I Pontificem valde laudatum fuisse, eo quod Pelagianis novum iudicium petentibus, illud recusavisset.

Inquit enim eo loco S. Prosper: « Venerabilis memoriae Pontifex Cae» lestinus, cui ad catholicae Ecclesiae » praesidium multa Dominus gratiae » suae dona largitus est, sciens da» mnatis non examen iudicii, sed so» lum poenitentiae remedium esse » praestandum, Caelestium, quasi » non discusso negotio, audientiam

» postulantem, totius Italiae finibus
» iussit extrudi, adeo et Praedeces-
» sorum suorum statuta, et decreta
» synodalia inviolabiliter servanda
» censebat, ut quod semel meruerit
» abscindi, nequaquam admitteret re-
» tractari. »

Atque Augustinus etiam, fortasse acrius Pelagianos Concilii sententiam post Innocentii I iudicium postulantes, insectatur *lib. 4 ad Bonifacium cap. ult.* « Aut vero, inquit, congre-
» gatione Synodi opus erat, ut aperta
» pernicies damnaretur: quasi nulla
» haeresis aliquando, nisi synodi con-
» gregatione damnata sit; cum po-
» tius rarissime inveniantur, propter
» quas damnandas necessitas talis
» exstiterit: multoque sint, atque in-
» comparabiliter plures, quae, ubi
» exstiterunt, illic improbari damna-
» rique meruerint, atque inde per ce-
» teras terras devitandae innotescere
» potuerunt. Verum istorum super-
» bia, quae tantum se extollit ad-
» versus Deum, ut non in illo velit,
» sed potius in libero arbitrio glo-
» riari, hanc etiam gloriam captare
» intelligitur, ut propter illos, Orien-
» tis, et Occidentis synodus congre-
» getur. Orbem quippe catholicum,
» quoniam Domino eis resistente, per-
» vertere nequeunt, saltem commo-
» vere conantur, cum potius vigilan-
» tia, et diligentia pastorali, post
» factum illis competens, sufficiens-
» que iudicium, ubicumque isti lupi
» apparuerint, conterendi sint, sive
» ut sanentur, atque mutentur, sive
» ut ab aliorum salute, atque inte-
» gritate vitentur. »

Haec quidem satis sunt, ut evincatur, appellationes a Romanorum Pontificum iudicio ad Concilii sententiam, si de rebus ad fidei materiam spectantibus sermo sit, in Ecclesia perpetuo fuisse inauditas, illos vero, qui has faciendas susceperunt, spretos esse, et de facto tales homines fuisse, ut dedecori tantummodo esse possit, eorundem exempla imitari. Sed non est existimandum, argumentis ex historia Ecclesiastica depromptis, demonstrari non posse, appellationes quoque in rebus ad disciplinam pertinentibus, esse eadem ratione improbandas.

Etenim si quaeratur quae Patrum sententia fuerit circa quodcumque ab Apostolica Sede, in quacumque causa, latum iudicium; reperietur hanc ab omni antiquitate constanter obtinuisse in Ecclesia sententiam, Romanorum Pontificum iudicia irretractabilia esse. Itaque si hoc generatim de quacumque, in quolibet negotio a Romanis Pontificibus lata sententia obtinuit, manifestum est, ex historia Ecclesiastica patère, non in materia tantummodo fidem respiciente, sed in negotiis etiam ad disciplinam spectantibus, appellationes, quae interpositae fuissent, improbatas esse.

Profecto, ut, ceteris omissis, Gelasii I Romani Pontificis verbis utar in epistola ad episcopos Dardaniae, « Sedes B. Petri Apostoli, Pontifex
» ait, ius habet resolvendi, utpote
» quae de omni Ecclesia fas habeat
» iudicandi, neque umquam de eius
» liceat iudicare iudicio, siquidem ad
» illam, de qualibet mundi parte ca-
» nones appellare voluerint; ab illa
» autem nemo sit appellare permis-
» sus. »

Quibus similia, nisi forte clariora etiam sunt, quae in *Commonitorio ad Faustum* idem Pontifex affirmavit. « Ipsi sunt, inquit, canones, qui
» appellationes totius Ecclesiae ad
» huius Sedis examen voluere defer-
» ri. Ab ipsa vero numquam prorsus
» appellari sanxerunt; ac per hoc
» illam de tota Ecclesia iudicare,
» ipsam ad nullius commeare iudi-
» cium, nec de eius umquam prae-
» ceperunt iudicio iudicari, senten-
» tiamque illius constituerunt non
» oportere dissolvi, cuius potius se-
» quenda decreta mandarunt. » Haec vero, quibus alia plura Patrum testimonia, idem demonstrantia possent adiungi, haec, inquam, talia sunt, ut extra controversiam positum esse evincant, id semper in Ecclesia cer-

tum fuisse iudicatum, et id canonico etiam iure contineri, a nullo quolibet Sedis Apostolicae iudicio posse appellationem interponi.

Quomodo autem factum sit ut in Ecclesia semper haec sententia obtinuerit, facile intelligitur, si consideretur, Ecclesiae Catholicae hanc de Romano Pontifice fuisse perpetuo doctrinam, ipsum totius Ecclesiae caput esse, in universum orbem eum tenere primatum, eundem Christi verum Vicarium esse, D. Petri Apostolorum Principis Successorem, omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem exsistere, atque ipsi in Beato Petro, pascendi, regendi, gubernandi universalem Ecclesiam a Iesu Christo Domino Nostro plenam traditam potestatem fuisse. Cum haec semper Ecclesiae Catholicae fides fuerit, manifestum est, in eadem ab omni antiquitate institutos, inde colligere Christianos omnes debuisse, absurdum esse, et cum Ecclesiae doctrina non posse convenire, ut Romani Pontificis iudicia, retractabilia possint existimari.

Accedit his, de facto ipso constare, a Conciliis etiam Generalibus, Romanorum Pontificum iudicia semper habita esse irretractabilia; ut ex facto etiam intelligere omnes debuerint, quam absurdum esset, a Romani Pontificis sententia ad Concilii Generalis iudicium provocare. Non est hic necesse ex conciliorum Generalium historia singillatim argumenta proferre, ad id, quod dicimus, demonstrandum. Omnibus tamen eorundem Acta consulentibus ultro occurrit, irretractabilia semper ab iis habita esse Pontificum Romanorum iudicia.

Quod si vero quaeratur, qua primum aetate fieri mentio coeperit appellationis a Pontificis sententia ad Concilium, in rebus ad disciplinae materiam spectantibus, opportunum erit, ad rem explicandam, memoratum eruditissimi Zaccariae opus loco citato num. 4 et seqq. consulere. Eo enim loco apposite ostendit, primam huius, verae, proprieque dictae appellationis mentionem referri ad tempora, quibus Occidentale gravissimum schisma, post Urbani VI electionem, iam fuerat excitatum, atque id posterioribus annis increbuisse, cum, schismate durante, ac deinde ad schisma tollendum, tot ea pronuntiata sunt, quae ad propugnandam praesertim conciliorum auctoritatem, valde expedire iudicabantur.

Primum exemplum mentionis factae huius generis appellationum, Zaccaria putat contineri in tractatu illo, quem Petrus De Alliaco Clementi VII, seu Roberto Gebennensi anno 1387 obtulit. Ostendit tamen idem eruditissimus scriptor, ex contextu illius tractatus apparere, neque ipsi Petro de Alliaco sententiam istam certam visam esse. Haec vero sufficiunt ad probandum, appellationes etiam, quae in disciplinae materia a Romani Pontificis iudicio ad Concilii sententiam interpositae fuissent, in Ecclesia semper improbatas ita esse, ut diuturno tresdecim saeculorum spatio, nullum eorundem exemplum habeatur, quando vero illarum mentio fieri coepit, tempora acerbissimi dissidii fuisse, atque inter partium studia hanc sententiam increbuisse.

Neque vero, quod dicimus de primo eiusmodi appellationis exemplo ad memorata schismatis Occidentalis tempora referendo, dubium esse existimari debet, eo quod ex temporibus etiam superioribus exempla desumi posse videantur, quibus contineatur, iam tunc in disciplinae materia, a Pontificis sententia ad Concilii iudicium provocatum esse.

Nam dum ista dicimus, de mentione loquimur verae, propriaeque appellationis, quam a Pontificis sententia ad Concilium fieri posse, ante illa tempora memoriae proditum sit. Non vero loquimur de querela qualibet, quae facta fuerit, eo quod Pontifex, sine ulla habita in Concilio discussione, per se ipsum sententiam tulisset de controversia, quae diri-

menda eidem fuisset allata. Cum enim Pontifices saeculo X, XI ac XII, prout Petrus de Marca animadvertit *lib. 4 de concord. Sac. et Imp. c. 17,* hunc morem usurpassent, ut de controversis ad se adductis, in Concilio quaestionem instituerent, ac deinde sententiam ferrent; quandoque eveniebat, ut si, more isto non servato, per se ipsos iudicavissent, querelae oborirentur, et de re in Concilio inquiri debere nonnulli contenderent. Verum hae querelae appellationem proprie dictam minime constituebant, nos autem de vera, proprieque dicta appellatione disputamus.

Quare, ut cetera praeteream, existimari non debet vera, proprieque dicta eiusmodi appellatio, ea, quam Fridericus II Imperator an. 1239 interposuit, cum se a Gregorio IX Pontifice Maximo anathemate mulctatum vidit. Matthaeus Parisius in Hist. Anglicana ad eum annum ait, Galliae Barones contendisse, Gregorium ab hac sententia ferenda abstinere debuisse in Fridericum, « qui, si me» ritis suis deponendus esset, nonnisi » per generale Concilium cassandus » videretur. » Cum vero Fridericus idem II ab Ecclesia Romana ipsa peteret, ut ad causam suam iudicandam Concilium celebraretur, clarius etiam apparet, hoc Friderici II factum, cum vera, proprieque dicta appellatione, de qua loquimur, non convenire. Iam vero Matthaeus Parisius haec Imperatoris verba refert: « Ecce quod Sacrosanctae Romanae » Ecclesiae Cardinales per sanguinem » Iesu Christi, et sub attestatione » divini iudicii, per litteras nostras, » et nuntios attestamur, ut generale » Concilium Praelatorum, et aliorum » Christi fidelium debeant evocare. »

Fridericus praeterea, dum ista petebat, tempus terere, et sententiam depositionis ei imminentem declinare conabatur. Quare cum audivit a Gregorio IX Concilium Romae habendum indictum fuisse, omni quacumque potuit iniqua ratione Episcopos impedivit, quominus ad Urbem convenirent; cum vero se in Concilio I Lugdunensi Generali anno 1245 congregato, depositum esse sensit, ad Concilium magis Generale provocavit.

Egimus praeterea in his praelectionibus saeculo XIV cap. XXIX p. 161 seqq. cum pertractavimus de Bonifacio VIII, egimus, inquam, de appellatione, qua Regis Galliae Philippi Pulchri nomine, a Pontificis sententia ad Concilium Generale provocatum est. Vidimus vero ibi quae fuerit totius huius controversiae ratio. Quare ut appareat, nihil esse in eo facto, quod veram, proprieque dictam appellationem, de qua loquimur, constituat, vel ex quo quidquam proficere adversarii possint, locus ille consulendus est, in quo dissidii Pontificem inter et Galliae Regem excitati tota narratio continetur. Concluditur ergo, sententiam, quam toties laudatus Zaccaria, de eiusmodi appellationum novitate defendit, iure ab eodem fuisse propugnatam; atque ex historiae Ecclesiasticae monumentis patere, sive de rebus agatur fidem respicientibus, sive de iis, quae in disciplinae materia versantur, appellationes a Romani Pontificis iudicio ad Concilii futuri generalis sententiam, semper in Ecclesia fuisse improbatas. Agentes autem de Sixto IV et de Iulio II Romanis Pontificibus in Institutionibus, videbimus, hanc a Pio II atque a Martino V antea factam harum appellationum condemnationem, confirmatam etiam ab iis Pontificibus in posterum, renovatamque fuisse.

CAPUT XLII.

DE PAULLO II ROMANO PONTIFICE.

Post Pii II mortem, Pontificatus Maximus collatus est die 30 Augusti anno 1464 Paullo II, qui Venetiis natus, et Petrus Barbus antea vocabatur. De hoc Pontifice breviter agendum putamus, quem videmus a viro eruditissimo Angelo Maria Cardinali Quirinio doctissime vindicatum in edenda eiusdem *Paulli II vita ex codice Angelicae Bibliothecae desumpta, praemissis ipsius vindiciis adversus Platinam, aliosque obtrectatores Romae 1740*. De hoc Cardinalis Quirinii opere Muratorius ad annum 1471 ait, illud praecipue consulendum esse ad habendam huius Pontificis ornamentorum veram notitiam. Eo enim opere Quirinius edidit vitam Paulli II a Cannesio scriptam, atque eruditione sua effecit, ut quibus virtutibus Pontifex praestaret, et quam iniuste pluribus de rebus accusatus ille fuerit, appareret. Huius vero defensionis summam Quirinius retulit etiam in alio magnae eruditionis opere inscripto *Tiara, et Purpura Veneta ab anno 1379 ad annum 1759*. Itaque quem vir doctissimus adeo illustri defensione sua dignum existimavit, debemus etiam nos breviter commendare, ne in his praelectionibus videatur praetermissum id, quod in RR. Pontificum huius aetatis historia adeo celebre evasit.

Non arbitror multum immorandum in iis referendis, quae Paullus II ad Urbem ornandam gessit. Huius rei amplissimum monumentum est Palatium S. Marci, quod ipse magnis sumptibus adhuc Cardinalis refecerat, et aedificaverat, et in quod statuas veteres tota urbe conquisitas congerere studuit. Mitto etiam quantae pietatis testimonium Paullus II exhibuerit, et quanti studii Christianam Religionem, ac Rempublicam defendendi, cum grave discrimen eidem quotidie magis imminere sensit ob Mohammedanorum progressus. « Anno 1470, inquit *in Tiara Veneta* Quirinius, die 8 Iulii supplicationem Paullus II ad Lateranum, quod Turca Chalcidem, seu Negropontem oppugnaret, indixit. Turcas ferocissimos hostes Christianae Religionis, capta iam fere tota Epiro, cum in Illyricum irruere Pontifex accepisset, huius rei vicinos Principes procul a se disiunctos certiores fecit: rogavitque, ut pro communi salute solliciti, adversus eos arma sumerent. Cui quidem supplicationi ipse Pontifex cum Cardinalibus, nudis pedibus interfuit. Reliquiae insigniores Urbis circumlatae, Salvator, inquam, Sancti Ioannis Lateranensis, Imago Dei Genitricis a Populo, caput S. Ioannis Baptistae. »

Praetereo tempus universalis Iubilaei celebrandi ad viginti quinque annos ab Paullo II redactum, quod idcirco anno 1475 singulari religione ab Sixto IV in Urbe peractum est. Vestium ornamenta plura ad honorem Cardinalatus amplissimae dignitatis ab eo tributa; easque alias a natura acceptas dotes, quas Quirinius complexus est, affirmans, Paullum fuisse natura blandum, mitem, humanum, amicorum studiosum, et eorum praesertim, quos in clientelam acceperat.

Illud potius non omittam penitus, quod an. 1469 erga Maronitas egit. Videlicet a Petro electo Antiochenorum Maroniticae Nationis Patriarcha consultus, de doctrinae Catholicae capitibus, Mysterium SS. Trinitatis, et Incarnationis respicientibus, breviter, sed sapientissime, de utroque mysterio doctrinam Ecclesiae exposuit, Concilio Nicaeno, Constantinopolitano I, Ephesino, Chalcedonensi, et Oecumenico VI, seu Con-

stantinopolitano III consentaneam. Praeterea eundem Petrum electum Patriarcham Antiochenum Maronitarum, in ea dignitate confirmavit, illud etiam adiungens, se in ea confirmatione facienda, Innocentii III et Eugenii IV exempla fuisse imitatum. Multa etiam de Paullo II referri possent, quae ostenderent, quanta cura ille prosequutus sit quae ad disciplinam Ecclesiasticam tuendam, aut ad Pontificiam ditionem propugnandam pertinere poterant. De his vero tum Cannesius, et Quirinius in huius Pontificis vita, tum Raynaldus, ac Spondanus in Annalibus, ubi de rebus a Paullo II gestis agunt, consuli possunt.

Decessit autem morte repentina Paullus II nocte diei 26 Iulii an. 1471, cum pridie bona valetudine frui omnibus visus esset. Hinc de Pontificis morte, varia per Urbem spargi coeperunt, quae erant prorsus a veritate aliena. De qua re, loco citato Muratorius agens, ait, paucos iis temporibus Principes numerari posse repentina morte sublatos, de quibus non divulgaretur violentam mortem eos obiisse. Quare, inquit, non defuere, qui suspicandi rationem esse dicerent, Pontificem veneno extinctum, atque etiam iugulatum esse; vana tamen haec omnia erant, atque ab iis excogitata, qui Pontificem illum non amabant. Recenset denique Platinam, Chronici Bononiensis Auctorem, Corium in Historia Mediolanensi, et Ammiratum in Historia Florentina, qui omnes scriptis suis de Paullo II detraxerunt, et ex quorum dicteriis, has aliasque obloquutiones excitari potuisse mirum non est.

Apposite vero de hac inopinata Paulli II morte Raynaldus ad eundem annum num. 62 ait: « Quod ad » improvisam, et inopinam illius » mortem attinet, perspicua erat il- » lius causa, nimirum nimia sangui- » nis plenitudo, qua nihil exitialius » esse potest, ut divinorum iudicio- » rum abyssos ad causam mortis » Paulli inquirendas scrutari opus » non sit. Humanum enim omnino » est, repente hominem mori. Nonne » enim et ipse Cardinalis Papiensis » (qui inter Paulli II censores nume- » rari debet) repentina morte, cum » excutere quartanam pararet, ex- » tinctus est? Oppressus igitur vi re- » pentina Paullus, nocte ipsa, quae » vicesimam sextam Iulii diem ex- » currebat, ac mane in lecto exspi- » rasse compertus est: nimia, scili- » cet, humorum plenitudine interce- » ptis venis, cum die praevia in Car- » dinalium Senatu laetior, vegetior- » que, quam antea, esset visus. Is » porro septem annis, mense uno » minus, et quatuor diebus pontifi- » catum tenuit, cum anno 1464 die » tricesima Augusti Pontifex renun- » tiatus fuerit.»

Quae contra Paullum II allata sunt ab eiusdem accusatoribus crimina, ea Cardinalis Quirinius in illustranda Pontificis vita, quam erat editurus, in sex capita redegit, quibus ea crimina gravissime refutavit. Id vero vir eruditissimus in *Tiara Veneta* fatetur, eo ipso tempore se fecisse, quo post Clementis XII mortem, sacra comitia habebantur ad novum Pontificem eligendum, quae diuturna certe fuerunt, et in quibus Benedictus XIV electus est.

Eas vero accusationes hoc modo Cardinalis Quirinius complexus fuit, scilicet crimina haec Paullo II obiecta dissolvit: 1 a Pontifice male habitos esse litteratos viros: 2 id, de quo Pontifex reprehendebatur, eo quod leges in conclavi iuratas abrogasset: 3 quod avaritiae vitio laboravisset: 4 quod fastus amans plurimum, et sumptuosus esset: 5 quod magnanimitate fuerit destitutus: 6 denique ostendit Quirinius, per calumniam esse pronuntiata quae ad vitam Pontificis interiorem, ac familiarem vituperandam in medium adducta sunt.

Non est certe hic Cardinalis Quirinii Apologia eruditissima exscribenda; eaque vero consuli a quolibet facile potest. Aliqua tamen etiam

nos perstringemus, quae Pontificis istius defensionem respiciunt, praesertim cum accusationes superius memoratae, illum in omni vitae ratione vituperent. Meretur autem Pontificis illius memoria, ut per calumniam haec de illo pronuntiata esse innotescat apud eos, qui Historiae Ecclesiasticae studio operam impendunt.

Itaque primo loco Paullo II obiectum est, illum male animatum erga litterarum studia fuisse, atque ex isto erga litteras odio factum esse, ut litteratos viros vexaverit. Cardinalis Quirinius autem in suis Paulli II vindiciis ostendit, non infensum litteris Pontificem fuisse, sed scelestae quorundam Romanorum Academicorum opinioni, seu dogmati de voluptatibus sectandis, in qua re quanta esset horum hominum impudica petulantia, Fausti Sabaei carmina declarant.

Desumi autem possunt ex factis ipsis argumenta, quibus ostendatur, Paullum II erga litteras, et litteratos, quos pietas probique mores adornarent, munificum Principem fuisse. Id inter cetera a Quirinio allata, evincit testimonium, quod ipse recitat ex epistola a Philelpho, Leonardo Gripho *epist. lib. 30* scripta. Philelphus siquidem pro oblata Pontifici Phaediae Cyri versione, quadringentos aureos numos ab eodem dono acceperat. Itaque ita Gripho scripsit: « Vix dici queat quantum » ista res voluptatem mihi attulerit, » cum animadvertam, viris eruditis » magnam spem esse repositam in » tanti Pontificis gravissimo iudicio, » ac munificentia. Iam omnis bona» rum artium, et eloquentiae digni» tas, post unius Nicolai V Pontificis » Maximi obitum tamquam obsoleta » interierat, quae nunc felicioribus » auspiciis reviviscens germinat, ac » floret, et in uberrimam, optimam» que frugem coalescit. »

Argumentum, quod ex isto Philelphi testimonio depromitur, confirmat eruditissimus Cardinalis, animadvertens, non Philelphum solum, sed alios plures litteratos viros, Paullum II beneficiis suis cumulasse, Georgium, videlicet, Trapesuntinum, Flavium Blondum, Theodorum Gazam, Andream Episcopum Aleriensem, Bartholomaeum Siccum, ac praecipue Pontificem, se benevolum, ac beneficum erga Ioannem Antonium Campanum demonstravisse, virum ea aetate doctissimum, atque eruditione illustrem.

Quod si vero haec factis ipsis confirmantur, apparet profecto quid inde sequatur: scilicet Pontificem Paullum II non in litteras, et homines litteris deditos male animatum fuisse, neque litteratos vexasse eo nomine, quod essent litterati, sed aliis prorsus de causis, quibus fiebat, ut in viros, licet litteratos, iure is posset animadvertere. Sunt enim magno in honore habendi litterati viri; sed non potest esse impune litteratis, pravitati morum indulgere, Rempublicam perturbare, aliaque eiusmodi patrare. Atque ista si litterati commiserint, eo modo cum iisdem agi debet, quem continent leges sine exceptione in his rebus ad bonum publicum tuendum latae.

Si Paulli II vita legatur a Platina scripta, intelligetur continuo, quam infenso, quamque acerbo is esset in Pontificem animo; atque illi historiae si fides esset habenda, in omni certe rerum genere, valde obscura esset concipienda de hoc Pontifice sententia. Videamus tamen quid ex eadem historia exsistat ad probandum, Paullum II, litteras, atque litteratos viros insectatum esse.

Notum est, immo in Paulli II Pontificatus historia valde celebratum, ab eo Pontifice *Abbreviatorum* officium abrogatum esse. Cum de ista abrogatione loquitur Platina, qui inter Abbreviatores fuerat numeratus, de Pontifice acerrime conqueritur, et satis manifeste ostendit, querelas, ac dicteria, in Urbe palam de ea re, contra Pontificem diu perduravisse. Tandem aliquando Platina

eo pervenit, ut epistolam ad Pontificem scripserit, atque ei aperte denuntiaverit, nisi sibi, ac Collegis suis iustitiam Paullus II fecisset, se apud Christianos Principes acturum esse, eosque rogaturum, ut Concilium haberetur, in quo Pontifex, eorum, quae gesserat, rationem reddere cogeretur. Itaque Platina comprehensus est, sed postquam quatuor menses in Arce S. Angeli moratus esset, inde dimissus fuit.

Nihil, ut arbitror, in isto facto est, quod argumento esse possit, Paullum II litteras, ac litteratos, eo nomine quod litterati essent, vexavisse. Erat quidem Platina litterarum laude, ea aetate praeclarus. Sed causa, quamobrem ille comprehensus, atque in carcerem tunc coniectus est, ab omni litterarum consideratione fuit distincta. Videlicet, Pontifex, qui diu passus fuerat hominis dicteria, atque quotidianas obloquutiones, existimavit dignitatem suam requirere, ut ille coerceretur, praesertim cum videret, tanta audacia sibi illum minitari, atque intelligeret, facile iis temporibus esse, eiusmodi querimoniis ad Principes allatis, motus cieri. Apparet ergo, ex ista prima Platinae captura, nullum argumentum posse suppeditari, ad memoratam contra Pontificem accusationem de eius malevolo in litteratos animo fulciendam.

Quibus de causis Abbreviatorum officium fuerit a Paullo II abrogatum, referri breviter debet, ut intelligatur, iniuste ob hanc abrogationem, Platinam, eiusque socios de Pontifice fuisse obloquutos. Profecto si Platina audiatur in Paulli II vita, nullos fuisse censendum esset eo tempore in Urbe, qui magis sapientiae, virtutum, atque integritatis laude praestarent, quam eos homines, qui Abbreviatorum collegium constituebant; quamobrem a Pontifice nihil peius fieri potuisse, quam Abbreviatores dimittere, eorumque officium delere.

Sed haec ab homine vehementer irato proficiscebantur. Neque enim haec Scriptorum illorum temporum sententia est, qui iustissimas causas Paullum II habuisse arbitrati sunt, ut munus Abbreviatorum tollendum esse iudicaret.

Ut ceteros omittam, testimonium adducam Aegidii Cardinalis Viterbiensis in Paulli II vita, qui de hac Abbreviatorum extinctione, haec memoriae prodidit: «Paullus, inquit, Pontifex » declaratus, nihil duxit antiquius, » quam ut Sacerdotium Summum, » suo se splendore ornaret, ab alie- » nis rapiendis abstineret. Sustulit » igitur eorum ordinem, qui Abbre- » viatores appellantur, alios omnes » pecuniae exactores sublaturus, rem » esse indignam Summo Sacerdote » arbitratus, si nihil sine pretio tra- » deret; et quod ipse accepisset gra- » tis, non gratis ceteris mortalibus » condonaret: exercuisse se praeterea » mercaturam, tum omnia vendidisse » pretio, posteaquam vero sacris ini- » tiatus esset, a mercatorum, vel » potius crassatorum munere reces- » sisse. Tota via aberrare, qui in re » sacra exerceant mercaturam, et qui » aris, sacrisque utantur ad quae- » stum. Decere Principes omnes tueri » populorum suorum res, non rapere » aliena, sed largiri sua. Quae res, » omnes illius ordinis homines sibi » infensissimos fecit, ut omne in eum » maledicentiae genus, loquendo, cla- » mitando, scribendo coniicerent. » Haec ratio igitur fuit Abbreviatorum abrogandorum, in qua certe ratione nihil est, quod explicari possit de Pontifice, qui idcirco Abbreviatores suppresserit, eo quod viri docti, ac litterati fuerint.

Videamus nunc breviter, quid sit statuendum de altera Platinae captura, atque aliorum, qui in arcem S. Angeli inclusi, ibi diu retenti, et quaestione de iisdem pluries instituta, passi sunt tormenta, ut crimina faterentur, de quibus accusabantur. In Paulli II vita fusam Platina totius istius facti narrationem habet; qua nihil potest excogitari atrocius ad Pontificis, eiusque Ministrorum me-

moriam vituperandam. Si quid enim inservire potest ad Paullum II, et Ministros eius, ineptos quidem homines, sed crudelissimos simul, et iniustissimos describendos, id omne in ea narratione continetur. Molem Hadriani Bovem Phalaridis tunc esse factam dicit, et nihil atrocius eo loco, iis diebus excogitari potuisse.

Sed Platinam exaggerasse ista manifestum est, si ea perpendantur, quae de Paulli II ingenio, moribus, institutisque, illorum temporum alii Scriptores retulerunt. In quaestionibus vero exercendis, prout ea aetate, in quolibet iudicio obtinebat, eos, qui tormenta patiebantur, fuisse cruciatos, et graviter etiam doluisse, mirum esse non potest.

Verum ipsa Platinae narratio, etsi Paullo II adeo infensa, nihil habet, ex quo sequi possit, Platinam, ceterosque cum eo comprehensos, idcirco vexatos esse, quod Pontifex alieno esset a viris doctis, ac litteratis animo. Universa enim Platinae narratio continet, eum, et reliquos, veluti reos coniurationis in Pontificem, atque in Rempublicam comprehensos esse, atque idcirco se, sociosque suos tormenta pati debuisse, ut crimen laesae maiestatis, quod nullo modo commiserant, faterentur: atque ideo diu in arce S. Angeli omnes morari debuisse, et quaestionibus subiici, quia timebat Pontifex, ne levitatis, ac saevitiae argueretur, si illos, quos tanto metus apparatu ceperat, citius veluti innoxios dimisisset. Haec igitur altera Platinae, eiusque sociorum captura, nulla ratione commemorari potest, tamquam argumentum, quod ostendat, Pontificem de malevolo in litteratos animo accusari posse.

Verum opportunum maxime hoc loco esse arbitror testimonium ex quadam Platinae epistola afferre, quam ex opere inscripto *Cremonensium monumenta Romae exstantia* ab eruditissimo viro Thoma Augustino Vairanio Ordinis Praedicatorum an. 1778 edito, ex qua constat Damianum Tuscum, *Callimachum* Academico nomine appellari solitum, Platinae socium, et valde familiarem, non una tantum vice, sed pluries etiam, in verba prorupisse, quae conspirationis contra Pontificem argumentum exhibebant. Haec epistola mihi consulenda allata est ab adolescente imprimis erudito, Ioanne Baptista Scandella Calpetensi, Alumno Collegii Urbani Sacri Consilii Christiano Nomini Propagando, qui anno praeterito, publicam de praecipuis historiae Ecclesiasticae capitibus, ad quamlibet Ecclesiae aetatem pertinentibus disputationem, cui ego ob muneris mei rationem praefui, magna cum eruditorum virorum commendatione habuit.

In opere mox memorato, seu Cremonensium monumentorum collectione, epistolae omnes referuntur a Platina scriptae cum esset in carcere, ad Pontificem praecipue, atque ad Cardinales, ex quibus eiusmodi verba, conspirationem sonantia, Callimacho pluries excidisse colligitur, quae a nobis audita, subdit Platina, illa putavimus a stulto, et ebrio pronuntiata, atque ideo necesse non esse credidimus Callimachum denuntiare.

Sed inter istas epistolas, quae a me commemorari debet, est ea ad Lucidum, qui et ipse Academicus erat, et Platinae infortunii, ac calamitatis socius, *op. cit. part. 1 p. 37,* ex qua constat, haec Callimachi verba coniurationem spirantia, toties repetita, aliis etiam audientibus, tam gravia Platinae visa esse, ut propterea magnum sibi imminere periculum is iudicaverit.

Itaque Platina hac ratione in ea epistola loquitur: « Oh me miserum! » oh me infelicem! Qui quod iamdiu » praevideram, et praedixeram, evi- » tare nequiverim. Incidi in hanc ca- » lamitatem, Ciceronis auctoritate » deceptus, qui admonet dissuendas, » et non scindendas amicitias esse. » Nolebam videri morosus, difficilis, » atque levis, quod mihi contigisset, » si eum, quem amare coeperam, con-

» tempsissem. Ferebam eius stulti-
» tiam, tolerabam ineptias, ut nosti,
» eo die, quo Pontifex Capitolium...
» (desunt hoc loco nonnulla, quae plu-
» rimum ad rem illustrandam essent
» opportuna), eius perfidiam culpa-
» verim, ut paullulum a rixa abfue-
» rit. Admonui te saepe, Lucide, ad-
» monui Bernardum, admonui Cam-
» panum, huius nebulonis consuetu-
» dinem fugiendam esse. Sed evitare,
» ut video, imminens cervicibus no-
» stris fatum non potuimus. » Hoc testimonium non idcirco attuli, ut Pontificem ab accusatione litteratos vexandi defenderem, id quod, ut dixi, ex ipsa Platinae narratione apparet, sed ut evincerem iure potuisse Pontificem severitatem adhibere.

Atque hoc quidem testimonium evincit aperte, quam levis evadat Platinae narratio. Etenim si totus Platinae contextus perpendatur, is Scriptor hoc videtur omnino narrationis suae propositum habere, videlicet, se, suosque socios, ob fatuum omnino a Pontifice conceptum timorem, comprehensos, ac quaestioni subiectos esse, et ob vanas voces, et nulli argumento innixas relationes, tantum motum in Urbe esse factum, et se, ac suos acerbissimam calamitatem pati debuisse. Sed alia prorsus exsistere debet de tota re iudicandi ratio, si testimonium illud, seu potius illa, ut ita dicam, Platinae confessio consideretur, ad ostendendum, Pontificem gravi de causa adductum esse ad capturam illam decernendam, et iure operam dari potuisse, ut coniurationis series detegeretur.

Etenim ex his apparet certe, Pontificem accusari non posse iniustitiae atque impotentiae, qui homines comprehendi iusserit, qui non modo seditiosum virum non denuntiandum, sed amicitiae consuetudinem cum eo ineundam existimarunt. Nonne id argumentum grave suppeditare poterat, etiam eos, qui capti sunt, eiusdem criminis reos esse?

Praeterea Callimachum vere reum fuisse, concors Scriptorum sententia est, qui de hac re egerunt. Atque ipsa eius agendi ratio id confirmat. Ubi enim audivit, Paullum in conspirationis suspicionem, atquein eiusdem comprimendae consilium devenisse, statim ab Urbe fugit, ac postea per Graeciam, Aegyptum peregrinatus est, in Insulam Cyprum, deinde Rhodios, ac tandem in Poloniam se contulit, ubi usque ad vitae finem moratus est. His adiungi debet, non honestis moribus hunc Callimachum, atque alios eius socios fuisse, ac morem propria nomina immutandi, et Ethnicorum nominibus sese appellandi, novitate sua magnam suspicionem ingerere debuisse. Omitto denique nonnullos ex his, qui Callimacho studebant, ad Abbreviatorum collegium pertinuisse, quae res graviorem efficere poterat, de tentata ab iisdem conspiratione, suspicionem.

Haec, quae mox animadvertimus, inservire quoque possunt ad ea refutanda, quae Potterius *tom. 4 part. 1 lib. 7 pag. 158 et seqq.* de Paullo II habet. Narrationem suam eo loco ita quidem miscet Potterius, ut Academiae Romanae suppressionem, cum captura ob conspirationis suspicionem confundat. Sed eodem loco Potterius dicit Paullum II in litteratos male animatum, litteratorum conventus pati non potuisse, atque ideo Academiam abrogasse.

Verum ista falsa omnino sunt. Omnes enim, qui de Academiae abrogatione egerunt, illam ob scelestas opiniones, ob depravatas de agenda vita sententias praedicatas, ob conspirationis crimen, suppressam esse retulerunt. Ita Cannesius habet, ita Faustus Sabaeus, inter ceteros, quorum magna certe est auctoritas. Non ergo idcirco suppressa Academia est, quod Paullus II litteratorum conventus pati non posset. Ut vero ex factis ipsis appareat, post sublatam istam conspirationis suspicionem, Academicos, et Litteratos, de quibus sermo est, in honore habitos esse, haec commemorasse sufficiet, videli-

cet Paullum II ipsum promisisse Platinae eum iuvare, ac beneficentia sua prosequi, quod tamen repentina morte correptus efficere non potuit. Sixtus IV vero Paulli II Successor id exsequutus est, praesertim Bibliothecae Vaticanae praefecturam Platinae tribuendo. Pomponius Laetus autem Academiae superius memoratae fundator, et princeps, scholam Romae publice agere prosequutus fuit, atque ea schola in magno honore est habita. Academia denique illa, an. 1483 fuit restituta, quo anno Fridericus III Imperator diploma honorificum pro ea dedit. Consuli potest *Rerum Italicarum Script. tom. 23 pag. 185;* atque etiam opus Paulini Comitis Mastai *de Academiis Europae, Romae 1792 pag. 43.*

Dicamus nunc, vel perstringamus potius breviter ea, quae reliquas contra Paullum II allatas accusationes complectuntur, quaeque adeo erudite Cardinalis Quirinius pertractavit.

Itaque alia contra Paullum II adducta accusatio continebat, eum, Pontificem factum, abrogasse leges, quas una cum ceteris Cardinalibus, se servaturum esse in Conclavi iuraverat. Haec accusatio est in medium adducta a Iacobo Cardinali Papiensi, qui iis temporibus vivebat, et doctrinae, ac virtutis laude praestabat. Sed hanc abrogationem, non proposito suo, verum magis aliena instigatione a Paullo II esse factam, idem Cardinalis Papiensis refert. « Erant, inquit, » inter ministros eius domesticos, » Stephanus Ecclesiae Mediolanensis » Antistes, et Theodorus Tarvisinae » Episcopus, qui videntes, desideria » sua his legibus impediri, quod nu» merus Cardinalium iusto maior, » nonnisi longa exspectatione reditu» rus ad legitimum videretur, simu» lato in Pontificem affectu, agere » cum eo de iis abrogandis coeperunt; » indignum aientes Vicariam Christi » potestatem humanis conditionibus » subdi, ipsumque non sui arbitrii, » quam alienae moderationis mini» strum videri, quaerendam liberta» tem esse, idque agendum, ut au» ctoritatem Ecclesiae apud se, non » Cardinales esse, omnes agnosce» rent. »

Praeterea Cardinalis Papiensis utrumque memoratum Episcopum, Mediolanensem et Tarvisinium amplissime laudavit. Illum enim integerrimum, atque eruditissimum appellavit, huius vero, in epistola ad Cardinalem Bessarionem scripta, qua Tarvisinii mortem deploravit, omnis generis laudem Tarvisinio tribuit, quem, inter cetera, dicit, a se plurimum fuisse exoptatum, ut is ad Cardinalatus dignitatem promoveretur. « Debitus enim, inquit, hic gradus, » honorque ei fuerat futurus aliquan» do, si mors eum non praevenisset. » Magna autem Senatui nostro fuis» set facta accessio, sive actionem » quaeras, sive consilium. Praeteri» tae, praesentesque administratio» nes suae, hoc de illo nobis spon» debant. » Haec vero cum ita sint, argumentum inde desumi posse videtur, ipsum Cardinalem Papiensem, qui hanc accusationem contra Paullum II attulerat, intellexisse deinde, eas leges, de quibus sermo est, Ecclesiae utilitate ita requirente, abrogatas esse. Duo enim illi Episcopi, qui huius consilii praecipui auctores Pontifici fuerunt, cum tanta virtute praestarent, non poterant, nisi secundum Ecclesiae utilitatem, ista suggerere. Est etiam his adiungendum, non solum audita Mediolanensis, ac Tarvisinii Episcopi sententia, ad eas leges abrogandas Paullum II adductum esse, sed habito etiam (uno Cardinali Carvagialio Episcopo Portuensi excepto) omnium Cardinalium consensu; quos omnes in hanc sententiam descendisse dici omnino debet, eo quod viderent, id Ecclesiae utile prorsus esse futurum.

Prout generatim de harum legum abrogatione existimari iure potest, Iacobum Cardinalem Papiensem, qui illam Paullo II obiecerat, deinde mentem mutavisse, atque intellexisse, cum Ecclesiae utilitate eam fieri po-

tuisse, ita etiam singillatim hoc dici potest de eo Paulli II facto, qui tres ex nepotibus suis Cardinales creaverat. Etenim in iisdem legibus affirmatum fuerat, unum tantum ex genere suo hominem, Cardinalem a Pontifice futuro faciendum esse. Paullus vero Cardinalatus dignitatem contulit Barbo patrueli, seu ex fratre nepoti, et Zeno, ac Michaelio, nepotibus ex sororibus. Id vero Cardinali Papiensi plurimum placuisse ostendunt litterae ab eodem Cardinali ad Barbum, et ad Zenum atque ad Michaelium scriptae, quae litterae non continent tantum laudes, quae collatae dignitatis occasione, etiamsi id Papiensi non arrisisset, tamen fieri debuissent, sed animi laetitiae, atque hominis rem serio probantis continent significationem.

Denique illam ex praecipuis legibus in Conclavi conditis, videlicet, de adhibendo, in Ecclesiae negotiis pertractandis, Cardinalium consilio, quanta diligentia Paullus II servaverit, ostendit universa eius Pontificatus historia, et colligitur singillatim ex libello Gasparis Veronensis, quem Cardinalis Quirinius ex Vaticana Bibliotheca in lucem eduxit. In eo autem libello elogium texitur Cardinalium amplissimorum, qui vitam apud Paullum II agebant, atque ab eo ad res Ecclesiae gerendas quotidie adhibebantur. Id vero argumento est, a Paullo II numquam in iis aliquid remittendum iudicatum fuisse, quod Ecclesiae omnino utile esse reperiel a ur.

Circa accusationem avaritiae, qua Paullus II impetitus fuerat, eundem pluribus et gravibus argumentis Cardinalis Quirinius vindicavit. Beneficentiam, scilicet, commemoravit erga litteratos demonstratam, liberalitatis significationes plures, centum sexdecim aureorum millia, ex Cannesii testimonio, ad S. Marci Templum exornandum, atque ad Palatium pulcherrimum eidem proximum aedificandum, a Cardinali Barbo collata, magnam quotannis pecuniae summam, centum videlicet aureorum millium ab eo numeratam, ut bello contra Turcas occurreret; omnem denique benignitatis rationem, non modo a Pontifice non omissam, sed ab eo cordi plurimum habitam; quod Cannesius his verbis complexus est: « Fuit insuper erga pauperes beni-
» gnus, et munificus, crebrioresque
» eleemosynas tantum elargiri, sum-
» mo astu conatus est: professus ali-
» quando inter suos secretiores, nulla
» magis in re certius sperare, quam
» in huiusmodi misericordiae opere,
» quoniam hoc tantum suum fore con-
» fidebat. »

Est etiam perspicua, quam Cardinalis Quirinius facit, accusationis refutatio, ex magnificentia desumptae, quae a Paulli II inimicis, ac Platina praesertim, ita descripta est, veluti si Pontifex is esset fastus intemperantissimi, et nihil, nisi pompam adamaret. Ostendit, inquam, Cardinalis eruditissimus, hanc accusationem ex malevolo tantum detractorum animo proficisci potuisse. Hanc magnificentiam ad Pontificios ornatus, ad templorum splendorem, ad Urbis ornamentum, ad litteraturae, bonarumque artium progressum tantummodo referri posse. Pro dignitate pontificia factum esse, ut Imperatorem, aliosque Principes Romam adventes honorificentissime Paullus II exceperit; ac summam in hac magnificentia ipsa integritatem ab eo fuisse demonstratam, cum nihil interea umquam dono acciperet ab aliquo, atque a muneribus accipiendis esset vehementer alienus.

Ita quoque magnanimum fuisse Paullum II, contra eiusdem accusatores ostendit toties memoratus scriptor Quirinius, atque hanc magnanimitatem ita omnibus fuisse cognitam, antequam Petrus Barbus Cardinalis Pontificatum Maximum consequeretur, ut id communi Romanae Curiae sermone percrebuisse Cannesius referat. « Cuius rei, inquit, opi-
» nio, adeo de eo apud Pontificios
» Curiales invaluit, ut inter eosdem
» frequentissimum illud exstiterit,

» oportere deferri ad Petrum Cardi-
» nalem Venetum, si quid quispiam
» optasset, illico, ac rite curatum
» obtinere. »

Atque eo loco Quirinius Platinae maledicentiam graviter refellit, qui ad vituperandum Paullum II narraverat, Pontificem sibi arrogasse permagnas divitiarum copias, quas Cardinalis Ludovicus Scarampius heredibus duobus fratribus Scarampiis maxima ex parte reliquerat. Adducta enim ex Gaspare Veronensi sincera huius facti relatione, ostendit Quirinius, tantam illam Cardinalis Ludovici Scarampii pecuniam, ex Eugenii IV bonis comparatam, Paulli Pontificis iudicio, humaniter, ac liberaliter, Ecclesiis, Ludovici ipsius nepotibus, eiusdemque familiae, inopibus praesertim virginibus nubendis, et Pannoniis in bello Turcico iuvandis distributam fuisse.

Denique Quirinius, quae contra Paulli II interiorem, familiaremque vitam, ab eius accusatoribus, praesertim a Platina, adeo confidenter pronuntiata sunt, gravissime refellit. Plena est Platinae historia his dicteriis contra Pontificis mores, quae eo referuntur, ut significent, Paullum II naturam invertentem, tota nocte vigiliae deditum, cum sol oriretur, coenare, ac die tota dormire consuevisse; cibum, ac vinum largius, quam par esset, adhibuisse; corporis cultum studiosissime adamasse; ac tandem in valetudine sua curanda tantopere fuisse studiosum, ut a divinatione quoque, si ea ad vitae suae sortem agnoscendam opportuna illi visa esset, non abstineret.

Ut defensionis etiam istius summam referam, ita rem complectar, Cardinalem Quirinium, allatis Cannesii testimoniis demonstravisse causam, quamobrem Paullus nocte dormire non posset. « Somni namque
» parcissimum fuisse, ut qui perraro,
» sextam, septimamque horam ob-
» dormiverit, solum semper, et a cu-
» bicularis sequestratum: offendi so-
» litum matutina vigilia, noctemque
» ad crepusculum usque diei inso-
» mnem, ut plurimum, protrahere,
» atque id destinato, nam dormitione
» nocturna, gravius catarro vexaba-
» tur. » Refelluntur etiam, Cannesii testimonio, quae de difficili ad Paullum II accessu Platina refert. Nam Cannesius ait, a Pontifice, longioribus praesertim diebus, sui copiam omnibus factam esse, eundemque fuisse in audiendo patientem ad multarum spatium horarum, sedulum, atque hilarem, nullius etiam infimi generis hominis sermones aspernantem. Eiusdem praeterea scriptoris testimonio Quirinius ostendit falsa esse reliqua, quae superius recensita sunt accusationum capita. Pontificem, videlicet, Cannesius narrat, hominem imprimis frugi fuisse, atque omnem in victu, ac potu temperantiam praeseferentem; Paullum etiam corporis habitu ita decorum, ac praestantem, ut quin fucis, atque ornatu exquisito indigeret, assidenti, vel stanti Pontifici quaedam auctoritas, vel maiestas inesse videretur.

Denique ut finem de his rebus loquendi faciam, adductis Cardinalis Papiensis ipsius testimoniis, a Cardinali Quirinio demonstratur, non solum de curanda valetudine, praeter modum sollicitum Pontificem non fuisse, sed etiam valetudinis, ac salutis amittendae pericula non esse ab eo vitata, ita ut qui Pontificem amabant, in magna saepenumero animi anxietate, ac metu idcirco esse debuerint. Ad valetudinem vero ipsam tutius curandam, Paullum II a divinatione quandoque non abhorruisse, adeo calumniosum est, atque adeo a Pontificis moribus alienum, ut responsione non indigeat. Haec satis sunt ad significandum breviter, quam iniuria de huius Pontificis virtute detractum sit.

CAPUT XLIII.

DE SIXTO IV ROMANO PONTIFICE.

Retulimus superius, Paullum II die 26 Iulii anno 1471 mortuum esse. Ei vero die 9 Augusti, eodem anno suffectus est Franciscus Roboreus, seu a Ruvere, vir in theologicis, et sacrorum canonum disciplinis apprime eruditus, Savonensis, Cardinalis tit. S. Petri ad Vincula, ex PP. Franciscanorum Ordine, qui Sixti IV nomen suscepit; et Pontificatum gessit annos tresdecim, et dies quinque, cum die 13 Augusti anno 1484 mortuus sit.

Longum esset res a Pontifice isto gestas singillatim exponere, atque id proprium in Institutionibus locum habere debet. Illud vero hic ad eiusdem laudem non omittam, quod respicit Urbis ornandae curam ab eo demonstratam, ita, ut, quemadmodum alio loco diximus, in Platinae appendice de eodem memoriae proditum sit, non iniuria alterum Romulum, eum vocandum fuisse. « Urbem Ro-
» mam, ibi legitur, coenosam, et strati
» pene expertem, cariosa vetustate
» desolatam, nec non debilioribus ful-
» cris nutantem, omni ope instaurare
» sategit, nec non omnia eius com-
» pita cultissime stravit. Pontem su-
» per Tiberim, quem ab ipso Sixti
» pontem vocant, miro artificio, ma-
» xima impensa exstruxit, aliisque
» beneficiis Romam sibi adeo adstrin-
» xit, ut, non iniuria, ipsius alter
» Romulus vocandus sit. »

In iis vero, quae ad Urbis, et Ecclesiae Romanae ornamentum Sixtus IV praeclare gessit, numerari certe praecipuo loco debet eius cura, Bibliothecae Vaticanae magnificentius instaurandae. In qua re illud etiam singularis sapientiae, qua Pontifex praestabat, argumentum fuit, quod Bartholomaeo Platinae, cui illius Bibliothecae praefecturam tribuerat, munus commisit, ut insignia quaeque vetera monumenta ex autographis descripta in libros redigeret; quod ille egregie perfecit tribus ingentibus voluminibus elaboratis, ex quibus plura maximi ponderis, se in annales suos intulisse Raynaldus fatetur.

Fuit etiam inter praecipuas Sixti IV Pontificatus sollicitudinis partes, ut Praedecessores suos imitatus, Turcarum conatus, qui potentiores quotidie fiebant, coerceret, atque eorundem impetum ab Europae regionibus, et Italia ipsa propulsaret. Quamobrem Catholicos Principes, ac Christianum populum ad bellum Turcis inferendum, auctoritate, copiis, impensis, aliaque quacumque ratione potuit, excitavit. Atque eo usque ad tantum opus feliciter absolvendum Sixti IV studium pervenit, ut in sua ad Anellum Ferdinandi Regis Oratorem alloquutione, Pontifex diserte affirmaverit, se ad pecuniam in belli Turcici impensas suppeditandam, paratum esse, argenteam, aureamque suam supellectilem conflare, et tiaram ipsam suam pretiosis gemmis redimitam oppignorare.

Eximium praeterea Religionis amplificandae, pietatis fovendae, disciplinae tuendae studium demonstravit, quae si a me cursim significantur, in annalibus tamen Raynaldi, ut cetera praeteream, fuse pertractata reperiuntur. Inter quae illud penitus silentio praetereundum non est, quod respicit Iubilaeum universale anno 1475 ab hoc Pontifice religiosissime celebratum; et solemnem pompam, qua anno 1482 die 14 Aprilis D. Bonaventuram Ordinis PP. Minorum Conventualium quondam Ministrum Generalem, ac Cardinalem Episcopum Albanensem, summa religione canonizavit.

Fuit etiam praecipua in Beatissimam Virginem Deiparam Sixtus IV pietate animatus, atque ad eius opem pro Ecclesiae, et Christianorum de-

fensione implorandam omnibus adhortator fuit. Is vero die 27 Februarii anno 1476 Constitutionem dedit, qua iis, qui officium, et missam ad celebrandum Conceptionis Beatissimae Virginis festum, a Leonardo de Nogaroliis Canonico Veronensi dispositam, adhibuissent, in eodem die festo, eiusque octava, indulgentias eo modo impertitus est, quo Urbanus IV, et Martinus V, aliique Pontifices indulgentias festum Corporis Domini celebrantibus fuerant elargiti. Quare aucta vehementer est Sixti IV studio, erga Beatissimam Virginem sine labe conceptam populi Christiani pietas. Ab eodem autem Pontifice, et deinde ab aliis eiusdem Successoribus, eorum audacia compressa est, qui contra pientissimam istam Christiani populi devotionem obloquebantur. Et Concilium quidem Tridentinum *Sess. 5 in decreto de peccato originali*, Sixti IV Constitutiones de ea re observandas iussit, ac renovavit. In ea autem Sixti IV Constitutione, quae nonis septembribus anno 1434 data est, anathematis poena indicta, sapientissime decernuntur ea quae ad coercendos Immaculatae Virginis Conceptionis detractores erant opportunissima.

Alia plura, prout superius significavi, de rebus a Sixto IV gestis, referri possent. Sed praescriptus his praelectionibus modus impedit, quominus ea singillatim prosequamur. Verum antequam de hoc Pontifice finem loquendi faciam, aliquid dicendum arbitror, quod respicit coniurationem contra Mediceam familiam anno 1478 Florentiis excitatam, quae Pazziorum contra Mediceos coniuratio solet appellari.

Raynaldus ad eum annum num. 3 perstringit rationes, quas Pontifex habebat, cur erga Laurentium Mediceum, praesertim, Sixtus IV esset indignatus: videlicet Laurentium in Tiferni obsidione, Nicolao Vitellio auxilium clandestinum ferre contra Pontificem deprehensum esse; dominatum suum in Aemiliam, non sine Romanae Ecclesiae damno propagavisse; obnixum fuisse decreto Apostolico, quo Francisco Salviato Pisanus Archiepiscopatus traditus fuerat, ac ne in agro Florentinorum vectigali in possessionem veniret, diu restitisse. Circa Perusium, aliaque loca Ecclesiae Romanae subdita, fecisse quae iuribus Sedis Apostolicae erant contraria.

Haec quidem ostendunt, Sixto IV hanc Mediceorum agendi rationem placere certe non potuisse; atque etiam evincunt, Pontificem potuisse, ad iura sua tuenda, atque ad canonicas etiam sanctiones defendendas demonstrare, sibi hanc ipsam agendi rationem placere non posse. Immo potuit etiam Pontifex significare, se requirere, ut qui hac ratione se gerebant, modum agendi immutarent, atque Ecclesiae Romanae iura, et canonicas leges intactas relinquerent.

Interea tamen anno 1478 die dominico 26 Aprilis coniuratio illa Pazziorum contra Mediceos adeo celebrata erupit, cuius summam inter ceteros Raynaldus refert ad eundem annum n. 1, recitato Maffeii Volaterrani testimonio in Geographia *lib. 5.* Videlicet eo die in aede Reparatae, cum Franciscus Salviatus Archiepiscopus Pisanus in civili Curia moraretur, tamquam de aliis negotiis cum Vexillifero tractaturus, eo, inquam, die, cum Eucharistia adoranda attolleretur, Iulianus Mediceus Laurentii frater confossos est, Laurentius vero ipse post tergum aggressus, haud ita graviter iugulo vulneratus, ictum repetitum vitavit, atque in proximum aedis sacrarium confugit, ubi a suorum multitudine exceptus, ac servatus est.

Tunc vero, subdit Volaterranus, cum fama, Laurentium vivum esse pervulgasset, spiritus Mediceorum studiosis additus est. Coniurati, alii alio diffugerunt praeter Iacóbum Pazzium Equitem, qui equo urbem percurrens ad libertatem populum excitabat; cumque neminem prosequentem videret, protinus egressus

porta Faventina fugam arripuit. Raphael Riarius Cardinalis Legatus, qui aderat, e templo a civibus in curiam ductus, ac custodiae traditus, ibi perdiu retentus est. Interea Salviatus, qui cum vexillifero sermonem de industria protrahebat, ut finem exspectaret, statim comprehensus, et ipse eodem die cum omnibus suis, sontibus, et insontibus, simul et Francisco Pazzio, Iacobo Salviato, ac Iacobo historici Poggii filio, qui mortis Iuliano illatae participes fuerant, ad Curiae fenestras suspensus fuit. Denique narrat idem Scriptor, sequenti die, Renatum Pazzium in villam abiisse; sed die posteriori Iacobum Pazzium, una cum Ioanne Baptista Monteseccio e fuga retractum, eodem supplicii genere affectum esse, atque Antonium Volaterranum qui Laurentium vulneraverat, repertum in coenobio prope aedes Potestatis, eundem miserum exitum habuisse, una cum Stephano, qui erat Iacobi Pazzii scriba, qui Antonium sequi, eumque se iuvaturum receperat, sed minime praestiterat.

Sciunt omnes, quanta confidentia isto facto abusi sint Sixti IV inimici ad eius memoriam vituperandam. Sunt nota praeterea Italici Poetae Tragici mordacia carmina, quibus Pontificem in ea re per calumniam lacessit. Verum sciunt omnes simul, apud istos scriptores in more positum esse, ut ad praeoccupatas opiniones suas disseminandas, eos non pudeat etiam contra criticae leges agere, quae prohibent quominus in factis referendis, fides habeatur iis, quorum hostilis in aliquem animus iam est manifestus (qualis, ex. gr. Infissura est cum de RR. Pontificibus agit), et quominus id verum esse concedatur, quod ab hominis, cui tribuitur, gravitate, virtute, ingenio, institutisque penitus alienum est. Iam vero, ceteris omissis, quae esset Sixti IV virtus, describit Platina in sua latina Plutarchi *de ira sedanda* versione eidem Pontifici dicanda. Sixtum enim IV alloquens ait: « Quem » doctrina singularis, et optima vi- » vendi consuetudo, et tua ipsa mi- » tissima natura te prope Deum in » terris fecit. »

Atque ut reliquos scriptores praetteream, qui de hoc Pontifice, in isto facto referendo, iniuste detraxerunt, Potterium tantummodo commemorabo *tom. 4 part. 1 lib. 7 pag. 164 et seqq.* Universus autem ille Potterii locus plenus est in Sixtum IV iniuriae, atque eo etiam is Scriptor sermonem suum omnem convertit, ut veluti certum ponat, Sixti IV litteras die 1 Iunii anno 1478 datas, quibus censuras in Florentinos tulit, iniuste datas esse, atque eiusdem Pontificis adversae erga Mediceos sententiae tribui debere.

Certum est tamen, haec a Potterio per iniuriam de Sixto IV dici, quem Pontificem Raynaldus, inter ceteros, tamquam de explorata re sermonem habens, ait, coniurationis, ac flagitii rationem contra Mediceos patrati latuisse. Qua in re ad Pontificem eundem fusius vindicandum valde erudita dissertatio legi deberet, quae a clarissimo Praesule Stephano Rossio die 27 Maii anno 1841 in Academia Religionis Catholicae, Romae recitata est, qua praeter cetera allata ad Sixtum IV defendendum gravissima argumenta, ex processus actis contra coniuratos quosdam instituti, atque ex historiae totius adiunctis, memoratus Praesul effecit, quae contra Pontificem ex facto istius coniurationis relata sunt, calumniosa esse.

Sed, ut de Potterio tantum loquar, certum est, quae ille de Sixto IV superius citato loco dicit, per iniuriam ab eo pronuntiata esse. Satis vero est recordari quae breviter ex Maffeio Volaterrano retulimus, ut intelligatur, quae commissa sunt postquam Laurentius incolumis evasit, et coniurati repressi sunt, talia fuisse, ut Pontifex omni iure posset Florentinos Ecclesiasticis poenis mulctare.

Litteras illas Sixti IV referre ni-

mis longum esset. Eae vero a Raynaldo num. 4 recitantur. Eiusdem tamen Annalistae verbis, earum litterarum summam adducam, ut appareat, quam iustae causae essent, quibus Pontifex permotus, eas poenas in Florentinos tulit.

Itaque, Raynaldus ait, ferendae sententiae, et incutiendi anathematis causa ex violata dignitate ordinis Ecclesiastici petita est, praefatusque Sixtus de censuris, quibus Ioannes XXII ditionis Ecclesiasticae invasores, eorumque socios perculisset, in medium attulit facinora, quae Laurentius, eiusque sectatores, et Florentini, ad Pontificium Principatum labefactandum patraverant; ut ad Nicolaum Vitellium in Tifernensi Tyrannide confirmandum suppetias ei tulissent; excitassent Carolum Montorium, ut Perusium Pontifici eripere pertentaret, ac Senensem agrum popularetur; Deiphebum Aversi olim Anguillariae comitis filium a Paullo II proscriptum excepissent, fovissentque; Citernam ditioni Pontificiae obnoxiam oppugnassent; Etruscum mare, et litus Romanum infestassent; venientes ad Sedem Apostolicam cepissent; diu adversati essent, ne Archiepiscopus Pisanus Ecclesiam suam adiret, neve postea suam auctoritatem exerceret; demum ob privatas dissensiones, immaniter ad Praetorii fenestras eum strangulassent; cepissent Raphaelem Cardinalem Legatum, necdum Episcopi Modrusiensis a Sede Apostolica missi precibus ad illum dimittendum adduci potuissent. Ob tot igitur, tantaque facinora, idem Annalista subdit, Laurentium, eique adiunctos Florentinos, anathemate, interdicto, et aliis poenis eo edicto contentis Pontifex perculit.

Audiendum vero est ab ipso Sixto IV quot fuerint Sacerdotes, eo tempore Florentiae interfecti. Ait enim Pontifex in iis litteris: « Multos alios Presbyteros, ac Ecclesiasticos viros bonae conditionis, et » famae, quorum aliqui erant ex dilecti filii nostri Raphaelis S. Georgii ad Velum Aureum Diaconi Cardinalis, in provincia nostra ducatus Spoletini, et nonnullis aliis civitatibus, terris, et locis praedictae Romanae Ecclesiae, dictae Sedis Legati, et aliqui ex dicti Archiepiscopi familiaribus, partem » suspendi, partim gladiis et fustibus » confodi, et necari palam, et publice in Ecclesiasticae dignitatis opprobrium fecerunt; et deterrima » prioribus aggrediendo, Raphaelem » Cardinalem, et Legatum praedictum in dicta civitate Florentina, » in Ecclesia Cathedrali, dum ibidem divinis officiis, et Missarum » solemniis eadem die Dominica interesset, capere et capi mandare, » capturamque ipsam ratam habentes, eundem sub fida custodia in » praedicto palatio teneri curarunt, » et curant.... in clericalis ordinis, » et pastoralis officii vituperium. »

Haec, quae diximus, seu potius Raynaldum sequuti retulimus, ostendunt, iustas habuisse causas Pontificem, ut contra Florentinos Ecclesiasticam severitatem adhiberet. Etiamsi enim omittatur de coniurationis causa quaerere, illud tamen ex rebus narratis evincitur, Pontifici gravissimas, iustissimasque rationes adfuisse, ut, templum tanto scelere violatum, Archiepiscopum indicta causa, cum presbyteris pluribus, infami supplicio affectum, Legatum Pontificium Cardinalatus dignitate praeditum, quem innoxium fatentur omnes, et Pisis, ubi iuri Pontificio operam dabat, consilii contra Mediceos suscepti prorsus ignarum, Florentias perductum, comprehensum, et diu in custodia retentum, Ecclesiasticis poenis latis ulciscereturus. Haec vero satis aperte demonstrant, quam inique Potterius censuras in Florentinos latas, sine iustis causis indictas esse affirmaverit.

Bellum deinde grave exarsit cum Florentinis, quibuscum Veneti, Mediolanenses, Mantuae praeterea, et Ferrariae Principes coniuncti sunt. Ac Florentinae res cum valde in eo

bello periclitarentur, Laurentius ipse Mediceus, se ad Ferdinandum Neapolis Regem contulit, et apud eum ad pacem ineundam laboravit. Ludovicus quoque XI Galliae Rex in Florentinorum partes vocatus, eorundem patrocinium apud Sixtum IV suscepit, missa etiam ad Pontificem legatione, qua a Florentinis excitatus Pontifici minitatus est. Sed Sixtus graviter Galliarum Regis Legatis respondit, et quibus vere de causis erga Florentinos severitatem adhibuisset, demonstravit.

Verum pax tandem aliquando anno 1480 restituta est. Cum enim Ferdinandus Rex, cum Laurentio Mediceo iam esset reconciliatus, Veneti de Florentinis quererentur, quod haec contra pacta conventa gessissent; Legati ad Venetos, atque ad Pontificem de pace acturi missi sunt. Denique hoc anno pacis restituendae negotium absolutum est. « Admissi » Legati, Spondanus ait, pro foribus » Basilicae S. Petri prostrati, de mo- » re virga converberati, absoluti, et » in Basilicam intromissi, Sacro in- » terfuerunt. Inter pacis conditiones » una fuit, ut Turcico bello, Floren- » tini quindecim longas naves Fer- » dinando Regi mitterent ad propul- » sandam Turcarum ferocitatem, » tamdiu propriis sumptibus alendas, » quamdiu hostis in Italia maneret, » qui iam Italiam aggressus fuerat, » unde et Sixtus faciliorem se paci » concedendae praebuerat. » Huic autem bello commemoratas superius causas occasionem dedisse certum est, non autem quod coniuratio in Mediceos conflata, exspectatum exitum consequuta non esset, quemadmodum iniuria Potterius, aliique contenderunt.

Atque haec de Sixto IV dixisse satis sit. Reliqua multa, quae de eo essent referenda, apud Raynaldum, ut diximus, Spondanum, aliosque videri possunt.

EX SAECULO DECIMO SEXTO

CAPUT XLIV.

DE CONCILIO V LATERANENSI GENERALI, SEU OECUMENICO XVII.

Pervolventibus praecipua Historiae Ecclesiasticae capita ad saeculum decimum sextum spectantia, occurrit primo loco Concilium Generale Lateranense V, quod anno 1512 haberi coepit, et anno tandem 1517 est absolutum. Huius vero Concilii Generalis celebratio, partim sub Iulio II, partim sub Leone X facta est. Successerat autem post brevissimum viginti septem dierum Pontificatum, Pio III die 18 Octobris anno 1503 mortuo, Iulius II, atque hic Pontifex fuit usque ad diem 20 Februarii anni 1513, quo vita functus Leonem X Successorem habuit.

Antequam de Concilio V Lateranensi Generali loquamur, necesse est nonnulla dicere de Pseudo-Concilio Pisano, quod, invito Iulio II Pontifice Maximo, anno 1511 congregatum est. Cum magna esset discordia Iulium II Pontificem inter ac Maximilianum I electum Romanorum Imperatorem, et Ludovicum XII Galliae Regem excitata, tres Cardinales, qui a Pontifice defecerant, Concilium habendum indixerant. Praecipue vero illud conquerebantur, quod Iulius Pontifex, licet cum eligeretur, promisisset, se Concilium Generale intra biennium esse celebraturum, id tamen minime faceret: necesse vero esse, rem diutius non differre: Ecclesiae disciplinae reformationi consuli oportere: finem bellis inter Christianos, atque intestinis discordiis imponi necesse esse. Maximilianus vero, et Ludovicus XII affirmabant, muneris sui esse, quo Ecclesiam protegere tene-

bantur, his rebus occurrere, et satis ostendebant sibi minime displicere, ut quoniam Pontifex a Concilio indicendo abstinuerat, illud per Cardinales indictum Pisis celebraretur. Ludovicus vero ipse XII eodem anno 1511, Turonibus in Gallia, conventum Praesulum habuerat, quo indignationem suam erga Pontificem aperte significaverat, et se ad bellum adversus Iulium II gerendum paratum declaraverat.

Itaque Concilium istud convocatum fuerat incipiendum die 1 Septembris anno 1511, sed revera die 1 Novembris eodem anno haberi coepit. Memorati tantum Cardinales interfuerunt, licet trium aliorum qui adhaerebant, procurationis documentum attulissent. Plures Galliae Episcopi, et Abbates una cum Regis Gallorum Nuntiis adfuerunt. Octo vero tantum sessiones habitas esse, ex actis apparet.

Quam parvo semper numero Concilio interfuerint Episcopi, in valde erudita ad annum 1511 Raynaldi adnotatione, Mansius animadvertit, videlicet in ipso Concilii exordio, convenisse Episcopos quatuordecim, Archiepiscopos autem duos, cum Abbatibus S. Dionysii, et S. Medardi, aliisque nonnullis, ac deinde Episcopos ad triginta crevisse, atque interfuisse simul nobiles viros ex Gallia; omnes tamen Episcopos, qui Concilii participes fuerunt, ex Gallicana natione fuisse; vocatos quidem a Ludovico Rege Galliae etiam Genuenses ad Concilium, sed eos opportunam excusationem afferentes, Rege ipso non improbante, ad Concilium non ivisse.

Neque vero Pseudo-Synodus ista, Pisis tota habita est. Etenim post tertiam sessionem, actum est de Synodo Taurinum transferenda, sed revera Mediolanum deinde Episcopi illi ad sessiones prosequendas se contulerunt. Itaque Pisis prima Concilii sessio die 1 Novembris habita est: biduo post secunda, et die 11 Novembris tertia sessio celebrata fuit. Tum vero ii Mediolanum pergentes, quartam sessionem, quam die 13 Decembris habendam statuerant, die 4 Ianuarii anno 1512 celebrarunt, deinde ceteras usque ad octavam, quae extrema fuit. In his vero sessionibus eandem semper Iulii II Pontificis potestatis contemnendae voluntatem Episcopi illi demonstraverunt, atque ad summam contra auctoritatem Pontificis arrogantiam ostendendam pervenerunt.

« Ex Urbe autem Mediolano, subdit Mansius, Vercellas transiisse illos, qui conciliabulum Pisanum constituebant, quamquam alibi non legi, ex Bulla tamen Iulii, qua Pisanos Patres censuras canonicas incurrisse declarat, edita anno 1511 3 non. Decembris, deduxisse mihi videor. Reprobat enim in ea Pontifex *translationem conciliabuli ad civitatem Mediolanensem, seu Vercellensem.* Bullam hanc Iulii penes me habeo, tunc cum promulgaretur, quantum arbitror, excusam, cuius est exordium: *Tanta est Clavium Ecclesiae potestas.* Verum si res ita se habuerit, oportet, errantes illos, primo Vercellas, dein Mediolanum se contulisse, cum Mediolani agerent die pridie iduum Decembris, ubi sessionem quartam celebrarunt. Nec Mediolani diu consistere potuerunt, cum Decembri mense sequentis anni 1512 ad illos Lugduni agentes Petrus Cordior Parisiensis litteras dederit, quarum summam exhibet Spondanus ad annum 1512 num. 17, qui et numero superiori 16 scripserat, Patres istos Taurinum, deinde Lugdunum emigrasse. At si Leonis X diploma relatum ab Annalista, sequenti anno 1513 consulamus, Taurinensem stationem, pro Astensi positam constabit. Ita enim Leo ibi num. 50 habet de ea re: appellat videlicet, *conciliabuli congregationem Pisis, Mediolani, Astae, et Lugduni.* »

Non oportet quidquam immorari in ostendenda Concilii istius Pisani

ludicra forma, et auctoritatis cuiuslibet deficientia. Appellarunt quidem ii, qui Pisas ad illud celebrandum convenerant, Pisanum Generale Concilium, a nemine, nisi ab eodem Concilio, transferri, ac dissolvi posse, atque ad auctoritatem suam tuendam, memorata toties superius Concilii Constantiensis decreta recordati sunt. Sed ista sunt penitus inepta. Cum enim constet Concilium illud Pisis habendum, invito Pontifice Maximo indictum esse; manifestum est, illud non modo non generale, sed neque particulare legitimum Concilium, ulla ratione existimari potuisse: neque solum ea auctoritate destitui, quae generalis, aut plenarii Concilii propria est, sed schismaticam etiam synodum existimandam esse. Erat vero ridiculum, Concilium istud Pisanum, generale Concilium appellare, cum parvo numero Episcopi ex una tantum Gallicana Natione eidem interessent. Absurdum denique erat, Constantiensia decreta huic conciliabulo aptare, quae in Concilio ex omnibus nationibus Constantiam convocato fuerant edita, quaeque de Concilio generali, tempore schismatis, et cum incertus est Pontifex Maximus, intelligi tantummodo posse, suo loco perspicue demonstravimus.

Ceterum tum Cardinales, tum Episcopi, qui Concilio Pisano adhaeserant, errorem deinde emendarunt, et schismatici huius facti poenitentes, ipso Ludovico XII Galliae Rege Pontificem deprecante, veniam a Leone X postularunt, et consequuti sunt. Eos omnes exemplo suo praestiterunt Bernardinus Cardinalis Carvaialius tit. S. Crucis in Ierusalem, qui conciliabulo praefuerat, et Fridericus Cardinalis Sanseverinius tit. S. Angeli, qui mox, ubi Leo X Pontifex electus est, ad eundem humili veste induti venerunt, et absolutionem eorum, quae gesserant, implorarunt.

Cum haec breviter de conciliabuli Pisani celebratione retulerimus, agendum nunc a nobis est de Concilio V Lateranensi Generali, quod, edita 15 cal. Augusti anno 1511 constitutione sua, quae incipit *Non sine gravi*, Iulius II habendum indixit. Refert, inter ceteros, eam constitutionem Raynaldus, ad eundem annum num. 9 et seqq.; ex qua apparet quam sapienter, ad coercendam eorum, qui Pisas convenerant, audaciam, Pontifex Maximus, hoc Romae habendae universalis synodi consilium susceperit.

Sunt vero eae Iulii II litterae gravissime scriptae, atque ad retundendam hominum, qui Ecclesiam perturbare conati fuerant, arrogantiam, imprimis opportunae. Conquestus enim Pontifex de eorundem hominum facto, ostendit, quanta temeritate ii aggressi essent Pontificiam auctoritatem sibi assumere, cuius proprium est Concilii convocandi ius. Falsas esse accusationes illas Iulius II declarat, quibus ipse fuerat impetitus, atque illud praecipue, quod Schismatici affirmaverant, eundem Pontificem a Concilio indicendo abhorrere, cum vel ab Alexandri VI pontificatus tempore, Concilium habendum ipse curasset, atque idcirco in Pontificis illius invidiam incidisset. Commemorat graves occurrisse rationes, quamobrem Concilii celebratio differri debuerit: Romae tamen, non in locis, quae Schismatici excogitaverant, quaeque ad Concilium habendum opportunam non erant, Concilium celebrari debuisse. Diu se exspectasse, ut Schismatici resipiscerent. Pro muneris sui ratione, se Concilium Pisanum, eiusque acta rescindere, et omnibus se mandare ne illius conciliabuli participes evaderent. Episcopos undique ad Concilium in Aede Lateranensi anno 1512 die 19 Aprilis, secunda feria post octavam Paschae incipiendum, se Romam convocare: Principes Christianos, ut Nuntios suos ad Urbem mitterent, se vehementer hortari: certos denique omnes esse debere, Concilium istud, communi concordia,

et libertate cuiuslibet diligenter servata, Romae celebratum iri.

Quae hactenus commemoravimus, significant praecipuam occasionem, et causam, quare Concilium Lateranense Generale V indictum atque, habitum est. Prout vero continet memorata superius Iulii II de Concilii indictione constitutio, debebat illud incipi die 19 Aprilis anno 1512 in Lateranensi Basilica. Verum Concilii exordium prorogatum est ad calendas Maii, praesertim ob metum, quem in Urbe excitaverat gravis conflictus, qui apud Ravennam eo tempore fuerat inter Pontificis et Regis Catholici milites ex una parte, et milites ex alia Ludovici Galliarum Regis, ac conciliabulo Pisano homines adhaerentes. In eo autem conflictu magna clades facta est, plura caesa hominum millia, et Ravenna a Gallis direpta fuit.

Revera deinde Concilium die 3 Maii haberi coepit, quo die, Iulio II Pontifice praesente, in Ecclesia Lateranensi, coram Patribus, qui Concilio interesse debebant, Missa celebrata fuit a Cardinali Episcopo Ostiensi, et sermone habito ab Aegidio Viterbiensi, Generali Ordinis S. Augustini, postea S. R. E. Cardinali, Bulla indictionis Concilii lecta est, ac statutum, ut prima Concilii sessio die 10 Maii haberetur. Praeter Pontificem, qui Concilio praeerat, Cardinales 16, et Archiepiscopi, atque Episcopi 83 interfuerunt, Abbates etiam nonnulli, aliique. Crevit autem plurimum in posterum Cardinalium et Episcoporum numerus, qui Concilio interfuerunt, prout acta Concilii consulentibus apparet. Sessione octava, ex. gr., Cardinales 25, Episcopi 112, Generales Ordinum 4, Oratores Principum plures, aliique interfuerunt. Videri potest *collectio conciliorum* PP. Philippi Labbei, et Gabrielis Cossartii S. I. *tom. 19 col. 827 et seqq.*

Itaque die 10 Maii in prima sessione, peractae sunt caeremoniae, et cetera omnia, quae in Oecumenici Concilii celebratione peragi solent. Secunda sessio autem die 17 Maii habita est, qua Thomas de Vio Caietanus, Ordinis PP. Praedicatorum Generalis, ac deinde S. R. E. Cardinalis, orationem habuit, in qua multa de Ecclesia graviter dixit, ac praeterea Pontificem, ut clementiam in Pisanos, si resipiscerent, adhiberet, precatus est, atque ut tantisper exspectarentur Nationum Legati, antequam Concilii celebratio prosequeretur, sententiam suam esse, praeclarus ille vir significavit. Se enim existimare affirmavit, Nationes magno numero quamprimum Concilio esse adhaesuras. Eventus autem sententiae illius veritatem confirmavit. Etenim excurrente medio a secunda ad tertiam sessionem tempore, Raynaldus ad an. 1512 num. 53 animadvertit, Germaniam, Castellam, Aragoniam, Sardiniam, utramque Siciliam, Angliam, Daniam, Norwergiam, Scotiam, cum Italia, et Hungaria, Lateranensi Concilio, missis oratoribus, mandatisque amplissimis adhaesisse. Eadem sessione lecta est Bulla, qua Pisanum conciliabulum damnatum, actaque eiusdem irrita, ac nulla declarata sunt.

Tertia sessio igitur post sex menses iam elapsos habita est die 3 Decembris, in qua Episcopus Gurcensis, nomine Maximiliani Imperatoris, Pisani conciliabuli acta reiecit, atque omnia, quae pro conciliabulo illo a Principe gesta fuerant, revocavit. Sessione quarta, quae die 10 Decembris celebrata fuit, lectae sunt Ludovici XI Galliarum Regis litterae, antea ad Pium II scriptae, de Pragmaticae Sanctionis revocatione, et dies quadraginta, in monitorio ad hanc rem dato, sunt concessi, quo tempore ratio reddi deberet ab iis, quorum intererat, cur Pragmatica Sanctio, secundum istam Ludovici XI iussionem, abrogata non fuisset.

Die 16 Februarii anno 1513 quinta sessio habita est, cui Raphael Riarius Cardinalis Episcopus Ostiensis

praefuit, eo quod Iulius II infirma valetudine impeditus, Concilio praeesse non posset. Lecta est autem eiusdem Iulii II constitutio, lata contra Simoniacos in Pontificis Maximi electione. Item lecta est alia Bulla de Pragmaticae Sanctionis discussione, ob ipsius tamen Pontificis infirmam valetudinem, ad proximam sessionem differenda. Verum die 21 Februarii Iulius II gravi febri consumptus obiit. Successit autem die 11 Martii Iulio II Leo X, qui Concilii prosequutionem decrevit, et die 27 Aprilis sextam sessionem habuit.

In sexta vero ista sessione, quae, Leone X praesidente, celebrata est, viginti quatuor Praelati, graves, doctique viri electi sunt, atque in tres classes una cum Cardinalibus distributi, qui de rebus in Concilio decernendis agerent, videlicet de pace inter Christianos Principes componenda, de generali Curiae Romanae reformatione, deque Pragmaticae Sanctionis abrogatione.

Sessio septima die 17 Iunii habita est, qua libelli supplices lecti sunt Cardinalium, qui schismati adhaeserant, Bernardini scilicet Carvaialii, et Francisci Sanseverinii, quibus facti sui veniam postulabant. Atque hi quidem, postquam dies aliquot, simplici Clericorum veste induti apparuissent, ad pedes deinde Leonis X provoluti, cum Ecclesia Romana demum reconciliati, atque in pristinum Cardinalitiae dignitatis gradum restituti sunt.

Die 19 Decembris sessio octava habita est, in qua ab Archiepiscopo Gnesnensi, Poloniae Primate, lecta est Leonis X constitutio de animae humanae immortalitate. In ea constitutione errorem invaluisse refertur, circa animae rationalis naturam, quo continebatur, animam mortalem, atque in cunctis hominibus eam unicam esse. Constitutio vero contra errorem hunc lata, ista decernit: « Sacro approbante Concilio, » damnamus, et reprobamus omnes » asserentes, animam intellectivam » mortalem esse, aut unicam in cun- » ctis hominibus, et haec in dubium » vertentes. Cum illa non solum vere, » et per se, et essentialiter, humani » corporis forma exsistat, sicut in » canone fel. rec. Clementis Papae V » in Generali Viennensi Concilio edi- » to continetur, verum et immorta- » lis, et pro corporum, quibus in- » funditur, multitudine, singulariter » multiplicabilis, et multiplicata, » et multiplicanda sit. Quod mani- » feste constat ex Evangelio, cum » Dominus ait: *Animam autem non* » *possunt occidere,* etc. » In eadem sessione octava consultum est, ne Ecclesiastici, in sacris ordinibus constituti, aliis studiis nimium distracti, a Theologiae, ac iuris canonici studiis accurate peragendis revocarentur. Monitorium denique in eos conditum est, qui in locis Sedis Apostolicae dominio subiectis, iura eiusdem violavissent.

Sessio nona die 5 Maii anno 1514 habita fuit. Atque in ea, postquam de nonnullis cum Sede Apostolica reconciliandis actum fuisset, qui conciliabulo Pisano studuerant; et cum iterum de Pragmatica Sanctione sermo institutus esset, ac de responso nondum accepto, quod de ea, monitorium a synodo datum requirebat, actum quoque est de Curiae Romanae reformatione, qua in re Leo X decrevit servandum esse statutum Alexandri III Pont. Max. in Concilio III Lateranensi Generali editum canone 3. Videri autem haec fuse possunt apud conciliorum collectores, ubi de rebus in eo Alexandri III, ac Concilii Lateranensis III statuto comprehensis pertractant.

Habita est die 4 Maii anno 1515 sessio decima, in qua *de Montibus Pietatis* actum fuit. Controversia enim ea aetate gravis erat excitata, num liceret ad Montes pietatis instituendos, regendos, ac servandos, lucrum aliquod ultra sortem, seu quantitatem pecuniae mutuatae accipere. Contendebant autem nonnulli, id nulla ratione licere, atque aliquid

lucri ultra sortem, etiam eo nomine accipere, ab usurae crimine immune esse non posse. Alii vero id licere affirmabant, et praeter cetera, quae ad hoc comprobandum afferebant argumenta, Romanorum Pontificum Paulli II, Sixti IV, Innocentii VIII, Alexandri VI, et Iulii II auctoritatem adducebant; ac multos, doctrinae, ac sanctitatis laude praestantes viros id probavisse contestabantur.

Itaque in memorata Concilii Lateranensis V sessione decima, ad controversiam hanc definitive dirimendam, Leo X constitutionem edidit 4 Non. Maii anno 1515, in qua allatis in utramque partem de ea re disputantium argumentis, excommunicationis sententiae poenam ab iis incurrendam indixit, qui definitioni suae de hoc negotio sententiam oppositam propugnare in posterum ausi fuissent.

Haec vero est a Leone X in ea constitutione de Montibus pietatis promulgata definitio. « Utriusque partis, inquit, studium commendantes, » cum haec ad pacem, et tranquillitatem totius Reip. Christianae » spectare videantur, Sacro approbante Concilio, declaramus, et definimus, montes pietatis antedictos, » per Respublicas institutos, et auctoritate Sedis Apostolicae hactenus probatos, et confirmatos, in » quibus pro eorum impensis, et indemnitate, aliquid moderatum ad » solas ministrorum impensas, et » aliarum rerum ad illorum conservationem, ut praefertur, pertinentium, pro eorum indemnitate dumtaxat, ultra sortem, absque lucro » eorundem montium accipitur; neque speciem mali praeferre, nec » peccandi incentivum praestare, neque ullo pacto improbari, quin » immo meritorium esse, ac laudari, » et probari debere tale mutuum, et » minime usurarium putari, licereque illorum pietatem, et misericordiam populis praedicare, etiam » cum indulgentiis a S. Sede Apostolica eam ob causam concessis... » multo tamen perfectius, multoque » sanctius fore, si omnino tales montes gratuiti constituerentur; hoc » est, si illos erigentes, aliquos census assignarent, quibus si non omni, » saltem vel media hac parte, huiusmodi montium ministrorum solvantur impensae, ut ad leviorem » aeris solvendi portionem, medio » hoc, pauperes gravari contingat, ad » quos cum huiusmodi census assignatione, pro impensarum supportatione erigendos, Christi fideles » maioribus indulgentiis invitandos » esse decernimus. »

Praeter istam de montibus pietatis, a Leone X edita est in hac Concilii V Lateranensis sessione, peculiari mentione digna, alia constitutio *de librorum impressione*. Decrevit autem in eadem constitutione Pontifex ista ratione: « De cetero, » perpetuis futuris temporibus, nullus librum aliquem, seu aliam » quamcumque scripturam, tam in » Urbe nostra, quam aliis quibusvis » civitatibus, et dioecesibus, imprimere, seu imprimi facere praesumat, nisi prius in Urbe, per Vicarium Nostrum, et Sacri Palatii » Magistrum, in aliis vero dioecesibus, et civitatibus, per Episcopum » vel alium habentem peritiam scientiae libri... ab eodem Episcopo ad » id deputandum, ac Inquisitorem » haereticae pravitatis... diligenter » examinentur, et per eorum manu » propria subscriptionem, sub excommunicationis sententia, gratis, et » sine dilatione imponendam, approbentur. Qui autem secus praesumpserit, ultra librorum impressorum amissionem, et illorum publicam combustionem, ac centum ducatorum Fabricae S. Petri solutionem, annui exercitii impressionis suspensionem, excommunicationis sententia innodatus exsistat, ac » demum, ingravescente pertinacia... » per omnia iuris remedia castigetur. »

Haec de librorum impressione concilium Lateranense V decrevit. De

eadem re vero Concilium Tridentinum deinde pertractavit. Scilicet *sess. 4* in decreto *de editione, et usu sacrorum librorum*, postquam Sacrosancta Synodus de impressione librorum Sacrae Scripturae plura sapientissime statuisset, hoc modo prosequuta est: « Nullique liceat im» primere, vel imprimi facere quos» vis libros de rebus sacris, sine no» mine auctoris... nisi primum exa» minati, probatique fuerint ab Or» dinario, sub poena anathematis, et » pecuniae in canone concilii novis» simi Lateranensis apposita. Qui au» tem scripto eos communicant, vel » evulgant, nisi antea examinati, » probatique fuerint, eisdem poenis » subiaceant, quibus impressores. »

De his vero rebus a concilio statutis opportunum esse arbitror ista breviter animadvertere. Videlicet Theologi, ac iuris canonici Tractatores communiter sentiunt, censuram, de qua in concilii decreto agitur, *latae sententiae* esse, sed non reservatam. Ita eximius Suaresius *De censuris disp. 23 sect. 7.* Ita La-Croixius, Giraldius, S. Alphonsus de Ligorio, aliique. In qua re tamen intelligitur, censuram, quae incurritur, cum de libris haereticorum sermo est, de Religione ex professo tractantibus, Pontifici *in Bulla Coenae* reservatam reperiri.

Memoratam vero in decreto censuram *latae sententiae* esse, atque *ipso facto* incurrendam, decreti scopus ostendit, qui est, ut impediatur quominus sine examinatione, atque approbatione, eorum librorum impressio fiat. Ostendit praeterea id decreti contextus, ac verborum ratio, quibus decretum dispositum est.

Praeterea est Theologorum, atque Canonistarum sententia, censuram quidem *latae sententiae* esse, sed poenas alias, de quibus in decreto agitur, *ante declaratoriam sententiam* non obligare. Ita profecto, inter ceteros, hoc veluti certum ponit Giraldius, ad *P. Thesaurum, de poenis Ecclesiasticis cap. 3* eo loco, quo de poenis pertractat, quae ob illicitam librorum editionem incurruntur.

Non erit denique abs re hic referre quae sit Theologorum, ac Canonistarum sententia de iis decreti Tridentini verbis, quibus statuitur, « iisdem poenis subiacere, qui libros » (de quibus loquimur) *scripto eos* » *communicant, vel evulgant.*» Haec, inquam, decreti verba, hoc sensu communiter accipiuntur. « Intelligitur, » ait Giraldius loc. cit. cap. 4, intel» ligitur ista poenalis prohibitio de » divulgatione, quae aequivaleat im» pressioni, non autem de communi» catione privata, seu ad privatum » usum, per manus, quomodo com» municantur passim lectiones theo» logicae. » Ac Suaresius praeterea, loco, quem memoravimus, subdit: « Nomen libri, proprie, et stricte » accipiendum est pro opere consum» mato, et integro, quale est illud, » quod imprimi solet... Communica» tio (scriptorum ex. gr. de theolo» gia) est privata, et per accidens, » ideo non censentur huiusmodi scri» pta sub hac clausula comprehendi.»

Tandem adiungi potest, Lateranensis concilii decretum, de quo disputamus, *per regulam X Indicis*, renovatum penitus fuisse. Incipit enim ea regula: « In librorum, alia» rumque scripturarum impressione, » servetur quod in Concilio Latera» nensi sub Leone X statutum est. » Quare si in alma Urbe, etc.» Prosequitur, videlicet, Lateranense Decretum referendo, atque alia deinde statuendo, quae ad rite moderandam librorum impressionem opportuna sunt.

Obloquitur quidem de hoc Lateranensis V Concilii decreto Potterius *tom. 4 part. 1 lib. 8 pag. 242 et seq.* ac praeterea *tom. 7 part. 2 lib. 5 pag. 134 et seq.* ubi agit de eiusdem decreti renovatione a Concilio Tridentino facta. Et conqueritur in ea re de Leone X, qui licet de litterarum, ac scientiarum progressu excitando, ac fovendo tantopere stu-

diosus esset, constitutionem tamen ediderit, quae idonea erat, ut ipse ait, ad barbariem, atque obscuritatem circa studiorum materiam, iterum inducendam.

Verum is scriptor vix meretur, ut in his affirmandis refellatur. Ipse enim decreti Lateranensis contextus, et res eo decreto comprehensae demonstrant, nullo modo ob huius decreti observantiam, scientiarum, ac litterarum progressum retardari potuisse. De facto praeterea constat non obstante decreti istius promulgatione atque accurata observatione, quae diu ubique obtinuerat, scientias, litteras, bonasque artes, vel ab ea aetate amplissimum progressum habuisse, atque ad summum splendorem pervenisse. Absurdum vero est statuere, ad scientiarum ac litterarum progressum consequendum, effrenem impressionis librorum licentiam requiri. Immo vero manifestum est, istam exlegem imprimendi facultatem, depravandae praesertim iuventuti, ac societati pervertendae infelicissime opportunam, perniciem societati afferre, atque a studiis impense peragendis, adolescentes alio distractos revocare.

Nunc ut cetera, quae in duabus Concilii Lateranensis V posterioribus sessionibus acta sunt, perstringamus, die 19 Decembris anno 1516 undecima sessio concilii celebrata est, in qua lecta est schedula circa praedicandi modum. Lecta praeterea Bulla, qua continebantur *Concordata* Leonem X inter et Franciscum I Galliae Regem inita, et alia simul Constitutio lecta est, qua *Sanctio Pragmatica* abrogata fuit, eaque ab omnibus probata est; de qua re paullo fusius deinde loquemur. Alia denique constitutio de Religiosis, eorumque privilegiis lecta est. Die tandem 16 Martii anno 1517 sessio duodecima, ac postrema habita fuit, qua finita, concilium absolutum, dimissumque est. Promulgata autem fuit in eadem sessione, constitutio contra eos, qui, cum Romanus Pontifex eligitur, Cardinalium domos invaderent. Est etiam lecta schedula, qua Decimae ad triennium, pro expeditione contra Turcas impendendae, decretae sunt.

Quae recensuimus, praecipua sunt ex iis, quae Concilium Lateranense Generale V ad Ecclesiae doctrinam et disciplinam propugnandam, atque ad Reipublicae bonum procurandum decrevit. Praecipua, inquam; nam alia plura sunt, quae, habita brevitatis ratione, praetermittimus; sed ea fuse pertractata in conciliorum collectionibus reperiuntur, atque apud eos, qui iuris Pontificii disciplinam tradiderunt.

Nunc restat, ut singillatim de auctoritate Concilii Generalis propria, Lateranensi V Concilio indubitanter asserenda, et de Pragmaticae Sanctionis abrogatione, quae in eo Concilio absoluta est, aliqua dicam.

Ac primum quidem breviter demonstrari potest, ea omnia quae ad Concilii generalis auctoritatem constituendam requiruntur, certissime Concilio V Lateranensi convenire. Indictum enim illud esse Romani Pontificis Iulii II, ac deinde Leonis X auctoritate prosequutum, res est exploratissima, prout eadem ratione constat, utrumque Pontificem Concilii Lateranensis V sessionibus omnibus praefuisse, quae eorundem Pontificatus tempore habitae fuerunt. Quae autem a Concilio Lateranensi statuta, ac decreta sunt, ea Sedis Apostolicae, et Ecclesiae auctoritate confirmata esse, adeo notum est, ut id non indigeat ulla demonstratione.

Atque hic quidem doctissimi viri Cardinalis Iosephi Orsii *lib. 6* operis *de Romani Pontificis in synodos Oecumenicas, et earum canones potestate*, caput decimum octavum meretur praecipue, ut consulatur, quo loco Lateranensis V concilii Oecumenicam auctoritatem evincit. Miratur autem iure, repertos plures esse, qui Constantiense Concilium, omne Oecumenicum dixerint; Basileense Concilium hac auctoritate de-

stitutum, etiam post illius translationem ab Eugenio IV factam, aegre concesserint; Lateranensi autem V Concilio, Oecumenici titulum, atque auctoritatem invideant. « Quum et » is Episcoporum numerus, inquit » Orsius, et aliquot ex omnibus fere » Catholici Orbis provinciis, praesto » fuerint, cuiusmodi profecto num» quam Basileensis synodus vidit. » Omnium quoque catholicorum Prin» cipum, atque ipsius etiam Gallia» rum Regis Oratores interfuerunt, » et quod plurimum ponderis, ac » momenti habet, illi per se Roma» nus Pontifex praefuit, et sacer » Purpuratorum Ecclesiae Patrum » Senatus ornamento fuit. Quid ergo » Oecumenicam potestatem Basileen» si Concilio tam liberaliter largiun» tur, Lateranensi tam pertinaciter » adimunt? Nimirum Episcoporum » conventus, prout eorum rationibus, » aut propitii, aut infensi sunt isti » Theologi, vel ad sidera tollunt, » vel in ordinem redigunt. »

Est etiam perspicua ratio, cur, qui tantopere Constantiensium decretorum, vel Basileensis Concilii auctoritatem exaggerarunt, existimaverint Oecumenicam auctoritatem Concilii V Lateranensis se fateri non debere. Constitutio enim Leonis X Pragmaticam Sanctionem abrogantis, *sacro approbante Concilio* Lateranensi, edita, gravissime refellit quae Constantienses, ac Basileenses contenderant de suprema Concilii Oecumenici potestate, quaeque tantopere conati sunt efficere, ut concluderent, Generalia Concilia, ipsis invitis, a Romano Pontifice dirimi, atque alio transferri non posse. Etenim in ea constitutione continetur: « Romanum Pontificem supra omnia » Concilia auctoritatem habentem, » conciliorum indicendorum, trans» ferendorum, ac dissolvendorum ple» num ius, et potestatem habere. » Scio quidem, Cardinalem Luzernium, inter ceteros, affirmare, *part. 3* operis toties citati *cap. 21 num. 20,* haec verba veluti per transennam pronunciata, in ea constitutione reperiri. Sed haec futilia sunt, atque ex causae defendendae necessitate, ea derivare, facile est intelligere. Quae enim in memorato constitutionis loco de Romani Pontificis potestate pronuntiantur, ea gravitate pronuntiantur, quae in reliquo Constitutionis contextu apparet. Res autem, de qua eo loco sermo est, tanti momenti erat, ut ipsa pronunciatione sua, non quid per transennam dictum, sed sententiam contineret.

Debemus nunc aliqua dicere de *Pragmatica Sanctione,* quando ea fuerit in Gallia promulgata, quid contineret, quomodo abrogata fuerit. Huius autem Pragmaticae Sanctionis abrogatio, quae statim ac in Gallia edita est, iustissime ab Apostolica Sede fuerat improbata, unum ex praecipuis negotiis fuit, de quibus Concilium Lateranense V pertractavit, in quo tandem reiecta penitus est.

Itaque quod ad tempus spectat, quo Pragmatica Sanctio promulgata in Gallia est, monumenta quaecumque ad hanc rem pertinentia, certum constituunt, illam Caroli VII Regis auctoritate anno 1438 editam esse. Gravissimum tunc Basileense dissidium Ecclesiam perturbabat, et Basileenses eo tempore, Eugenio IV Pontifici Maximo acriter resistebant, qui Basilea Ferrariam Concilium transtulerat. Iam vero, prout Raynaldus ait, descivit tunc temporis Carolus VII Rex Galliae a pio, quod praesetulerat, studio, ac Basileensi conventiculo favere coepit, et Praesules Gallicanos vetuit Ferrariam se conferre. Cumque Basileensium decreta accepisset, convocato Bituricum conventu Principum, et Episcoporum, qui Basileensi factioni erant addicti, Pragmaticam Sanctionem die 7 Iulii eodem anno 1438 edidit, magno regii nominis dedecore, Annalista subdit, et maximo Gallicae rei damno, dum Pontificem impulsu Alphonsi Aragonii, Neapolitano Regno inhiantis, a Basileensibus oppugnatum deseruit. Atque illud etiam ap-

posite animadvertit, Praesules illos, qui Pragmaticae Sanctionis condendae participes fuerunt, dum eiusdem sanctionis praetextu Apostolicae auctoritati se subducere putabant, ad laicorum servitutem se adstrinxisse; Carolum autem VII post promulgatam sanctionem, graves aerumnas perpessum esse.

Ut vero hic breviter significem quid in Pragmatica Sanctione contineretur, opportunum arbitror ea referre, quae eruditissimus Mansius in sua ad annum 1538 Raynaldi adnotatione, de ea re habet. Videlicet commemorat, P. Martenium *Monum. tom. 8 col. 940* brevem summam rerum in conventu Bituricensi constitutarum exhibuisse, gallice scriptam ab homine, qui conventui interfuerat. Itaque statutum fuit, « ut ex » decretis Basileensibus a Patribus » discussis, ea admitterentur, quae » disciplinae reformationi conducerent, *salvis tamen aliquibus reformationibus*, etc. Hac discussione » a decem delectis a Concilio patribus peracta, definitum fuit, quod » vacantiae nullo iure deberentur Papae; Beneficiorum collationes ad » eos redirent, ad quos de iure pertinebant; exemptiones, quas vocant, si quae impetratae fuissent » post Concilium Constantiense, tollerentur; lites omnes, et causae iudiciales, iudicibus in loco constitutis relinquerentur iudicandae; » *Exspectativae* abolerentur; reliqua etiam Basileensia decreta probata.» Tum nonnulla etiam de modo, quo Pontificis impensis consuli posset, statuta fuerunt.

Atque haec in decretum relata sunt, quod deinde a Rege Carolo VII confirmatum, atque per universam Galliam servari iussum, *Pragmatica Sanctio* appellatum est. Praeter ista vero Card. Ludovicus Ricardus in *Analys. Concilior.* t. 2 pag. 755 alia plura singillatim recenset, quae in decreto illo, seu Pragmatica Sanctione continebantur: scilicet, Pontificem, decennio quolibet Concilium Generale indicere debere, ac sine necessitate a Concilio probanda, illud non posse transferre; si electio Episcopi, aut Abbatis non rite facta fuerit, atque ad Pontificem delata, aliam indici debere, atque Episcopum, vel Abbatem electum, ab immediato Superiore suo confirmandum esse; Synodo Generali auctoritatem a Christo immediate habenti, omnes, etiam Pontificem, subesse. Narrat vero scriptor a Martenio relatus, cuius mentionem superius fecimus, conventui Bituricensi interfuisse Archiepiscopos Rhemensem, Turonensem, Bituricensem, Tolosanum, et Cretensem, *qui fuit ex parte Papae,* Episcopos vero viginti quinque cum Abbatibus, aliisque.

Eugenius IV ubi hanc editam Pragmaticam Sanctionem audivit, graviter de ea conquestus est, atque, inter cetera, habetur epistola eiusdem Pontificis ad Carolum VII ipsum Regem Galliae scripta, qua vehementer redarguit Canonicorum Andegavensium factum, qui Pragmaticae Sanctioni innixi, Episcopum sibi elegerant, et Ecclesiae Andegavensi praeficiendum statuerant, licet Eugenius Pontifex alium elegisset. Hoc factum Pontifex reprehendit, electionem a se decretam tuetur, atque Regem hortatur, ut ab eorum consiliis caveat, qui privatis potius opinionibus, ac cupiditatibus inserviebant, quam honestatis, ac communis boni rationem habendam esse arbitrabantur.

Eo modo, quo Eugenius IV de Pragmatica sanctione conquestus est, eo, inquam, modo eius Successores Nicolaus V et Callistus III illam improbaverunt. Verum Pius II, qui Callisto III successit, de illius abrogatione impetranda impensius laboravit.

Atque eiusdem Pii II litterae a Raynaldo ad annum 1460 n. 46 et seqq. referuntur ad Carolum Regem de eo negotio scriptae. Harum autem litterarum a Pontifice scribendarum occasio fuit controversia,

quae Regem Carolum inter et Pontificem excitata fuerat ob Episcopi Tornacensis electionem. Carolus enim Galliae Rex, cui Tornacum suberat, Cardinalem Constantiensem expetierat Ecclesiae Tornacensi praeficiendum. Pius II vero precibus permotus Philippi Ducis, cuius ditioni maior dioecesis pars erat obnoxia, Tullensem Episcopum, natione Burgundum ad Tornacensem sedem transtulerat. Itaque cum multa sapienter ad Carolum VII leniendum Pontifex antea conatus esset, tandem his litteris querelas, quas rex afferebat, graviter confutavit.

Quod spectat vero ad Sanctionem Pragmaticam, quam Carolus VII induxerat, et tuebatur, ita rem pertractat in iis litteris Pius II. «Dicis te, » inquit, obsequentissimum, et obe- » dientem Sanctae Romanae Ecclesiae » filium. Haec petimus, ne moleste » feras patris verba: audies verba » charitatis, et fidei.... Dicis te filium » obedientem. Parce, fili, si hoc pa- » rumper negamus. Si filius obe- » dientiae es, cur Pragmaticam San- » ctionem tenes, atque defendis? Eu- » genius te hortatus est ut illam » dimitteres, quae non est secundum » Deum. Idem petiit Nicolaus, idem » rogavit Callistus, tres Romani Pon- » tifices, sancti, et venerandi Patres, » modo nuntiis, et legatis, modo lit- » teris te rogavere, ut Pragmaticam » relinqueres magni in Ecclesia dis- » sidii, et mali causam. Numquam in » hac parte audivisti vocem Roma- » nae Ecclesiae. Ubi ergo tua obe- » dientia? ubi devotio? ubi Religio? » Plus Regni tui aliquibus Praela- » tis, quam Romanae Sedi auscul- » tasti.»

Verum quod a Carolo VII impetratum non fuit, feliciorem apud Ludovicum XI Galliae Regem exitum habuit, qui die 22 Iulii an. 1461 Carolo Patri suo successit. Alia enim ratione se animo comparatum in ea re peragenda Ludovicus XI significavit, atque ab ipsis eiusdem Regni exordiis Pius II rem totam serio considerans, spem concepit futurum esse, ut novus hic Rex Pragmaticam abrogaret. Quid revera Pontifex ab eo consequutus sit, breviter significandum est.

Itaque haec communis de novo Galliae Rege, statim ab eiusdem regni initio percrebuit opinio, ad Religionis, ac iustitiae rationem, Regnum suum eum esse moderaturum, et honestatem, atque integritatem ubique servari eum maxime cupere. Quod spectat vero ad Pragmaticam sanctionem, eam prorsus abolendi Ludovicus XI vel ab initio regni sui, propositum habuit. Etenim Pragmatica sanctio ei displicebat etiam antequam Regnum consequeretur, atque eam se abrogaturum esse voverat, quando Patri in Regno successisset.

De hoc abrogandae Pragmaticae Sanctionis inito a Ludovico XI consilio, ita inter ceteros loquuti sunt Auctores operis *l'art de vérifier les dates,* veluti si Ioannis Iufridi Episcopi Atrebatensis artificio id totum deberetur, atque Episcopus Atrebatensis ipse in opera danda, ut Rex Pragmaticam aboleret, commiserit aliquid, quod reprehensione dignum existimandum sit. Sed Gobelinii verba *lib. 6* consideranda sunt, ubi de Ludovici XI Sanctionis abrogandae spontanea voluntate haec habet: « Prima eius professio exstitit, Prag- » maticam Sanctionem, quam Pater » induxerat, prorsus eliminare, et » Apostolicae Sedi in rebus eccle- » siasticis summum imperium per- » mittere. Nec opus monitore Atre- » batensi Episcopo fuit. Id iampri- » dem facturum se B. Petro Aposto- » lorum Principi voverat, si pater- » num solium aliquando conscende- » ret. »

Episcopus quidem Atrebatensis Pii II nomine apud Ludovicum XI egit, ut Pragmaticam abrogaret; sed in hoc exsequendo Episcopus ille Regis animum iam optime comparatum invenit. Id vero constat eiusdem Regis litteris die 27 Novembris an. 1461

ad Pium II scriptis. Etenim in iis Ludovicus XI inquit: « Ad ea per » ipsum (Episcopum Atrebatensem) » tibi nostro nomine pollicenda (de » Pragmaticae videlicet Sanctionis » abrogatione), vovenda, et promit- » tenda nos antequam regnum sus- » cepissemus, religionis instinctus » quidam deduxerat. Nos nostra pro- » missa exsequi, accedente modera- » trice rerum Ecclesiasticarum tua » auctoritate, audemus, et volumus.»

Atque illam imprimis rationem in iisdem ad Pium II litteris Ludovicus XI adduxit, cur Pragmaticam Sanctionem abrogandam esse statuisset, quod sciret, «ipsam Pragmati- » cam, tibi, tuaeque sedi esse infen- » sam, utpote quae in seditione, et » schismatis tempore, atque per se- » ditionem, seditionisque a tua sede » figuram, nata sit, et quae, dum » tibi, a quo sacrae leges oriuntur, » et manant, quantamlibet eripit au- » ctoritatem, omne ius, et omnem » legem dissolvit. » Praeter istam vero rationem, etiam eas attulit Ludovicus XI, quod Pragmatica sanctio, labefactata Sedis Apostolicae auctoritate, licentiae Praesulum frena laxaret, aliorum Regnorum erga Sedem Apostolicam observantiae adversaretur, atque a Praesulibus condita esset, qui multo minoris auctoritatis erant, nec de Romani Pontificis potestate, quidquam poterant statuere. Daturum denique se operam Rex affirmavit, ut qui huic abrogationi resisterent, parere cogerentur.

Ergo memoratis rationibus adductus Ludovicus XI in litteris superius citatis declaravit, se Pragmaticam in Regno suo, ac Viennensi Delphinatu, atque omni ditione sua « pel- » lere, deiicere, stirpitusque abroga- » re, et qualem ante Pragmaticae » ipsius editionem, circa Ecclesiarum, » beneficiorum, aliarumque rerum » spiritualium dispositionem, censu- » ram, moderationem, Pii II Praede- » cessores Romani Pontifices habe- » bant, et exercebant, talem, ean- » demque se Pontifici reddere, prae- » stare, et restituere » declaravit: ac iussit praeterea decretum hoc suum ad effectum in Gallia perduci, quantumvis reclutarentur qui Pragmaticam retinendam esse contendebant.

Suscepto quidem in posterum Florentinorum patrocinio Ludovicus XI cum apud Sixtum IV pro iisdem ageret, eo res etiam devenerat, ut de Pragmatica Sanctione restituenda in Praesulum conventu, Aureliae anno 1478 habito, actum sit. Sed ad eum annum n. 14 apposite Raynaldus animadvertit, cum ea magno animorum ardore agitarentur, Regis iussu concionem discussam esse, ac rem dilatam ad alios coetus Lugduni cogendos, qui tamen habiti non fuerunt. Puduisse enim Ludovicum, Annalista dicit, abrogatam tanta religionis pompa Pragmaticam instaurare.

Post haec in concilio Lateranensi V sub Iulio II et Leone X ea evenerunt circa Pragmaticam Sanctionem, quae nos, recensentes celebratas concilii sessiones, attigimus. Scilicet Iulius II hoc negotium inter praecipua posuerat, quae erant in concilio penitus absolvenda, et cum, non obstante Pragmaticae abrogatione, quae a Ludovico XI decreta fuerat, videret multa in Galliae Regno fieri, veluti si illa abrogatio non intercessisset, primum concilii auctoritate eos iusserat, qui Pragmaticam tamquam non abolitam servabant, ut huius rei rationem redderent. Cum demortuus vero Iulius II esset, atque ista de causa rem ad exitum non perductam reliquisset, Leo X, qui ei die 11 Martii anno 1513 successerat, monitorii dati rationem prosequendam, et negotium de Pragmatica abolenda, penitus absolvendum curavit.

Itaque in constitutione prorogationis sextae sessionis a Iulio II indictae, quae data est 4 idus Aprilis anno 1513, Leo X de Pragmatica Sanctione conquestus, quam « in parti- » bus Gallicanis, quodam abusu in- » troductam, et Apostolicae Sedi,

» Ecclesiasticaeque auctoritati, et » sacris canonibus derogantem » appellat; sextam sessionem indicens, monitorio respondendum significat: atque ut reliqua praeteream, quae Pragmaticae definitivam abrogationem praecesserunt, dicam tantummodo, sessione decima, quae die 4 Maii anno 1515 habita fuit, eorum excusationes auditas esse, qui veluti Pragmaticae Sanctionis defensores comparere debuissent, et post rem serio discussam, ad hoc idem peragendum, dilationis terminum prorogatum esse usque ad calendas Octobris anni 1515.

Interea Franciscus I Galliae Rex, qui Ludovico XII die 1 Ianuarii anno 1515 mortuo successerat, post acerrimam pugnam cum Helvetiis copiis, quae Mediolanensem Ducatum occupabant, die 13 et 14 Septembris eo anno commissam, ac victoriam de iis reportatam, qua Ducatum ipsum obtinuit, et Mediolanum die 23 Octobris ingressus est, Franciscus I, inquam, Bononiam mense Decembri se contulit, quo etiam Leo X ipse venit.

In hoc Pontificis Leonis X, et Regis Galliae Francisci I congressu, de Pragmatica abolenda, et de rebus Ecclesiae Gallicanae componendis pertractatum est. Atque ea, quae Pontificem inter et Galliarum Regem sunt statuta, *Concordatum Gallicanum,* seu *Francisci I* appellari consueverunt. Promulgata est vero in sessione undecima Concilii Lateranensis, Leonis X constitutio 14 cal. Ianuarii anno 1516, quo die ea sessio celebrabatur, eaque constitutio a Patribus omnibus est approbata, qua, sapienter praescriptis conditionibus, Regi facultas a Pontifice tributa est, novos Episcopos Sedi Apostolicae designandi, quibus Pontifex Maximus canonicam institutionem impertiretur. Eadem facultas circa Abbates, et Priores monasteriorum designandos, praescriptis pariter opportunis conditionibus, Regi concessa est, atque alia plura de Beneficiis conferendis sunt opportune statuta. Cleri praeterea, populique morum integritati servandae consultum, et res aliae decretae, quae publicae tranquillitati poterant inservire. Annatae etiam Pontifici reservatae sunt.

Eodem die, quo ista de Concordato Gallicano constitutio edita est, alia a Pontifice Leone X, *sacro approbante Concilio* lata fuit, qua Bituricensis conventus acta rescidit, Praedecessorum suorum, qui Pragmaticae restiterant, et Ludovici XI qui illam abrogaverat, auctoritatem commemoravit, ac « Pragmaticam ipsam » sanctionem, seu corruptelam, eius» que approbationem quomodolibet » emanatam, omniaque, et singula » decreta, capitula, statuta in eadem » quomodolibet contenta, inserta etc.» indicta excommunicationis poena damnavit.

Parisius de Grassis, in referenda rerum a Concilio Lateranensi gestarum historia, ut luculentius ostenderet quanta concordia, et communi suffragio haec constitutio probata fuerit ab Episcopis, qui Concilio intererant, ait: « Omnes absolute re» sponderunt *Placet.* Et inter alios » Papa dixit: *Non solum placet, sed* » *etiam multum placet, et perpla*» *cet.* » Quod spectat vero ad concordatum initum, Franciscus I illud cum patentibus, ut dici solet, confirmationis suae litteris, die 13 Maii anno 1517 scriptis, ad Parisiensem Senatum misit; atque in acta Senatus ipsius, solemni forma, die 22 Martii anno 1518 relatum est. Atque haec quidem, quae hactenus exposuimus, satis sunt ad ostendendum quod ab initio proposuimus, quo primum tempore lata Pragmatica Sanctio fuerit, quid in ea contineretur, et quae circa eiusdem abrogationem acciderint.

Ex iis, quae pluries de Potterio diximus, manifestum iam esse arbitror, nullam ab eo praetermissam in opere toties memorato, occasionem esse, ut de Romanis Pontificibus, eorumque rebus gestis male diceret. Quare non est mirum, eundem Scriptorem, ex Pragmaticae Sanctionis,

sive promulgatione, sive abrogatione praetextum suscepisse de Romanis Pontificibus obloquendi. Itaque de Pragmatica Sanctione Potterius agit *parte 1 lib. 7 pag. 127* cum de conventu Bituricensi loquitur, et eiusdem libri *pag. 146 et seq.* cum de Pio II et Ludovico XI verba facit, ac *lib. 8 pag. 243 et seq.* cum de Leone X, et Francisco I sermonem habet. Omnibus vero istis in locis, quaecumque de Pragmatica dicit Potterius, a veritate sunt prorsus aliena.

Etenim quid magis esse potest a veritate dissonum, et cum Pontificis Maximi summa potestate pugnans, quam veluti certum ponere, peculiarem quendam Praesulum conventum, Regis iussu indictum, habere auctoritatem, de Pontificis Maximi praerogativis, iuribusque iudicandi? Atqui si perpendantur ea, quae de conventu Bituricensi anno 1438, Caroli VII Regis Galliae iussione habito, Potterius narrat, ex eius narratione hoc exsistere dicendum est, Bituricensem congressum de iis iuribus, ac praerogativis iudicare, ac modum circa Pontificiam potestatem in Gallia exercendam, Eugenio IV eiusque Successoribus praescribere potuisse. Pragmaticam in Bituricensi conventu conflatam, veluti canonicam quandam dispositionem in Gallia servandam, Potterius eodem loco describit. Sciunt omnes vero, unam ex causis, quamobrem, qui bene de Ecclesia sentiebant, Pragmaticam Sanctionem reiiciendam, atque improbandam esse censuerunt, illam fuisse, quod ea sanctio, tempore seditionis contra Eugenium IV excitatae, et cum eius auctoritati Concilium Basileense gravissimas iniurias inferebat, condita fuisset.

Neque minus cetera sunt falsa, quae de Pio II et de Leone X circa eandem materiam Potterius refert. Nam Ludovicum XI, Pii II Pontificis artificio, ac fraudibus etiam, ad Pragmaticam Sanctionem abrogandam adductum esse affirmat, cum nos, et Ludovici XI ipsius, et Scriptorum illius aetatis testimonio, patere superius ostenderimus, Regem istum, vel antequam Regnum adipisceretur, Pragmaticam a Patre suo editam, se regem factum revocaturum esse vovisse. Significavimus etiam, quibus rationibus Ludovicus XI Pragmaticam reiiciendam esse iusserit. Eae vero rationes ex rei natura desumptae, satis aperte demonstrant, Regem, eo quod talem haberet animi persuasionem, ad id decernendum permotum esse. Quod denique de Leone X Potterius dicit, et de conventione ab eodem cum Francisco I Galliae Rege inita, veluti si ea temporum adiunctis, et Francisci I potentiae, non autem gravissimis rationum momentis accepta referri debeat, id etiam falsum esse manifestum est. Atque id, praeter cetera, satis abunde evincit haec animadversio, hanc conventionem, scilicet, Bononiae quidem absolutam, sed in Concilio deinde Lateranensi Generali V accurate perpensam, eiusdemque Concilii auctoritate confirmatam, promulgatamque fuisse.

Praeter ea, quae hactenus de Pragmaticae Sanctionis abrogatione exposuimus, essent nunc referenda quae in Gallia evenerunt, cum concordatum, Pontificem Leonem X inter ac Franciscum I Galliae Regem initum, et in Concilio Lateranensi confirmatum, ad effectum perduci debuit. Non defuerunt enim qui de concordato ipso, de Pontifice, et de Rege graviter conquererentur, veluti si concordatum Ecclesiae perniciosum esset, et in illo ineundo peculiaria potius Pontificis, ac Regis commoda, quam Ecclesiae utilitas prae oculis habita fuissent. Verum graviter ista sunt refutata a Saussaio Episcopo Tullensi in *Panoplia Episcopali,* a Thomassinio in *Veteri, et nova Ecclesiae disciplina de Beneficiis, parte 2 lib. 2 cap. 40,* quo loco Spondani praesertim animadversionibus de ea re, eruditas responsiones suas obiecit; a Ludovico Bailio S. Theologiae Doctore, et Poenitentiario Pa-

risiensi *tom. 1 Conciliorum Summae* etc. in adnotationibus ad Concilium Lateranense V, capite inscripto *de constitutione concordati Gallici,* atque, ut de ceteris sileam, a Natali Alexandro *Diss. XI in saec. 15 et 16 De synodo Lateranensi V deque Pragmatica sanctione, et concordatis, art. 6,* quo loco utilitatem Ecclesiae per concordatum illud allatam propugnat. Et si res ipsa ab iis, qui de concordato detrahebant, non autem praeoccupatae opiniones, quibus erant addicti, perpensa fuisset, certe statim omnes ob Pragmaticam deletam, et concordati observationem, laetari debuissent.

In litteris autem, atque edicto, quo concordatum a Concilio Lateranensi confirmatum Franciscus I promulgavit, et servandum iussit, Rex ipse descripsit, quam iustis de causis, pragmatica sublata, concordatum tale iniri debuisset, quo Ecclesiae bono in Gallia prospiceretur, atque ea incommoda averterentur, quibus iamdiu, praesertim in Episcoporum electione, atque in beneficiis conferendis, illa obiiciebatur. Idcirco, se ad agendum cum Leone X iter suscepisse, res apud Pontificem accurate fuisse pertractatas, ac tandem absolutas ea ratione, quae Ecclesiae in Gallia utilis constanter esse deberet.

Praecipua tamen, quae affirmabantur a concordati detractoribus commemorabo, ut appareat quam futilibus rationibus ii inniterentur, ut opus tantae gravitatis everterent. Etenim contendebant, concordatum tale esse, ut veteribus Ecclesiae canonibus, et conciliorum decretis oppositum illud existimari oporteret, eo quod illi canones, et decreta vetarent, ne quis per Principes, Episcopatum consequeretur, concordatum vero statueret, Episcopos, atque Abbates a Rege designandos esse.

Quid vero facilius esse poterat, quam intelligere, id quod a veteribus illis canonibus, ac decretis prohibebatur, differre prorsus ab iis, quae in ista re inter concordati capita fuerant statuta? Nam veteres illi canones, vel de Episcopatu agebant, quem aliquis ob Principum potentiam, ac vim consequutus esset, cum Principibus nulla facultas concessa ab Ecclesia fuisset, ut ad Episcopatum aliquos designare possent. In concordato autem, Pontificis Maximi, et Concilii Generalis auctoritate, facultas illa Galliae Regi tribuebatur, ut Episcopos designaret, adiectis conditionibus, quibus, antequam Pontifex institutionem canonicam tribueret, potestatem suam libere exerceret, atque Ecclesiae bono prospiceret. Quis vero negaverit, Pontifici Maximo hanc potestatem inesse, ut id statueret, et designationem a Rege faciendam, electionibus capitularibus sufficeret? Quis ignorat, quot abusus in eas electiones irrepsissent, quam facile simoniaca labes in iisdem electionibus se immisceret, quam ludicra esset Capitulorum in novis Episcopis, atque Abbatibus eligendis libertas? Satis est controversiae de Investituris historiam recordari, ut appareat, non obstantibus Capitulorum electionibus, Principes, in electionum negotio, praecipuam sibi partem arrogasse, ac diu exercere voluisse.

Argumentum vero, quod ad detrahendum de concordato desumptum est ex oppositione, quam diu in Gallia illud toleravit, est etiam levissimum, ut inde concludatur, concordatum non utile Ecclesiae fuisse. Nam primum, haec oppositio profecta maxime est ex abusibus, qui ante Pragmaticae promulgationem, et post illam abrogatam, ita obtinuerant, ut difficile esset statim illos evellere. Deinde, nisi ostendatur, repugnantiam legitime profectam, et iustis causis innixam esse, nemo concedet, ex repugnantia vitium ostendi illarum rerum, quibus resistitur. Neque legitime vero hanc repugnantiam concordato fuisse oppositam, neque iustas rationes adfuisse, ut concordato resisteretur, res est exploratissima. Denique factum ipsum, et rei

eventus ostendit, concordatum, Ecclesiae in Gallia utilissimum fuisse. Nam, concordia restituta, disciplina diligenter servata, Episcopalis dignitas in summo splendore fuit, et Clerus Gallicanus plurimum virtute, doctrina, Religionis studio floruit.

His omnibus denique addenda est ea animadversio, quae ad concordati utilitatem, ac iustitiam confirmandam, ex summorum virorum consideratione dimanat, quorum auctoritate concordatum absolutum fuit: Leonis X Pontificis Maximi, dico, et Francisci I Galliarum Regis. Horum autem alter, tanta fuit in omni sapientiae, ac virtutis genere praestantia, ut eius aetas, honoris causa, ab ipsius nomine appellata sit. Alter vero, rerum gerendarum peritia, aliisque ornamentis, quae valde a scriptoribus gravissimis laudantur, excelluit. Duos istos praeclarissimos, summos viros, tractatum eorum virtute dignum absolvere debuisse, manifestum est.

CAPUT XLV.

DE LEONE X ROMANO PONTIFICE.

Iure potest inter praecipua ad saeculi XVI historiam Ecclesiasticam spectantia capita, Leonis X Pontificatus numerari. Immo tanta fuit summi huius viri, et Pontificatus eiusdem celebritas, tanta eius in omni virtutum genere claritas, ut ad aetatem, qua Leo X floruit, illustrandam, proprium eiusdem nomen inditum sit. Requirit ergo instituti nostri ratio, ut de Leone X peculiarem, quantumvis brevem pertractationem habeamus, atque, ista occasione suscepta, accusationes praecipuas refellamus, quae ad detrahendum de tanto Pontifice, a pluribus allatae sunt. Sed primum nonnulla de eiusdem ad Pontificatum electione dicamus.

Itaque Iulius II die 21 Februarii anno 1513 mortuus erat. Post iusta funebria de more absoluta, ad sacra comitia habenda Cardinales in conclave convenientes, die 11 Martii, Pontificem elegerunt Ioannem Mediceum, Florentinum, Laurentii Medicei celeberrimi filium, qui aetatis annum tricesimum septimum absolverat, S. Mariae in Domnica Diaconum Cardinalem, qui Leonis X nomen suscepit. Pontificatum vero gessit Leo X annos octo, menses octo, et dies 20, cum die 1 Decembris anno 1521 mortuus sit. Quanta laetitia urbs tota gestierit, cum Leonem X electum Pontificem accepit, omnia demonstrant illius temporis monumenta. Parisius de Grassis simplicibus verbis hoc factum aperte significavit. « Cardinalis, inquit, de » Farnesio, novi Pontificis electio- » nem publicavit, cum tanto plausu » populi, ut credibile vix sit. Omitto » clamores hilares Cleri, et tuba- » rum, et campanarum, et bombar- » darum. Et omnia sic erant prae » laetitia confusa, prae admiratione, » quod Cardinalis de Medicis iuvenis » aetate, annorum triginta septem » cum dimidio, et de quo nihil um- » quam cogitatum fuerat, ut multi » tam extra, quam intra palatium » obstupuerint, vix credentes. »

De hoc communi plausu, quo electionis Leonis X notitia excepta est, Muratorius agens ad annum 1513, id evenisse dicit, eo quod omnibus nota esset Ioannis Medicei vitae, morumque integritas, et is esset ingenii humanitate, liberalitate, ac magnificentia commendatus, litteratus praeterea, et litteraturae imprimis amans, cuius rei novum perspicuum argumentum tunc exhibuit. Etenim nondum e conclavi egressus Leo X, Petrum Bembum, et Iacobum Sadoletum, duo illius aetatis litterarum, ac scientiarum lumina, scriptores

praeclarissimos, ac deinde insignes S. R. E. Cardinales, scribas suos a secretis delegit. Summa vero fuit magnificentia, qua die 11 mensis Aprilis, cum Leo X iam Episcopus consecratus, et coronatus esset, ad Lateranensem Aedem deductus est. Atque haec solemnis caeremonia, die anniversaria celebrata est cladis Ravennatensis, quo die Ioannes ipse Mediceus captus fuerat.

Non est hic praetereundum, qua ratione Simondus Sismondius in historia *Rerumpublicarum Italiae medii aevi* de Leonis X electione loquatur. Videlicet, *tom. 14 cap. III pag. 325* eius operis, narrat hoc ideo contigisse, quia Iulius II senex erat, atque idcirco Pontificem iuvenem eligere placuisse; et cum praeterea Iulius, se impatientis, et indignari facilis ingenii demonstravisset, quaesitum esse, et electum Pontificem, qui litterarum amore, vitae placidae studio (omitto iniuriosa verba, quibus id Sismondius significat), esset a Iulio toto genere prorsus diversus.

Verum ad haec falsitatis revincenda, satis est coaevos Leoni X scriptores consulere; a quibus certe, valde diversae causae afferuntur, cur Ioannes Mediceus Pontifex electus sit. Sane Paullus Iovius in Leonis X vita lib. 3 ait: « Accessit (ad eius » electionem) et ipse Raphael (Riarius) ut ceteri demum omnes laetarentur, quod eum Pontificem, legitimis longe, et simplicissimis comitiis creassent, qui nobilitate familiae, morum gravitate, exquisitisque litteris, et singulari naturae » lenitate, non Cardinales modo, sed » cunctos fere mortales anteiret. » Facile est intelligere, Iovii sententiam fuisse, Leonem X electum esse, non ut diversus a Iulii II qualitatibus Pontifex inveniretur, sed quod praeclara, quibus Ioannes Mediceus praestabat, ornamenta, eum prae ceteris Pontificatu dignum exhiberent. Eadem Guicciardinii lib. II sententia est. Nam adhibuit ferme Iovii verba mox relata, ac deinde ait, Christianos omnes speravisse, Ioannem Mediceum, Patris exemplo, litteratorum, et hominum ingenio excellentium amatorem futurum, atque huic exspectationi confirmandae argumentum novum suppeditasse id, quod omnibus constabat, electionem videlicet Leonis X integerrime factam fuisse.

Quod si Sismondius non modo electum Ioannem Mediceum fuisse dicit, eo quod litteris deditus, litterarum patronus esset, ac placidam vitam diligeret, sed etiam quod cupiditates, et vitam eiusmodi amaret, id calumniosum omnino est, atque omnium scriptorum auctoritate evertitur. Atque ut ceteros praeteream, satis erit recordari, quod superius ex Muratorio commemoravi, hunc Scriptorem, cui certe nota erant illius aetatis monumenta, hanc afferre causam, cur tantae laetitiae significatione Leonis X electionis notitia excepta sit, quod hic summus vir, vitae, ac morum integritate commendaretur. Et quoniam universa ista accusatio praesertim ex aetate adeo iuvenili deducitur in qua Ioannes Mediceus versabatur, cum Pontifex Maximus electus est, velim Sismondius memoria repeteret, quanam aetate Innocentius III esset, cum Pontifex saeculo XIII est creatus. Inveniret autem, eum electum fuisse, cum annum aetatis ageret tricesimum septimum, atque ideo electum, quod eius ornamenta ceteris viderentur eminentiora. Quis vero, non obstante illius aetatis Scriptorum auctoritate, concederet Sismondio, Innocentium III triginta septem tantum annos natum, cum Pontifex electus est, non ob praeclara merita, quibus praestabat, sed aliis de causis a meritorum consideratione alienis electum fuisse? Cum habeamus autem, Ioannem Mediceum, post elapsum tantummodo tricesimum septimum aetatis suae annum, ob generis nobilitatem, ut Iovius ait, morum integritatem, exquisitas litteras, et singularem naturae lenitatem electum

Pontificem esse, quid est quod ad afferendam huius electionis rationem, alienas ab eius meritis causas adducere debeamus?

Haec eadem responsio valet ad excludendam eorum animadversionem, qui affirmaverunt, ideo Cardinales adductos esse ad Ioannem Mediceum eligendum, licet adolescenti esset aetate, quia abscessu laboraret, quo disrupto, pridie quam eligeretur, foetore totum comitium impleverit, atque ideo coniiciendi rationem attulerit, eum brevi esse moriturum. Iovius quidem ipse libro 4 sparsum id in vulgus fuisse dicit. Sed is simul et Guicciardinius, alias prorsus, atque a meritis, et qualitatibus petitas rationes serio afferunt, quibus permoti Cardinales Leonem X eligendum esse iudicaverunt. Neque vero, si non percrebuisset antea Ioannis Cardinalis Medicei virtutis, ac praestantiae ornamentorum, quibus praeditus erat, notitia, neque vero, inquam, tanta fuisset Populi, et Cleri Romani ob eiusdem electionem laetitia, neque tamdiu ea perduravisset, ut, mense iam elapso, postquam electus Leo X fuerat, eiusdem laetitiae significatio perseverarit, et die 11 Aprilis, quo Pontifex ad Lateranum deductus est, tota urbs convulsa sedibus suis esse prorsus visa sit, et summo gaudio gestire. Iovius vero, inter cetera dicit ad hanc tantam laetitiam significandam: « Fuit is » dies, omnium, qui a Gothicis tem» poribus Romanae Urbi feliciter il» luxerunt, longe clarissimus. »

Consideranda praeterea sunt quae Iovius ipse narrat de proposito, quo maior Cardinalium numerus in comitiis ad Successorem Iulii II eligendum habitis, semper fuit animatus, ut Ioannes Mediceus eligeretur. Videlicet, Cardinales, quos in conclavi illo numerosiores fuisse, ac iuniores Iovius dicit, id sibi omnino proposuerant, ut Ioannem Cardinalem eligerent, et seniores, quando intellexerunt id eorum animis esse omnino defixum, tum eos etiam se iunioribus adiunxisse, et communi omnium suffragio Ioannem Mediceum electum esse. Id vero ostendit falsum penitus debere iudicari, de eligendo Leone X deliberatum, ac statutum esse, cum ob memoratam superius causam, coniicere Cardinales potuerunt, Leonis X pontificatum brevi esse perduraturum. De facto denique constat, Ioannem Mediceum, cum electus Pontifex est, bona valetudine usum fuisse. Etenim die 11 Martii electus, novem dierum spatio ordinatus Presbyter, Episcopus consecratus, et die 19 Martii coronatus fuit, id quod bonae valetudinis statum omnino requirit.

Agens de solemni pompa, qua ad Lateranum die undecima Aprilis anno 1513 Leo X deductus est, et de singularibus gratulationis significationibus, quae ubique in Urbe eo die exhibitae fuerunt, Muratorius conqueritur de tanta pecuniae summa, centum, scilicet, aureorum millium, in eam rem consumpta. Verum plena est Leonis X ipsius vitae historia huius laudis, eundem Pontificem, imprimis liberalitate, ac magnificentia praestitisse. « Fuit Leo X, inquit in » eius vita Onuphrius Panvinius, » omnium, qui ad eam diem fuerant, » Romanorum Pontificum liberalis» simus.» Quid ergo mirum, in tanta diei, ac festi in Urbe peragendi celebritate, permagnam illam pecuniae summam consumptam esse? Continet vero Iovii narratio, magnam illius pecuniae partem in eleemosynas, et ad populum iuvandum tributam esse. « Sparsa est a quaestoribus, inquit, » per omnes regiones, larga manu, » argentea aureaque pecunia, tanta » Leonis liberalitate, ut ipsi centum » millibus aureis eam pompam Pon» tifici constitisse faterentur. » Est vero animadversione dignum, hunc Pontificem, cuius liberalitas, ac munificentia hic nimia reprehenditur, ab aliis Heidggero ex. gr. *in Historia Papatus,* avaritiae fuisse accusatum.

Atque haec de Leonis X electione

opportunum esse videbatur pertractare, ut eae accusationes refellerentur, quae circa ipsum Pontificatus eiusdem exordium oppositae sunt. Nunc de rebus ab eodem Pontifice praeclare gestis agendum occurrit. Sed nonnulla tantummodo ex iis, veluti exempli loco, commemorabimus. Esset enim perlonga narratio instituenda, si singillatim eas prosequi susciperemus. Continentur autem fuse ista exposita, cum in aliis monumentis, ac litteris, tum in quatuor de Leonis vita libris a Iovio scriptis; et annales Raynaldi, ac Spondani seriem harum rerum tanta cum laude gestarum complectuntur.

Itaque, quod Leonis X proprium, ac naturale fuit, id Onuphrii Panvinii verbis dicam, de summo, quo erga litteras, ac litteratos viros studio Pontifex ferebatur. « Doctos, in» quit, et eruditos viros coluit, et » magnis muneribus prosequutus est. » Nihil enim antiquius duxit, quam » bonarum artium studia, Maiorum » suorum, maximeque Laurentii pa» tris exemplo provehere, et libera» lissime exornare.» Hoc autem Pontificis amore, ac patrocinio, bonarum artium, scientiarum, et litterarum studia ita sunt excitata, ut ad tempus significandum, quo praeclara ista studia ad eum splendorem consequendum revocata sunt, quem certe obtinuerunt, Leonis X Pontificatus memoria sit honoris causa repetenda. Inter ceteros scriptores, qui de hac re pertractaverunt, totum esset exscribendum caput 16 tom. 1 cl. Audinii *in historia vitae, et scriptorum Martini Lutheri* Parisiis edita anno 1841. Eo enim loco eruditissimus is scriptor brevi atque accurato compendio, praecipua perstrinxit, quae ad hanc rem illustrandam possunt inservire.

Praetereo autem illud quoque, quod eidem Pontifici ad lenitatem animi a natura comparato peculiare fuit, ut quae ad universum, ut ita dicam, Christianum orbem pacandum pertinere poterant, impensa cura prospiceret. Hoc vero confirmari facile posset, cursim licet, ea consulendo, quae in referendis rebus ad Leonis X Pontificatus historiam spectantibus Raynaldus exponit. Magnam enim partem monumentorum ad hunc pontificatum pertinentium complectuntur ea quae respiciunt sollicitudinem a Pontifice adhibitam, ac numquam intermissam, ut pax ubique, ac tranquillitas inter Christianas gentes obtineret. Id vero non impediebat, quominus Leo X ad propulsanda pericula, quae ex Mohammedanorum potentia, et incursionibus, Europae quotidie graviora imminebant, Christianos Principes ad bellum contra Turcas gerendum vehementer non sit hortatus. Immo vero inter praecipuas Leonis X sollicitudinis partes, hoc omnino positum fuisse, universa eiusdem Pontificatus historia manifeste ostendit.

Concilii V vero Lateranensis acta, et constitutiones in eo latae demonstrant, quanta fuerit Leonis X cura, ut errores circa doctrinam profligarentur, disciplina Ecclesiastica accurate custodiretur, et Populi Christiani mores recte informarentur. Atque eo Concilio hactenus durante, multa Leo X sapienter, ac fortiter gessit, quae ad Hussitarum, seu Fratrum Bohemorum audaciam frangendam, atque ad ea servanda, quae pro Ecclesiae doctrinae contra eosdem defensione statuta iam fuerant, imprimis opportuna erant. Videbimus autem suo loco, quanta sollicitudine, ac gravitate, Leo X Luthero se opposuerit, et Ecclesiam eiusque fidem, in ipso belli initio, quod ei Haeresiarca inferebat, propugnarit.

Hic vero non omittendum arbitror, nostras praelectiones, in amplissimo S. Consilii Christiano Nomini propagando collegio tradi. In eo, inquam, collegio, quod ad efformandum gentium omnium praeclarum domicilium, institutione sua tantopere celebratum, excellit etiam adolescentium, qui in eodem ad ecclesiasticam eruditionem, ac sacerdotium infor-

mantur, singulari in scientiarum studiis recolendis sedulitate, ac progressu. Non omittendum, scilicet, arbitror, quoniam, inquam, in isto collegio sumus, aliquid commemorare de Leonis X cura, qua nationes S. Consilio nunc in ecclesiasticis rebus pertractandis subiectas prosequebatur.

Quare dicam Leonem X anno 1514 Religiosos viros ex sacra Franciscana familia ad Patriarcham Antiochenum Maroniticae Gentis in Monte Libano commorantem misisse, qui ei, eiusque genti, in fidei orthodoxae doctrina tuenda adiumento essent. Missas praeterea ad Patriarcham a Leone X proprias litteras, quibus ab eo rerum ad religionem in illo patriarchatu pertinentium relationem requirebat, qua relatione accepta, Pontifex, quae erant Ecclesiae Romanae disciplinae consentanea, et quae ad fidem Catholicam in ea regione confirmandam inservire viderentur, deinde eidem Patriarchae posset opportunius explicare.

Permagna fuit Maronitarum Patriarchae, qui Simon VI, et deinde Petrus appellatus est, laetitia, atque observantia, qua Pontificis Maximi litteras accepit, atque ei libenter omnia exposuit, quae ad tradendam religionis apud gentem suam status notitiam spectabant. Atque ista occasione suscepta, Leo X plura Patriarchae respondit, quae circa doctrinae catholicae capita, in iis regionibus controversa, et ad statuendam liturgiae sacrae observantiam, praesertim in sacramentorum administratione, Patriarchae, et eius populo plurimum erant utilia. Haec sapientissima Leonis X responsa, se reverenter accepisse Patriarcha testatus est aliis litteris, quae in concilii V Lateranensis actis referuntur. Patriarcham Pontifex confirmavit et eundem sacro pallio donavit.

Quae modo dixi de cura, quam Leo X in rebus Maronitarum Ecclesiasticis ostendit, ea de studio, quo Pontifex animabatur de Religionis bono, atque incremento, in remotissimis etiam aliis regionibus amplificando, monumentis pluribus ostendi possent. Sed brevitatis gratia dicam tantum, in Raynaldi annalibus ad annum 1514 n. 102 prostare litteras die 10 Octobris, eo anno a Leone X ad Davidem Regem Abyssinorum scriptas, quibus demonstratur quanta sollicitudine conatus fuerit is Pontifex, apud Abyssinos, et Aethiopes Religionem Christianam propagare, ac tueri. Denique de ea materia adiungam, eundem Annalistam eruditissimum num. 110 eo anno referre plura monumenta, quae evincunt quantam operam Leo X dederit, ut in America Religionem Christianam amplificaret.

Haec de rebus a Leone X gestis hic significasse potius, quam pertractasse satis erit. Reliqua magno numero praeter Annalistas, videri fuse possunt in iis scriptoribus, ex. gr. Paullo Iovio, aliisque, qui vitam universam Leonis X litteris tradiderunt.

Nunc nonnulla videntur hic exponenda, quae ad Pontificem hunc ab iis accusationibus vindicare possunt, quibus per iniuriam eius memoria tantopere impetita est. Hae autem accusationes eo pertinent, ut Leonem X describant veluti hominem a pietatis operibus alienum, potestate sua circa res sacras abutentem, res sacras minime curantem, honestatis, ac fidei datae non accuratum custodem, rebus vero humanis potius, quam sacris deditum.

His igitur memoratis accusationum capitibus respondeamus, sed dum hoc facimus, nonnulla tamen iisdem accusationibus adnexa, quae incredibilitate ipsa sua contemnenda esse constat, praetereunda putamus. Tale illud est, ex. gr., quod Baylius ipse in *dictionario,* eo loco, quo de Leone X agit, recensens, aspernandum esse demonstrat, videlicet eum animae immortalitatem, vel Ecclesiam non credidisse. Quid potest enim commento isto absurdius fingi? Quid est in tota Leonis X vita, quod illum Religionis amantissimum non demon-

stret? Quod spectat vero ad animae immortalitatem, non Leo X ipse fuit, qui constitutionem sapientissimam, ac gravissimam in Concilio Lateranensi dedit, qua animae immortalitatem propugnavit, atque eos condemnavit, qui hoc dogma non crederent? Exstat ad annum 1513 Raynaldi num. 92 valde erudita Mansii adnotatio, qua ipse fatetur, se non ambigere, constitutionem hanc latam esse ea occasione, quod Petrus Pomponaccius, clarus ea aetate Philosophus Peripateticus, librum Bononiae, ubi philosophiam docebat, ediderat, quo error iste continebatur. Atque haec eadem Felicis Contelorii in epitome epistolarum sententia fuisse videtur. Nam inquit: « Petrus de Mantua asseruit, quod anima rationalis, secundum propria philosophiae, » et mentem Aristotelis, sit, seu videatur mortalis contra determinationem Concilii Lateranensis. Papa » mandat ut dictus Petrus revocet, » alias contra ipsum procedatur. » Itaque his omissis, cetera potius, quibus Leonis X fama lacessita ab eius detractoribus est, videamus.

Quod ad pietatem igitur, moresque Pontificis pertinet, satis esse arbitror de his rebus Paulli Iovii testimonium audire. Postquam enim libro 4 affirmasset, Leonem in magnis, salutaribusque virtutibus, optimi, atque benefici cognomentum facile meruisse, ita Iovius prosequitur: « Constat eum, quod a prima adolescentia, opinione omnium summam » continentiae laudem fuisset adeptus, » non importuna quaedam pudicitiae, » castitatique praesidia quaesivisse, » quando nequaquam, pristinae vitae » more, tam multis delicatisque obsoniis uteretur. Itemque animo vere » pudico, die Mercurii carnes non » edere, die autem Veneris nihil gustare praeter legumen, et olera, ac » die demum Saturni, coena penitus » abstinere, incorrupta lege statuisset. »

Quam benigno autem animo omnes complecteretur, pauperibus, reliquisque indigentibus opem ferret, quanta demum charitate animatus Leo X esset, idem Iovius perspicue describit. « Utpote qui (cum deambularet) » senibus, ac pueris puellisque in » viam effusis, ac rustica munera » passim offerentibus, non modo pecuniam largissima manu rependeret, sed etiam appellando humaniter, et sciscitando quanam maxime in parte rei domesticae acrius » a fortuna premerentur, virgines » dote praebita sublevaret, affectis » autem morbo, ac aetate, vel numerosae familiae onere praegravatis aes alienum protinus dissolveret. Nihil enim in Magno Principe » dignius, atque praestantius arbitrabatur, quam iuvare mortales, alienae calamitati obviam ire, laetosque omnes abs se dimittere, et in » beneficium humani generis, se, uti » antea in minore fortuna concupivisset, supremae potestatis dignitatem appetivisse testaretur. » Has vero Leonis X virtutes commemorans Cardinalis Pallavicinius in *historia Concilii Tridentini lib. 1 cap. 2 num. 5*, has inquam virtutes, ac praesertim tantam abstinentiam recensens, animadvertit, illam sine multae pietatis internae consistentia, frequentari non potuisse.

Totus vero iste Cardinalis Pallavicinii locus meretur etiam ut legatur, quo Petri Francisci Le-Courayérii qui Fr. Paulli Sarpii, seu Petri Suavii historiam concilii Tridentini gallice reddidit, et adnotationibus suis commentatus est, ut inquam huius Le-Courayérii *malignitas historica* appareat. Is enim affirmavit, Pallavicinium Suavio respondentem declaravisse, se non repugnare Leonem X, neque Religionem, neque pietatem cordi habuisse. Pallavicinius autem religionem, ac pietatem Leonis X propugnaverat, ac tantummodo dixerat, se non resistere, si dicatur, Leonem magis *in litteris profanis, quam sacris esse versatum.* Haec est vera *historica malignitas,* quam tribus sermonibus P. Bonafede

confutavit. Sed hoc mirum esse non debet de Courayério. Etenim de eo loquens Benedictus XIV *de Syn. dioec. lib. 7 c. 2* ait: « Qui Sarpii historiam » in Gallicum sermonem vertit, eo- » dem, quo Sarpius infectus veneno, » lividis notis aspersit. »

Post haec ex Iovii historia, in vita Leónis adducta testimonia, vix necesse esset aliorum Scriptorum ad ea tempora pertinentium auctoritatem afferre, ut appareat quam falsa sit accusatio, quam confutamus. Sed nonnulla tamen cursim attingemus. Itaque praeter Matthaeum Erculanum, qui ab omni etiam moribus contraria suspicione Leonem immunem fuisse dicit, Andreas Fulvius in manuscripto, cui titulus *Antiquaria*, quodque Florentiis in Bibliotheca Laurentiana servatur, « Quid referam » (de Leone inquit) castos vitae sine » crimine mores? » Angelus Politianus vero *epist. lib. 8* loco quem Cardinalis Pallavicinius adducit, Innocentio VIII Pontifici Maximo plurimum gratias agit ob collatam Ioanni Mediceo adhuc adolescenti Cardinalitiam dignitatem, quem adolescentem una cum lacte nutricis, cultum pietatis, ac religionis hausisse dicit, atque ab ipsis incunabulis, Ecclesiae, et rebus sacris addictum, eum denique singulari cura institutum, imprimis continentem, et sermonis puritate praestantem semper perseveravisse.

Refert vero Parisius de Grassis, se pluries Pontificem lacrimas fundentem vidisse, cum sacra mysteria perageret; et nonnisi multa difficultate impetrare se a Leone potuisse, ut cum a templo S. Mariae supra Minervam supplicatio facta est, abstineret a consilio, quod susceperat, nudis pedibus supplicationem illam peragendi. Narrant praeterea, et plurimum laudant Parisius de Grassis, Iovius, Onuphrius Panvinius summam animi devotionem, ac gravitatem Pontifice dignam, qua sacras quasque caeremonias Leo X absolvebat, et si volumus etiam recordari, quomodo Lutherus in sua ad Leonem X epistola, de hac re loquutus sit, nota sunt haec eiusdem verba: « Celebratior, inquit, et augustior » est in omni terrarum orbe, tot » tantorum virorum litteris cantata » opinio, et vitae tuae inculpata fama, » quam ut a quovis vel maximi no- » minis impeti possit. Non sum tam » stultus, ut eum incessam, quem » nemo non laudat. » Satis ista esse arbitror ad demonstrandum, num bona fide egerint, et digni sint, ut iis credatur, qui de Leonis X moribus detraxerunt, atque eum veluti Religioni, et pietati minime deditum Pontificem fuisse retulerunt, Seckendorfium dico, inter ceteros, in *Historia Lutherana,* Baylium in *Dictionario critico historico,* Morerium in *dictionario,* Sismondium in opere citato *cap. 113 pag. 503,* Potterium locis citatis.

Et quoniam Potterii mentionem feci, existimo hic non omittendum, quod ille *tom. 4 parte 1 l. 8 p. 248* refert de Leone, cum Bononiae, praesente Francisco I Galliae Rege, Missam celebraret. Potterius, inquam, refert, ad ostendendum Leonem X parum sollicitum fuisse eorum, quae veram animi religionem respiciunt, absolvisse ultro, ac veluti re minime curata, Regem, et ceteros, qui bellum libenti animo adversus Iulium II se gessisse, et eiusdem censuras se sprevisse fatebantur. Verum si Raynaldus ad an. 1515 n. 33 consulatur, ibi reperietur, testimonio Parisii de Grassis adducto demonstrari, Barones, et Regem, palam confessos esse peccatum se commisisse in ea re, et ideo se peccati commissi veniam, et absolutionem petere; id, quod a Pontifice impetrarunt. Quomodo res vere evenerit, clare significant haec Parisii verba: « Unus Baro, inquit, ad » Pontificem exclamavit in suo vul- » gari Gallico, quod, ex quo non po- » tuit communicare de manu Papae » (quia particulae deerant), et desi- » derabat, saltem volebat Papae con- » fiteri, et cum non posset propius

» accedere, sic, ut in aure Pontificis » posset peccatum suum confiteri, alte » dixit, se confiteri, quod contra Pa» pam Iulium proeliatus esset, et suas » censuras non curasset. » Huius Baronis exemplum ceteri, et Rex ipse imitatus fuit; quos deinde Pontifex absolvit. Sed res ista, hoc modo narrata, valde diversa est ab ea narratione, quam facti istius tradit Potterius, veluti si id omne ludicra fere quadam ratione evenisset.

Transeo ad aliam illam contra Leonem X allatam accusationem, qua continetur, eundem Pontificem, sacra potestate, qua praeditus erat, abutentem, inter cetera id fecisse, ut eleemosynarum magnam partem, quas indulgentiis ad aedificandam Vaticanam Basilicam indictis comparaverat, in usum converterit Magdalenae de Medicis sororis suae, quae Franciscum Cibo coniugem habebat. Inter eos, qui hanc de Leone X calumniam sparserunt, omissis ceteris, Paullum Sarpium, seu Petrum Suavium Polanum in *historia concilii Tridentini*, et Potterium *part. 2 lib. 5 pag. 37* tantummodo commemorabo. Verum quantam fidem Potterius mereatur, cum de rebus ad Pontificum Romanorum historiam spectantibus pertractat, iam pluries vidimus. Ut vero intelligatur, quae fides sit habenda huiusmodi narrationibus a Paullo Sarpio Veneto profectis qui per anagramma in historia concilii Tridentini se *Petrum Suavium Polanum* appellavit, haec recensenda esse existimavi.

Iam vero Benedictus XIV in eruditissimo opere de *Sacrosancto Missae sacrificio lib. 2 cap. 2* haec habet: « Quaenam esset Suavii con» ditio, quodnam institutum, satis » constat ex Bossuetii Meldensis Epi» scopi historia variationum lib. 7. » Eo autem loco Bossuetius rationes attulit, cur Burnetio Anglicano Ministro, quem ipse refellebat, credi non debeat, quando per fraudem affirmat, Catholicos in historia concilii Tridentini, fidem habere sine controversia debere Paullo Sarpio, eo quod hic scriptor catholicus fuerit. Itaque latine reddam Bossuetii locum de ea re in *historia variationum lib. 7*, editionis tamen Parisiensis an. 1788.

Debet quisque valde cavere (Bossuetius ait), ne credat Burnetio in iis, quae dicit de concilio Tridentino, circa fidem, quam in ea re Paullus Sarpius mereatur, qui non tam concilii historicus, quam manifestus hostis existimari debet. Burnetius quidem simulat se putare, scriptorem hunc Sarpium, apud Catholicos quacumque exceptione superiorem esse debere, eo quod ad eorundem partes is pertineat. Hoc est commune (Bossuetius prosequitur) Protestantium artificium. Sed ii conscientia tenent, hunc Fratrem Paullum, qui specie tenus simulabat, se ad catholicos spectare, revera alium non fuisse, nisi hominem ex Protestantium genere, monastica veste indutum.

Nemo Burnetio melius (Bossuetius subdit) Sarpium agnoscit, qui eum veluti Catholicum iactare non dubitat. Burnetius, inquam, qui in *historia reformationis*, eum dicit scriptorem partis catholicae; nobis illum in alio libro mox Gallice reddito, describit veluti Protestantem occultum, qui Liturgiam Anglicanam, tamquam regulam, ac normam suam habebat, qui occasione turbarum, Paullum V Pontificem Maximum inter, et Venetam Rempublicam excitatarum, laborabat impense, ut Rempublicam ipsam ad absolutam separationem ab Ecclesia Romana perduceret; qui affirmabat, se credere, in Ecclesia corrupta, atque in idololatrica communione se morari, in qua tamen manere non desistebat; *qui confessiones sacramentales audiebat, missam celebrabat, et conscientiae suae reprehensionem leniebat, magnam partem Canonis omittendo, et in iis officii Ecclesiastici partibus, quas conscientiae suae contrarias existimabat, silentium servando.* En quid Burnetius scripserit in vita Guillelmi Bedellii Episcopi An-

glicani Kilmoriensis in Hibernia, qui tempore controversiae cum Paullo V Pontifice, Venetiis tamquam Aulae Londinensis Regius administer morabatur; cui Bedellio Frater Paullus mentem suam, seu proprias opiniones aperuerat. Necesse non est, me (Bossuetius inquit) de istius scriptoris epistolis heterodoxis omnibus loqui, quae in Bibliothecis repericbantur, et quae Genevae tandem editae sunt. Nihil aliud ego Burnetio dico, nisi id, quod ipsemet scripserat, cum tamen inter scriptores catholicos numerabat Fratrem Paullum *Protestant en froc,* qui missam celebrabat sine fide de missae sacrificio, et qui in Ecclesia manebat, cuius cultum ei idololatria videbatur.

Haec de Paullo Sarpio, seu Petro Suavio Bossuetius apposite, et sapientissime animadvertit. Quae ego hic referenda censui, non modo ut ostenderem, accusationem, de qua loquimur, huius Scriptoris testimonio confirmatam nihil valere, sed etiam ut, occasione ista suscepta, notitiam ad Paulli Sarpii ingenium significandum opportunam afferrem. Pluries enim circa eundem Scriptorem redibit sermo, cum de Lutheranis rebus, et de Concilio Tridentino praesertim agemus. Itaque quod spectat ad rem, de qua nunc loquimur, ea quae attulimus, satis sunt ad ostendendum, cuius roboris esse debeant memorata de eleemosynis ex Indulgentiarum promulgatione profectis, atque a Leone X, ut dicitur, in Magdalenae sororis suae usum conversis, etiamsi ratio tantum haberi velit duorum, quos antea commemoravimus, Scriptorum, qui hanc accusationem ei Pontifici obiecerunt.

Sed illud praeterea animadvertendum hoc loco videtur, hanc ipsam accusationem, seu Suavium, seu Potterium, seu alios quoslibet, a Guicciardinio derivasse. Verum de ista Guicciardinii narratione haec opportune, et erudite Mansius ad an. 1517 Raynaldi num. 109 notavit: « Non» nisi ab infenso in Leonem animo » provenire possunt ea, quae (Guic» ciardinius) narrat de collectitia pe» cunia, propositis indulgentiarum » praemiis, per Germaniam contra» cta, quam pro eo, quod in sacros » usus expenderit, Magdalenae Me» diceae sororis suae commodis a Pon» tifice destinatam affirmat. Addit » vero, Magdalenam ministrum suum » ad pecuniam illam colligendam mi» sisse Archemboldum Episcopum, » quae res gravissime pios Germanos » offendit, causamque praebuit Lu» thero ut in indulgentias declama» ret. Narratiunculam hanc Guicciar» dinii suspectam efficit silentium » coaevorum omnium historicorum, » Lutheranorum praesertim, qui cum » praetextus omnes ad honestandam » Lutheri defectionem sedulo conqui» sierint; nihil tamen de pecunia ex » indulgentiis comparata, et in usus » Magdalenae conversa commemo» rant. Id quidem recentiorum Lu» theranorum Scriptorum diligen» tiam non fugit, qui lectam in Guic» ciardinio historiam opportune ob» trudunt. Parem sedulitatem in ve» tustioribus eorum Scriptoribus con» cipere pronum esset, si vera scri» beret Guicciardinius de re, tota » passim in Germania vulgi sermo» nibus dissipata. »

In eo quidem libello, qui Hadriani VI pontificatus tempore, an. 1523 digestum est, et *Centum Gravaminum* nomine adversus Sedem Romanam a Lutheranis inscriptum fuit, *num. 39* sermo fit de indulgentiis, per Germaniam saepe promulgatis, et de pecunia, quae inde collecta est, et eo gravamine ponitur, pecuniam istam saepe « in propinquorum lu» xum, ac sublevandam familiam » ipsorum (qui indulgentias praedica» bant) esse versam. » Sed in hoc gravamine, prout videre possunt omnes, qui monumentum illud consuluerint, agitur de indulgentiis indictis, et de pecunia, qua ex iisdem comparata « fideles contra barbaros essent tu» tandi, ac defendendi, » quae tamen pecunia in alios usus distracta fuerit.

Iam vero pecunia, quae Magdalenae Mediceae ex indulgentiis tributa dicitur, pecunia illa fuisse dicitur ex indulgentiarum promulgatione profecta, quae indictae fuerant, ut pecunia inde collecta ad opem ferendam in Basilicae Vaticanae sumptus faciendos impenderetur. Illo autem in scripto, in quod gravamina memorata, tam adverso a Romanis Pontificibus animo congesta sunt, atque eo prorsus loco, quo de eleemosynis ex indulgentiarum promulgatione perceptis sermo fit, incredibile est omitti voluisse a Lutheranis id, quod pecuniam Magdalenae Leonis X sorori tributam respicit, si in tam recenti memoria ea res evenisset, quae, quemadmodum a Guicciardinio, ceterisque Pontificis detractoribus, narrata est, debuisset esse notissima.

Ceterum ad accusationis huius falsitatem ex rei ipsius consideratione evincendam, iis utar argumentis, quibus Cardinalis Pallavicinius in historia Concilii Tridentini *lib. 1 cap. 3* Paullum Sarpium in ea re confutavit. Itaque primo loco Pallavicinius argumentatur ex nobilissimo, a Iovio praesertim commendato, Leonis X animo qui omnem arcet ab eo suspicionem, pecuniam ad Vaticani templi aedificationem collectam, in sororis suae commoda convertere eum voluisse. Tanta praeterea Leonem X integritate praestitisse Iovius, aliique retulerunt, ut vehementer timeret, ne quid in beneficio aliquo tribuendo faceret, cuius poenitere eum in posterum, aut pudere potuisset.

Constat praeterea Leonem magnificentissimum fuisse, et de aedificiorum magnificentia imprimis sollicitum. Quod spectat vero ad Vaticani templi aedificationem, quantopere Pontifex cordi haberet, ut illud aedificium magnificentia sua cetera omnia superaret, exploratissima res est. Atque id Cardinalis Pallavicinius apposite confirmat argumento desumpto ex duobus ad Raphaelem Urbinatem, summum artis pictoriae atque architecturae lumen, Brevibus a Leone X scriptis. In illorum autem Brevium primo Pontifex Raphaeli committit, ut ad effectum perducat, atque absolvat aedificandae Basilicae opus, prout a Bramante morti proximo commendatum erat. In eo Brevi Leo X, commemorata sua erga D. Petrum devotione, omni quacumque potest ratione, Raphaelem hortatur, ut templum Vaticanum cito, ac summa omnium magnificentia aedificetur, atque ei idcirco nominis celebritatem ob oculos ponit, quam Raphael adhuc adolescens erat inde consequuturus, suam et patris sui erga Raphaelem benevolentiam recordatur, ut illi ad id efficiendum incitamentum exhiberet. Quomodo vero existimari potest, Pontificem, qui tanto studio ferebatur, illius templi magnificentissime aedificandi, in Magdalenae sororis suae privata commoda, pecuniam illam convertere non dubitasse, quae ex Saxonia, et finitimis Saxoniae regionibus fuerat collecta, postquam, indulgentiarum consequutione proposita, Pontifex ipse Christianos, ad opem in sumptus ob eam aedificationem absolvendos tanta celebritate excitavisset?

Denique Cardinalis Pallavicinius argumentum adducit, quo, de facto ipso, ut dici solet, certum esse declarat, pecuniam, de qua quaestio est, ex eleemosynarum illarum collectione, Magdalenae Pontificis sorori tributam non fuisse. Atque ut id demonstret, eruditissimus Cardinalis refert, se ex Felicis Contelorii narratione id accepisse, qui Praesul in his rebus expertissimus, cum multos annos tabularii Pontificii custodiam retineret, accuratissimam, et indubiam in iisdem rebus notitiam sibi comparavit. Iam vero Pallavicinius subdit, ex scripto a Felice Contelorio confecto, atque ad hanc rem illustrandam composito, se de facto accepisse, nullam eiusmodi pecuniae numerationem Magdalenae factam esse, cuius pecuniae numeratae vestigium aliquod reperiretur in iis libris rationum, in quos certe ad

ostendendam integritatem suam in negotio gerendo, Ministri Pontificis pecuniae numeratae testimonium inferre debuissent. Patet igitur accusationem istam, de qua hactenus loquuti sumus, veluti falsam reiiciendam esse.

Alia accusatio ea est, qua Leo X veluti parum honestatis sollicitus traducitur, ita ut non dubitaret aliquando fidem in re gravissima datam violare. Hac ratione Sismondius *op. cit. cap. 113* de eo loquitur, cum de Ioanne Paullo Ballionio verba facit. Etenim refert in Pontificis indignationem Ballionium incidisse, et ab eodem Perusia Romam vocatum, cum venire is detrectaret, eo quod sibi timeret, atque idcirco ad se excusandum filium suum Malatestam ad Pontificem misisset, salvumconductum propria manu scriptum Leonem X eidem Ballionio dedisse, quo eundem ab omni suspicione eximeret, et una simul Camillo Ursinio, aliisque potentibus Ballionii amicis talia dixisse, ut is posset credere, se nulli periculo obviam iturum esse. Quare deinde venisse Romam narrat Ioannem Paullum Ballionium, et cito comprehensum, ac post duos menses capite mulctatum fuisse.

Sed videamus quid Paullus Iovius *lib. 4* vitae Leonis X de hac re habeat. Is igitur scriptor, qui in historia huius Pontificis referenda, est magnae auctoritatis, eo loco, quo memorat, plures, in quos sub Leonis X pontificatu fuit animadversum, eo quod, licet Pontifex is esset natura lenissimus, non posset tamen, ob publicum bonum a severitate legum adhibenda abstinere, is, inquam, haec de Ioanne Paullo Ballionio narrat: « Dabat item operam diligenter, ut » in provinciis omnia pacata, et laeta, praefectorum vigilantia, et severitate tenerentur. Et quum esset natura lenissimus, saepissime » patientiam abrumpebat, si, renovatis improborum iniuriis, post primam delicti veniam, contumeliose » laederetur. Paullum ante alios Baleonum, claris militiae honoribus » functum, et erga Mediceam domum » studio, ac operibus insignem, e Perusio Romam vocatum, eiusque lenitati impense confidentem, quin » capitali supplicio afficeret, vel deprecantibus Ursiniis, exorari non » potuit. Vir enim impotens, et factiosus, apud Perusinos cruentam » maxime, et rapinis infamem, despectis Pontificis epistolis, tyrannidem exercebat. »

Nihil profecto in ista Iovii narratione reperitur, quod salvumconductum, propria manu subscriptum a Leone datum fuisse Ballionio ostendat, quo ille omnem metum dimitteret, atque omnem periculi suspicionem deponeret, prout Sismondius confidenter narrat. Nihil de sermonibus eiusmodi, quos Leo X cum Ursiniis habuerit, quibus iidem, et ceteri Ballionii amici intelligere potuerint, Ballionium Romam venientem, in nullum discrimen adductum iri: immo vero aperte narrat Iovius, neque deprecantibus Ursiniis, Pontificem exorari potuisse ut a legum severitate erga Ballionium temperaret. Atqui praecipua huius accusationis ratio in eo posita est, quod Leo X salvumconductum non servaverit, et clementiae verbis de Ballionio, cum Ursiniis loquendo, usurpatis non steterit. Talis ergo est Paulli Iovii de ista re narratio, ut id, quod accusationis huius cardo est, omnino excludat. His vero non obstantibus, praeter ceteros Scriptores, quos Sismondius in hoc facto narrando commemorat, Iovium etiam citare non dubitat.

Appellat praeterea Sismondius Guicciardinium *lib. 13 ad an. 1520.* Sed neque hic auctor salvumconductum a Leone datum dicit, immo vero aperte dicit, scripto Leonem hanc Ballionio securitatem non dedisse.

Commemorat etiam in narrationis suae confirmationem Sismondius Onuphrium Panvinium: sed is in Leonis X vita, eo modo, quo Paullus Io-

vius, de Ballionio ait dumtaxat, eum impense, seu valde nimis, Pontificis benignitati confidentem fuisse, verum, hoc non obstante, extremo tamen supplicio affectum esse.

Nihil pariter Belcarii testimonio proficit Sismondius. Eum quidem cum ceteris mox memoratis scriptoribus Sismondius citat, veluti si ille referat hoc factum, prout ab ipso narratur. Sed revera Belcarius *Rerum Gallicarum comment. lib. 16 pag. 480* de Leone dicit, prout Guicciardinium narrasse superius significavi, Pontificem « nihil scripto mandasse. » Omnes igitur isti scriptores, illud, quod in accusatione ista praecipuum est, et quod a Sismondio eosdem scriptores commemorante, veluti certum traditur, Leonem X salvumconductum manu eius subscriptum Ballionio dedisse, omnes, inquam, isti scriptores, id excludunt.

Fuisse vero Ballionium ea poena dignum, qua mulctatus fuit, res est extra controversiam posita, quantumvis Sismondius ad Leonem X gravius vituperandum, *loc. cit. pag.517,* ita factum hoc referat, tamquam si Ballionius iniuste fuerit extremo supplicio affectus, ac Pontifex praetextus aliquos, seu rationes opportunas ad eum capite plectendum excogitandas curavisset.

Nam quomodo de Ballionio Iovius loquatur, superius vidimus, quem virum impotentem, factiosum, et apud Perusinos cruentam maxime, et rapinis infamem, despectis Pontificis epistolis, tyrannidem exercuisse narravit. Guicciardinius quoque, vim a Ballionio contra Gentilem cognatum suum adhibitam fuisse narrat, quem Perusio eiecit, ut sibi universum in eam civitatem dominatum arrogaret. Denique Anonymus Paduanus in historia Veneta, quem Muratorius ad annum 1520 Ballionii factum narrans commemorat, multa de criminibus eiusdem Ballionii memoriae prodidit.

Nam is scriptor retulit, Ballionium, non solum Perusii patriae suae tyrannum fuisse, sed etiam tyrannidem in finitimis regionibus illum exercuisse. Praeterea illum impium, sine fide, atque, ut uno verbo rem complectar, Muratorius ait, veluti teterrimum naturae portentum, Ballionium Anonymus ille historicus descripsit. Diu Leonem eius crimina tolerasse ait, sed tandem aliquando in eundem animadvertere debuisse: cum Ballionius Romam venisset, iudicium de eius causa institutum esse, processum de eo factum, quaestionem habitam, et Ballionium tot crimina, tantaque a se patrata confessum esse, ut pluribus de causis, extremo supplicio dignus apparuerit; quare in mole Hadriana capite plexum quadam nocte illum fuisse. Haec Anonymus Paduanus a Muratorio citatus habet, qui, dum annales Italiae vir ille doctissimus scribebat, prout ad an. 1509 is significat, scripto tantum prostabat, haec, inquam, de Ballionii criminibus Anonymus ille scriptor retulit. Quae quidem utrum possint ulla ratione Sismondium excusare, cum Leonem lacessit, veluti si iniuste in Ballionium animadverterit, omnes facile intelligunt. Angelus Fabronius autem Academiae Pisanae Curator in Leonis X vita *pag. 309* affert praeterea testimonium Titii, quo continetur, Ballionium etiam contra Pontificem conspirasse.

Anonymum Paduanum quidem Muratorius refert ad an. 1520 contendere, Leonem X securitatis fidem Ballionio dedisse, ut ad Urbem is veniret. Verum superius, aliorum scriptorum nos testimonia commemoravimus, qui nihil de hac securitate a Leone X Ballionio concessa tradiderunt, immo vero id aperte negarunt. Et Muratorius ipse, eodem loco, Guicciardinii auctoritatem recenset, qui in facto, de quo loquimur, narrando, affirmavit Leonem X nihil scripto promisisse. Quid ergo valet scriptoris Anonymi testimonium, cum scriptorum, de quorum auctoritate certe constat, contrariam

sententiam manifestam in hac re habeamus? Confirmat vero hoc idem notitia indubia, quam ex monumentis illius aetatis accepimus, de Leonis X integritate singulari. Neque is certe vir tantus, quantus Leo X erat, hoc fuisset commissurus, ut cum in animo haberet, de Ballionio ultionem secundum leges sumere, eodem tempore super legum severitate, pro Ballionio per salvumconductum dispensaret. Restat ergo ut de hac accusatione concludamus, iniuria fecisse Sismondium nominatim, atque eum a vero aberrasse, qui in ista accusatione afferenda, Pontificem vel iniustitiae, vel fidei violatae insimulavit.

Antequam de Leone X finem loquendi faciamus, aliquid animadvertendum etiam esse arbitramur de ea re, quae pariter contra Pontificem, quandam veluti peculiarem accusationem continere videtur, eum, scilicet, scientias potius profanas, et artes, quam sacrarum scientiarum studia, et viros potius profana eruditione, et disciplinis praestantes, quam homines in sacris studiis excellentes, patrocinio suo fovendos existimavisse.

Nolo hic notare, diverso prorsus modo Carolum Villersium in suo historiae Ecclesiasticae compendio *periodo 4 pag. 376 edit. Parisiensis an. 1808* Leonis X erga litterarum studia, et artes voluntatem interpretatum esse. Is scriptor in memorato historiae compendio, quod non aliud revera continet, nisi falsarum contra Ecclesiam Catholicam, et Romanos Pontifices criminationum congeriem, is, inquam, scriptor, eo loco, talia dicit de Leone X, ut neget, ab eodem Pontifice, litterarum, et artium quoque studia, vere proprieque protecta fuisse. Eam enim, quam in haec studia ostendit Pontifex propensionem, non litterarum, atque artium patrocinium fuisse Villersius contendit, sed inde tantummodo profectam esse hanc Pontificis voluntatem affirmat, uod illa studia Leonem oblectarent, atque ei solamen afferrent, praesertim quod ad eiusmodi consuetudinem in paterna domo fuisset institutus.

Haec tamen falsa sunt, atque a communi, et apud omnes recepta sententia abhorrent. Nihil enim tantopere inter omnes, qui de Leone X scripserunt, nihil, inquam, tantopere exploratum est, quam Pontificem illum litterarum, atque artium patronum fuisse, ita, ut Cardinalis Pallavicinius ipse in *hist. conc. Trid. lib. 1 cap. 2* nimium erga haec studia se propensum Leonem X demonstravisse, non obscure conqueratur. Facile est autem intelligere, quanam de causa Villersius eo modo de Leonis X in litteras, et artes voluntate loquutus sit. Videlicet, ut hanc quoque laudem ab eo detrahat, et neque vere litterarum, ac bonarum artium patronum Pontificem illum fuisse concludat.

Itaque hac Villersii animadversione reiecta, certum esse puto, Leonem X, non solum litteris, et artibus, sed sacris etiam studiis patrocinium suum tribuisse, neque tantum homines litteris humanioribus, et artibus deditos, sed homines quoque sacrarum disciplinarum laude praestantes fovisse.

Atque ad hoc evincendum, primo loco opportunum esse censeo illud Leonis X decretum recordari, quod in Concilio Lateranensi Generali V ab eo editum est sess. 8, qua consuluit diligenter, ut Ecclesiastici ordinis homines accurate sacra studia colerent. Est omnibus in promptu constitutio Leonis X in ea sessione promulgata. In illa autem constitutione, postquam de animae humanae immortalitate Pontifex loquutus esset, et errorem huic dogmati contrarium condemnavisset, haec decrevit: « Ne quis de cetero in sacris ordi-
» nibus constitutus, in studiis gene-
» ralibus, vel alias, publice audiendo,
» Philosophiae, aut poesis studiis,
» ultra quinquennium, post Gram-
» maticam, et Dialecticam, sine ali-

» quo studio Theologiae, aut Iuris » Pontificii incumbat. Verum exacto » dicto quinquennio, si illis studiis » insudare voluerit, liberum sit ei, » dum tamen, simul seorsim Theo» logiae, aut sacris canonibus ope» ram navaverit, ut in his sanctis, » et utilibus professionibus Sacerdo» tes Domini inveniant, unde infe» ctas Philosophiae, et Poesis radices » purgare, et sanare valeant. » Haec quidem non ostendere, Leonem X profana tantum studia, non vero sacras disciplinas fovisse, ii dumtaxat contendere poterunt, qui secundum opiniones praeconceptas suas, non autem secundum manifestam monumentorum veritatem, aliquid affirmare non dubitant.

Praeter ista vero, quae generatim evincunt, Leonem X sacrorum etiam studiorum curam habuisse, multa possent singillatim recenseri, quae hanc curam, atque istud Leonis X erga homines in sacris disciplinis praestantes studium demonstrarent. Verum ego nonnulla tantum commemorabo: cetera enim, cum aliis in locis, tum in Leonis X vita a Fabronio scripta, et in eruditissimi Hieronymi Tiraboschii *historia Italicae litteraturae tom. 7* videri possunt.

Itaque huius Pontificis curae argumentum afferri potest id, quod Leo X erga viros sacrarum scientiarum laude florentes gessit, atque incitamentum, quod iisdem exhibuit, ut sacra studia promoverent.

Talis ex. gr. fuit Zenobius Acciaiolius Florentinus, Ordinis PP. Praedicatorum, quem virum in sacris studiis doctissimum, Florentiis Romam Leo X accivit, Bibliothecae Vaticanae Praefectum constituit, et ad transferenda ex ea Bibliotheca in Arcem S. Angeli vetustissima pergamena monumenta destinavit, quorum P. Montfauconius indicem elaboravit. Hic idem vero Zenobius Acciaiolius Theodoreti Cyrensis Episcopi duodecim sermones latine reddidit, atque alias ex Graeco versiones fecit. Cum vero Acciaiolius redditos latine Theodoreti sermones Leoni offerret, beneficia sibi a Leone collata, oratione sua prosequutus est. « Ad quae patris, inquit, in me tui, » maiorumque tuorum beneficia, tu » id mihi seorsim, Beatissime Pater, » contulisti, quod ad pedes tuos gra» tulandi causa provolutum, in Ur» bano S. Silvestri Oratorio, ad ho» nestam studiorum quietem, huma» nissime collocasti, nostraeque ae» tati iam ad senectutem vergenti » deesse nihil pateris, quod ad Re» ligiosi studiosique hominis neces» sarios usus, commodaque pertineat. » Cum itaque ob ingentia tua in me » beneficia, redundare in te debeat » quidquid a me, per hoc abs te mihi » concessum otium excudatur, dedi» candos tibi putavi, quos nuper » Theodoreti Cyrensis Episcopi grae» cos libros de spirituali affectionum » medicina latinos feci. »

Neque minus apparuit haec Leonis X cura, cum Octavianum Pantagathum patria Brixianum, Ordinis Servorum Beatissimae Mariae Virginis, Parisiis Romam vocavit, virum doctissimum, cuius magnum elogium Tiraboschius fecit *cit. tom. lib. 3 pag. 144 et seqq.* edit. Rom. an. 1784. Hic vero Octavianus Pantagathus a Leone X inter familiares suos adscitus, beneficiis auctus est, diti, scilicet, sacerdotio abbatiae Maxarae, et Archigymnasio Romano addictus. Historiam Ecclesiae conscribendam Leo X eidem commiserat, quam, ob nimiam operis vastitatem, is non absolvit.

Praeterea Leonis auspiciis Felix De Prato, celebris quondam Rabinus, tum suscepta Religione Christiana adeo doctus Augustinianus, qui ex Hebraica lingua latine reddidit Psalterium, quod opus inscribitur: *Psalterium ex Hebraeo, diligentissime ad verbum fere translatum a Fr. Felice a Prato Ordinis Eremitarum S. Augustini, per summum Pontificem Leonem X approbatum.* Leo autem Pontifex Venetiis Ro-

mam Felicem vocavit, qui alios S. Scripturae libros vertendos curavit, et Pontifice id volente, ad Iudaeorum conversionem plurimum incubuit, et magnum fructum inde reportavit. De quibus rebus Wolphius in *Bibliotheca Hebraea* videndus est.

Valde honorificam vero in his doctissimis viris recensendis mentionem merentur Ambrosius Catharinius, et Thomas de Vio, deinde a patria sua dictus Cardinalis Caietanus. Contra Lutherum ii duo viri ex ordine PP. Praedicatorum tantopere illustres, de quibus in posterum sermo redibit, scriptis suis Lutherum confutarunt, a Leone X ad id agendum excitati. Idem porro Leo X Thomam de Vio ob praeclara, quibus praestabat merita, ad cardinalatus amplissimam dignitatem evexit.

Est etiam memorandus Silvester Mazzolinius, seu de Prierio, a patria sua dictus, item Ordinis PP. Praedicatorum, qui Lutherum graviter refellendum suscepit, quique a Leone X Magister S. Palatii Apostolici adlectus est. Tiraboschius huius viri laudes prosequens *tom. sup.cit. lib.2 cap. 1* ostendit, munus hoc adeo honorificum ob illustria merita Prierio a Leone tributum fuisse.

Quid vero ego de Hieronymo Aleandro dicam, ob legationem suam in Lutherana causa celeberrimo, et Philosophiae, Theologiae, linguae Hebraicae, Graecae, et Chaldaicae peritia, atque in gravissimis rebus gerendis sapientissimo? Illum Leo X ab Episcopo Leodiensi, ut Romam veniret, accepit, consuetudinis suae participem illum esse voluit, Iulio Mediceo Patrueli suo, qui in posterum Clemens VII fuit, illum ab epistolis esse voluit, tum Bibliothecarium Vaticanum fecit; illum denique, ut cetera omittam, Legatum in Germaniam misit.

Non est denique praetereundus in hac praeclarorum virorum numeratione, Laurentius Campeggius, Theologus tantae celebritatis, et in iurisprudentia praesertim Pontificia praestantissimus. Illum iam Episcopum Feltrensem, Leo X an. 1517 Cardinalem creavit. Inter familiares Sadoleti epistolas, duae exstant, quae ad singulare huius viri elogium, virtute, ac doctrīna partum audiendum, sunt opportunissimae.

Concludam hunc locum testimonio Raphaelis Brandolinii, qui in magna cum Leone X rerum coniunctione fuit. « Cunctos, inquit, rationis, na» turae, morum, humani divinique » iuris, ac supremae illius scientiae, » quam theologiam vocant, peritis» simos viros accersit, probat, hone» stissimisque stipendiis refocillat. »

His vero consideratis, quibus alia plura eiusmodi possent adiungi, facile est intelligere, quid sequatur: scilicet, in his perspicua argumenta contineri, quibus demonstratur Leonem X sacra etiam studia fòvisse, et viros in sacris etiam disciplinis praestantes, patrocinio suo, ac beneficiis cumulavisse. Et patet simul ex his, cum historia Pontificis istius, ac rerum ab eo gestarum, minime convenire opinionem illam, de qua nunc loquuti sumus, Leonem X profanis quidem studiis deditum fuisse, sed sacras disciplinas, atque eos, qui illas colerent, voluntate, et benevolentia sua minime prosequutum esse. Haec vero possent confirmari aliis pluribus exemplis, de quibus loquendi opportunus locus occurret, cum de reformatione, quam dicunt a Luthero inductam, agemus, et de qua falsum esse ostendemus, id, quod iactatum est, litterarum, ac scientiarum incrementum, quod illae consequutae sunt, ei vicissitudini penitus deberi.

Leo quidem, prout in huius disputationis initio significavi, die 1 Decembris anno 1521, compendio mortuus est. Potterius vero dicit, illum, secundum illorum temporum narrationes, veneno sublatum esse. Sed ista dicens, omittit omnia, quae ad excludendum veneno Pontificem sublatum esse, graves scriptores retu-

lerunt; qualis est Raynaldus ad eum annum num. 110, quo loco, adducto Parisii de Grassis testimonio, ostendit, suspicionem de ea re obortam esse, sed deinde, post factam inquisitionem conclusum esse, veneno Pontificis mortem tribui non debere. Muratorius autem habet, vel a die 25 Novembris, cum in summa laetitia Leo X, et Urbs tota esset ob Mediolanum occupatum, et Gallos inde pulsos, infirma valetudine eum laborare coepisse, et die 1 Decembris inopinato demortuum esse: de veneni suspicione pertractatum fuisse, sed abscessu Leonem X semper fuisse vexatum, atque id ad vitam ei celerius auferendam sufficere potuisse.

Haec vero concordare possunt cum Iovii narratione in Leonis vita *lib. 4,* ubi de Pontificis morte agit. « Non » defuere, inquit, tamen, qui mini» stros, et principes, ea calumnia » (de veneno exhibito) omnino libe» ratos vellent, quasi Pontifex, ob» structa iam plane fistula, et ob id, » saniosis humoribus ad praecordia » reiectis, letalem morbum facile » conceperit, praesertim cum et his » diebus, turbidus auster, nebulam » pestilentem e palustribus campis » ad villam (Mallianam, scilicet, un» de tunc ad festa peragenda Leo » Romam reversus erat) importune » detulisset. » Verum haec Potterius silet, ne allatum sibi praetextum imminuat, persuadendi, Pontificem tantum odio civium suorum interemptum fuisse.

Denique contemptu potius, quam responsione digna sunt, quae Potterius de Leonis X morte subdit. Nam eidem repente mortuo atrociter insultans, talia habet, quasi Pontifex inopinata morte sublatus, idcirco religionis auxiliis iuvari non potuerit, ut scilicet, poenam daret, quod is vivens, sacra, venalia fecisset. Haec enim acerba calumnia manifeste pugnat cum integritate vitae, qua Leo X excelluit, cum religionis amore, quo erat animatus, et quo in sacerdotiis, beneficiisque conferendis, castissimus semper fuit, quemadmodum Iovii historia docet. Denique haec calumnia pugnat cum iis, quae publicis monumentis tradita sunt. Exstat enim Leonis X constitutio 3 Non. Maii *anno 1514* in sessione nona Concilii V Lateranensis Generalis edita, qua inter alia plura, de quibus agit, omnia simul praescripsit Pontifex, quae ad electionum sacrarum religionem, integritatem gravitatemque tuendam, erant opportunissima.

EX SAECULO DECIMO SEXTO.

CAPUT XLVI.

DE ECCLESIAE STATU SAECULO XVI INEUNTE.

Ecclesiae Catholicae statum, cum saeculum decimum sextum inciperet, satis aperte declarant quae in superioribus tomi huius capitibus exposuimus. Nam Concilii Lateranensis quinti historia, quam tradidimus, et ea, quae de Leonis X pontificatu pertractavimus, satis esse possunt ad significandam publicam rerum conditionem, cum ea aetas initium haberet. Illud vero certum est, eo saeculo ineunte, antiquam Ecclesiae fidem publicos hostes generatim non habuisse. Immo vero quantumvis depravati essent non paucorum mores, ad fidei tamen catholicae custodiam quod spectat, illam ab iis fuisse contemptui habitam dici certo non potest.

Erat ubique receptum, Ecclesiam a D. N. I. C. ita esse institutam, ut caput iurisdictionis potestate praeditum haberet; Romanos Pontifices D. Petri Successores, ista in universam Ecclesiam potestate praestare;

cum eo necesse esse, dependentia, et communione convenire; extra Ecclesiam fieri oportere, qui hoc fidei dogma repudiaret. Ubique recepta servabatur de Sacramentis catholica doctrina. De peccato originali, deque iustificatione non contemnebatur Catholicae Ecclesiae sententia. Hierarchia Ecclesiastica, divina ordinatione instituta, Indulgentiarum usus, Sanctorum cultus, servabatur ubique. Atque ad morum doctrinam quod spectat, arbitrii libertas, matrimonii perpetuum, indissolubileque vinculum, et reliqua ad iustitiam tuendam praecepta, vera esse iudicabantur.

Sed his omnibus grave, et scelestum bellum indictum est. Atque in eos, hac aetate, Ecclesia Catholica infensissimos hostes incidit, qui nullum, ut ita dicam, doctrinae a Christo traditae, et ab Apostolis acceptae caput, consistere patiebantur; immo universum Religionis fundamentum impune evertendum curarent. De his pertractationem suscepturi, et quomodo ea, quae *Reformatio* dici solet, inducta fuerit expositurí, ad difficiliorem Ecclesiae Epocham explicandam pervenisse videri possumus. Atque ista quidem pertractatio ob rerum gravitatem, varietatemque permagnam, quae huius epochae propria est, perlongum sane volumen requireret, si omnia fuse essent exponenda, quae ad illam referuntur. Servare tamen debemus modum his praelectionibus praescriptum, atque ea saltem non praetermittemus, quae ad notitiam de praecipuis rerum ad tantam tunc factam rerum perturbationem spectantium comparandam, opportuna esse possunt.

Quo loco vix est monendum, nihil omisisse Scriptores, Sedis Apostolicae, et Ecclesiae Catholicae inimicos, ut reformationem eo tempore inductam laudarent plurimum, atque eius inducendae necessitatem, si fieri posset, demonstrarent. Id vero ea de causa ii fecerunt, quod conarentur incautos decipere, et ubique, apud bonos omnes receptam sententiam, vanam esse contenderent, de summa calamitate, Ecclesiae, ac Reipublicae propter tantam rerum innovationem irrogata.

Satis est Moshemium consulere in *Institutionibus Historiae Ecclesiasticae saeculi XVI Sectione I cap. I.* Nihil est in toto illo Institutionum capite, quod ad vituperandum Ecclesiae statum non pertineat, antequam Lutherus errores suos praedicare inciperet, ut deinde concludat, necessarium prorsus fuisse, tanto malo per reformationem occurrere, et Luthero praesertim amplissimam laudem esse tribuendam, qui in tanto discrimine, Ecclesiae, ac Reipublicae emendationi, si superis placet, consuluerit.

Atque ad id impetrandum Moshemius, nihil aliud in memorato Institutionum loco facit, nisi quod ad detrahendum de illius temporis Ecclesiae conditione inservire possit. Hinc Iulium II, ac Leonem X proximiores perturbationis initio Pontifices omnibus dicteriis lacessit. De potestatis Pontificiae abusu praeter modum omnia exaggerat. Ecclesiam Romanam, et instituta omnia ad eam pertinentia, contemnit. Ecclesiasticam Hierarchiam ubique exsistentem iniuriis afficit, Ordines Religiosos, cultus formam tunc vigentem, sacri ministerii tunc fieri solitum exercitium, vehementer despicit. Omnia denique ad tam miseram conditionem redacta fuisse pronuntiat, ut nisi Lutherus advenisset, de religione ipsa actum esse dici posset. Verum haec per calumniam pronuntiata a Moshemio fuisse, et germana rerum historia evincit, et ex iis etiam, quorum pertractationem suscipimus, facile colligetur.

CAPUT XLVII.

DE MARTINO LUTHERO, ET HAERESI AB EODEM INDUCTA.

Bellum grave, et scelestum Ecclesiae Catholicae saeculo decimo sexto indictum fuisse, paullo superius significavimus. Nunc quomodo tam atrox tempestas oborta sit, exponendum a nobis est. Id quod necessario requirit, ut de Luthero, et tumultu ab eo contra Ecclesiam commoto, et de hominibus, qui in eius iniquis conatibus iuvandis praecipui fuerunt, verba faciamus. Sed limites his praelectionibus impositos servare compulsi, breviores certe in re narranda esse debemus, quam gravissimi eventus ratio tota postularet. Innumeri autem sunt, ut ita dicam, qui de Luthero scripserunt, apud quos fusa rerum ad eiusdem vitam spectantium pertractatio reperiri potest. Atque, ut omittam ceteros, prodiit anno 1841 Parisiis iterum opus inscriptum *Histoire de la vie, des ecrits, et des doctrines de Martin Luther* a cl. I. M. V. Audinio compositum, quod ad plenam comparandam de Luthero, rebusque eius haeresis causa gestis notitiam, imprimis est opportunum.

Itaque Martinus Lutherus natus est Islebii in Saxonia, in comitatu Mansfeldiensi, ut communius creditur die 10 Novembris, S. Martini pervigilio, ex quo Martini nomen ei inditum est, anno 1483, ut narrat in *actis Lutheri* Choclaeus, qui Lutheri historiam diligenter est exsequutus, et Surius. Plebeios habuit parentes Ioannem Lotter, vel Luder, et Margaritam Lindemann. Quare eo cognomine primum dictus est, atque ita se ipse in litteris ad Ioannem Eckium vocavit; Eckius vero libros *contra Lutherum* edidit. Verum in posterum maluit se Lutherum appellari, atque id fortasse ea de causa fecit, quod, ut animadvertit Choclaeus, *Luder,* seu *Lotter,* apud Germanos, parum honestum videatur esse vocabulum. Primis litterarum elementis in patriae schola institutus, Magdeburgum missus est, ubi annum unum moratus, tum Isenaci quadriennium litteris operam dedit. Deinde profectus Erfondiam, in ea Academia, annum aetatis agens circiter 20 Philosophicum Magisterii gradum accepit, ac postea iuris civilis studium aggressus est. Anno autem 1505 in agrum, animi exhilarandi causa, cum socio digressus, gravi metu perculsus est. Nam coorta aeris tempestate, socius eius Alexis, ictu fulminis ad ipsius latera tactus, continuo mortuus est. Quo facto Lutherus perterritus, Eremitarum S. Augustini Ordini in Erfordiensi coenobio nomen dedit, in quo anno 1507 sacerdotio est initiatus. Hanc historiam ipsemet Lutherus narrat in libro de votis monasticis, quem patri suo nuncupavit.

Post haec Lutherus anno 1508 Wittembergam studiorum causa missus, in academia, quam ibi Fridericus Elector Saxoniae mox statuerat, Logicam et Physicam Aristotelis praelegit. Tum anno 1510 orta discordia inter Vicarium Generalem, et septem Conventus Ordinis sui, Romam huius litis causa Procurator venit, et lite per transactionem composita, reversus Wittembergam, creatus est sacrae Theologiae doctor, et sacram doctrinam aliquot annos, ingenii laude tumidus ibi professus est. Nec Wittembergae solum, sed alibi quoque, acris disputatoris famam captare studens, auditorum animos in sui aestimationem inflammare quotidie satagebat.

Leo X interea anno 1517, ut coeptam a Iulio II Vaticani Templi aedificationem prosequeretur, largientibus in illud opus pecunias, indulgentias concessit, « sicut, et ante » eum saepius factum fuerat » inquit

Choclaeus. Cum autem Pontifex huic negotio indulgentiarum per Germaniam indicendarum, praefecisset Albertum Archiepiscopum, et Electorem Moguntinum, e Brandeburgensi familia, hic indulgentias promulgandas dedit Ioanni Tetzelio, praeclaro Ordinis PP. Praedicatorum Theologo, qui paullo ante idem fecerat pro Theutonicis equitibus. Haec delegatio Augustinianos offendit, quod eam sibi deberi arbitrarentur, qui strenuam operam in concionando, et scribendo navaverant, quique ad tale munus gerendum, antea adhiberi consuevissent. Et Ioannes quidem Staupitius, Vicarius eorum Generalis per Germaniam, querelam suam interposuit apud Saxoniae Electorem de ea re; Lutherus vero acriter indignatus, epistolam scripsit ad eundem, cuius epistolae sententias Choclaeus refert, et ex eo Raynaldus; data vero erat « Ex Wittemberga in vigi» lia omnium Sanctorum anno 1517.»

Hac occasione suscepta, Lutherus errorum suorum spargendorum initium fecit. Nam primum contra abusus, qui in Indulgentiarum promulgationem irrepserant, atque in earundem promulgatores invectus est, tum de indulgentiis ipsis, pro concione, et thesibus 95 ad Wittembergensis templi valvas affixis, detrahere, atque in eas declamare coepit.

Theses autem istae continebant: per indulgentias non aliam poenam remitti, nisi eam quae a Sacerdotibus imposita fuisset. Pontifici nullam esse potestatem absolvendi, sed solum declarandi aliquem absolutum. Defunctorum animas, nisi in hac vita summa fuerint charitate praeditae, tolerare in purgatorio timorem desperationi parum dissimilem, atque hinc exiguum discrimen esse inter Purgatorium, et Infernum; et his animis posse charitatem, et meritum augeri. Quidquid potest circa eas Pontifex, posse intra suam iurisdictionem Episcopum, et Parochum. Quemcumque ex animo poeniteat, eum plenam consequi poenae remissionem absque indulgentiis. Ecclesiae thesauros ita esse pro fidelibus, ut iisdem nullum ius Pontifex ad illos tribuere possit. Ecclesiae thesaurum non constare Christi meritis et Sanctorum.

His Lutheri thesibus Tetzelius Francofordiae ad Oderam opposuit 106 propositiones, quibus indulgentias propugnabat. Addit Melancthon, iussu eiusdem Tetzelii qui erat Fidei inquisitor, igni traditas Lutheri Theses; nullam tamen huius rei mentionem fecit Lutherus. Tetzelii quidem propositiones Wittembergae combustae sunt, quod factum, se inscio, et invito, ait Lutherus. Scripsit continuo etiam contra Lutherum brevissimas quasdam notas Ioannes Eckius Incolstadii Pro-Cancellarius, et Augustae Concionator, acerbas tamen, ut Cardinali Pallavicinio etiam videntur, qui suspicatur hanc adversariorum acerbitatem ad Lutherum flectendum fuisse inopportunam. Ceterum ab his thesibus, anno 1517 palam propositis, Lutheranismi historiam passim deducunt scriptores, et Choclaeus commentarios suos.

Anno sequenti 1518 Lutherus librum edidit *Resolutiones disputationum de Indulgentiarum virtute,* in quo easdem opiniones proponebat cum praefatione ad Leonem X non ut Pontificem sibi conciliaret, quemadmodum apposite animadvertit Choclaeus, sed ut iustitiae, et obedientiae famam aucuparetur. Atque in eo quidem libro haec Lutheri verba sunt valde notatu digna: « Qua» re, Beatissime Pater, prostratum » me pedibus tuae Beatitudinis, of» fero, cum omnibus, quae sum, et » habeo. Vivifica, occide, voca, revo» ca, approba, reproba, ut placuerit; » vocem tuam, vocem Christi in te » Praesidentis, et loquentis agno» scam; » et alia huiusmodi, quae quidem si ex animo pronuntiasset Lutherus, eum Pontificiam auctoritatem adhuc eo tempore professum esse testarentur. Addidit etiam, se

non modo deferre sacris litteris, verum canones quoque, et Decretales Pontificum revereri.

Dum haec eveniebant, Silvester Prierias Palatii Apostolici Magister, opusculo Pontifici dicato, Lutheri errores refutavit, qua re Lutherus indignatus, ita respondit, ut non mentem mutare, sed errores suos tueri se velle demonstraret. Maximilianus Augustus interea, cum solemnis conventus Augustae haberetur, de Luthero graviter est conquestus; et Leoni X litteras scripsit, quibus Lutherum quotidie magis in haeresi obdurescere affirmabat, et Pontificem rogabat, ut auctoritate sua illum coercendum curaret. Itaque Leo Pontifex Lutherum Romam, ad causam dicendam venire iussit, cui iussioni Lutherus minime obtemperavit, valetudinem minime bonam, et itineris pericula causatus. Timens vero sibi Lutherus, convertit se ad Fridericum Saxoniae Electorem, eiusque opem imploravit, illud praesertim petens, ut causa sua, ad quam dicendam a Pontifice Romam fuerat ipse vocatus, non Romae, sed in Germania ageretur, ad quam rem consequendam Academia quoque Wittembergensis litteras pro Luthero Leoni X scripsit.

His rebus Pontifex exoratus, concessit ut de Lutheri causa in Germania pertractaretur. Quare Thomas de Vio Cardinalis Caietanus Tit. S. Sixti, Ordinis PP. Praedicatorum, cum Legati munere ad tam grave negotium agendum in Germaniam missus est. Erat autem Cardinalis Caietanus Theologus praeclarus, et antea ad Caesarem Legatus a Latere venerat, ut bellum contra Turcas gerendum compararetur. Coram Cardinali Caietano igitur Augustae Lutherus comparuit mense Octobris, atque ab eo benigne exceptus, eundem Cardinalem hortatorem habuit, ut tria faceret: 1 scilicet, ut errores suos revocaret: 2 ut promitteret se ab iis deinceps alienum futurum; 3 ita acturum eum esse in posterum, ut ab omnibus abstineret, quae Ecclesiam perturbare possent. Haec Lutherus ipse narrat, et Choclaeus, et Surius, aliique.

Minime his rebus commotus est Lutherus, ac renuit fateri se errare, et post longum colloquium, petiit deliberandi tempus. Reversus autem est altero die, atque haec a se scripta legit: « Ego Fr. Martinus Lu-
» ther Augustinianus protestor, me
» colere, et sequi Sanctam Roma-
» nam Ecclesiam, in omnibus meis
» dictis, et factis, praesentibus, prae-
» teritis, et futuris; quod si quid
» contra, vel aliter dictum a me fuit,
» vel fuerit, pro non dicto haberi,
» et habere volo. » Legatus tamen fraudem veritus, institit, ut tria illa praestaret. Lutherus impetravit, ut scripto responsionem daret; dedit autem contra Extravagantem Clementis VI de indulgentiis, contumeliosam. Cum vero timeret, ne Legati iussu comprehenderetur, salvumconductum obtinuit a Caesare, et tunc appellavit a Legato ad Papam, Legato interim multa fraudulenter promittens, dum ad alios de illo aliter scribebat. Anno 1519, cum mortuus esset Maximilianus Imperator, Lutherus metu deposito, insolentior esse coepit, praesertim postquam Carolus Miltitius missus a Leone Legatus ad rosam auream ferendam Friderico Saxoniae Electori, quo dono, operam dabat Pontifex, ut eius animum sibi conciliaret, is haud ita benevole acceptus a Friderico fuisset, et vix impetrasset ut privatim cum Luthero colloqueretur. Erat eo tempore Archidiaconus Wittembergae Carolostadius Lutheri amicissimus. Hic, cum Ioannes Eckius ab amico interrogatus de Lutheri thesibus contra indulgentias, eas theses damnasset; contra Eckium scripsit, multisque ultro citroque editis libellis, tandem publica indicta est inter eos disputatio Lipsiae habenda, refragantibus tamen Episcopo, ac Lipsiensibus Theologis, et ne ea disputatio publica fieret, plurimum suadentibus.

Lutherus ipse ad eam disputationem venit, et Carolostadio succurrens, disputavit cum Eckio; ac Lutherum deinde excipiens iterum Carolostadius, Eckium aggredi conatus est. Eckius autem semper restiterat, quominus has vicissitudines disputatio haberet. Statuerat Lutherus ut disputationis istius exitus, Universitatis Erfordiensis, et Parisiensis iudicio submitteretur, cui iudicio se morem gesturum affirmabat. Quod spectat autem ad Erfordiensem Universitatem, de ea Choclaeus ait, palam non constare quid illa responderit. Sed praeter Coloniensem, atque Lovaniensem universitatem, Parisiensis quoque propositiones ultra centum ex Lutheri libris excerptas, veluti schismaticas, haereticas, et blasphemas damnavit; quam condemnationem Lutherus superbe sprevit, et conviciis, atque iniuriis Sorbonicos theologos cumulavit. Fuse inter ceteros de hac Lipsiensi disputatione cap. 15 agit Cardinalis Pallavicinius, in qua illud valde memorabile contigit, cuius publicum testimonium scripto perhibuit Hieronymus Emserus; Lutherum, scilicet, palam dixisse: « non propter Deum » haec res coepta est, neque propter » Deum finietur. »

Cum Carolus V interea electus Imperator fuisset, valde cupiens Lutherus ut illius animum sibi benevolum efficeret, litteras ad eum scripsit, ac deinde librum edidit ad Nobiles Viros Germaniae, de Romanae Curiae vitiis, in quo, ut facere de more solebat, Romanam Ecclesiam est acriter insectatus.

Cum Leo X eodem tempore sentiret, nullam prorsus spem adesse, fore ut Lutherus mentem mutaret, et Ecclesiae perturbandae finem faceret; a Legato simul, et ab Eckio ad auctoritatem suam exercendam rogatus, habitis multis consultationibus, tandem die 14 Iunii anno 1520 Bullam contra Lutherum edidit, quae incipit *Exsurge Domine,* a Cardinali Petro Accoltio scriptam, et in frequenti coetu coram Pontifice expensam et probatam. Damnatae sunt in ea 41 Lutheri propositiones, sed magna moderatione illa, quam Choclaeus laudat, ut libris quidem damnatis, auctor ad resipiscendum invitaretur. Concessum est etiam opportunum temporis spatium Luthero ad revocanda errata; ac salvus etiam conductus oblatus ei est, ut Romam sine itineris impensis venire posset.

Propositiones, quas in Leonis X Bulla damnatas esse diximus, etsi multa alia comprehendant, pleraeque tamen earum, sacramenta, indulgentias, purgatorium et auctoritatem Romani Pontificis respiciunt. Ex. gr. 1 est, « Haeresim esse, sacramen- » ta novae legis iustificantem gra- » tiam illis dare, qui non ponunt ob- » icem. » 5 « Non esse fundatum in » sacris scripturis, nec in antiquis » Christianis Doctoribus, tres esse » partes poenitentiae, contritionem, » confessionem, et satisfactionem. » 10 « Peccata non sunt ulli remissa, ni- » si remissum crederet; non enim » sufficit remissio, et gratiae dona- » tio, sed oportet etiam credere esse » remissum. » 13 « In sacramento poe- » nitentiae, ac remissione culpae non » plus facit Papa, aut Episcopus, » quam infimus sacerdos, immo tibi » non est sacerdos: aeque tantum » quilibet Christianus, etiam mulier, » aut puer esset. » 17 « Thesauri Ec- » clesiae, unde Papa dat indulgen- » tias, non sunt merita Christi, et » Sanctorum. » 25 « Romanus Ponti- » fex Petri successor, non est Chri- » sti Vicarius super omnes totius » mundi Ecclesias, ab ipso Christo » in beato Petro institutus. » 37 « Pur- » gatorium non potest probari ex » Sacra Scriptura, quae sit in Ca- » none. » 38 « Animae in Purgatorio » non sunt securae de earum salute, » saltem omnes, nec probatum est » ullis rationibus, aut scripturis, i- » psas esse extra statum merendi, » vel augendae charitatis. »

Magnae prorsus laetitiae signifi-

catione Leonis X Bulla contra Lutherum edita, et ab Eckio evulgata, in Germania excepta est a Catholicis tam grave Ecclesiae damnum a Luthero illatum ingemiscentibus, et ab illis etiam Academiis magno gaudio ea Bulla excepta est, quae Lutheri errores damnaverant. Wittembergensis tamen Academia, ad quam singulares litteras Pontifex miserat, rem detulit ad Fridericum Saxoniae Electorem, qui cum Luthero patrocinaretur, et idcirco ambigua responsa reddidisset, ausa idcirco illa non est Luthero contradicere. Lutherus autem cum Bullam promulgatam audivit, vehementer excanduit, ac furore percitus, totum corpus iuris canonici, palam Wittembergae comburendum flammis tradidit, et cum ante acceptam Bullam Leonis edidisset librum contra Sacramenta Ecclesiae, multa mutuatus, ut Cochlaeus animadvertit, ex libris Wiclephii, et Hussii, accepta Bulla, librum contra eam in modum commentarii edidit. Interea cum Pontifex ad Carolum V electum Imperatorem, Nuntium misisset, Martinum Caracciolum, addiderat ei comitem, ut religionis negotia in tanto discrimine procuraret, virum amplissimum, atque omni doctrinae, ac disciplinarum laude illustrem, et rerum gerendarum peritia praestantem, Hieronymum Aleandrum. Is obtinuit a Caesare, ut in eius patrimonii ditionibus, libri Lutheri comburerentur, consequutus etiam est Aleander edictum contra Lutheri, atque aliorum eiusmodi libros, qui de Romano Pontifice in Caroli V ditionibus obloquerentur.

Obstitit his Aleandri conatibus Erasmus Rotherodadamus ita a patria sua appellatus. Florebat is magna doctrinae fama, et velut unus ex litterarum, praecipue graecarum, ac latinarum restitutoribus habebatur, quarum studio maluerat etiam proprium nomen *Desiderii*, in graecum *Erasmii* vertere, sicuti Philippus *Schwartzerd*, quod vocabulum *terram nigram* germanico idiomate significat, cognomen suum in illud *Melancthonis* immutavit. Erasmus novem annos exegerat inter canonicos Regulares, atque eos reliquerat, sive arbitrio suo, sive Pontificis concessione. Hic numquam Catholicae Religionis professionem deseruit; negari tamen non potest, non parum tunc temporis eius causae obfuisse, primum licentia scribendi; quare optime de eo iudicavit Petrus Canisius, ita illum scripsisse, ut licet non malo animo, ansam tamen quodammodo Luthero dederit ad graviora. Praeterea cum Fridericus Saxoniae Elector, Aleandri hortationum vim sentiens, ac simul Luthero favens, Erasmi sententiam de ea re postulasset, Erasmus ita respondit, ut Elector certe intelligere non potuerit, Lutherum ab eo derelinqui omnino oportere. Nam si licentiam mordendi, non autem praecipue scelestam eius doctrinam, Erasmus reprehendendam putabat, perspicuum est, hoc responsum ad Electorem excitandum sufficere non potuisse. Tamen obtinuit Aleander, ut Coloniae, Moguntiae, Treveris, atque alibi quoque Lutheri opera comburerentur. Sed haec non satis esse intelligens, dabat operam, ut edictum Caesareum contra Lutherum promulgaretur.

Aliam interea Bullam contra Lutherum die 3 Ianuarii anno 1521, quae incipit *Decet Romanum Pontificem,* Leo tulit, in qua, cum narrasset, post praecedentem Bullam, Lutheri multos asseclas ad fidem Romanam reversos esse, sed Lutherum magis se in erroribus obfirmasse, eum iterum eiusque asseclas damnavit; et interdicto subiecit loca, quae eos reciperent; iussit denique, studiosius, et gravius, ad Lutheranam haeresim profligandam praedicari. Verum neque his Lutherus fractus est: immo audacior quotidie evadebat, et ad Religionis Catholicae eversionem, vehementius, si fieri potuisset, ad exitum perducendam adnitebatur.

Post haec cum comitia Imperii Wormatiae haberentur, Aleander ibi graviter peroravit contra Lutherum, sed cum vix quidquam efficeret, proposuit quadraginta circiter propositiones haereticas, desumptas ex eius libro *De captivitate Babylonica,* et eas conventui considerandas obtulit. Cum vero Lutheri fautores contenderent, eas Luthero falso tribui; visum est concedere, ut Lutherus ipse veniret, ac de libris eius nomini adscriptis, ipse quinam sui vere essent aperte pronuntiaret. Ita rem narrat Choclaeus, quamquam Pallavicinius cap. 25 Aleandri orationem exponens dicat, ea vehementer contra Lutherum auditores fuisse commotos. Sed, hoc omisso, certum est, post datum a Caesare, aliisque Principibus salvumconductum, Wormatiam venisse Lutherum die 16 Aprilis, et ibi usque ad 26 eiusdem mensis diem moratum esse.

Iam vero postridie, quam venerat, iussus a Carolo V comparere, diu pressum, ait Maffeius in D. Ignatii vitae historia, diu pressum virus opinionum suarum effudit in illo conventu palam, et Apostolicae Sedi, ac Catholicae veritati, impium, ac nefarium bellum temulentus indixit. Itaque ad haec duo respondendum esse Lutherus audivit, primum, an libros hactenus eius nomine vulgatos, atque ibi positos suos esse fateretur: alterum vero, num habendo libros veluti suos, vellet quemquam illorum revocare. Lutherus autem primum ex his confessus, ad alterum quod spectabat, tempus deliberandi postulavit; quo concesso, regressus ad conventum, negavit, quidquam eorum, quae scripserat, se esse revocaturum. Itaque Carolus V autographum scriptum suum lingua Burgundica contra Lutherum misit ad conventum. Refert id Choclaeus, et ex Choclaeo, aliisque Raynaldus. Praeter hoc scriptum, Imperator aliud quoque edictum tulit, contra Novatores Orthodoxae, et Catholicae Religionis, ut eos generatim omnes coerceret.

Contra Lutherum anno 1522 celeberrimus alius pugnator in aciem descendit, scilicet Henricus VIII Angliae Rex cuius nomine liber editus est, inscriptus *Assertio septem sacramentorum contra Martinum Lutherum,* in quo ille, ut Choclaei verbis utar, adeo diserte, erudite, et copiose rem pertractavit, ut eo labore promeruerit, ipsius Papae, omniumque Cardinalium iudicio, perpetuae laudis titulum, ut publica deinceps approbatione diceretur Fidei Catholicae Defensor. Huic libro cum suum quendam opposuisset Lutherus, responderunt pro Rege suo Ioannes Fischerus Episcopus Roffensis, deinde Cardinalis, ficto nomine Guillelmi Rossei, et Thomas Morus, Angliae Cancellarius, uterque strenuus fidei catholicae athleta, pro qua in Anglicana persequutione, extremo supplicio mulctati sunt. Omitto ceteros, quos aliis in locis habuit statim Lutherus, gravissimos impugnatores.

Habebat tamen ex altera parte asseclas suos Lutherus, atque ut intelligatur quibus moribus, et quo vitae genere ii uterentur, unum, aut alterum tantummodo ex illis commemorabo. Videlicet, inter eos eminebat Andreas Carolostadius, ita dictus quod natus esset Carolostadii in Franconia. Is inter primos Lutheri doctrinam amplexus, eam, prout superius diximus, Lipsiae tutatus est, et de eo constare (ait Cardinalis Hosius libro I de Haeresibus sui temporis), primum fuisse Carolostadium, qui, sacerdos cum esset, uxorem duxit. Fecit hoc publice, et Wittembergenses, eius studiosi, de his nuptiis missam propriam, impiam, scandalosam, et sacro caelibatui iniuriosam, in lucem edere veriti non sunt, de qua Choclaeus ad annum 1725 sermonem habet. Eundem cum Luthero quasi fratrem ad aliquod tempus, quam arctissima necessitudine devinctum fuisse idem Hosius refert, qui postea de eorundem dissidiis haec narrat: « Is non totos duos annos in

» eadem cum eo sententia permansit; nam dum absens Wittemberga fuisset Lutherus, in Wartburgi recessu manens, quem locum *Pathmos* nomine appellavit, praeter voluntatem illius, missam abrogavit, habitum Religiosum abiecit, sacrosanctam Eucharistiam profanis manibus attrectari fecit, concitataeque plebi fuit auctor, ut quasi portis effusa patentibus, infesta signa templis, et aris inferret, ut ex illis imagines eiiceret. Quamvis autem Wittembergam reversus Lutherus rem ipsam non improbaret; quoniam tamen alio, quam seipso auctore, factum esset, quasi minus recte, neque ordine factum gravissime reprehendit. Itaque acerbae inter eum et Carolostadium inimicitiae exarserunt, et sic est alter in alterum debacchatus, ut uterque sit alteri factus plusquam Haereticus. » Hactenus Hosius. Ceterum Carolostadius cum despiceretur ab omnibus, recessit in proximum oppidulum, ubi, narrante Choclaeo, « aliquandiu vitam miserrime sustinuit, factus ex Theologiae Doctore, et Archidiacono Wittembergensi, miser agricola, et rusticus indoctus, qui arare nesciens, per inopiam arare cogebatur, et equos habens indociles, quos unus hac, alter illac ante aratrum pergebat, aut procedente uno, stabat, aut retrocedebat alter, ut cunctis risui, atque etiam commiserationi esset arator vicinis. »

Thomam Muncerum Carolostadio adiungemus, qui sacerdos fuerat, atque ad Lutherum deficiens, multa nefaria gessit. Is furens quodammodo, templa, et monasteria evertere aggressus est, et percurrens provinciam concitavit plebem, et rusticorum praecipue exercitum collegit, cum quo crudelissima facinora, atque impia patrabat. Mortuo Friderico Duce Electore Saxoniae, Georgius successor exercitum conscripsit, atque adeo Munceri rusticanas copias terruit, ut supplices litteras Georgius Elector acceperit, quibus illum flectere rebelles conabantur. Sed cum responsum esset, ut traderent Muncerum, idque illi facere recusassent, commissa pugna, multa eorum millia trucidata sunt. Atque haec illa rusticorum clades gravissima fuit, in qua licet scriptores non conveniant quantus omnino fuerit occisorum numerus, eorum tamen discrepantia, non de cladis summa gravitate, quae certissima est, sed tantum de eo est, num revera ad centum quinquaginta millium occisorum numerum clades illa pervenerit. Choclaeus vero, aliique, alias seditiones Francfordiae, et Coloniae excitatas narrant. Ceterum Muncerum primum a Lutheri secta descivisse, atque aliam efformasse refert Hosius.

Verum ut ad Lutherum, et ea, quae interea ille gessit, revertamur, paullo post rusticorum caedem, prout Choclaeus habet, cum tota Germania in luctu, perturbatione publica, et moerore conficeretur, ille veluti haec omnia dissimulans, monialem nomine Catharinam Bore duxit uxorem, ac laetas celebravit publice cum ea nuptias; incestu tamen, et votorum, atque ordinis sacerdotalis violatione sacrilegas, et una simul tot hominum occisorum numero funestatas. Tantum hoc scelus non modo Catholici detestati sunt, sed Lutheranis ipsis quoque displicuit, eo quod intelligerent, Lutheri auctoritatem, magnum detrimentum ob illud factum esse capturam, id quod, inter cetera, testimoniis confirmatur, quae libro 2 historiae variationum num. 14 doctissimus Bossuetius attulit. Atque hoc ipsum Angliae Rex Luthero exprobravit. In his rerum adiunctis conventus Imperii anno 1527, et rursus 1529, atque in posterum etiam, Spirae habiti sunt, in quibus de Religione, et tumultibus Lutheranorum causa commotis, deque ratione actum est, qua posset tantis malis remedium afferri. Sed Lutherus non modo numquam resipuit, verum etiam quotidie magis in erroribus, scele-

stisque consiliis susceptis est confirmatus.

Et quoniam hoc loco de conventibus pluribus Spirae habitis mentionem fecimus, non est illud praetereundum, quod contigit in Spirensi conventu anno 1529 celebrato. Scilicet in eo habuit initium *Protestantium* nomen. Atque huius rei causa fuit, quod in memorato conventu, Lutheri sectatores contra quoddam Imperatoris Caroli V decretum religionis negotia respiciens protestati sint, et ab eo ad Concilium generale appellaverint. Illud etiam est hic recensendum, anno 1530 Augustae, *Ausbourg,* conventum pariter habitum esse, in quo Lutherani, fidei professionem, erroribus suis refertam, Imperatori obtulerunt, quae dicitur *Professio, seu Confessio fidei Augustana.* Ea fidei professio a Melancthone quidem composita fuit, sed ad Lutheri mentem prorsus digesta. Nam etsi Lutherus, eo quod nimis esset acerbus in disputando, conventus particeps esse non potuerit, manebat tamen Coburgi prope Augustam, et Protestantes nihil, nisi eo volente, et auctore fecerunt.

Islebii tandem Lutherus anno 1546 miserrime obiit. Fuse de eius morte multi, praesertim Lutheri sectatores scripserunt, qui quacumque ratione potuerunt, eam honestare conati sunt. Contra vero Catholici de ea re agentes, divinae ultionis signa multa narrant, ut praeter Raynaldum, et Spondanum ad hunc annum, apud Pallavicinium lib. 6 cap. 10 videri potest. Ac de Lutheri obitu haec habet saepenumero memoratus Choclaeus: « Wittemberga Islebium pro» fectus ut tractatui saeculari in cau» sis profanis discordiae, quae inter » Comites a Mantfelt erat, interes» set, eo quod sub illis dominis Isle» bii natus esset, die 17 Februarii, » peracta in publico cum aliis coena, » eaque largiter sumpta, et facetiis » hilariter extracta, eadem nocte in» teriit. » Legendum praesertim videtur caput 32 tom. 2 historiae vitae Lutheri a cl. Audinio scriptae, atque a nobis superius memoratae. Eo enim loco, quid egerit Lutherus extremo vitae suae tempore, quid affirmaverit, quo revera luctuoso modo obierit, adstantibus eius amicis, atque hominem scelestum ad iustitiae divinae tribunal misere properantem videntibus, concinne, et erudite describitur.

Post Lutheri mortem, eius asseclae, et haeresis ab eo inducta perseveravit, verum in plures sectas Lutherani divisi sunt, prout hominum erroneas doctrinas profitentium proprium esse solet. Fuerunt autem praecipue sectae duae, Lutheranorum, qui *molles* dicti sunt, et aliorum, qui appellati sunt *rigidi.* Primorum pater Philippus Melancthon dici potest. Is natus est in Palatinatu Electorali anno 1497 ex Sergio Schwartzertd, Palatini armamentarii custode. Anno 1518 cum Wittembergam venisset, ab Electore ad docendas graecas litteras vocatus, ibi est a Luthero in partes suas perductus. Biennio post, ducta uxore Consulis Wittembergensis filia, Theologum ex Grammatico agere coepit, atque Epistolam S. Pauli ad Romanos privatim explicare, deinde etiam commentarium in eam scribere non dubitavit, quem Lutherus edidit et praeterea librum *de locis.* Anno 1525 a Philippo Hassiae Lantgravio consultus, de mutanda Religione consilium dedit, ita tamen ut quaedam ex Catholicis retinerentur, scilicet sacrae vestes, missa, sed unica in singulis paroeciis, aliaque eiusmodi, atque inde mitiorum seu mollium Lutheranorum origo repetenda videtur. Famosum praecipue Melancthonis opus fuit *Confessio Augustana,* cuius superius meminimus, et de ea inter ceteros Bossuetius lib. 3 variationum, et Mohelerus tom. 1 op. *La Symbolique* fuse agit. Cum Melancthonius deinde ad sacramentarios inclinasset, Lutheranorum in invidiam incidit. Lutherum tamen in eius funere latina oratione publice

laudavit. Ipse vero die 19 Aprilis anno 1559 infeliciter obiit.

Lutheranorum rigidorum antesignanus, aut parens Matthias Flaccus Illyricus fuit, in finibus Illyrici anno 1520 natus. Aliquando S. Francisci Ordinem, ut studia prosequeretur, a quibus eum paupertas avocabat, ingredi cogitaverat, verum ad Lutheri partes tractus, Wittembergam missus est, ubi magisterium adeptus, hebraicam linguam docuit, uxore ibidem ducta. Magdeburgi domicilium deinde statuit suum, ubi praecipuus fuit, qui cum tribus aliis adiutoribus, famosum illud opus condere inciperet, quod *Centuriae Magdeburgenses* appellatur, quod opus cum componeret, direptae pecuniae crimine accusatus est. Illud autem opus idcirco scriptum est, ut historiam ecclesiasticam, quam ad Ecclesiam Catholicam defendendam imprimis gravissimam, et opportunissimam esse haeretici plane sentiebant, depravarent, et ad Ecclesiam potius vituperandam, omni calumniarum, ac falsitatis genere excogitato, converterent. Illi operi Cardinalis Caesar Baronius de Ecclesia praeclare meritus, S. Philippo Nerio auctore, et hortatore, Annales Ecclesiasticos suos opposuit, et calumnias in eo comprehensas alii etiam in posterum confutaverunt. Cum Melancthone deinde Matthias Flaccus certamen habuit, et a suis quoque fuit ipse exagitatus: praesertim cum peccatum originale, ipsam esse hominis naturam diceret, ex quo factiones eae Substantiariorum, et Accidentariorum appellatae sunt. Obiit vero Francofurti ad Moenum Matthias Flaccus anno 1575 die 12 Martii.

Memoratis hactenus Lutheranorum sectae praecipuis propugnatoribus, ut ceteros omittamus, Ioannem Brentium adiungemus, qui patria Svevus fuit, et deinde ex Sacerdote, ac Canonico Wittembergensi factus apostata, et uxoratus anno circiter 1540. Atque is, inter ceteros errores, quos propugnavit, quibusque Luthero partim assentiebatur, partim adversabatur, pater fuit *Ubiquistarum,* eorum scilicet haereticorum, qui contenderunt, corpus Christi, in vim unionis personalis cum Verbo, ubique esse, atque idcirco etiam ante consecrationem corpus Christi in pane esse. Brentium Petrus a Soto Dominicanus docte refutavit, cui confutationi Brentius conviciis, ac dicteriis respondit. Errorem autem illum Cardinalis Bellarminius etiam, aliique doctissimi theologi refellendum graviter susceperunt.

Cum Lutherus, eiusque sectatores tantam in Ecclesia perturbationem excitavissent, factam esse eo tempore, ut ita dicam, errorum spargendorum liberam facultatem alii simul quodammodo iudicaverunt. Hinc Antilutherani prodierunt, id est, haeretici, qui Lutheri quidem occasione ab Ecclesiae doctrina defecerunt, quantumvis errores, iis, quos Lutherus docuerat, contrarios praedicarent. In quo genere praecipue famosa fuit secta *Sacramentariorum,* eorum videlicet, qui realem Christi praesentiam in Eucharistia negaverunt. Huldricus Zwinglius Helvetus, huius sectae dux fuit, qui primum Parochus Zurichensis, vel ut Florimundus Remundus putavit, ex milite Canonicus Constantiensis effectus, tum Lutheri doctrinam amplexus, a quo demum, retentis licet pluribus erroribus, recessit, praesertim sacramentali Christi reali praesentia denegata. Eam autem haeresim, etsi Carolostadius antea insinuaverat, quoniam tamen Zwinglius praecipue vehementer propugnavit, idcirco Sacramentariorum dux is appellatur. Magnos ille motus in Helvetia excitavit, ita ut grave bellum inter haereticos, et quinque Tribus, seu Cantones catholicos exarserit, in quo et ipse Zwinglius anno 1050 interfectus est.

Ioannes Oecolampadius Zwinglio se foedere errorum adiunxit, qui anno 1525 Basileae memoratam haeresim spargere coepit contra praesentiam Christi in Eucharistia. Cum

esset Monachus ordinis S. Birgittae, uxorem postea duxit, in cuius consortio repertus, morte improvisa correptus obiit, ut Lindanus dialogo 3 narrat. Inter Lutheranos, et Sacramentarios, qui Figuristae etiam dicti sunt, mediatorem se interposuit Martinus Bucerus; quamquam is varius fuit, et mortuo Zwinglio, iterum se Luthero coniungere studuit, ut idem Lindanus tradit. Eum tamen affirmasse, sacramentum Eucharistiae esse in solo usu, Hosius testatur. Natus autem Bucerus erat Argentorati, patre Iudaeo. S. Dominici Ordinem ingressus, ab eo deinde profugit, uxoremque duxit exemplo Lutheri quandam sanctimonialem. Is demum in Angliam Imperatoris metu fugiens, ibi nondum exacto triennio obiit anno 1551.

Post hos Anabaptistae sunt recensendi, qui hoc nomine appellati sunt ex iterato baptismi sacramento, cum baptizatos in pueritia iterum baptizandos esse contenderent. De ea re arbitratum Lutherum esse dicunt, « quod praestat baptisma in parvu» lis omitti, quam eos baptizari abs» que fide ipsorum. » Melancthon in commentario in epist. ad Colossenses, Carolostadium huius sectae auctorem facit. Sed aliorum diversa sententia est, ut videri potest apud Wlembergium in vita Lutheri. Thomas Muntcerus certe, qui a Luthero deficiens, et Wittemberga pulsus sanctitatem valde simulavit, hanc sectam late propagavit, et apud rusticos praesertim auctoritatem nactus, iis persuadebat, ut rebus mundanis abdicatis, mentibusque, atque oculis in caelum defixis, se rebaptizari sinerent, qui vero huic errori contradicerent, eos ferro delerent. Poloniam, Bavariam, aliasque regiones, haec praedicando circumivit. Sed tandem tumultus a se pluribus in locis excitati poenas dedit, cum ob hanc causam captus, capitis poena deinde mulctatus sit.

Verum non idcirco Anabaptistarum factio extincta est. Immo vero caedibus, et tumultu multas urbes implevit; praesertim anno 1534 Monasterium urbem celebrem Westphaliae, unde Anabaptistae, cives, qui eorum errorem amplecti recusabant, fortunis suis exspoliatos expulerunt. « Propheta eorum praecipuus, scri» bit Choclaeus, Ioannes a Leidis, » oppido Hollandiae, artificio sar» tor... suis persuasit Deum sibi per » spiritum mandasse ut rex fieret » Israel, et iustitiae sicut David fue» rat, ac toti dominaretur orbi, per» deretque omnem potestatem, tum » saecularem, tum ecclesiasticam. » Cum nemo contradicere auderet, con» stitutus est omnium consensu rex, » coronamque sibi imposuit triplicem » auream, pomumque accepit aureum, » cui parva crux aurea superposita » cum inscriptione: Rex iustitia su» per terram. Novas condidit leges, » quibus polygamiam permisit, pro » Eucharistia coenam quandam in» stituit, cui assiderunt quatuor mil» lia hominum, et ducenti. His Rex, » et Regina ministrarunt. Cum omnes » paratos se dixissent ad Patris fa» ciendam voluntatem, Ioannes vo» luntatem suam esse dixit, ut ad » praedicandum pergerent, et quos» dam eorum ipse misit. Hi tamen » omnes ab Episcopo Monasteriensi » capti, et supplicio affecti. »

Verum his non obstantibus in Hollandia, et Frisia haeresis haec propagata est; occupata est etiam Monasteriensis urbs. Sed Germaniae principes collecto exercitu, hanc receperunt. Captus est inter alios Rex Ioannes, qui cum sociis aliquot, ignitis forcipibus laceratus, de medio sublatus est. Haec licet breviter perstricta, satis esse posse arbitramur ad ostendendum, quo modo, quo praecipue auctore, et quibus maxime defensoribus, ea, quam reformationem vocant, rerum perturbatio contra Ecclesiam Catholicam facta saeculo decimo sexto est. Allata autem rerum narratio facit, ut ultro intelligatur, num opus eiusmodi, divino consilio tribui debeat, an potius ef-

frenatae licentiae. Nam si cetera cuncta deessent, ipsa hominum, qui hanc innovationem faciendam susceperunt, consideratio demonstrat, sceleri tantum, non vero honestae cuilibet, et boni procurandi studiosae voluntati, ea tribui oportere, quae gesta tunc esse significatum est.

CAPUT XLVIII.

DE IOANNE CALVINO, ET HAERESI CALVINIANA.

Quantam Lutherus Ecclesiae calamitatem attulerit, tot illis, quos memoravimus, erroribus inductis, iam satis superiori capite demonstratum est. Nunc quantum malum ex Ioannis Calvini erroribus derivaverit, breviter erit significandum. Quo loco illud animadverti primum potest, prout Lutherus, praesertim Germaniam doctrinis suis infecit, et civilem etiam reipublicae statum ibi perturbavit; ita Calvinum Galliam erroribus suis primum infecisse, ac turbarum causam in iis regionibus fuisse, unde eius haeresis in plures alias Europae provincias deinde manavit.

Et Ioannem quidem Calvinum Lutheri haeresi suam inaedificasse, apposite in historia variationum clarissimus Bossuetius adnotavit. Nam cum inter Novatorum placita, duo praecipua sint errorum capita, quorum unum circa iustificationis, alterum circa sacramentorum doctrinam versatur, amplexus est quidem Calvinus, quod Lutherus antea excogitaverat de iustitia hominis imputativa, scilicet non esse in nobis ullam inhaerentem iustitiam, sed Christi iustitiam nobis imputari, et eius virtute condonari peccata per fidem, idest fiduciam, qua iustos nos esse credimus; sed tria tamen his addidit. Primo, videlicet, fiduciam hanc, seu certitudinem habere nos debere non solum de iustificatione, sed etiam de aeterna salute. Deinde gratiam semel acceptam amitti non posse. Denique baptismum ad salutem non esse necessarium. Quae cum Calvinus ex primo illo errore deduxit, melius eum argumentatum esse, quam Lutherum, idem Bossuetius animadvertit. Quod pertinet vero ad Eucharistiam, cum catholicum dogma sit, Corpus, et Sanguinem Christi vere, ac realiter in eo esse, independenter a fide suscipientis, et fidem reliquasque dispositiones requiri solum, ut sacramentum percipiatur cum fructu; cumque ex haereticis alii prout Lutherani faciebant, non negarent Christi praesentiam in Eucharistia independenter a fide; alii prout Zwinglius fuit, et Oecolampadius, id inficiarentur; Calvinus affirmavit, Eucharistiam non continere Corpus et Sanguinem Domini, sed veluti rem ineffabilem, et mysterii propriam, ac singularem, Corporis, ac Sanguinis Domini figuram ac signum esse, quae Dominicae passionis memoriam in nobis valeat salubriter excitare, atque, ut Cardinalis Hosius de Calvino notavit, mens Calvini fuit: « panem, et vinum in mensa » proposita, nihil aliud esse quam » arrhabonem et sigillum, omnes pro» missiones a Christo nobis factas » confirmans, et stabiliens. »

Ut vero de Calvino ipso loquamur, breviter ea perstringemus, quae ex eius vitae historia, pro consentanea praelectionum limitibus expositione, possunt inservire. Quod spectat autem ad plenam de eius vita, rebusque, quas gessit, notitiam comparandam, praeter tot alios, qui de eo scripserunt, doctos viros, consulendum praesertim est opus Parisiis iterum anno 1843 editum a cl. Audinio, quod inscriptum est *Histoire de la vie, des ouvrages, et des doctrines de Calvin.* Natus est vero Calvinus die 10 Iulii anno 1509 Novo-

duni *Noyon* in Picardia, Galliae provincia, ex Gerardo patre, qui ibi negotia procurabat, et Chauvinus quoque dictus est, quod ita vere pater appellaretur.

Parisios missus est, cum 12 aetatis annum ageret, ut sub patrui Richardi Chauvini fabri ferrarii cura litteris erudiretur, ac Rhetoricae, et Philosophiae operam dedit, et ad iurisprudentiam quoque addiscendam se contulit. Cum Parisiis esset, erroribus dicunt infectum a Roberto Olivetano, eo qui primus bibliorum ex hebraeo gallicam versionem instituit. Sed virus maxime hausit apud Biturices a Melchiore Wolmaro pessimo Lutherano, qui eo vocatus fuerat, ut graecas litteras doceret; qui Calvino etiam persuasit, ut ad sacras litteras studium converteret, et hebraicam, ac syriacam linguam discendam susciperet.

Gerardo Calvino mortuo, Calvinus filius rediit Novodunum ad hereditatem adeundam, venditisque etiam beneficiis Ecclesiasticis duobus, quae habebat, Parisios reversus, annos natus 23, commentarium edidit in Senecae libros *de clementia*, primumque Calvini cognomine usus est. Cum hac ratione aliquam hominum famam sibi comparasset, pravas, quas susceperat opiniones haereticasque sententias spargere, atque una cum aliis amicis suis res novas moliri coepit. Verum cum Franciscus I Galliae Rex, et instituti ab eo iudices in Novatores solerter inquirerent, et gravibus poenis in eos animadvertere coepissent, Calvinus, eiusque socii, ubi se accusatos, et in discrimen adductos intellexerunt, fuga saluti suae consulendum curarunt. Et de Calvino ipso memoriae proditum est a nonnullis, eum per fenestram dilapsum esse, lineis pannis in funium formam ad terram protractis. Atque ex hocquidem tempore solet Calvinianae haeresis initium deduci. Raynaldus in annalibus huic rei annum 1534 assignat, atque idem sensisse Spondanum ex eius opere intelligitur.

Parisiis Calvinus venit Engolismam, ubi triennium substitit, Ludovici Tillii sumptibus vivens, eumque graecam linguam docens. Hic institutiones suas scribere aggressus est, quod opus, Lutheri, Oecolampadii, Melancthonis, aliorumque sectariorum laciniis consarcinatum esse omnes sciunt. Opus vero illud gallice primum scriptum, deinde in latinum idioma redditum, ac pro animi levitate pluries immutatum, nova tandem methodo, et nitidioris latinitatis elegantia, ad decipiendos incautos, prout Novatorum mos est, adornatum, ausus est ipsi Francisco I nuncupare. Plures interea Calvinus pervertit, atque inter ceteros Tillium, qui a Calvino videndi Lutheranos studio inflammatus, cum eo in Germaniam se contulit. Sed Tillii frater, Curiae Parisiensis Protonotarius de ea re certior factus, Ludovici fratris in Galliam reditum impetravit, ubi pravas opiniones eiuravit.

Post haec ex Germania in Galliam reversus, Pictaviis mansit, in qua urbe audacius errores suos propagandos curavit, praesertim quod non paucos invenisset, qui eum libenter audirent. Atque ibi in horto quodam, primum Calvinistarum celebratum est concilium, et in vicinis secretis locis, primam habitam Calvinisticam coenam, ut illam Eucharistico sacramento opponerent, quam Manducationem postea appellarunt Calvinistae, tradit Florimundus Remundus. Persuasit etiam tribus discipulis suis, ut doctrinam, quam a se acceperant, disseminarent, id quod ii fecerunt, suppresso quandoque proprio nomine, ne in grave aliquod periculum inciderent. Quorum unus, cum aliquando in Pictaviensi Academia ius civile in ministraria (sic iuris scholam vocabant) praelegisset, hinc Ministri nomen accepit, atque ita postea, prout Remundus coniicit, factum est, ut *Ministri* a Calvinianis dicerentur, qui *Praedicantes* a Lutheranis appellabantur. Sed Calvinus

sibi metuens, non diu Pictavii substitit, et venit Neracum ut ibi se Margaritae Navarrae Reginae praesidio tueretur. Deinde se contulit Parisios, indeque animadversionis metu Argentoratum, ubi biennium Bucero operam dedit; cum vero audiisset, Renatam Herculis Ducis Ferrariae uxorem, Ludovici XII Francorum Regis filiam, novis rebus a reformatione inductis studere, ad eam venit, atque inde tandem Genevam se contulit.

Genevensis urbs, iam ab eo tempore, sive ab Episcopo suo, sive a Duce Sabaudiae defecerat, et anno 1535 Catholicam Religionem abiecerat, opera potissimum Guillelmi Farelli, qui e Gallia pulsus, in Helvetiam ad Zwinglium venerat, atque in posterum Basilea pulsus Genevam petierat. Verum non multo post Calvinus, ut scribit Remundus, formam a Farello introductam, quae illi Bernae receptae erat conformis, sequi nolens, omnia pro lubitu suo mutare instituit. Ob hanc causam Genevenses Farellum, Calvinum, eiusque asseclas proscripserunt. Bernam postea se Calvinus contulit, atque hinc Argentoratum ad Bucerum, ubi concionandi munus apud Gallos quosdam exules suscepit. « Hic ille coetus » est, ait Remundus, quem primam » Gallicanam vocant Ecclesiam; eo » imprimis notabilis, quod ex pro» scriptis atque fugitivis constabat.» Atque hic pariter Calvinus Idelettam quandam, seu Odellettam Buriensem, *De Bures,* viduam Anabaptistae Stoerderii, uxorem duxit.

Contigit post haec ut anno 1541 Ratisbonensis conventus haberetur, cui Carolus V interfuit, et Pontificis Legatus Gaspar Cardinalis Contarenus. Eo profectus est etiam Calvinus, una cum Bucero; atque eodem anno Farellus Genevam revocatus, Calvinum ad se vocavit, et tertium quendam hic sibi adscivere Petrum Viretum; quibus postea ad Evangelistarum numerum aequandum, ut Remundus ait, additus est Theodorus Beza. Quam absurda, atque incredibilis esset haec ministrorum vocatio, non est necesse animadvertere, cum eam omnes perpetuo contempserint. In ea urbe tamen Calvinus, Episcopali munere usurpato, et ministros a se ordinatos, quo collibuisset ablegans, ad obitum usque tanta stipatus potentia vixit, ut esset omnibus formidabilis. Contigit autem eius obitus die 27 Martii anni 1564 cum annum aetatis 55 nondum absolvisset. Obiit autem in haeresi obduratus, multisque vitiis infamis. Inter quae praecipue vituperanda superbia est, qua nullum sibi parem, vel secundum patiebatur, atque adeo atrox iracundia, ut dicere soliti vulgo ferantur Genevenses, malle se apud inferos cum Beza, quam apud superos cum Calvino commorari.

Calvino mortuo, malum eius causa Ecclesiae, et Reipublicae allatum non desiit. Ministerium, seu, ut Spondanus appellat, Genevense caliphatum, obtinuit, et gessit Theodorus Beza, vir iis moribus impuris, quos carmina ab eo scripta demonstrant. Is ob patrata crimina primum ex Gallia, deinde etiam Lausana pulsus, venditis praeterea beneficiis, quae a patruo suo consequutus fuerat, abducta secum muliere, Claudia nomine, parisiensis hominis tunc hactenus viventis uxore, Genevam venerat, et Calvino adhaesit. Missus ab eodem Lausanam, ad graecas et sacras etiam litteras tradendas, deinde motuum in Gallia excitatorum particeps praecipuus, Genevae tandem die 13 Octobris anno 1605 obiit, aetatis annum agens 86 cum a biennio, debilitata mente, cuiusquam ferme rei vix memor amplius esset.

Memorato nuper Theodoro Bezae Petrus Viretus, et Clemens Marotus adiungendi sunt. Et Petrus quidem Viretus Orbae in Bernarum ditione natus, cum Farello Genevam, ad Calvini errores praedicandos iverat, et postquam Calviniani Ministri officio pluribus in urbibus functus erat, Lugdunum vocatus, inde quoque an-

no 1565 pulsus est. Clemens vero Marotus, ob Gallicam psalmorum versionem, qua Calviniani in conventibus suis utuntur, a se factam, celebris evasit. Cadurcis natus est. Et Francisco I Galliae Regi primum ob litteras in quadam commendatione fuit; sed deinde Parisiensis Senatus iussu a scribendo prohibitus, Genevam profugit. Denique Augustae Taurinorum anno 1544, aetatis suae anno 50 mortuus est. Genevae cum moraretur, ob nefandum facinus, flagris illum fuisse mulctatum, gravia monumenta continent.

Haec de Calvini, et aliorum ex praecipuis, qui eiusdem sectae participes fuerunt, significasse satis sit. Sufficiunt enim ista ad ostendendum, quales etiam homines, et quantopere depravati ii essent, qui istam quoque sectam condiderunt, prout de Luthero superius, et de eius sectatoribus demonstratum est.

Quod spectat vero ad errorum capita, quae a Calvino et in eius secta propugnati sunt, possunt ea ad sequentia revocari. Cum de Calvino ipso loqui coepimus, iam quid de Eucharistia, et de sacramentorum virtute, ac de iustificatione ille sentiret, aliqua recensuimus. Sed ut hic in unum huius sectae errores commemorentur, haec perstringemus. Scilicet non esse realiter Christum praesentem in Eucharistia, sed illum a nobis in sacramento accipi per fidem, Calviniana sententia fuit: praedestinationem, et reprobationem hominum esse absolutam, atque independentem a praescientia, quam Deus habuerit bonorum, sive malorum operum, quae homines vel ad praedestinationem, vel ad reprobationem designati, fuerint patraturi, atque utrumque, sive de praedestinatione, sive de reprobatione decretum ab absoluta Dei voluntate pendere, nulla ratione habita hominis meritorum. Deum praedestinatis fidem, atque iustitiam, quae amitti non possit, tribuere, et peccata illis non imputari. Ob originale peccatum, hominis voluntatem ita imbecillem, ac viribus destitutam evasisse, ut cuilibet operi bono, et salutis aeternae meritorio efficiendo impar evaserit. Impossibile homini esse, concupiscentiae depravatae resistere, et liberum hominis arbitrium in eo positum tantummodo esse, ut immunis quidem a coactione, hominis voluntas sit, minime vero a necessitate. Hominem denique fide sola iustificari, atque idcirco opera bona ad vitam aeternam consequendam non valere, et sacramenta, quorum duo tantum Calvinus agnovit, coenam videlicet, et baptismum, prodesse tantum, et efficere, ut homo ad fidem excitetur.

Omitto dicere a Calvino externum quemque cultum fuisse reiectum, et Ecclesiae Catholicae disciplinam, ab eo fuisse contemptui habitam. Hac vero doctrina utrum alia magis Deo iniuriosa, atque ad omnem virtutem profligandam magis accommodata fingi, aut excogitari possit, quislibet facile intelligit. Doctrinam vero hanc tam scelestam, sanctissimis Ecclesiae dogmatibus fuisse sufficiendam, et haec errorum portenta reformationis nomine appellanda esse, omnino absurdum esse manifestum est.

Postquam de haeresis Calvinianae origine, deque erroribus in ea praedicatis loquuti sumus, nunc quid eiusdem haeresis causa evenerit, breviter quidem recenseamus. Argentina haereticorum confugio, ubi Martinus Bucerus dominabatur, in Galliam haeresim penetrasse Remundus lib. 7 tradit. Haereticis autem aditum patefecisse ait, nihil tale cogitantem Franciscum I Galliae Regem, litterarum, et litteratorum hominum studio, quo earundem litterarum parens, et instaurator vulgo habebatur. Nam cum eruditos homines undique in Galliam arcesseret, multi pravis opinionibus infecti, eo ingressi sunt. Ac primo quidem haeresis in Meldensi civitate se demonstravit, cum Guillelmus Brissonetus eius urbis Antistes, ipse quoque litteratorum hominum studiosus, Farellum, Iacobum

Fabrum, aliosque eo vocasset; quamquam re deinde comperta, impiis eorum conatibus se opposuerit, habitaque Synodo anno 1523 catholicam doctrinam firmaverit contra Bezam, prout docent Spondanus, Sammartani, et Maurini tom. 8 *Galliae Christianae.* Ipse etiam Franciscus Rex anno 1535 cum infames libelli adversus sacram Eucharistiam Parisiis ab haereticis sparsi essent, celeberrimam supplicationem, in qua Eucharistia deferretur, fieri iussit, cui ipse interfuit facem capite detecte gerens. Nonnullos vero ex haereticis extremo ignis supplicio mulctavit, et in alios quoque animadvertit. Quare Calvinus, cum eo anno institutiones suas Francisco Regi nuncupasset, questus est, doctrinam, quam ipse proponebat, exagitari.

Cum Franciscus I anno 1547 mortuus esset, atque ei filius ex Claudia Ludovici XII filia, uxore sua, Henricus II successisset, hic rei catholicae studiosissimus anno 1551 celebre edictum tulit contra Haereticos apud Castrum Briandi, in Armorica compositum, atque ab ea regione nominatum. Ferociores deinde Haeretici facti sunt, ac praesertim post cladem permagnam, quam anno 1557, ad S. Quentinum in Picardia, Galli pertulerunt a Philiberto Sabaudiae Duce, qui Hispanis copiis praerat. Rex tamen, de iisdem, qui noctu conventus suos habebant, poenas sumpsit eodem anno. Verum hoc non impedivit quominus non pauci, atque ex viris etiam nobilibus, calviniana haeresi inficerentur, et palam se illi addictos esse significantes, non leve scandalum afferrent, ac turbas excitarent. Anno autem 1559 cum ad Regem delatum fuisset, edictum Chatobriandi datum non servari, et de ea re cum Praesidibus Curiae conquestus esset, hi mercurialem conventum, qui ita dicebatur, eo quod Mercurii die haberetur, convocarunt, ubi, re proposita, Calvinianis se favere aliqui ex iis indicarunt, quos quidem Rex comprehendi iusserat, sed eo ipso anno die 10 Iulii, in ludrico equitum certamine, letale vulnus Rex in capite accepit, ac vita functus est.

Henrico II Franciscus II, eius, et Catharinae Mediceae filius, aetatis annum agens 16 successit, sed brevi unius anni, et sex fere mensium spatio deinde regnavit. Illud vero tempus Calviniani, seu *Hugonotti* seditionibus perpetuo turbarunt, licet de iisdem severa instituta sint iudicia, et habitae quaestiones, atque etiam fuerit animadversum in homines iis addictos, qui erant ex Senatorum ordine. Talis fuit Annas Burgius, qui Henrici iussu fuerat in vincula coniectus, quique deinde die 23 Decembris anno 1559 in patibulum actus est, eius demortui corpore igni combusto. Hac tamen severitate Hugonotti irritati, contra Regem conspirarunt, et Ambasia, *Amboise,* ubi tunc is morabatur, eum conati sunt abducere. Sed cum res per certos indices fuisset detecta, Ludovicus Burbonius Princeps *Condaeus,* in suspicionem vocatus, custodiae traditus est, et capitalis quaestio in eum est instituta; quae dum exercebatur, Rex gravi morbo correptus die 5 Decembris 1560 Aureliae obiit.

Tunc regnare coepit Carolus IX Francisci II frater natu proximus. Eo autem regnante, graviores fuerunt motus in Gallia, Hugonottorum causa excitati. Atque id primum evenisse praecipue videtur, quod Catharina Medicea Regis mater, apud quam revera summa rerum erat, haereticis conniveret, ea spe ducta, ut ita facilius et commodius reipublicae administrationem retinere posset. Itaque eo tempore Hugonotti audaciores effecti in apertam rebellionem abierunt. Ut his malis remedium afferretur, et concordia, si fieri posset, instauraretur, anno 1561 Pissiaci conventus habitus est, qui *le colloque de Poissi* appellari solet, in quo de fidei controversiis coram Principibus haeretici cum catholicis theo-

logis disputarunt. Verum cum nihil effectum esset, res ad arma deducta est. Plura commissa sunt proelia, in quibus tamen victi quidem rebelles, sed domiti non sunt. Ex iis vero proeliis tria praecipua fuerunt. Eorum autem primum commissum est ad oppidum Drocum, *Dreux,* in quo proelio Princeps Condaeus ab Francisco Guisio catholicorum partium duce anno 1561 captus est. Alterum anno 1569 in quo sub Henrico Caroli IX fratre, catholici exercitus duce, Condaeus ipse occubuit. Tertium denique in Pitonibus ad Moncontorium, in quo, anno item 1569, atque eodem Henrico exercitus duce, rebelles magno numero caesi, ac fugati sunt.

Gravior vero fuit post biennium Parisiis Hugonottorum clades, cum ad eam civitatem frequentissimi ii venissent, ut Henrici Burbonii Navarrae Regis, qui tum eorundem partium erat, cum Margarita Caroli sorore nuptias celebrarent. Tunc enim die 9 calendas Septembris anno 1572 die festo S. Bartholomaei, magna Parisiis fuit Hugonottorum strages, qui pari caede, iisdem diebus in pluribus aliis Galliae urbibus mactati sunt. Atque ea dicitur *la Sainte Barthélemy,* a die videlicet, quo Parisiis incepta est.

Atque ista quidem Hugonottis illata clade plurimum abusi sunt qui nullam omittere consueverunt occasionem, ut de Apostolica Sede, vel de Catholica religione detraherent. Satis est Camilli Capilupii Mantuani libellum consulere de ea re, quem anno 1572 edidit, quique anno 1574 gallice redditus est. Ille enim liber inscriptus *de Caroli IX artificiis adversus Hugonottos,* plenus calumniarum est, et permagnam continet factorum exaggerationem. Eo tamen libro non dubitarunt catholicorum inimici confidenter abuti, licet eos pudere ceteroquin debuisset, talis libri auctoritatem adhibere; in quo facta depravantur, testimonia aetatis ipsius, qua res evenit, contemnuntur, atque illuc omnia sunt conversa, ut Religio Catholica in invidiam vocetur, et catholicis maledicatur.

Ut cetera vero praeteream, illud certum est, supplicationem a Gregorio XIII non fuisse decretam, quia Pontifex de Calvinianorum caede fuisset laetatus, sed quia ob nuntios tunc Romam allatos, turbis, et calamitatibus in Galliae regno finem impositum esse Pontifex iudicaret. Continent vero monumenta factum ipsum respicientia, minime tantam Calvinianorum caedem fuisse, quantam adversarii describunt, atque ab ea, quaecumque tandem illa fuerit, Religionem fuisse alienam. Denique certum est, Hugonottos, talium criminum reos fuisse, ut regiam quamlibet ultionem mererentur. Nam pluries contra Regem conspiraverant, urbes regni invaserant, contempta regia potestate, obsidioni pluries acriter restiterant; exteras copias ad proprium auxilium, in Galliam induxerant; plura proelia commissa ab iis fuerant, in quibus cum Regis copiis, veluti cum hostibus dimicaverant. Nisi vero ista satis sint ad evincendum, cum Hugonottis, veluti cum rebellibus, et seditiosis agi potuisse, non appareret quo tandem modo, horum scelerum rei umquam possent designari.

Post memoratam superius cladem, conatus est Henricus deinde, Hugonottos omni penitus potentia spoliare, atque idcirco *Rupellam* in Santonibus ab Hugonottis occupatam, validam arcem obsedit, sed deinde ab ea expugnanda discessit. Nam magnam nominis famam adeptus, cum mortuus est Sigismundus Augustus Poloniae Rex anno 1573, Polonorum Procerum suffragio, Henricus Poloniae Rex electus, in Poloniam se contulit, ut collatam sibi regiam illam dignitatem susciperet. Rupella tandem a Ludovico XIII anno 1629 capta est, quo facto, magnum illud perfugium Hugonotti amiserunt. Ubi vero Henricus accepit Caroli IX fratris sui mortis nuncium, quae die 30

Maii anno 1574 contigerat, relicta Polonia in Galliam rediit, atque ibi eidem fratri suo in regno successit; sed quoad regnavit, perpetuis in angoribus, et periculis fuit. Revocata quidem sunt anno 1576 in conventu Blesiis habito edicta, quae antea in Hugonottorum gratiam fuerant lata; verum audaciores iterum Haeretici facti sunt, cum Franciscus Dux Alenconius, qui unus supererat Henrici III frater anno 1584 mortuus est.

Nam eo mortuo, Valesiorum familia post Henrici III obitum desinebat, et Henricus Burbonius, Rex Navarrae, qui Hugonottorum dux erat, quique a Roberto Comite Claromontis, S. Ludovici quinto filio descendebat, Henricus, inquam, hic Burbonius Galliae Rex erat futurus. Tunc atrox bellum in Gallia exarsit, quod bellum *la guerre de la ligue* solet appellari. Coniunctis enim armis Catholici contra Hugonottos certarunt; qui adversus Catholicos coniunctis viribus dimicarunt, eo ipso tempore, quo alia civium pars, quae politicorum, seu Regalium factio appellabatur, pro Rege Henrico III pugnaverunt. In tanto autem motu, ac discrimine, Henricus ipse III die 1 Augusti anno 1589 venenati cultri vulnere, a quodam sicario Iacobo Clemente accepto, proxima die obiit. Successit vero ei Henricus IV Burbonius, qui rerum gestarum gloria, et victoriis illustris, tandem religionem catholicam amplexus, et cum Apostolica Sede reconciliatus, pacem regno restituit, sed ipse quoque ab infami sicario Raveillacio nomine, die 14 Maii an. 1610 interfectus est.

Satis ista sunt ad demonstrandum, quanta mala ex Calviniana haeresi non in religionem solum, sed etiam in civilem rempublicam manaverint. Quae enim recensuimus ostendunt, religionem ipsam funditus evertendam Calvinianos, seu Hugonottos in iis regionibus, quas invaserunt, omnino curavisse; ex altera vero parte florentissimum regnum, eorundem scelere, intestinis discordiis, civium cladibus, atque omnis generis tumultibus, diuturno tot annorum spatio obiectum fuisse. De rebus a Calvinianis gestis legi quoque potest opus Parisiis anno 1844 editum, atque inscriptum: *Histoire de l'etablissement de la Réforme a Genève, par Magnin.*

CAPUT XLIX.

DE ANGLICANO SCHISMATE.

De alia nunc gravissima calamitate agere debemus, quam Ecclesia simul, et Respublica saeculo decimo sexto passa est. Videlicet postquam ostendimus, quantum malum Lutherana haeresis praesertim in Germania attulerit, et quam funesta fuerit in Gallia praecipue, aliisque finitimis regionibus haeresis Calviniana; nunc quantam calamitatem Angliae regnum pertulerit videndum est, ob schisma, quod ea aetate ibi conflatum est.

In saeculi sexti praelectionibus, ac praesertim cum de S. Gregorio Magno egimus, plura memoravimus, quae ad religionis in eo regno origines agnoscendas opportuna sunt. Recensuimus enim ea, quae ostendunt, vetustis Ecclesiae temporibus religionem christianam in Britannia propagatam, ac late statutam esse; deinde vero barbarorum incursionibus religionem in ea insula in grave discrimen adductam esse, ac tempus quoque fuisse, quo religio ibi quodammodo profligata fuerit.

Videlicet id contigerat cum Angli, et Saxones, ex Germania in Britanniam, ad auxilium contra Sotos, ac Pictos Britannis afferendum primum vocati, cum barbaris illis amicitiam deinde iniverunt, et non solum rempublicam, sed etiam religionem in

ea insula labefactarunt. Ea autem res, anno ferme 449 evenit, prout Usserius habet in *Antiquit. Britannic.* cap. 13, atque hic calamitosus Ecclesiae status perduravit usque ad S. Gregorii Magni pontificatus tempora, cum Pontifex sanctissimus, misso ad memoratam insulam Augustino monacho, aliisque pluribus de Ecclesia optime meritis, et fidei propagandae studiosissimis viris, Anglo-Saxones ipsos, ex quibus Angliae nomen insulae illi tributum est, ad religionem convertendos, et Ecclesiam catholicam in ea insula penitus instaurandam curavit.

Magna tamen, et plurimum perniciosa saeculo decimo sexto in Anglia facta est rerum conversio. Etenim hac aetate evenit, ut religio catholica in gravissimum discrimen ibi adducta sit, et schisma contra Sedem Apostolicam fuerit commotum. In huius schismatis historia, quae sunt praecipua referemus, atque ipsa historica facti huius consideratione apparebit, quam falso Burnetius Anglicanus minister, in historia reformationis Anglicanae affirmaverit, historiam facti, reformationis illius apologiam continere.

Auctor schismatis Henricus VIII fuit Angliae Rex, ille videlicet cuius nomine liber nonnullos ante annos, contra Lutherum editus fuerat, et quem superius diximus a Romano Pontifice plurimum idcirco laudatum et Defensoris fidei titulo ornatum fuisse. Is anno 1509 uxorem duxerat Catharinam Ferdinandi Aragoniae, et Isabellae Hispaniae Regum filiam, Caroli V Imperatoris materteram, quae Arthuro ipsius Henrici fratri natu maiori antea nupserat. Illam vero Henricus sibi matrimonio iunxerat, dispensatione a Iulio II Pont. Maximo, post maturam deliberationem accepta, atque ex ea susceperat plures liberos, ex quibus tamen una supererat filia Maria, quae, uti legitima, ab Henrico ipso dicta fuerat Walliae Princeps. Post decem et octo annos, ex quo matrimonium Henricus cum Catharina iniverat, atque una cum ea, tamquam cum legitima uxore, tam diuturoe tempore vixerat, eam derelinquern statuit, et matrimonim cum ea initum, irritum esse declarandum contendere coepit. Ad aulam Henrici venerat famosa femina *Anna Boleyna* nomine. Vicesimum aetatis annum tunc ea agebat, atque ex Gallia revertebatur, ubi biennium morata fuerat in regia domo, atque apud Alenconii Ducissam, Francisci I Galliae Regis sororem. In aetatis flore, pulchritudine formae, et modis ad amorem excitandum accommodatis, Regis animum ita mulier accendit, ut cupiditate illius ducendae abreptus Princeps, officii sui penitus immemor, et contemptor evaserit, Catharinam e solio eiecerit, atque in eo locum Annae Boleynae tribuerit, et Angliae Regnum infausti schismatis calamitate affecerit.

Res erat prorsus manifesta, Henricum nullo modo consequi posse, ut matrimonii cum Catharina initi vinculo rescisso, coniugium cum Anna Boleyna, vel alia qualibet femina, iure contraheret. Agere tamen apud Clementem VII Romanum Pontificem non dubitavit, atque ab eo dispensationem petere, ineptam causam afferendo, tributam, scilicet, a Iulio II facultatem obreptionis vitio laborasse, ac praeterea illud etiam contendendo, impedimentum Catharinam inter atque ipsum Regem tale fuisse, ut nulla posset dispensatione deleri.

Etsi perspicua omnibus esset petitionis absurdae natura, res tamen accurate a Pontifice, et Cardinalibus perpensa, et diiudicata est, ac missis etiam in Angliam legatis, nihil omissum fuit, ut Rex posset intelligere, Pontificem nulla ratione posse eius petitioni assentiri. Sed Henricus, qui iura omnia despicienda, atque uni cupiditatis suae vehementiae satisfaciendum esse statuerat, ad requirendum apud homines nefarios auxilium se convertit, et a Thoma Cramnero, qui Warhamio in Episco-

patu Cantuariensi suffectus fuerat, sententiam obtinuit, qua is auctoritate sua, matrimonium Henrici Regis cum Catharina irritum declaravit, ut ita Rex posset cum Anna Boleyna nuptias inire.

Haec ubi Romae cognita sunt, in Consistorio die 24 Martii 1533 rescriptum datum est, quo matrimonii ab Henrico cum Catharina contracti validitas, seu consistentia confirmabatur, Rex ipse iubebatur cum Catharina manere, quod si ille facere recusasset, excommunicationis poena in eundem decernebatur. Hanc tamen sententiam Henricus sprevit, Catharinam dimisit, Annam duxit, quae ipsa in posterum extremo supplicio mulctata est; ac furore percitus erga Sedem Apostolicam, statuit, se, regnumque suum a Romani Pontificis subiectione segregare. Longum esset persequi cetera, quae post illud tempus Henricus gessit. Nos in iis tantum narrandis, seu potius perstringendis consistemus, quae ad schismatis tunc commoti naturam explicandam referuntur.

Ad rerum novitatem inducendam iam omnia fuerant comparata. Non omissae fuerant minae, ut Pontifex Regi obsecundaret, et Pontificiae auctoritati iam plures iniuriae fuerant irrogatae. Atque anno 1534 cum Senatus iterum haberi coepisset, iurisdictionem Ecclesiasticam Senatus ipse sibi tribuit, atque eam totam deinde in Rege contineri declaravit, decreto illo promulgato, quo caput terrestre, et supremum Ecclesiae Anglicanae, Principem esse pronuntiavit. Post decreti illius promulgationem, Henricus novam hanc potestatem suam, in universo regno exercendam sine mora curavit. Quare huic scelesto consilio consentaneam iuramenti formulam conscribendam iussit, quod iuramentum Episcopi, et Clerus omnis iurare coacti sunt, tanta severitate adhibita, ut qui in illam sententiam iurare recusasset, aut potestatis Pontificiae defensionem suscepisset, capitis poena mulctaretur.

Cronwellius interea ab Henrico VIII Vicarius Generalis constitutus, atque ad exercendam eius nomine supremam ecclesiasticam potestatem delegatus, dioeceses regni peragravit, ac visitatione sua durante, Episcoporum iurisdictionem suspensam declaravit, qui, fortissimo viro Ioanne Fischero, Episcopo Roffensi excepto, eo usque, vel timoris, vel imbecillitatis progressi sunt, ut patentes litteras acceperint, quibus omnem iurisdictionis suae originem in Rege positam esse, et se illam ad Regis beneplacitum exercere fatebantur. Atque in isto exercendae iurisdictionis ecclesiasticae proposito Henricus quoad vixit deinde perseveravit. Nam Abbatias, et Monasteria suppressit, abrogavit, dioecesium plurium limites immutavit, sedes novas Episcopales instituit, quarum reditus regio diplomate statuti, firmatique sunt.

Neque vero Henricus, dum suam in Anglia affectabat ecclesiasticam iurisdictionem, minis tantummodo se continebat erga eos, qui scelestis eius consiliis, et conatibus adversabantur. Immo vero capitis poena in illos animadvertebat. Et summis, atque illustribus quoque viris, sceleris sui participes esse recusantibus non pepercit. Etenim ut ceteros omittam, Thomam Morum Regni Cancellarium, probum, et eruditum virum, ac Ioannem Fischerum Episcopum Roffensem, a Romano Pontifice ob praeclara in religionem merita, Cardinalatus dignitate auctum, extremo supplicio affecit. Atque in ista crudelitate erga catholicos fortissimos viros adhibenda, Henricus furere prorsus videbatur; cum eodem tempore, igne comburendos iuberet homines ex Lutherana, et Calviniana secta, qui in regno suo errores eorundem sectae proprios disseminandos suscepissent. Verum haec in Lutheranos, ac Calvinianos adhibita ab Henrico severitas, nihil proficiebat. Etenim unitatis catholicae centro derelicto, ac schismate conflato, facile fuit, ut errores qui in Germania, aut in Gal-

lia, finitimisque regionibus invaluerant, Angliam etiam occuparent.

Mense Ianuario anno 1547 Henricus mortuus est in schismate pertinax, quod primitus induxerat. Eo autem mortuo, Eduardus Seimerius Herfordiae Comes, deinde Dux Somersetiae, frater Ioannae Seimeriae, quam post Annae Boleynae extremum supplicium, Henricus uxorem duxerat, Eduardi VI ex eadem Seimeria Henrici VIII filii, qui novennis tunc erat, tutelam suscepit, atque una simul totius regni administrationem, et consilii regii praesidentiam, assumpto Protectoris nomine, gerere coepit. Erat autem Dux Somersetiae Zwinglianus, et in magna erat cum Archiepiscopo Cranmero amicitiae coniunctione, qui aperte agere, et Somersetiae Ducis sententias penitus amplecti deliberavit. Cranmerus cupiebat vehementer, matrimonium a se initum, quod usque tunc occultare debuerat, manifestari, et non improbari; Dux Somersetiae, Ecclesiae divitias invadere, atque una cum eo Ecclesiasticis bonis potiri alii plures optabant. Ad haec assequenda, reformationis inducendae consilium opportunum, atque unicum erat, atque illam proclamandam esse statutum est.

Tunc Ducis Somersetiae cura fuit, ut eius nepos Eduardus in erroribus sectae suae institueretur. Deinde voluit, eum ab omnibus, in Angliae regno, veluti summum in spiritualibus, ac temporalibus rebus caput haberi. Praeterea iussit, Episcopos, munia ecclesiastica ad Regis nutum obeunda suscipere; commissarios ad dioeceses visitandas destinavit, atque interea auctoritatis episcopalis exercitium suspensum esse declaravit. Ut vero scirent omnes, fidei doctrinam esse mutandam, edicto proposito significavit, in regio consilio fidei articulorum collectionem tunc componi, quae quam primum esset in lucem edenda, quamque omnes in antecessum scirent, ab omnibus suscipi debere. Statuit autem non licere Ecclesiasticis viris, dum haec perficerentur, concionem habere, aut in quolibet conventu, praedicationis officio fungi.

Ad implendum reformationis in Angliam inducendae opus, duo alii scelesti viri iam fuerant vocati, Petrus Martyr, et Ochinus, ambo quondam religiosam vitam in Italia professi, qui, prout in Reformatorum more positum erat, monasticam vitam dereliquerant, ut matrimonialem statum amplecterentur; ac tandem aliquando, opus, quod Cranmerus praenuntiaverat, promulgatum est. Quo loco, ut brevi dicam quid nova ista rerum credendarum, seu fidei professio contineret; illud certum est, hac articulorum collectione praescriptum esse, cultui antiquam formam, caeremoniis splendorem esse auferendum, confessionem secretam, doctrinam de operibus satisfactoriis, de purgatorio, de precibus ad mortuorum suffragia fundendis, de Sanctorum invocatione, de honore Sanctorum reliquiis, imaginibus sacris, et Cruci tribuendo, esse delendam. Rituale praeterea, sacra liturgia, missae sacrificium, doctrina de reali Christi praesentia in Eucharistia, et dogma transubstantiationis abrogata sunt. Et tunc, quemadmodum apposite Trevernius adnotavit, in opere *La discussion amicale sur l'établissement, et la doctrine de l'Eglise Anglicane*, tunc, inquam, vere de Anglicano regno dici potuit, quod de Arianae haeresis progressibus D. Hieronymus hyperbolice aliquando pronuntiaverat: ingemuit Anglia, et se Calvinianam factam repente esse mirata est.

Sed visa est interea a tantis sceleribus, et calamitatibus Anglia respirare. Nam anno 1553 Eduardus mortuus est, cuius Principis adolescentis imbecillitate homines iniqui plurimum abutebantur. Successit Eduardo Maria, quam unam ex filiis suis superstitem Catharina Aragonia habebat, cum ab Henrici VIII consortio ob Annae Boleynae illecebras

divulsa est. Et Maria quidem eos sensus religioni catholicae devotos ad regium solium iterum invexit, quos ei Catharina mater perpetuo commendaverat. A prudentibus, recteque animatis Aulae administris, quos delegerat, adiuta, ac praesertim Cardinalis Reginaldi Pooli, propinqui sui consiliis sustentata, Maria consequuta est, ut populum ad debitam erga Apostolicam Sedem observantiam, atque obedientiam revocaret.

Anglicanus ipse Senatus reconciliationem cum Sede Apostolica flagitaverat, quae deinde a memorato Cardinali Poolo, Iulii III Romano Pontificis Legato absoluta fuit. Ecclesiastica negotia Legatum ipsum inter et Senatum Anglicanum singulari prudentia, ac sapientia composita sunt. Unitate Catholica restituta, fidei doctrina, ac sacra liturgia instaurata est, quae in eo regno, ab aetate, qua Christiana religio ibi statuta fuerat, usque ad Eduardi VI tempora perseverarat. Anglia tota, post tantas recenti tempore toleratas calamitates, refici omnino, ac recreari visa est. Sed perbrevis fuit ista laetitia, atque a bonis omnibus concepta gratulatio. Etenim Maria, quae cum Philippo Hispaniarum principe matrimonium iniverat, quamque diuturno tempore, ad religionis bonum stabiliendum regnaturam, catholicorum vota postulabant, anno 1558 mortua est. Quam atrox tempestas post Mariae mortem in Anglia iterum commota sit, et quae tunc advenerit religionis, ac bonarum rerum omnium ruina, vix est necesse commemorare.

Nam Mariae Elisabetha successit, ac regnare coepit, quo nullum fortasse infaustius Catholicis in Anglia regnum fuit. Elisabetha vero regiam dignitatem suam extremae Henrici VIII voluntati, non autem nativitati suae debebat. Etenim Elisabetha nata erat ex matrimonio cum Anna Boleyna inito a Rege Henrico, cum adhuc Catharina Aragonia legitima eius uxor viveret, ac praeterea matrimonium ipsum cum Boleyna contractum, paullo ante, quam Boleyna capite plecteretur, Cranmeri sententia nullum fuerat declaratum. Fertur autem Elisabetham, non sibi valde laetantem ad Regni thronum ascendisse. Intelligens enim nativitatis suae originem illegitimam, et reformationis renovandae pericula prospiciens, aliquanto haesisse visa est, num eam instauraret, etsi ipsa erga reformationem esset animo proclivis. Verum aiunt regios administros ei persuasisse ut reformationem iterum inferret. Etenim Reginae valde periculosum esse affirmabant, in Romanae Sedis auctoritate, et subiectione manere, cuius decretis, illegitima eius nativitas esset iudicata.

Haec inter ceteros in historia Reformationis Heylinius animadvertit, cum ait, Elisabetham funditus intellexisse suum legitimae Regis filiae statum, cum Romani Pontificis decretorum auctoritate non posse consistere. Quapropter in Aulicorum regio consilio decretum esse memoriae proditum est, a Sedis Apostolicae auctoritate oportere resilire. Verum si quid in toto negotio valde periculosum esse intelligebatur, id in difficultate positum erat, ut populus ad reformationem iterum accipiendam adduceretur. Regii administri nationem Anglicanam, ad novam istam religionis ineundam formam, se adducturos esse affirmarunt; et in ea re magnam dexteritatis laudem se assequutos esse putaverunt. Itaque primo loco Senatum convocandum esse existimatum est, et leges a Regina Maria conditas, abrogandas esse declaratum fuit. Id autem ea de causa diligenter curabant Regii administri, quo deinde liberius atque expeditius Elisabetha posset imperare, et religioni Catholicae extremam perniciem afferre.

Cum Reginae Mariae leges, Catholicae Religionis restituendae causa latas, homines infensi abrogandas

curavissent, supremam in temporalia et spiritualia omnia potestatem in Elisabetha positam esse decretum est. Praeterea iura omnia, quae Henricus VIII et Eduardus VI exercuerant, ad eandem Elisabetham pertinere declaratum fuit. Denique Elisabethae persuasum est, ut per Commissarios suos iurisdictionem Ecclesiasticam exsequeretur, atque ut supremam suam in regno toto spiritualem potestatem tueretur, Episcopos, et Clerum omnem cogeret iuramenti formam accipere, et facto suo firmare, quae in memoratam iniquam, haereticamque sententiam conscripta est.

Ubi primum in superiori Senatus aula harum rerum lectio facta fuit, metus, et angor Episcopos invasit, qui eidem aulae intererant. Archiepiscopi quidem Eboracensis, et Chestriensis intercessio despecta est, et nulla ratio habita, quod ii dicerent, se reliquorum omnium nomine intercessisse: huic intercessioni ne responso quidem dato, quod statutum fuerat, probatum est.

Fertur, maiorem his novitatibus oppositionem in altera, seu Communium Senatus aulam repertam esse. Sed deinde, id, quod regio concilio placuerat, devicit omnes, atque ista ratione Ecclesiastica auctoritas in Anglia, Apostolicae Sedi, et Clero Catholico erepta fuit, iurisdictio spiritualis omnis Regiae Potestati tributa, et schisma manifestum in legis publicae formam evectum est.

Post haec Elisabetha, Senatu dimisso, nova sibi tributa potestate uti coepit. Episcopos coram se adesse iussit, sed eorum querelis impatienter auditis, affirmavit, veluti divinae, et regiae potestatis suae inimicos in posterum habendos esse, qui Pontificis Romani potestatem defendere non dubitassent. Destinatis autem ad dioeceses regni commissariis suis, Episcopos sedibus suis turbavit, atque exspoliavit omnino, qui iuramentum allatum iurare recusarunt; atque ita factum est, ut, excepto Episcopo Landaviensi, *de Landaff*, ceteri omnes e sedibus Episcopalibus suis eiecti sint.

Episcopis hac vi illata turbatis suffecti sunt in posterum Presbyteri, qui regiae potestati se devotos ostenderant, et se novis rebus studere demonstraverant. Matthaeus Parckerius ad Archiepiscopalem Cantuariensem sedem electus, litterarum a Regina acceptarum auctoritate, ad eam dignitatem perductus existimatus est. Parckerii promotionis naturam sequuti sunt, qui deinde Regiae potestatis iussu electi sunt in Anglia Episcopi.

Non est necesse per reliquam conflati schismatis historiam decurrere. Neque oportet historicam narrationem illius gravissimae persequutionis afferre, quam Catholicae fidei homines devoti diu, crudeliterque pati coacti sunt, ne a Catholica ipsa fide et a Pontificis Romani potestate deficerent. Satis sunt ista, quae recensuimus, ut ostendatur quanto in errore ii versati sint, qui Ecclesiae in Anglia post schisma istud constitutae adhaeserunt. Primo enim, si certissimum est adagium illud, ubi Petrus est, ibi Ecclesiam esse; quaenam Ecclesia illa erit existimanda, ad quam constituendam, lato prius per vim decreto factum est, ut Petri Successoris auctoritas proscriberetur? Quaenam Ecclesia illa est, quae, despecta hierarchia, divina ordinatione instituta, iurisdictionis suae rationem omnem a laica potestate deducit? Quaenam tandem Ecclesia illa est, cuius praecipuum systema continet, ut iurisdictionis primatum divinitus institutum, et Romanis Pontificibus in D. Petro, cuius successores ii sunt, tributum, reiiciat, et detestetur? Patet vero ex iis, quae narrata superius sunt, quomodo tanta rerum mutatio facta in Anglia fuerit. Omnia probant, sub Henrico VIII Catholicae Religioni vim illatam esse; praeterea per vim, novam credendi formam sub Eduardo VI impositam esse; denique sub Elisabetha schisma violenter reno-

vatum esse, atque in posterum perseverasse; Elisabethae ipsi a Senatu potestatem Ecclesiasticam esse decretam. Num vero isto modo constituta Ecclesia, possit talem animi tranquillitatem affere, ut salutis aeternae consequendae periculum non inducat, ii tantum poterunt affirmare, qui totius facti naturam, neque agnoscendam, neque considerandam esse, in tanta ceteroquin negotii gravitate iudicarunt.

Antequam de schismatis Anglicani origine finem loquendi faciamus, non videtur penitus praetereundum id, quod respicit Anglicanas, post schisma commotum, factas ordinationes. Meminimus enim, Matthaeum Parckerium anno 1559 litterarum Patentium ab Elisabetha acceptarum auctoritate, electum Archiepiscopum Cantuariensem, eadem auctoritate, ad eam sedem promotum esse, et Parckerii promotionis naturam sequutos esse deinde ceteros, qui in Anglia regiae potestatis iussu electi sunt Episcopi. Quod ad Parckerii ordinationem spectat, a quo Parckerio reliqui Episcopi Anglicani haeretici originem deducunt; quod spectat, inquam, ad hunc Parckerium, memoriae proditum fuerat a scriptoribus facto ipso coaevis, et testibus qui quomodo res evenerit, ipsi viderunt; Parckerium a Ioanne Scoraeo Episcopo Roffensi, in quodam Londini diversorio inauguratum fuisse una cum tribus aliis, sed hanc inaugurationem sine legitima materia, et forma factam esse. Nam ea narratio continet, Scoraeum, sacros libros eorundem inaugurandorum capiti imposuisse, atque ea verba tantum pronuntiasse, videlicet: « Accipite potestatem praedicandi verbum Dei in sua puritate. »

Huic narrationi diuturnus quinquaginta quatuor ferme annorum assensus, et adversariorum silentium, quorum nullus pro Parckerii ordinatione reclamavit, fidem omnino, et auctoritatem adiecisse videri iure poterat. Sed anno 1613 huic narrationi fides denegari coepit, cum primo acta quaedam Lambethiana in lucem prodita sunt, quibus actis, alio prorsus modo de Parckerii ordinatione iudicandum esse Protestantes contenderunt. Iam vero ex memoratis Lambethianis actis, quae anno 1613 reperta esse feruntur in tabulario palatii Archiepiscopalis Lambethiani, contenderunt Protestantes demonstrari, Parckerium die 17 Decembris anno 1559 in sacello illius palatii a Guillelmo Barlowio electo Episcopo Cestriensi ordinatum solemniter fuisse. Verum etsi cl. Doctor Lingardius, nonnullis abhinc annis, actorum Lambethianorum veritatem defenderit, affirmando simul, non propterea se Ordinationum Anglicanarum validitatem propugnare, etsi, inquam, actorum illorum veritatem Lingardius defenderit, atque ita disceptationem de horum actorum auctoritate, quae finita esse videbatur, quodammodo renovaverit, certum est tamen, contra illa acta, et ordinationem Parckerii gravissima argumenta adesse, a P. Harduino praesertim, atque a P. Le-Quienio ad Courayerium confutandum allata. Atque ut omittam cetera, nimis praepostera haec fuit actorum Lambethianorum editio anno 1613 facta, ac nimis necessaria ad respondendum communi omnium etiam Presbyteranorum persuasioni, quinquaginta quatuor annorum spatio confirmatae, Episcopatum in Anglia desiisse, et non modo Parckerium, sed neque ipsum Barlowium valide ordinatum fuisse.

Praeterea certum est, sub Eduardo VI cum Rituale Romanum reiectum esset, formam consecrandi Episcopi ita fuisse redactam, ut ad ordinationis validitatem nulla, et insufficiens evaserit. Nam non modo in ea mentio nulla erat consecrandi, offerendi sacrificii, et ordinandi, quemadmodum universa traditio semper tenuit, ac docuit; sed verba etiam eiusmodi in ea adhibebantur, quibus Anglicani doctrinam calvinianam, et reformatam, ac fidei ca-

tholicae de Sacrificio, ac Sacerdotio contrariam significabant. Quae quidem omnia manifeste ostendunt, formam illam natura sua vitiosam, atque ad Episcopum ordinandum imparem, ineptamque fuisse. His vero si adiungatur, neque Barlowium, neque Parckerium, cum ordinati dicuntur Episcopi, presbyteros hactenus fuisse, multo clarius intelligetur, quanto iure affirmatum sit, eos valide ordinatos Episcopos non esse. Quod si de Parckerii ordinatione ita est iudicandum, quoniam ab eo ordinationes suas derivaverunt Anglicani, perspicuum est, quid de earundem validitate sit statuendum.

Tradidimus hucusque quae Schismatis Anglicani origo fuerit, et propagatio. Vidimus etiam, quanam ratione ordinati primum fuerint in eo regno, post schisma illud commotum, Anglicanae Ecclesiae Episcopi, et quomodo novus illius Ecclesiae Clerus ex ea ordinatione manaverit. Ad eos tamen Episcopos, atque ad Clerum inde derivatum, Catholicae Ecclesiae bona, et pergrandes divitiae, regia auctoritate iubente, conversae sunt. Tempore valde diuturno Catholicorum res ita fuerunt in eo regno profligatae, ut extrema prorsus pernicies iis illata videretur, eo quod Catholica Ecclesia, et Catholici omnes proscripti penitus possent existimari.

Verum in posterum ad meliorem rerum conditionem Catholica religio revocari coepit in Anglia. Nam iterum aucto pedetentim in eo regno Catholicorum numero, Vicarii Apostolici a Romanis Pontificibus sunt ibi constituti, quibus catholicae religionis regimen in ea insula commissum est. In qua re, plurimum ad utilitatem publicam contulit Constitutio a Benedicto PP. XIV die 9 Iunii anno 1753 promulgata, cuius constitutionis initium est *Apostolicum Ministerium* quae tomo 4 Bullarii eius continetur. Nam quaecumque eo tempore poterant esse opportuna ad Vicariorum Apostolicorum, qui ibi proprii ordinarii locorum appellantur, auctoritatem explicandam, quaecumque ad missionum Anglicanarum ordinem recte statuendum poterant pertinere, ea a Pontifice sapientissimo decreta, et sancita sunt.

His vero accessit Sanctissimi Domini Nostri Gregorii Papae XVI apostolica sollicitudo, ac praecipuum in eo regno religionis amplificandae studium, quo factum est, ut Vicariorum Apostolicorum numerum augendum in Anglia iudicaverit. Etenim cum quotidie magis ibi crescceret Catholicorum copia, ita ut quatuor ii tantum Vicarii Apostolici, qui hactenus in regno illo fuerant, ad tam late patentem insulam, in spiritualibus gubernandam non sufficerent, novos alios quatuor Vicariatus Apostolicos instituendos Pontifex providentissime decrevit.

Exstant de ea re in Bullario Sacri Consilii Christiano Nomini Propagando tom. 5, eiusdem Pontificis Maximi die 3 Iulii anno 1840 scriptae Apostolicae litterae, quarum initium est *Muneris Apostolici,* quibus litteris nova totius insulae ecclesiastici regiminis est facta partitio. Cum enim antea spirituale regimen in Anglia ita esset tributum, ut quatuor tantummodo essent districtus, seu vicariatus apostolici in ea insula constituti, videlicet, Londinensis, Occidentalis, Medius, et Septentrionalis; nunc totam insulam octo vicariatus apostolici, Londinensis, Occidentalis, Orientalis, Centralis, seu Medius, Walliensis, Lancastriensis, Eboracensis, et Septentrionalis complectantur.

Sunt autem Deo Optimo Maximo gratiae plurimum agendae, qui bonorum omnium, ubique commorantium precibus exoratus, tantum ad religionem catholicam in florentissimo illo regno restituendam, auxilium ab alto tribuit, ut copiosissimi evaserint, et quotidie fiant ampliores fructus, quos Ecclesia in ea insula percipit. Cuius rei testes sunt tot docti viri, praesertim ex Oxfor-

diensi, et Cantabrigiensi Universitate, tot illi ex honesto coetu homines, tot ii denique, qui cum in Anglicana Ecclesia Ministrorum officio fungerentur, et commodam, ac locupletem vitam agerent, nunc divitias, ac commoda despicientes in Ecclesiae Catholicae gremium libenti animo redeuntes, et Maiorum suorum fidem iterum amplexi, ad Sedis Apostolicae obedientiam reversi sunt. Speramus futurum, ut qui coepit opus bonum Deus, ipse perficiat, et Catholica Religio veterem in eo regno splendorem penitus ubique consequatur.

CAPUT L.

DE SOCINIANIS, EORUMQUE ERRORIBUS.

Post recensitos errores a Luthero, et Calvino inductos, post enarratam tantam, eorundem causa commotam in Ecclesia perturbationem, nunc illud etiam interesse plurimum videtur, ut de Socinianorum secta quoque loquamur. De illa, scilicet haereticorum secta interest ut loquamur, qui mysteria omnia christianae religionis contempserunt, quique circa christianae fidei dogmata ratiocinandi praetextu, sibi sumpserunt ea vicissim denegare, atque evertere, in deismum propterea, et in Materialismum quandoque, atque in Pyrrhonismum quoque, argumentando decedentes. Io. Laurentius Moshemius in *Institutionibus Historiae Christianae saec. 16 sect. 3 parte 2 cap. 4* valde erudite, ac dilucide de Socinianorum secta pertractat, praeterea I. A. Moehlerius in opere inscripto *La Symbolique, tom. 2 cap. 5* de eadem secta accurate, et ingeniose disputat; ac praeter ceteros scriptores a Moshemio ipso numeratos, de his haereticis, eorumque erroribus agit concinne, et accurate in dictionario theologico suo tom. 7 Bergerius.

In Socinianismi notione duplex vocabulum poni solere Moshemius apposite animadvertit. Nam et illi omnes, inquit, communi sermone Sociniani vocantur, qui Socinorum Laelii, videlicet, et Fausti Socini sententiis affinia docuerunt, maxime qui Christianum de tribus in Deo personis dogma, et divinam Servatoris nostri naturam, aut negarunt prorsus, aut infirmarunt, et labefactarunt. Atque illi arctiori sensu hoc nomine insigniuntur, qui eam religionis formam, aut totam, aut maxima parte probaverunt, quam Faustus Socinus, sive excogitavit, sive a Laelio patruo suo excogitatam ornavit, et fratribus *Unitariis* ut ipsi maluerunt appellari, in Polonia, et Transylvania degentibus commendavit.

Est vero indubium, Socinianismum ex Lutherana reformatione, atque ab eo systemate, seu principiis esse profectum, in quibus reformatio ipsa constituta est. Ac praeterea plures etiam annos ante Faustum Socinum, secta Socinianorum, prout superius a Moshemio significatum vidimus, originem suam habuerat. Lutherus autem ipse, qui anno 1517 defectionis suae prima signa dedit, anno 1521 cum Anabaptistarum sectae ducibus debuit concertare, ex quibus aliqui in Arianismum ruere, D. N. Iesu Christi divinitatem inficiari, et SS. Trinitatis mysterium denegare coeperunt.

Inter eos autem praetereundi non sunt Ludovicus Hetzerus, Constantiae anno 1529 gladio percussus, Ioannes Campanus Wittembergae in carcerem coniectus, ibique demortuus. Claudius quidam Allobrox, vel Sabaudus, ob hunc errorem praedicatum, improbus Reipublicae perturbator; Valentinus Gentilis, Neapoli oriundus, et Bernae anno 1566

capitis poena mulctatus. Atque ut illum praecipue commemorem, in quem Calvini atrox severitas, Genevae anno 1553 plurimum efferbuit, talis quoque fuit Michael Servetus, Medicus quondam Hispanus Villaenovae in Aragonia natus, qui ob denegatum Trinitatis Mysterium, Viennae in Gallia comprehensus, atque ex Viennensi carcere fuga elapsus, cum per Helvetiam in Italiam tenderet Calvini iussu captus, et a famulo, laesae divinae Maiestatis crimine, Calvino ipso impellente, accusatus, mortis poena damnatus, vivus combustus est. Calvini in ea re inflexibilem atrociam tom. 2 cap. 12 historiae vitae eius, describit Audinius.

Est vero hic non omittendum, quod Moshemius ipse *cit. loc. paragr. 3* aperte fatetur, animadvertens unde evenerit, ut sub ipsis Reformationis initiis, religionis nostrae mysteria, et Salvatoris nostri divinitas fuerit denegata. Scilicet, inquit, « vix in» cunabulis egressa suis erat emen» data religio, quum nonnulli iam » homines, quibus omne id, quod Ro» mana Ecclesia professa erat adhuc, » error videbatur, divinitati Serva» toris nostri, et dogmatibus illi » connexis insidias struere conaban» tur. » Quae quidem Moshemii confessio valde opportuna est, ut intelligatur, num ipse, eiusdemque generis scriptores fidem mereantur, quando necessitatem Religionis, et Ecclesiae emendandae, seu reformandae iactitarunt, atque ita loquuti sunt, ut Lutherum ad tantum opus peragendum, missionem quodammodo non humanitus habuisse contenderent. Non enim tota fraus detegitur, quando statuitur, tum temporis id omne erroris loco a Novatoribus habitum esse, quod in Romanae Ecclesiae doctrina continebatur? Num ministerium Ecclesiae emendandae iis hominibus tributum vere fuisse concedi potest, qui divinam ipsam Filii Dei naturam denegandam susceperunt, qui Ecclesiam acquisivit sanguine suo? Potestne aliquid magis absurdum excogitari, quam divinam Christi naturam inficiari eos, qui Christianam Ecclesiam erroribus purgare, atque in pulcherrimum statum, in quo a Divino Fundatore suo instituta est, se restituere velle iactaverunt?

Diximus superius, plures etiam annos ante Socinum, sectam de qua loquimur, originem suam habuisse. Verum ea in posterum a Laelio, et a Fausto praesertim Socino nomen accepit. Hoc autem cum ita sit, quis Faustus iste Socinus, et quis patruus eius Laelius Socinus fuerit, tradendum breviter est.

Itaque Laelius Socinus, qui potius quam Socinianae proprie dictae sectae auctor, Arianae haeresis instaurator dici potest, Senis in Hetruria anno 1525 natus est, ac primum iurisprudentiae a Patre destinatus, errorum deinde novitate, qui tunc plures Europae regiones perturbabant, pertractus, reformationi adhaesit. Verum Protestantium systemate commotus, qui omnia in religionis negotio ad Scripturam Sanctam, privata cuiuscumque ratione explicandam perstringebant, ulterius, quam ii statuissent, progredi se posse non dubitavit, primo SS. Trinitatis, postea Incarnationis Mysterium denegando.

Eum consultationi interfuisse narrant, quae anno 1546 in agro Veneto, et praesertim Vicentiae habita est, cuius praeter ceteros, Ioannes Paullus Alciatus, Bernardinus Ochinus, Valentinus Gentilis, Paruta, participes fuisse dicuntur. In ea autem consultatione, cuius Socinus primas partes egisse fertur, Christianam Religionem esse evertendam statutum esse traditur, et dogmata de Incarnationis, et Trinitatis mysteriis, quae palam deinde a Socinianis despecta sunt, esse repudianda. Verum horum hominum insolentia, atque impietate per unius ex complicibus indicia, ad Senatus notitiam perducta, duos eorum com-

prehensos, et capitali poena affectos fuisse memoriae proditum est, reliquos vero dilapsos, in Helvetiam, Germaniam, Moraviam, aliasque regiones aufugisse, inter quos Socinum, post plures peragratas regiones, in Poloniam ivisse atque ibi semina errorum suorum sparsisse, quae uberrimos deinde fructus ei sectae attulerunt. Sed postremo veniens Tigurum Helveticorum Socinus, ibi substitit, atque anno 1562 mortuus est. Calvini metu, et Serveti praecipue supplicio perterritus, Socinus non est ausus palam errores suos in ista regione docere, sed eos separatim, cauteque diffudit.

De consultatione illa, quam mox commemoravimus Vicentiae an. 1546 habitam esse, et cui plures, quam quadraginta haud ignobiles viros interfuisse dicitur, Moshemius loco citato paragr. 7 pertractat, et in adnotatione ei paragrapho subiecta, quid ipse de ea sentiat, erudite exponit. Sententia autem Moshemii est, consultationem habitam Vicentiae negari quidem non posse, sed valde tamen dubium esse, num ii omnes consultationis participes fuerint, qui revera illi interfuisse traduntur. Nam quod ad Ochinum spectat, illum certis testimoniis putat Moshemius constare, vel ab anno 1543 ab Italia discessisse, et Genevam migrasse, ita ut conventui Vicentino adesse non potuerit, qui anno 1546 habitus fuit. Quod vero pertinet ad Laelium Socinum, de eo, eadem ac de Ochino, Moshemii sententia est. Etenim incredibile illi videtur, Socinum viginti annos natum, patria derelicta, Vicentiam se contulisse ut de Religione disputaret, et in ea re, apud viros, qui humiles certe, ac despecti, et ignari rerum minime videri volebant, praecipuum locum consequeretur. Praeterea subdit Moshemius, ex ipsa Laelii Socini vitae historia, aliisque testimoniis posse demonstrari, eum minime discessisse ab Italia poenarum metu, et ob capitis periculum, in quod incidisset ob ea, quae gesta fuerant in memorata consultatione. Certe rediisse Socinum in patriam, idem Scriptor animadvertit, et Senis diu moratum esse, cum pater eius Bononiae versaretur. Quod iter quis hominem suscepisse credat, Moshemius ait, qui paucos ante annos, aegre Inquisitorum manus et poenam capitalem effugerat?

Audivimus paullo ante, Moshemium existimavisse, congressui, seu consultationi ab hominibus erga religionem Christianam male animatis, Vicentiae anno 1546 habitae non interfuisse Bernardinum Ochinum. Quis tamen fuerit hic Bernardinus Ochinus, quem certe tamen Laelio Socino familiaritate ceteroquin coniunctum fuisse dubium esse non potest, non erit inopportunum referre, ut ista etiam occasione non omissa, luculentius appareat, quam vitae rationem agerent homines ii, qui aetate, de qua loquimur, Ecclesiae reformatores voluerunt appellari.

Itaque Bernardinus Ochinus Senis natus est anno 1487. Cum adolescens esset, Ordini PP. Minorum S. Francisci strictioris observantiae nomen dederat, sed ab eo Ordine resiliens, medicinae studiis se addixit; regressus vero est in antea relictum religiosum Ordinem; ac tantam deinde vitae poenitentis, ac virtutis laudem, ob rigidam, saltem externam, vivendi rationem, est adeptus, ut magno in honore apud populum, atque apud nobiles viros haberetur. Cum vero Patrum Minorum S. Francisci Capuccinorum Ordo est institutus, illi Ordini adscriptus, Generalatus quoque dignitatem consequutus est. Sed Ochinus conceptam animo acerrimam indignationem, quod Cardinalatus honore, cuius spe vehementer ardebat, frustratus fuisset, et pressum virus opinionum lutheranarum, quibus adhaeserat, effudit tandem, et Apostata factus, sive Vicentinae consultationi adfuerit, sive non adfuerit, ob errores tamen suos a Republica Veneta pulsus, uxore ducta, Genevam primum, tum Angliam pe-

tiit, et ob restitutam in eo regno a Regina Maria religionem Catholicam, inde postea digressus, in Poloniam se contulit, Llaucowiam Moraviae, ubi anno circiter 1555, aetatis agens 77 annum, obiit.

Sed ut ad Socinianam sectam, atque ad eius errores propius exponendos revertamur, de Fausto Socino, Laelii nepote dicendum aliquid est. Iam vero Faustus Socinus, Laelii Socini, de quo nuper loquuti sumus, nepos, Senis natus est anno 1539. Cum is adhuc iuvenis esset, patrui sui litteris depravatus, ut sibi consuleret in Galliam fugit. Et cum Lugduni moraretur aetatis annum agens vicesimum, Laelii patrui mortis nuntio accepto, Tigurum Helvetiorum se contulit, ut eius scripta colligeret, et secum afferret. Ex his autem Laelii Patrui scriptis, Faustum iam male de religione sentientem, profecisse, extra controversiam positum est.

Post haec Faustus Socinus, duodecim ferme annos apud Florentiae Ducem vixit, sed postea Basileae substitit, ubi opus *De Iesu Christo Servatore* edidit, ac deinde in Poloniam anno 1579 profectus, ob librum ibi *De magistratu* editum contra Iacobum Palaeologum, coactus est Cracoviam derelinquere, et domi nobilis cuiusdam Poloni latere. Uxore ducta sed ea paullo post mortua, Cracoviam reversus, in populari motu contra ipsum excitato, manuscriptis, et supellectili spoliatus est, et in grave vitae discrimen adductus esset, nisi fuga salutem petiisset. Luclaviam praeterea veniens prope Cracoviam, eo loci anno 1604 mortuus est. Luclaviam autem fugerat, quia ob impios errores suos praesertim contra Christi divinitatem incredibili audacia disseminatos, coactus fuerat, non Catholicorum modo, sed etiam Protestantium indignationem declinare.

Pertractat fuse, et accurate Moshemius memorato superius capite de erroribus Socinianorum, et tum *Catechesim,* seu *confessionem* Cracoviensem *Unitariorum,* tum *Catechesim Racoviensem* explicat. Continentur autem Socinianorum errores longe etiam digesti in *Bibliotheca Fratrum polonorum* X vol. in folio, et in Sandii *Bibliotheca Anti-Trinitariorum.* Haec breviter referemus ex Racoviensi praesertim catechesi, in quam componendam Faustus Socinus, aliique ex eius secta doctiores viri laborarunt.

Itaque secundum Socinianorum impia placita, non libri divinitus inspirati declarant quemadmodum de Deo, consiliisque divinis sentire oporteat, sed humana intelligentia, seu humana *recta ratio* ostendit qualem nos in sacris libris religionis formam investigare debeamus. Hoc nixam decreto, apposite Moshemius animadvertit, familiam Socinianam, quaecumque, vel in ipso Deo, vel in Dei filio Iesu Christo, vel in hominis natura, vel in tota salutis consequendae regula, quam divini scriptores praescribunt, vel denique in praemiis, et poenis aeternis, humanis mentibus, seu intelligentiae, ac rectae rationi nonnihil difficultatis obiiciunt, ea omnia reiicere, et ad captum suum accommodare.

Deum longe quidem hominibus perfectiorem, sed non totum, ac plene dissimilem Moshemius subdit, potentia, qua naturam rerum moderatur, Sociniani aiunt effecisse, ut ex Virgine Maria extraordinarius homo nasceretur, scilicet, Iesus Christus. Hunc in caelum assumptum, virtutis suae portione, quo nomine Spiritum sanctum intelligunt, plenaque voluntatis suae notitia imbuit, deinde in orbem reverti iussit, ut humano generi novam vivendi legem veteri excellentiorem promulgaret, veramque eius sententiam, et vita, et morte sua declararet. Divini huius doctoris voci qui obtemperaverint, obtemperare autem possunt quibus modo placet, illi aliis corporibus induti beatum illud domicilium, in quo Deus ipse versatur, aeternum aliquando incolent, in nihilum de-

mum toti decident. His decretis, ait memoratus Scriptor, qui ex Protestantium quidem genere est, sed Socinianis infensus, et in eorundem historia valde eruditus, his, inquam, decretis universa scholae Socinianae institutio continetur, si ornamentis suis, et magistrorum argutis disputationibus nudata exhibeatur.

Cum Socini, et eius asseclarum ea sit praecipua sententia, illa tantum in religionis negotio non esse respuenda, quae humanae rationi, atque intelligentiae non videantur adversari, mirum esse non debet, eos in professione fidei, seu catechesi, mysteria repudiasse omnia, quae humana ratio non facile comprehendisset. Id autem non solum de SS. Trinitatis, et Incarnationis mysterio, de Domini Nostri Iesu Christi divinitate, de satisfactione a Christo pro humano genere Deo Patri exhibita, de peccati originalis in omne genus humanum derivatione, de sacramentorum effectu, ac virtute, de gratiae divinae operatione, de iustificatione, sed etiam de attributis divinis accipiendum est, quae humanae rationis imbecillitas non facile concipit, prout aeternitatis, infinitatis, omnipotentiae attributa sunt, atque ea omnia, quae ad una simul, et inter se concilianda difficilia videntur: quemadmodum immensitas est cum spiritualitate coniuncta, iustitia cum misericordia, aliaque eiusmodi.

Hinc rerum creationem a Deo factam, rigoroso sensu acceptam inficiati Sociniani sunt, quod rationi non consentaneum esse putarent, Deum sola voluntate sua posse rerum substantiis exsistentiam tribuere; quare eo usque, sive petulantiae, sive dementiae pervenerunt, ut dogma hoc non satis clare in Scripturis traditum esse dicerent. Eadem ratione ducti, seu potius eandem errandi methodum sequentes, futurorum contingentium praescientiam in Deo esse denegarunt, eo quod illam cum humana libertate componi non posse contenderent.

De Servatoris nostri divinitate, quoniam dogma hoc in universa sacra Scriptura exploratissime traditur, et explicatur, difficile dictu est, quam stulte, et inique conati sint Sociniani perspicua Scripturae testimonia in sensum eorundem erroribus accommodatum detorquere. Quare cum non possent Iesum Christum, *Verbum Divinum, Filium Dei, Deum in carne manifestatum* non appellare, prout proprio, veroque sensu S. Scriptura, et Ecclesiae fides illum semper appellavit, et confessa est; respuerunt tamen communem hunc, et perpetuum fidei Christianae sensum, et in eo convenerunt Sociniani omnes ut Verbum, seu filium Dei, Patri coaeternum, aequalem, consubstantialem esse inficiarentur. Nam Verbum Dei appellatum esse Christum dixerunt, quod Deus, praesertim summi huius Prophetae voce, et praedicatione cum hominibus loquutus est, eosque veritatem docuerit; Filium autem Dei, Christum vocari posse concesserunt, quod miraculoso modo in Virginis Mariae sinu, per Spiritum sanctum, hoc est, per Dei, ut ipsi aiunt, operationem conceptus sit. Quo cetera denique eiusmodi impia deliria praeteream, ideo per Verbum, seu Christum facta omnia esse Socinianis videtur, quia mundus spirituali sensu acceptus, seu *novus mundus,* propter reparationem generis humani, Christi virtuti, exemplis, passioni, et morti debeatur. Et quoniam peccati originalis dogma ii denegarunt, idcirco redemptionis virtutem in eo tantum positam esse pronuntiarunt, quod Iesus Christus sua virtute, exemplis, sanctitate, et per doctrinam sanctam morte sua confirmatam, nos ad Deum revocaverit.

Quod ad sacramenta pertinet, Sociniani, eo modo, quo Protestantes, duo tantum illa esse statuerunt, baptismum videlicet, ac coenam, sed tum baptismo, tum coenae nullam aliam, nisi excitandae fidei virtutem tribuerunt. Quapropter infan-

tes baptizandos esse negaverunt, nisi cum aetatem attigerint, qua rationis compotes sint, et res credendas mente concipere, atque in Christianae religionis veritate potuerint edoceri. Etiam eos aliquando, qui Socinianae sectae nomen dare volebant, rebaptizare Sociniani non dubitarunt.

Circa morum etiam disciplinam plurimum errarunt Sociniani. Nam, ut omittam cetera, bellum gerere, iniurias in iudicio persequi, coram Magistratu iurare, iudicis officio, praesertim in criminali processu fungi, iniquum aggressorem, ob propriae vitae defensionem occidere, non licere ii generatim contenderunt: in quo disciplinae rigore Anabaptistas Sociniani imitati sunt.

Satis ista sunt ad ostendendum quam impia sit Socinianorum doctrina, et quantopere ad religionem funditus evertendam accommodata. Ac primo quidem, si ea quae diximus, accurate perpendantur, facile apparebit, Socinianismum cum Deismo prorsus confundi. Nam Deistarum non una omnium sententia est. Etenim ex Deistis non defuerunt, qui omnem penitus revelationem denegarunt, affirmantes, hominem prout in ceteris rebus omnibus, ita etiam in religionis negotio, nullam aliam iudicandi regulam, nisi rationem humanam sequi debere. Alii inter Deistas non dubitarunt fateri, Iesum Christum a Deo missum esse tantum, ut hominibus consuleret, humano generi tradendo doctrinas valde meliores, quam veteres omnes sapientes viri, et Philosophi tradidissent. Non defuerunt praeterea ex Deistis, qui neque contempserint, neque positive ratam habuerint revelationem. Arbitrati enim isti sunt, si probationes non desunt, quae factam revelationem esse evincant, adesse tamen argumenta, quibus hoc factum possit denegari; quamobrem in ista re, oportere in dubio manere, et necesse esse rationem consulere, ut intelligatur num dogma aliquod revelatum certe esse censendum sit.

Ac de libris sacris, in quibus revelationem contineri Ecclesia docet, iidem Deistae statuerunt, si quaedam in illis sunt, quae revelata esse existimari debeant, esse tamen in iisdem libris alia, quae sine humanae rationis offensione admitti non possint. Et quoniam, secundum istorum hominum placita, libri sacri, paullo ante memorati, maiorem, quam alii quilibet libri auctoritatem non habent; manifestum est, eadem placita continere, in hominum potestate positum esse, ex rebus, quae in iis libris traduntur, eas sequi, aut reiicere, quae sequendae, vel reiiciendae esse ab hominibus iudicabuntur. Hae quidem Deistarum sententiae, religionis omnis sunt subversivae. Verum si Socinianorum systema superius significatum consideretur, exsistet continuo, a Deistis in argumentandi, et iudicandi ratione non differre Socinianos.

Praeterea certum est, Socinianos abunde respondisse nefariis consiliis, quae in conventu Vicentiae anno 1546 habito, inita fuisse superius diximus. In eo enim conventu, seu consultatione, propositum, statutumque fuisse retulimus, ut universa funditus Christiana Religio everteretur. Quodnam vero ad hoc efficiendum poterat gravius, et opportunius scelus excogitari, quam D. N. Iesu Christi divinitatis denegatio? Nam si Christi denegari posset naturae divinitas, tota protinus Christiana religio corrueret. Et cetera omnia, quae post denegatam Christi divinitatem, ad eius tamen praestantiam, excellentiam, virtutemque sublimem, a Socinianis sunt amplificata, nullo modo ad religionem ipsam regendam sufficerent. Nam denegata Christi divinitate, quid iuvaret ista iactare, quando certum sit, Christianam Religionem hoc habere praecipuum, certissimumque fundamentum, Christum Deum esse, et tamquam verum Deum illum credi, et coli oportere?

Ad instituti nostri rationem certe

non pertinet, Socinianae impietatis, et Rationalistarum religionis hostium confutationem afferre. Fecerunt id invicte eruditissimi Theologi, ad quos proprie spectat ista disputatio. Atque inter cetera celeberrimum exstat doctissimi viri Prudentii Marani, Monachi Maurini, in hac sacrae Theologiae materia, classicum, ut ita dicam, opus inscriptum *Divinitas Domini Nostri Iesu Christi manifesta in Scripturis, et Traditione* Parisiis anno 1746 editum, quod consulentibus occurrit statim, num res umquam ulla magis demonstrata fingi possit, quam Christi Salvatoris nostri divinitas.

Illam enim veteris Testamenti librorum testimonia, et Prophetarum apertissima oracula evincunt. Illam Novi Testamenti librorum omnium auctoritas tota demonstrat. Nam Christus ipse divinitatem suam coram Iudaeis aperte praedicavit, coram discipulis asseruit, et miraculorum virtute confirmavit. Christum praeterea Apostoli, ac discipuli, verum Deum esse perpetuo praedicarunt, atque a Christo, huius fidei universo terrarum orbi praedicandae munus acceperunt. Haec Catholicorum omnium perpetua fides fuit, et sectae quamplures a Catholicis dissidentes ipsae, hanc fidem cum Catholicis communem habuerunt. Tanta illa praeterea copia Martyrum, qui tribus ferme saeculis, pro religione in Imperio Romano interfecti, et crudelissimis suppliciis affecti sunt ob hanc fidem asserendam; tanta, inquam, illa copia Martyrum, nihil aliud praecipue, quam Christi divinitatis praeclarum testimonium continet. Universa denique Ecclesiae traditio, perpetua cuiuslibet aetatis Patrum fides, et doctrina, Christi divinitatem constantissime propugnavit.

Itaque haec cum ita sint, si vera essent Socinianorum, et Rationalistarum, qui illos sequuti sunt, impia placita, ac vera non esset credenda in Christo divinitas, actum prorsus esset de Christiana Religione, quae innixa huic fidei capiti, praedicata primitus, propagata deinde post Christi mortem, ac resurrectionem, atque in vastissimis omnibus orbis terrarum regionibus constituta est. Quid enim in posterum esset de ea religione iudicandum, quae in falso penitus fundamento dici posset aedificata, quaeque divinos honores ei semper exhibuerit, cuius tamen natura, non sit divina iudicanda? Quis ille Mediator Dei, et hominum? Quae humani generis cum summo Deo, per illum impetrata reconciliatio? Quae ratio spei christianae? Quae virtus sensuum religiosorum? Apparet igitur quam scelesta sit Socinianorum doctrina, et quantum hominibus malum ii errores attulerint, quos illi praedicaverunt. Reliquum est igitur, ut quoniam his adeo nefariis opinionum commentis, a systemate per Lutheranam reformationem inducto, pandita via est; ex hoc etiam concludatur, reformationem ipsam, quam ad Ecclesiam emendandam Protestantes factam esse iactaverunt, ad illam potius, si fieri potuisset, perdendam, aditum aperuisse. Ecclesia tamen semper in ea fide usque ad consummationem saeculi perseverabit, quam non caro, et sanguis Petro Apostolorum Principi revelavit, sed *Pater ipse meus, qui in caelis est,* prout Christus Petro respondit, cum is affirmavit: *Tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.*

CAPUT LI.

DE BELLO SMALCALDICO, TRANSACTIONE PASSAVIENSI, ET PACE RELIGIONIS.

In gravissimis illis, quibus, post Reformationem Lutheranam invectam, Germania obiecta est religiosis, politicisque vicissitudinibus, tractatus ille celeberrimus fuit, qui anno 1648 post bellum triginta annorum, absolutus est, et *pax Westphalica* solet appellari. De rebus ad tractatum illum, pacemque initam spectantibus, erit a nobis suo loco agendum. Quoniam vero idem tractatus existimari potest, veluti aliorum, qui antea initi fuerant, sequela, et complementum, et ad eos explicandos plurimum inservit; opportunum idcirco videtur, ad luculentiorem Westphalicae pacis intelligentiam, de transactione Passaviensi anno 1552, et de pace, quae dicitur Religionis, anno 1555 sancita, aliqua dicere, ac bella simul commemorare, quae istis tractatibus occasionem praebuerunt, quibus bellis politicae Principum rationes non minus, quam Religionis studium causam attulerunt.

Visi sunt Carolus V Imperator, et Ferdinandus II eius frater, et in Imperio successor, plenam in universam Germaniam potestatem acquirere velle. Atque ad hoc consilium capiendum, observantiam illam, qua erga eos, animatos catholicos omnes imperii Germanici esse sentiebant, incitamentum iis Principibus tribuisse iudicari potest. Huius propositi a Carolo V et Ferdinando II suscepti, aliorum Statuum Principes non ignari, timentes ne propria iura detrimentum aliquod acciperent, et generalis Imperii constitutio immutaretur, vires suas cum Protestantibus Germaniae Principibus coniunxerunt, contra utrumque Imperatorem, et Catholicos, qui eorundem partibus studebant.

In conventu Wormatiensi, de quo superius cap. XLVII loquuti sumus, quem conventum Carolus V paullo post, quam Imperator fuerat electus, habendum decrevit, edictum Imperator condi voluit, quo Lutherum, eiusque sectatores proscripsit, atque eos extra publicam pacem positos declarans, iussit tamquam Imperii hostes reputari, et omni legum severitate in eosdem animadverti praecepit. Si illud edictum vel ab an. 1521 exsequutionem veram habuisset, fortasse ab eo tempore bellum aliquod civile excitatum esset. Verum Imperator urgentioribus aliis distentus curis, et in belló cum exteris Principibus gerendo occupatus, ad diuturnum tempus edicti memorati exsequutionem distulit. Fortasse etiam Principes Lutherani, et Moguntiae Electoris agendi ratio, qui secreto Lutheranae doctrinae favere dicebatur, impedimento fuerunt, quominus vel ab anno 1521 edicti exsequutio revera fieret.

In posterum vero summa severitas, qua Principes Catholici contra Lutheranos subditos suos edictum exsequebantur, Principes Lutheranos in timorem adduxit, ne quamprimum Status Catholici cum Imperatore contra eos coniungerentur. Quare ut sibi, suisque consulerent, foedus inter se ineundum iudicarunt, quod *la Confédération de Smalcalde* appellari solet, ita, videlicet, quod Smalcaldae, quae parva est Franconiae civitas, ubi Principes Lutherani conventus suos habebant, foedus illud initum fuerit. Principes, huius foederis Ioannem Fridericum Saxoniae Electorem, et Philippum Magnanimum Hessae Landgravium duces elegerunt.

Mirum esse videri iure potest,

adeo potentem principem, qualis Carolus V erat, non omnem operam sine mora dedisse, ut Lutheranos Principes foedere iunctos statim aggrederetur, id quod consiliis ambitionis suae satis opportunum fuisset. Vires profecto militares, quibus ille potiebatur, dexteritate ingenii sui adiutae, et permagno Catholicorum studio sustentatae, Principibus Protestantibus profligandis, et potestati suae amplificandae plurimum contulissent. Verum potius quam id consilii caperet, quod eo tempore perficere facile potuisset, magnam virium suarum partem deperdidit, inutilibus, et perniciosis militaribus expeditionibus intentus; ac Principibus Lutheranis tantum temporis tribuit, quantum ad foedus initum confirmandum, atque augendum, et ad exteros Principes in illud foedus adsciscendos sufficere potuisset. Carolus V autem, nonnisi cum aetate iam esset provecta, de bello Lutheranis fortiter inferendo cogitavit. Verum tunc, infirma valetudo, redituum publicorum deficientia, et impedimenta, quae a Principibus eius potestatis invidiosis perpessus est, imparem illum effecerunt gravissimae rei gerendae, quae magnam virtutem, magnam in agendo constantiam, et copias plurimas postulabat.

Iam vero cum Carolus V statuisset, foederatos Principes aggredi, secretum cum Mauritio Saxoniae Duce foedus inivit, qui fuit lineae Albertinae familiae illius caput; et Mauritio spem ingessit futurum, ut ipse Saxoniae Elector constitueretur, qua Electoratus dignitate, se Ioannem Fridericum Mauricii consobrinum exspoliaturum esse coniiciebat.

Principes Lutherani exercitum centum millibus militum constantem Imperatoris viribus supra Danubium opponebant, et ad consistendum cogebant. Verum cum Mauritius in regiones Electoratui Saxonico subditas invasionem fecisset, Ioannes Fridericus Elector compulsus est socios principes Lutheranos derelinquere, atque ad patriam suam defendendam se conferre. Haec Ioannis Friderici digressio causa fuit, ut totus confoederatorum Principum exercitus, nulla pugna commissa, discederet, et quodammodo disperderetur. Tunc Imperator copias suas adversus unum Ioannem Fridericum Electorem Saxonicum convertens, eum fugavit anno 1547 in proelio, quod prope Muhlbergam commissum est. Cum Elector ipse in Caroli V potestatem incidisset, Imperator effecit, ut in eum capitis poena decerneretur. Ioannes Fridericus vero in vitae discrimen adductus, ut mortis periculum declinaret, tractatum militarem subscripsit, quo dignitatem Electoralem, suo, et descendentium suorum nomine abdicavit, et perpetuo se captivum apud Imperatorem mansurum esse assensus est. Hessae Landgravius se quoque Imperatori subiecit gravissimis acceptis conditionibus, et eo ipso die libertate privatus est.

Cum ista evenissent, Caroli V summa in universum imperium Germanicum potestas quodammodo constituta videbatur. Protestantismus, qui magnas vires antea acquisiverat, et ipsa imperii Germanici antiqua constitutio in gravissimum discrimen adducta credi poterat, atque omnia prorsus existimabantur ex Caroli V arbitratu pendere. Non multo post, quam ea, quae nuper commemoravimus, contigerunt, conventum Augustae habendum Imperator indixit, atque, eo durante, Dictatoriam, ut ita dicam, potestatem, ille exercere visus est. Nam Augustam militaribus copiis suis repleverat, reliquus vero eius exercitus in finitimis Augustae locis castra habebat. In eo autem conventu, propria auctoritate sua Imperator, Electoratus Saxonici dignitatem in Mauritium Ioannis Friderici Electoris consobrinum transtulit, atque eidem Mauritio Electoratus investituram solemni forma contulit.

Neque his se Carolus V continuit,

sed ad decernendum etiam de rebus religionem respicientibus praeterea se convertit. Etenim ostendit sibi mentem esse, vigentia inter Catholicos, et Protestantes dissidia de medio tollere. Formularium, seu decretum quoddam eius iussu tunc promulgatum est, quo in gratiam Protestantium, communionem sub utraque specie fieri posse concedebatur, et presbyteros ob matrimonium initum non debere vexari. Decretum illud seu formularium, *Interim* Caroli V appellatum fuit, eo quod Princeps illud servare deberet, quoad Concilium oecumenicum de controversiis, quae Ecclesiam perturbabant, definitive statuisset. Tale decretum vero Caroli V, Catholicis aeque, ac Protestantibus displicuit. Nam Catholici affirmabant, quae edicto concedebantur, non posse concedi; Protestantes vero minime pati poterant vetari, se ulterius progredi posse, quam Carolus V decrevisset, aut alia interea consequi, quae eorundem causae favorabilia esse ipsi iudicabant. Scilicet de decreto *Interim* Caroli V illud fere accidit, quod de Zenonis Imperatoris *Henotico,* quod neque Catholicis placuit, neque Eutichianis, quantumvis Zeno voluerit edictum suum esse *unitivum,* videlicet conciliationis. Verum Imperator has querelas sprevit, et ubique decretum *Interim* servari iussit, vi etiam adhibita contra eos, qui restitissent. Immo Constantiam, et Magdeburgum, legum Imperii severitati subiecit, eo quod eae civitates decreto illi recipiendo fortiter repugnassent.

Incredibile omnino videtur, Carolum V qui tantopere auctoritate sua utebatur, atque omni penitus Germanici regiminis formae minitari videbatur, non intellexisse, necesse esse copias suas augere, quae si imminutae fuissent, non poterat is sperare ut ei mos ubique gereretur. Verum Carolo V prorsus contrario modo, sibi agendum esse visum est. Quare militum suorum partem in Hungariam, partem in Italiam pergere iussit, reliquum vero exercitum dimisit. Ad hoc autem consilium suscipiendum ille adductus est, eo quod redituum suorum statum imminutum, et tantam illam argenti, aurique copiam, qua antea potiebatur deficere sentiret. Nam ex America divitiae iam non tantae, sicut antea, manabant, neque Genuae, aut Venetiis reperiebat amplius, qui interea dum ex illa orbis parte argentum, et aurum exspectabatur, ei pecuniis suis opem suppeditarent.

Cum haec Imperator fecisset, et idcirco sui timorem apud omnes leviorem reddidisset, Mauritius Saxoniae recens constitutus Elector, hanc opportunitatem non praetereundam existimavit, ad id efficiendum, quod sibi commodum, aut utile futurum esse arbitrabatur. Itaque Mauritius plane sentiens exercitus a Carolo V dimissi effectus, et aerarii angustias intelligens, in quibus Imperator versabatur, rem non differendam iudicavit. Erat autem Mauritius vir minime timidus, doctrinae Protestantium vehementer addictus, et sibi gloriosum futurum esse censebat, iura constitutionis Germanici Imperii tueri. Quae cum ita essent, noluit Mauritius protestantium causam, et imperii, ad quod ipse pertinebat, formae custodiam, beneficii ab Imperatore accepti recordationi postponere. Praeterea Carolus V occasionem offensionis Mauritio praebuerat. Nam licet pro soceri sui Hessae Landgravii libertate ille plurimum precatus esset Imperatorem, Carolus tamen eam severe denegaverat. Itaque Mauritius consilia sua cautus occultans, et ea politicae administrationis specie tegens, foedus cum aliis Principibus inire, bellum comparare, et Imperatoris cogitationes singulari dexteritate alio convertere satagebat, qui ceteroquin, eo tempore sibi tranquillus videbatur, et Oniponti de rebus ad religionem spectantibus cum Concilio Tridentino tractabat.

Atque inter cetera Mauritius, primo omnium loco, obtinendum curavit Henrici II Galliae Regis patrocinium, qui consultius, quam Franciscus I intellexit, cuius utilitatis sibi esse posset, cum Imperii Principibus foedus inire. Henricus igitur in Germaniam misit Ioannem Du Fressium Episcopum Baiocensem, ut nomine suo, cum Mauritio, et Principibus eius sociis de foedere stabiliendo ageret. Illud autem die 1 Octobris anno 1551 Friedwaldiae in Hessensi regione absolutum est, et ab Henrico II Chambordiae die 15 Ianuarii anno 1552 confirmatum. Quod vero ad rerum in eo tractatu statutarum summam pertinet, certum est, ibi esse decretum, ut foederis istius participes coniunctis simul viribus suis Landgravii Hessensis libertatem consequendam, et Imperii Germanici veterem formam servandam curarent. Fuit etiam statutum, neque pacem iniri, neque inducias concedi posse, sine sociorum omnium consensu, ac nisi eorum quislibet in id convenisset.

Mirum profecto videtur, foedus hoc, ac societatem initam, Imperatori incognitam penitus diu fuisse, atque ita harum rerum Carolum V longo temporis spatio ignarum esse potuisse, ut ne in suspicionem quidem tractatus istius venerit. Repente autem Henricus II in Germaniam iter suscepit, rei gerendae causam scriptis ubique promulgatis annuntians, splendida *vindicis libertatis Germanicae, et principum captivorum* appellatione suscepta. Per Lotharingiam transiens Henricus, Metensem, Tutelensem, ac Verdunensem civitates occupavit, quae perpetuo deinde in Galliae dominatione manserunt.

Mauritius interea ne Imperatori tempus suppeteret copias militum iterum comparandi, celeriori, quo potuit, modo, Augustam versus iter fecit, eaque urbe potitus est die 4 Aprilis 1552. In Tyrolensem regionem deinde penetravit atque ad eam armis sibi viam aperuit, et Onipontem recta petens, parum abfuit, quin Imperatorem ipsum comprehenderet, qui podagra laborans difficile potuit fuga libertati suae consulere. Hoc autem cum accidisset, dici vix potest, quanto metu Imperator sit perculsus, et quanto dolore fuerit affectus. Eius enim potestas videbatur ferme deperdita, ob unum, quem commiserat, negligentiae et nimiae credulitatis errorem. Praeterea talis erat rerum status, ut in publicum contemptum incidisse Carolus V censeri posset, atque ab iis conditiones pacis accipere cogeretur, quibus paullo ante iura dederat. Hoc igitur infortunio commotus, ad fratrem suum Ferdinandum se convertit, qui remissius cum Protestantibus egerat, atque ita eorum amicitiam sibi conciliaverat. Ferdinandus autem die 12 Augusti anno 1552 cum Principibus, qui bellum contra Carolum V susceperant, pactum iniit, quod *Transactionis Passaviensis* nomine solet appellari.

Huius transactionis haec summa fuit. Imperator Landgravium Hessensem in libertatem restituit, et novum imperii conventum inter semestre tempus, se convocaturum esse promisit, in quo de modo statueretur ut controversiae ad religionem spectantes possent pacifice componi. Illud praeterea cautum est diligenter, ut si in eo conventu, dissidium de religione non potuisset componi, pax tamen inter Catholicos, et Protestantes servari deberet, atque ut eo temporis spatio, quod usque ad conventus Imperii celebrationem labi debebat, nihil contra Principes Augustanae confessioni addictos ageretur. Plurimum etiam curam suam in ea transactione Principes Protestantes ostenderunt, ut imperatoriam aulam iudiciis exercendis destinatam, seu Cameram Imperialem, partialitatis insimularent; quapropter decretum est, hanc Aulam debere aequa ratione iustitiam administrare; eiusdem aulae in posterum etiam

Protestantes participes esse debere, atque in religionis negotio ad controversias dirimendas, maiorem iudicum numerum non sufficere.

Profecto qui meminerit eorum, quae in tractatu Chambordiae inito statuta fuerant, intelliget continuo, Mauritium illius tractatus pacta fregisse, cum transactionem Passaviensem sine Henrici II Galliae Regis consensione firmaverit. Verum posteritas, quae solet de rebus ex eventu saepenumero iudicare, in hac re Mauritio pepercit, eo quod per Passaviensia statuta, illa Imperatoris consilia everterit, constitutioni Imperii Germanici prospexerit, et Imperatorem compulerit ad spem dimittendam, fore ut Imperatoria auctoritas absoluta, et in familia sua hereditaria evaderet. Denique per conventionem Passaviensem factum est, ut Mauritio ii, qui erant Protestantium studiosi reconciliarentur, qui Caroli V metu deposito, tutiores facti sunt.

Non multo postquam Passaviensis transactio inita fuerat, Imperator, cum se a Mauritio expedisset, arma sua in Galliam convertit, de qua vehementer optabat ultionem sumere. Itaque exeunte circiter mense octobri anni 1552, Metensem civitatem obsidere ipse coepit, licet peritiores exercitus sui duces contrariam huic consilio sententiam ei significassent, qui quamtumvis frustra, ei tamen periculum ostenderunt, quod, ex proxima hiemis tempestate imminebat, et incepti difficultates exposuerunt. Coactus est deinde Imperator obsidionem derelinquere mense Ianuario anno 1553, et in Flandriam se recipere, ubi contra Galliam usque ad annum 1556 bellum gerere prosequutus est.

Cum Imperator in bello Gallico esset occupatus, Albertus Alcibiades appellatus, Brandeburgii in Franconia Margravius, ad augendam potestatem suam in imperio dimicabat. Is Princeps, qui antea Mauritii Electoris Saxonici contra Carolum V socius fuerat, cum transactionem Passaviensem improbavisset, a bello desistere recusabat, incursiones suas per Germaniam facere prosequebatur, et Episcopos Franconiae, ac Rhenanos vexare non omittebat. Inanes fuerant conatus adhibiti, ut mentem ille mutaret; quamobrem aula Imperialis eum proscripsit, ac plures Principes adversus eum, sub Mauritii regimine secum invicem coniunxerunt. Mauritius anno 1553 plenam de eo victoriam reportavit, verum ipse in ea pugna, igneo globulo in ventre vulneratus, biduo post mortuus est, cum aetatis annum ageret tricesimum secundum, et cum sextus laberetur annus, ex quo a Carolo V Electoratus Saxonici dignitate auctus erat.

Mauritius sine filiis vita functus est; quapropter Electoratus dignitas ad Augustum fratrem eius transivit, qui eiusdem dignitatis, una cum Mauritio anno 1548 in conventu Augustae habito, investituram acceperat. Tunc Ioannes Fridericus, qui antea Elector Saxoniae fuerat, vehementer egit, ut Electoratus dignitatem, qua spoliatus fuerat, recuperaret. Itaque Augustum inter et Ioannem Fridericum tractatus de ea re haberi coeperunt. Huius vero tractationis exitus fuit, videlicet, ut anno 1554 Neoburgi decretum sit, Electoratum in Augusto, atque eius masculis descendentibus manere debere, quibus deficientibus ad Ioannem Fridericum, eiusdemque descendentes masculos ea dignitas reverteretur. Quo vero Ioannis Friderici familiae honorifica esset, et dives conditio, Augustus amplos reditus, et titulos eidem familiae attribuit, praeter eos, qui in capitulatione Wittembergensi, Ioanni Friderico servati fuerant. Atque haec Statuum origo est, qui in praesentiarum Magnus Weimariae Ducatus, et Ducatus Gothae, et Coburgi appellantur.

Bellum Gallicum, et imperii intestinae discordiae, conventus convocationem retardarunt, in quo de pace

religionis inter Catholicos, et Protestantes ineunda, secundum Passaviensem transactionem, erat statuendum. Carolus V quidem sibi primum proposuerat, conventui interesse, sed infirmae valetudinis ratio, et consilium de abdicando imperio ab eo susceptum, illum deinde adduxerunt, ut pacis in imperio ipso instaurandae curam fratri suo Ferdinando relinqueret.

Itaque Ferdinandus anno 1555 Augustae conventum Imperii habendum indixit, in quo conventu, post difficillimam rerum pertractationem, pervenit tandem ad id obtinendum, seu ad eam conventionem ineundam, quae *Pax Religionis* appellata est. Huius autem pacis initae haec praecipua capita fuerunt.

Videlicet Status Catholicos relinquere debere eos, qui ad confessionem Augustanam pertinerent, et vicissim Status confessionis Augustanae relinquere debere Status catholicos in libero propriae religionis exercitio, quin adhibere vim aliquam possent, aut curare vicissim quacumque ratione, ut gens sibi subiecta religionem mutaret. Bona ecclesiastica, quae dicebantur mediata, usque ad illud tempus occupata, atque ad alium usum, quam eorundem origo tulisset, conversa, in possessorum potestate relinqui debere, atque in eo statu, in quo tunc reperta fuissent. Huius autem consilii suscepti ratione, monasteria, ac fundi, quos Principes Protestantes in profanos usus immutaverant, Ecclesiae Catholicae abrepti sunt.

Clerum catholicum in Augustanae confessionis asseclas iurisdictionem exercere non posse statutum fuit, exceptis Electoribus, Principibus, et Communitatibus Ecclesiasticis, earundem reditibus, pheudis, aliisque iuribus in regionibus, quae Principibus protestantibus suberant. Posse subditos, qui diversam a Principe suo religionem profiterentur, ab eorundem ditione discedere. Praeterea aperte statutum fuit, et declaratum, eos qui neque ad Catholicam Religionem, neque ad confessionem Augustanam pertinerent, non posse *pacis religionis* utilitate frui, et auctoritate se tueri. Esse quidem curandam utriusque religionis unionem, sed licet ea, neque auctoritate Concilii, neque benevola qualibet alia ratione posset obtineri, pacem tamen incolumem esse et manere debere. Ecclesiasticum quemlibet religioni suae renunciantem, et Augustanam confessionem suscipientem, beneficium quidem suum, sed honorem tamen non esse amissurum. Hoc autem statutum, quod acerrimae difficultati occasionem attulit, *Reservationis Ecclesiasticae* nomine appellatum est. Denique sancitum fuit, poenas omnes contra publicae tranquillitatis perturbatores decretas, de iis etiam, qui pacem religionis turbassent, intelligi oportere.

Vix credibile est, hunc tractatum, pacis religionis nomen consequi potuisse; cum tractatus idem in pluribus aliis conventibus renovatus, ac confirmatus, magnam dissidii materiam praebuerit. Homines enim alterutri parti adhaerentes, sive Catholicorum scilicet sive confessionis Augustanae, in propriam sententiam, eiusdem tractatus statuta interpretati sunt, et ad eas deinde querelas res perducta est, ut exinde bellum exarserit, quod dicitur *triginta annorum*. His vero de causis haec pax religiosa gravissimum dissidium excitavit.

Catholici videlicet contendebant, libertatem in religionis negotio per tractatum illum concessam, nonnisi *Immediatos* Imperii status respicere, minime vero Protestantes Catholicorum Principum subditos, quibus emigrandi facultatem tantummodo tributam esse dicebant. Contra vero Protestantes affirmabant, eam libertatem subditis quoque catholicorum principum concessam esse, et dicebant emigrandi facultatem, favorem esse dumtaxat, quem praeter libertatem, tractatus ille largitus fuisset.

Catholici praeterea negabant, illius etiam tractatus ratione licere Protestantibus de bonis Ecclesiasticis *mediatis* disponere, quae Ecclesiastici Catholici in eorum statibus possederant tempore transactionis Passaviensis, et pacis Religionis. Protestantes vero id a se fieri posse propugnabant post pacem etiam initam religionis, atque hanc facultatem ad se spectare dicebant *iure reformandi,* quod sibi tamquam regionum illarum Dominis arrogabant. Propter pacem Religionis iactabant Protestantes, Catholicorum Episcoporum iurisdictionem in eos, qui confessioni Augustanae adhaerebant, suspensam esse. Catholici contra, iurisdictionem istam tueri studebant quacumque meliori ratione potuissent; in qua re, causas matrimoniales, et Romani Pontificis iurium exercitium comprehendebant.

Catholici de rebus in tractatu illo decretis affirmabant, nonnisi Catholicos ipsos, et confessionis Augustanae sectatores, utilitate qualibet inde proveniente, frui posse, atque idcirco, neque Zwinglianos, neque Calvinianos *Reformatos* appellari solitos, eo tractatu comprehendi, eo quod vere ii non essent Augustanae confessionis sectatores, quippe qui non adoptarent illam non immutatam, prout Carolo V Imperatori in conventu Augustano anno 1530 habito, exhibita fuerat. In hac vero sententia asserenda acrem a Zwinglianis, et Calvinianis repugnantiam Catholici tolerare debebant.

Denique omnium gravior dissidii ratio in *reservatione ecclesiastica* posita erat. Etenim Protestantes contendebant hanc clausulam, quam superius significavimus, eorundem honori, et conscientiae repugnare, eo quod memorata reservatio Status ipsos, et eorum subditos, in exercitio facultatis, Augustanae confessionis suscipiendae, turbaret, tum quod Protestantes per eam clausulam declararentur inhabiles ad bona ecclesiastica possidenda, tum etiam quod copia fieret, per vim ex bonorum ecclesiasticorum possessione depellere eos, qui Augustanam confessionem amplexi fuissent. Quamobrem hanc clausulam reiiciendam esse Protestantes affirmabant, quia si ea reservatio consisteret, aequalitas inter duas religiosas communiones sublata intelligi deberet, quae vera concordiae basis erat iudicanda, atque inde perpetuam dissidio causam esse derivaturam.

Cum sentirent vero Catholici, reservationem Ecclesiasticam magni ponderis esse ad reformationis progressus impediendos, vehementer de reservatione ipsa defendenda laborabant. Itaque manifeste declarabant, nulla ratione sibi licere, Novatores ad bonorum Ecclesiasticorum possessionem, et fructus adsciscere, cum illa ex natura sua, atque ex Fundatorum voluntate, ad cleri catholici sustentationem, et usum essent destinata; atque illud interea animadvertebant, quoniam Protestantes presbyterorum matrimonium licere contendebant, id effecturum esse, ut Episcopatus successive in saecularis, et hereditarii principatus formam converterentur. Denique catholici addebant, Ministros Principum Lutheranorum, dum paci religionis in conventu Augustano adhaeserunt, reservationem ecclesiasticam sine protestatione signavisse, et nunc non licere amplius ab ea clausula resilire, quae magni momenti integrantem conventionis illius partem constituebat.

Manifesta res est, Catholicos haec omnia iure Protestantibus obiecisse. Verum Catholicorum querelae ab illis spretae sunt. Nam non obstante reservationis Ecclesiasticae clausula, Protestantes in posterum, clausulae ipsius nulla habita ratione, in immediatis statibus imperii, viginti et amplius Archiepiscopalibus, et Episcopalibus sedibus, atque Abbatiis potiti sunt. Hac assidua reservationis ecclesiasticae violatione, et tractatus de pace religionis non intermissa lae-

sione, plurimum indignati sunt Catholici, qui conati sunt aliquando, factis, ac viribus suis Protestantes continere. Ex his autem perlonga turbarum series originem habuit, quae regnante Rodulpho II inceperunt, et in apertum triginta annorum bellum deinde desierunt. Non erit hic inopportunum aliquod ad istam rem pertinens factum commemorare. Etenim multo clarius ita apparebit, num iniustius Protestantes potuerint contra catholicos agere.

Cum Guebhardus Comes de Truchsessius, Archiepiscopus Coloniensis, Calvinianam haeresim amplexus esset, ut Comitissam Mansfeldiensem uxorem duceret, contendit se Archiepiscopatum, contempta reservatione Ecclesiastica, retinere posse. Capitulum Coloniense Guebhardo Ernestum Bavarum suffecit. Verum hic non potuit tranquille archiepiscopalem Coloniensem sedem obtinere, nisi postquam a pluribus Principibus catholicis adiutus, adversarium suum Guebhardum anno 1584 expulit.

Post haec, cum Ioannes de Manderscheidius Episcopus Argentinensis anno 1592 mortuus esset, Cathedralis Ecclesiae Canonici, de novo Episcopo eligendo, primum inter se discordes fuerant. Itaque Protestantes Ioannem Georgium Brandeburgensem principem elegerunt, qui tunc Argentinae studiis operam dabat. Verum Canonici Catholici, ad quos spectabat electio, et Episcopum Catholicum tenebantur eligere, Carolum Lotharingiae Cardinalem, Episcopum Metensem elegerunt. Non est tamen existimandum, Protestantes huic electioni acquievisse. Immo vero bellum idcirco in Alsatia excitatum est, quod componi non potuit, nisi transactione Haguenauensi anno 1604 inita, qua transactione Principi Brandeburgensi, ut Episcopatum Argentinensem in Cardinalis Lotharingii favorem dimitteret, magna pecuniae summa debuit numerari; et octo praeterea ex protestantium genere Canonici, ad quindecim annos in Canonicalium praebendarum possessione servati sunt, quod pactum deinde ad septem alios annos prorogatum est.

Has Argentinenses turbas aliae subsequutae sunt, quae Aquisgranae evenerunt. In Flandria iis temporibus Ferdinandus Alvarus Dux Albae, magnam exercebat severitatem. Idcirco evenerat, ut magnus Flandrorum, et Belgarum numerus Aquisgranam, quae libera, et Imperialis civitas erat, se contulerit, ubi libertate conscientiae, prout ipsi dicebant, minime satisfacti, praecipua Magistratuum munera susceperunt. Catholici Magistratus querelae de ea re, ad Aulicum consilium delatae fuerant, quod tribunal res in veterem statum restituendas decreverat. Cum vero tribunalis Aquisgranensis sententia Archiepiscopis Trevirensi, et Coloniensi, ac Duci Cliviensi exsequenda commissa fuisset, Principes isti anno 1598 magistratus catholicos ibi restituerunt, et cum ministros protestantes e civitate discedere coegissent, Aquisgrani quemlibet alium, nisi catholicum cultum, servari posse vetuerunt.

Verum magis calamitosa fuit civitatis imperialis Donawerthensis conditio, quae civitas ad Sveviensem regionem, seu circulum pertinebat. Quantumvis enim ea Lutheri doctrinam saeculo decimo sexto amplexata fuisset, servaverat tamen interius catholicam Sanctae Crucis Abbatiam. Cum vero consilium suscepisset Abbas S. Crucis, quandam publicam supplicationem, quae a longo tempore intermissa fuerat, renovare, populus Abbatem insultans iniuriis affecit, et supplicationem disperdere non dubitavit. Huius facti nuntio accepto, Imperator civitatem secundum imperii leges proscripsit, et Bavariae Duci commisit huius sententiae exsequutionem, licet imperii leges iuberent ad Circulum ipsum et ad Ducem Wurtembergensem, tamquam circuli eiusdem caput, exsequutiones eiusmodi sententiarum, legali etiam ser-

vata forma latarum, pertinere debere. Itaque Dux Bavariae cum copiis suis civitatem aggressus est, eaque potitus, Protestanticum cultum in ea delevit, ministros expulit, ac civitatem ipsam libertate privatam, Bavariae municipalem an. 1607 esse declaravit.

Haec tanta Imperatoris, et Ducis Bavariae, pro arbitrio suo, adhibita contra Dónawerthensem civitatem severitas, Protestantes graviter offendit, et magnis turbis occasioni fuit, quae deinde in conventu Ratisbonensi anno 1608 habito, palam eruperunt. Nam cum Imperator in eo conventu subsidia contra Turcas postulavisset, Protestantes principes affirmaverunt, se ad ea subsidia tribuenda suffragium non esse laturos, nisi antea eorundem querelis satisfactum fuisset. Conquesti autem sunt acriter de consilio Aulico, et praesertim de iis, quae Aquisgrani, et Donawerthiae gesta fuerant. Atque declararunt praeterea, in religionis negotio, se non obtemperaturos esse in posterum, Statuum in publico conventu congregatorum suffragiis, in quibus contendebant, catholicos dominari. Hac ratione conventus Ratisbonensis dimissus est.

Tunc principes Protestantes necesse esse putarunt *unionem* confirmare, quae anno 1594 renovata ab iisdem fuerat in congressu Heibronii habito. Henricus IV Galliae Rex, huius foederis seu unionis praecipuus auctor fuerat. Cum enim opponere se vellet Matritensis Aulae consiliis, quae magnam Vindobonae habebant auctoritatem, idcirco Protestantes Principes excitaverat, ut foedere inter se inito, propriae securitati consulerent; ad hoc vero negotium Bongartius praesertim operam suam impendit. Protestantes Principes igitur, foedus, prout diximus, confirmarunt post Ratisbonensem coetum an. 1608 dimissum, et Electorem Palatinum foederis initi ducem constituerunt.

Controversia deinde gravissima exarsit de hereditaria successione familiae Iuliacae, seu *de Iuliers*, quae controversia foederi Protestantium Principum, quod commemoravimus, maiorem gravitatem tribuit. Huius controversiae, domus Saxonica, Brandeburgica, et Palatina Neuburgensis participes fuerunt, quae nobilissimae familiae in hereditatem illam se ius habere contendebant. Imperator autem, veluti *Dominus directus* pheudorum, de quibus erat quaestio, se ius habere declaravit universam Iuliacae hereditatis successionem sequestrandi, quoad de proprietatis pertinentia iudicatum fuisset. Itaque iussit, Leopoldum Passaviensem Archiepiscopum cum copiis militaribus suis, omnibus locis in controversiam vocatis potiri, quo facto, idem Antistes minitatus est, Principes Brandeburgicum, et Neuburgicum ab ea regione omni expellere, quae ad successionem controversam spectabat, quamque ipsi interea possessionis nomine voluerant occupare.

Tunc Protestantes simul Halliae in Svevia coniuncti an. 1610 Electori Brandeburgico, et Duci Neuburgico opem ferendam esse decreverunt. Henricus IV ob suum erga Vindobonensem Aulam non benevolum animum, exercitum in principum foederatorum auxilium se missurum esse promisit. Ex Hollandia quoque militares copiae venerunt ut foederatos principes iuvarent. Hae autem militares copiae sub duce Mauritio Arausicano Principe, controversam hereditariam regionem invaserunt, et bellum atrox certe gestum fuisset, nisi mors interea Henrici IV, et Electoris Palatini, qui foederis caput erat, accidisset. Quamobrem foederati principes, tractatu cum principibus catholicis inito, qui sub Maximiliani Bavariae Ducis regimine ad manus contra eosdem conserendas se contulerant, a bello gerendo destiterunt, quod deinde acrius inflammatum est, prout suo loco dicemus, cum de triginta annorum bello, et pace Westphalica loquemur.

Quae hactenus de rebus in Germania circa religionis negotia gestis attigimus, narrando potius, quam commentando pertractavimus, atque ea praecipue de causa eadem referenda esse putavimus, ne cum de illa aetate loqueremur, qua reformatio initium habuit, publicos illos motus, et eos tractatus penitus silentio in his praelectionibus praeteriisse videremur, qui in reformationis ipsius historia communi eorum temporum sermone percrebuerunt. Quod si de rebus ipsis, quae in ea materia gesta sunt, institui quaestio debuisset, qua pateret, quale iudicium ferri oporteret, profecto saepenumero fuisset a narratione desistendum, et sermo potius ad rerum naturam ipsam considerandam fuisset convertendus, ut cuius gravitatis ista fuerint, posset apparere. Id autem nimis longam intulisset pertractationem.

Nam omitto illam, quae sponte sua occurrit, considerationem, ex intestinis discordiis, bellisque desumptam, quibus susceptum religionis innovandae consilium occasionem attulit. Id enim per se satis est ad persuadendum, quam perniciosum reipublicae fuerit religionem perturbare. Neque enim Germania ferme tota bello conflagrasset, nisi religionem catholicam, usque ad illa tempora in ea regione ab omnibus in honore habitam Novatores evertere conati fuissent. Neque imperium Germanicum in summum discrimen tunc adductum esset, aut imperii Germanici Principes inter se vicissim, tamquam cum publicis hostibus dimicassent, nisi catholicae Ecclesiae fidem Reformatores impugnare, atque eidem impudentissimos errores suos sufficere contendissent. Potuitne vero quidquam magis a communi salute alienum excogitari, quam tantis eiusmodi malis patriam suam, et adeo illustrem Europae regionem tantis calamitatibus obiecisse?

Quod vero pertinet ad ea, quae in conventibus Imperii, tunc in Germania pluries habitis, statuta sunt, quis non intelligit ea sine religionis detrimento concedi non potuisse? Concessa illa quidem sunt, vel Carolo V potius concedi ea posse persuasum est, ne malum, quod tam grave iam erat effectum, gravius, et perniciosius evaderet, sed certum est, iis conditionibus, quibus Catholicos inter et Protestantes pacem sanciri posse iudicatum est, concordiam legitimam non potuisse componi.

Ad hoc autem intelligendum illud satis esset animadvertere, cum de rebus ad fidem spectantibus nemini licere possit, alias credendi, alias denegandi, et contemnendi facultas, non potuisse hac conditione, quae in conventibus illis tamquam negotiorum omnium componendorum veluti basis, ac fundamentum requisita est, pacem, et concordiam stabiliri. Nonne enim, si ea conditione pacem inire licuisset, dici simul iure potuisset, eos qui in bello ab hostibus, libertate, fortunis, vitaque privantur, pacem cum ipsis hostibus deinde inivisse, quia vita, fortunis, libertateque privati, nullam in posterum ab hostibus perturbationem, aut iniuriam toleraverunt? Quod autem de ista dico in Religionis negotio tenenda libertate, id etiam de aliis existimandum est, quae in conventibus concessa sunt, quaeque non tam pacis cum adversariis initae, quam victoriae ab hostibus reportatae, argumenta iudicari potuissent.

Pluribus in locis Raynaldus praesertim, ac Spondanus, de sollicitudine sermonem habuerunt, quam Pontifices Romani demonstrarunt, cum de rebus, in conventibus Imperii, circa Religionis negotia decretis certiores facti sunt. Ut autem brevitati consulam, commemorabo tantum ea, quae Spondanus ad annum 1544 num. 7 de Paullo III Romano Pontifice refert, cum decretorum in conventu Spirensi conditorum nuntium accepit; atque etiam, quae idem Pontifex gessit, cum de decreto, quod dicitur *Interim* a Carolo V promul-

gato notitiam habuit. Licet vero nos in hoc praelectionum capite, de conventu Spirensi proprie non egerimus, rerum tamen in illo quoque conventu pertractatarum similis ratio est, ut possimus idcirco etiam ex iis hoc loco argumentari.

Nam ad decreta Spirensia quod spectat, graves litteras mense augusto, eo anno a Pontifice ad Carolum V scriptas fuisse narrat Spondanus, quibus Imperatorem monuit, « decre» ta Spirensia, tam ad ipsius animae » periculum, quam ad maximam Ec» clesiae perturbationem tendere, » minime esse ab Ecclesiae ordine, » et institutis discedendum, quibus » praecipitur, ut quoties de his, quae » ad Religionem pertinent, disceptatur, ad Sedem Apostolicam omne » iudicium semper referatur, nihil» que illa inconsulta statuatur. Ipsum » tamen Imperatorem ita rem Spi» rae egisse, ut nulla habita ratione, » aut mentione Pontificis, cui divi» na, et humana iura supremam cum » cogendi concilia, tum statuendi de » iis, quae ad Ecclesiae unitatem, » utilitatemque spectant, auctorita» tem dederunt; de concilio Genera» li, vel Nationali, seu de futuro Im» perii conventu, in quo de religio» ne tractaretur, statuerit, idiotis, » et haereticis iudicium de illa per» miserit, de bonis sacris pronuntia» verit, damnatos ab Ecclesia pristi» nis honoribus restituerit, non as» sentientibus iis, qui veterem et re» ligiosam observantiam praesta» rent... Obtemperaret ergo Impera» tor suis monitis, et cum esset Pri» mogeniti filii loco, parentem salu» taria consulentem amplecteretur... » postremo quae Romanae Ecclesiae » adversariis nimia quadam lenitu» dine concessisset, ea penitus re» scinderet. »

Quod autem respicit Caroli V decretum a nobis superius recensitum, quodque *Interim* appellatum esse pluries diximus, quae etiam de decreto illo Pontificis Paulli III mens ac sententia fuerit, idem Spondanus ad annum 1548 num. 5 refert; videlicet, illud quoque ab Apostolica sede reprobatum, et tamquam Religioni perniciosum reputatum fuisse. Itaque Spondanus memorato loco haec habet de Caroli V decreto illo, quod ceteroquin, ab aliis *Interreligionem,* ab aliis etiam religionis *interitum* dictum esse refert, quod videlicet animas illud recipientium interimeret. « Cum diu, multumque ia» ctatum privatim inter ordines fuis» set Augustae, missum quoque Ro» mam ad Pontificem Paullum III, ait » Spondanus, et ab eo universim qui» dem improbatum, quod temere, se » inscio, res peracta fuisset; ne ta» men Imperatorem irritatiorem red» deret, levi manu censuram appli» cans, duobus potissimum capitibus » institit, quae per Cardinalem Sfon» dratum, qui a comitatu Caroli non » abscesserat, postquam ad eum fue» rat legatus pro gratulatione victo» riae Germanicae, Carolo significari » curavit; nempe de concessa presby» teris iam ordinatis coniugii facul» tate, et populo communionis Eu» charisticae sub utraque specie: » primum esse ab omni aevo inau» ditum; alterum iampridem in Ec» clesia abrogatum, nullo modo Ca» tholicis, Protestantibus, aut qui ad » Ecclesiam redirent, indulgeri posse; » verum hanc indulgendi potestatem » soli Romano Pontifici competere... » Illud tamen suis commistionibus, » ac palpationibus ii assequuti sunt » (qui decreti elaborandi participes » fuerunt), ut nullis probatum fue» rit ipsorum opus, et Imperatori, » qui, ut par est credere, zelo pacis » ad haec procuranda descendit, in» gentem invidiam conflaverit... Mi» rabantur plerique, Principem tanta » prudentia praeditum, unius victo» riae successu sic potuisse efferri, ut » se omnium rerum, tam sacrarum, » quam profanarum per fas, et nefas » arbitrum continuo constitueret. De» nique sunt qui observant, ab eius » promulgatione, nihil amplius ei » rerum susceptarum successisse. »

De pace denique illa, quae dicitur religionis, cuius tractatus summam superius significavimus, nonne eadem generatim sententia ferri poterat? Etsi enim in ipsis de religione controversiis, pacem inter dissidentes servare, et charitatem non offendere, optimum factu sit; non idcirco tamen sequebatur, ad pacem instaurandam ea licere posse, quae cum religionis officiis pugnabant. Curaverant quidem antiquis Ecclesiae temporibus Christiani, ut in controversiis tunc excitatis, cum adversariae sententiae patronis, veluti cum fratribus ageretur, sed minime iis concedebant hanc concordiam, qui errores ab Ecclesia proscriptos effundendos, et populum christianum depravandum suscepissent. Licere putabant cuilibet, iustis de causis quandoque in suo sensu abundare. Non id tamen de iis intelligebant concedi posse, quae a Christi doctrina, atque ab Ecclesiae catholicae traditione reperirentur aliena. Quonam igitur pacto vera pax religionis appellari poterat ea, quae praescriptum a religione ius violabat, quaeque liberum esse concedebat hominibus, contrarios religioni catholicae sensus suscipere, et profiteri?

Quaenam vero pax religiosa poterat illa iudicari, quae bonorum Ecclesiae usurpatoribus bona ipsa ecclesiastica possidenda patiebatur, modo illi bonorum istorum possessione in eorundem gratiam confirmata, aliis etiam bonis Ecclesiam spoliare non aggrederentur? Quanam auctoritate poterant Ecclesiae catholicae bona, a laicis viris in catholicae religionis hostium usum, commoditatemque converti? Num legitima de ineunda pace conventio aliqua pati poterat, ut ad adversariorum lubitum, iura proprietatis praesertim sacrae, et religiosae pessundarentur?

Quomodo deinde poterant legitimi Ecclesiae Catholicae Antistites, in homines, qui a fide catholica deficerent, iurisdictione privari? Num legitimae potestati homines subiecti, a debita erga potestatem ipsam observantia immunitatem consequi possunt ea ratione, quia transfugae, et extorres evaserunt?

Denique ut omittam cetera, perspicua res est, sine honoris detrimento, et sine manifesta honestatis iniuria, fieri numquam posse, ut qui sacra aliqua lege, et obligatione tenentur, egem ipsam frangant, et obligationem contemptui habeant, ac parvipendant. Multo magis id fieri sine honoris detrimento non licet, quando illius legis violatio, ad morum licentiam fovendam, ad cupiditatum explendarum libertatem tribuendam fiat. Quanam igitur evenire ratione poterat, ut Ecclesiastici homines a fide, et Ecclesia catholica deficientes, etiamsi status sui sanctitatem, et sacra iura violarent, beneficia quidem amitterent, honoris tamen sui detrimentum nullum acciperent? Num Ecclesiastici caelibatus lex clericis omnibus in Ecclesia occidentali in sacris ordinibus constitutis praescripta, talis est, ut sine honoris offensione, quando beneficia dimittantur, contemni, ac violari possit? Nonne hoc idem esset, ac legem illam, quae tanto Ecclesiae catholicae ornamento est, legis qualitate, et praerogativa praeditam esse inficiari?

Praetereo tandem quae superius recensuimus de iniqua a Protestantibus adhibita agendi ratione, qui neque pactis initis sibi standum esse iudicantes, volebant, eos beneficia ecclesiastica ditissima retinere, qui Augustanam confessionem amplexi, Ecclesiastici ordinis iura, legesque violabant. Satis enim sunt, quae hucusque animadvertimus, ut ostendatur, quae ad Protestantium favorem in memoratis superius Ordinum imperii conventibus statuta sunt, sine Religionis detrimento generatim non accidisse. Debuimus tamen de conventibus illis loqui, qui magnam aetatis, de qua agimus, historiae partem continent, ne tam gravem illorum temporum vicissitudinum notitiam omisisse videremur.

CAPUT LII.

DE ROMANIS PONTIFICIBUS, QUI SAECULO XVI USQUE AD CONCILII TRIDENTINI EXITUM ECCLESIAE PRAEFUERUNT.

Cum de Concilii Tridentini celebratione proximo capite loquuturi simus, opportunum esse nobis visum est in antecessum praecipua referre, quae ad eorum Romanorum Pontificum historiam pertinent, quibus Pontificibus Ecclesiam gubernantibus, de eiusdem concilii celebratione facienda actum est, et quorum auctoritate deinde illud habitum revera fuit. Cum historia enim concilii ipsius coniunctum omnino est, ut concinna saltem de eorum pontificatu notitia tradatur, qui non modo participes, sed principes, et auctores rei tantae gerendae sapientissimi fuerunt. Nam certum est, multo antequam concilium indiceretur, et haberi inciperet, de illo convocando, et celebrando agi coepisse, ac praeterea constat, post concilium inceptum usque ad eiusdem exitum, plures Pontifices sibi invicem in D. Petri cathedra successisse, ita ut cum illud sub Paullo III initium habuisset, in posterum sub Iulio III concilii prosequutio, seu nova indictio fuerit decreta, atque habita, et demum sub Pio IV concilii aliae omnes sessiones celebratae fuerint, et tandem aliquando illud fuerit absolutum.

Esset incongruum sine ordine aliquo chronologico de his Pontificibus agere. Quare opportunius esse credidimus, Pontificum omnium seriem recensere, qui ab ineunte saeculo decimo sexto, usque ad tempus, quo Concilium Tridentinum absolutum est, Ecclesiae praefuerunt.

De Iulio II quidem, in huius voluminis cap. XLIV loquuti sumus, cum de Concilio V Lateranensi Generali, et de Leonis X electione pertractavimus. De Iulio II, inquam, qui Ecclesiam gubernavit antequam Lutherana reformatio inciperet: quapropter res ab eo gestae cum concilii Tridentini celebratione nihil possunt habere commune. Iulius tamen II is Pontifex fuit, qui summum Ecclesiae regimen gerebat, cum primi huius aetatis anni fluere coeperunt. Nam Pio III die 18 Octobris anno 1503 demortuo Iulius II successerat, qui usque ad diem 23 Februarii anni 1513, Pontifex fuit, quo die vita functus est. Quid ille gesserit, magna quidem ex parte, memorati superius concilii Lateranensis quinti historia docet. Cetera ad praesens huius loci propositum non pertinet singillatim hic narrare. Ad Pontificem potius Iulii II proximum successorem veniamus, quo Ecclesiam gubernante, Lutherus, prout pluries diximus, errores suos spargere, et Ecclesiam ipsam graviter perturbare coepit.

Iulio II die 21 Februarii anno 1513 prout retulimus mortuo, Cardinales in conclave convenientes successorem die 11 Martii elegerunt Ioannem Mediceum Florentinum, Laurentii Medicei celeberrimi filium, qui aetatis annum tricesimum septimum absolverat, S. Mariae in Domnica Diaconum Cardinalem, qui Leonis X nomen suscepit. Pontificatum vero is gessit annos octo, menses octo, et dies 20, cum die 1 Decembris anno 1521 mortuus sit. Fuse de Leone X superius in voluminis istius capite XLV egimus, quo loco praeclara eiusdem ornamenta exposuimus, et allatas contra eum a Paullo Sarpio, seu Petro Suavio Polano, Le-Courayerio, Villersio, Sismondo Sismondio, Potterio, aliisque accusationes refutavimus.

Quod vero praecipue ad rem nostram nunc facit, illud est, quod ad

Leonis X curam, atque sollicitudinem refertur, quam ille demonstravit, cum Lutherus errores suos primum spargere coepit. Iniuria autem Pontificis istius inimici affirmaverunt, eius imprudentia factum fuisse ut Lutherus ad detrahendum de Indulgentiis excitaretur, atque ita reformationi suae initium faceret. Doctissimi enim viri, quos inter Cardinalis Pallavicinius in historia concilii Tridentini, ostenderunt hanc accusationem calumniosam esse. Potuit enim Leo X promulgandarum per Germaniam indulgentiarum munus Patribus ex Ordine Praedicatorum committere, potius quam Augustinianis, quin iniustitia aliqua contra istos intercederet. Nihil vero commune erat inter promulgandarum indulgentiarum munus Dominicanis tributum, et ea quae in Indulgentiarum causa Lutherus gessit. Nam de ipsa indulgentiarum virtute Lutherus male dixit, et indulgentias concedendi potestatem ipsam sprevit, atque ut ab omnibus indulgentiae ipsae contemnerentur efficere conatus est. Talem denique agendi rationem adhibuit in ea re Lutherus, ut iniusti praetextus tantummodo occasionem, non autem iustam indignationis causam ex eo facto desumere ille potuerit. Videlicet homo nefarius, contra Catholicae Ecclesiae fidem iamdiu virus animo conceperat, quod tunc palam effundendum esse iudicavit.

Quanta vero Leonis X sollicitudo fuerit, ut nascentem Lutheranam haeresim sine mora comprimeret, iam significavimus, cum superius cap. 47 de Martino Luthero, et haeresi ab eo inducta loquuti sumus. Vidimus enim, Leonem nihil omisisse, ut Ecclesiae, et Reipublicae in tanta, quae tunc excitari incipiebat, calamitate succurreret. Nam litteris scriptis, Legatisque missis, atque omni, quanta potuit, adhibita cura conatus primum est Lutherum humaniter flectere, et ad meliora consilia revocare; tum edita constitutione anno 1520 haereticam Lutheri doctrinam ipsam damnavit, ac Lutherum praeterea, asseclasque illius omnes, alia constitutione anno posteriori promulgata, anathemate mulctavit. Atque eo quidem tempore Lutherus, prout Guillelmus Roscoeius in opere inscripto *Vie, et Pontificat de Leon X* ex anglicano idiomate Gallice reddito, et Parisiis edito anno 1808 *tom. 3 cap. 15* animadvertit; atque eo, inquam, tempore Lutherus in Leonem excanduit, et ad futurum concilium Generale appellans, bellum quodammodo Pontifici indixit. Etsi vero Lutherus nullum iniuriarum genus omiserit, quo Leonem afficeret, Pontifex tamen minime his perterritus, in asserenda fidei doctrina, et Catholicae Ecclesiae dogmatibus strenue propugnandis constanter perseverans, effecit, ut incauti decipi non possent, omnesque simul intelligerent, quem tramitem tenere necesse esset, ne novitatum erroribus capti, a vera Ecclesiae doctrina deficerent. Legi possunt de his rebus permulta, quae Raynaldus, et Spondanus habent in annalibus, Cardinalis Pallavicinius in hist. Conc. Trid. *l. 1. cap. 2 et seqq.* et Audinus praeterea in pluries a nobis memorata Lutheri vitae historia, atque in opere inscripto *Histoire de Leon X* Parisiis anno 1844 edito.

Successit Leoni X die 9 Ianuarii anno 1521 Hadrianus VI qui tamen brevem anni unius, mensium octo et dierum sex pontificatum habuit, cum die 14 septembris anno 1523 mortuus sit. Hadrianus autem vere Batavus Traiectinus fuit (Spondanus ait ad annum 1522 n. 2), honesto quidem, sed pauperi genere natus, ita ut cum optimae indolis, ac spei adolescens ipse esset, et a Florentio Patre non posset ad bonas artes propriis sumptibus institui, Lovanium deductus, in collegio Portiorum gratuitum ad studiorum curriculum peragendum locum impetravit. Brevi litterarum, Philosophiae, et Theologiae cursu singulari cum laude confecto, et egregiis moribus conspicuus,

Margaritae Caroli Caesaris amitae, quae Belgium procurabat, patrocinio adiutus, ob virtutum ornamenta, quibus ad eius notitiam pervenerat, primo parochiale quoddam beneficium, deinde Decanatum Ecclesiae Lovaniensis, una cum Vicecancellieratu academiae obtinuit.

Non modo autem Hadrianus, propter morum, et vitae integritatem, sed etiam ob lectiones, scriptaque sua celebris evaserat. Quare in posterum Carolo ipsi Augusto Praeceptor datus, et Episcopus Detrusensis in Hispania factus, a Leone X in sacrum Cardinalium collegium adlectus est titulo Pammachii, Sanctorum Ioannis et Paulli, ob commendationem Maximiliani, qui Caroli avus erat; denique a Carolo ipso, cum in Germaniam ad imperium adipiscendum iret, Hispaniae Gubernator constitutus, post Leonem X mortuum, Pontifex, inopinato ferme modo, electus est. Is autem electionis suae nuntium apud Victoriam Cantabriae oppidum accepit, et nomine, quo antea appellabatur, minime mutato, Hadrianus VI dici voluit, cum annum tunc ageret aetatis suae sexagesimum tertium.

Ubi vero primum Hadrianus de electione sua certior factus est, ditioni Pontificiae gubernandae ita providit, ut per Triumviros Cardinales ex triplici sacri Collegii ordine desumptos, negotiis publicis gerendis consuleret. Professionem vero fidei ita pronuntiavit, ut se omnem daturum operam esse promiserit, quo sancta Catholicae Ecclesiae fides ubique vigeret, errores haeretici in Germaniae regionibus recens exorti profligarentur, Christiani Principes ad bellum contra Turcas renovandum foedere iungerentur, et domicilium tandem Roma ipse alio non esset translaturus. Romam autem maritimo itinere veniens, die 30 Augusti anno 1522 Hadrianus ingressus, solemni pompa postridie in Basilica Vaticana coronatus est, in non magna tamen populi frequentia, cum pestilitate Urbs eo tempore laboraret, quae fera pestilitas, non superstitioso quodam ritu, ut falso a nonnullis memoriae proditum est, sed piis praesertim supplicationibus, et precibus ad Deum fusis, tandem aliquando facessere visa est.

Etsi vero Hadrianus Romam veniens, et ibi solemniter coronatus, multa incepisset agere, ut Ecclesiae, et Reipublicae bono consuleret, ob brevem tamen, quem gessit, prout superius diximus, pontificatum, quae sibi proposuerat, efficere omnia non potuit.

Et ad civilem rempublicam quod pertinet, satis erit commemorare eius studium, ut Arimini civitas, quae ditionis Pontificiae propria iamdiu erat, quamque Sigismundus Malatesta post Leonis X obitum occupaverat, recuperaretur, atque ut auxilia compararentur, ad insulam Rhodium, et ad Hungariae regnum a Turcarum invasione liberandum. Quod vero spectat ad Ecclesiae bonum procurandum, satis est recordari quae ille gessit, et scripsit, ut Lutherana haeresis comprimeretur, et Lutherus, qui e recessu Wartburgensi egressus, atque audacior, et petulantior factus incendium quotidie gravius inflammare conabatur, tandem aliquando coerceretur, et ab Ecclesia perturbanda desisteret. De qua postrema re legi praecipue potest Spondanus ad *an. 1521 n. 6 et seqq.* et ad *an. 1522 n. 7 et seqq.*, quibus locis monumenta omnia ad rem illustrandam opportuna eruditissimus ille scriptor adduxit.

Erat praeterea Hadrianus plurimum studiosus, ut Ecclesiasticae disciplinae severitas accurate restitueretur. Huius autem rei testes praesertim afferri possent litterae, et monita, a Pontifice communicata Francisco Cheregato Episcopo Theramensi, quem suum in Germania Nuntium Apostolicum destinaverat, praesertim ut in conventu Imperii Ordinum Norimbergensium, qui anno 1522 haberi coeperat, de gravis-

simis Ecclesiae negotiis componendis ageret, quas litteras Cardinalis Pallavicinius inter ceteros, in Historia Concilii Tridentini *lib. 2* recenset. Ad haec ipsa autem tempora referuntur postulata illa omnibus nota, quae *Centum Gravamina Germaniae* solent appellari. Ea autem postulata, ut Spondani eiusdem verbis utar, proposita sunt, auctoribus praecipue Lutheranis, quo nihil intentatum relinquerent, quod faceret ad conflandam invidiam Pontifici, et Ecclesiasticis; quippe quae pro maiori parte eo tendebant, ut Pontificiam maiestatem, et Apostolicae sedis auctoritatem, et Ecclesiasticum ordinem deprimerent, omnemque disciplinam Ecclesiasticam, et antiquas, receptasque consuetudines profligarent.

Et quoniam de postulatis istis, seu gravaminibus sermo hic incidit, erit opportunum breviter ea referre, quae doctissimus Franciscus Antonius Zaccaria, in adnotatione subiecta capiti septimo memorati superius libri 2 historiae Trid. Concilii Cardinalis Pallavicinii, de iisdem gravaminibus loquens animadvertit.

Itaque concedi nullo modo posse iure contendit Zaccaria, gravamina illa omnia, existimari posse a conventu Norimbergensi profecta, et Ordinibus Imperii Norimbergensibus tribui debere. Ita de hac re scriptores idonei iudicarunt. Nam haec Gretseri in *defens. Bellarminii de translat. Imp.* sententia fuit. « Libellus, » inquit, centum gravaminum, quem » Lutherani etiamnum cudunt, et re» cudunt, et numquam non in ore » habent... nec ab Imperio, nec ius» su Imperii compositus est, sed a » Lutheranis fabrefactus, et non alio » consilio dispersus, nisi ut, quod a » paucis tenebrionibus fraudulenter » factum erat, id augusto Imperii » nomine gestum censeretur, sicque » ad id, quod Lutherani volebant, » obtinendum accommodatius esset. » Eadem Surii quoque in comm. ad an. 1523 sententia fuit. Etenim ait: « Prodiit tunc liber centum grava» minum, auctoribus Lutheranis, ut » nihil intentatum relinquerent, quod » faceret ad conflandam invidiam Pon» tifici, et Ecclesiasticis. » Ita tandem Maimburgus ipse opinatus est, scriptor quidem nimii in Romanam Sedem studii suspicione carens. Maimburgus enim in *hist. Lutheranismi,* aperte fatetur, haec gravamina, Lutheranorum opus aperte fuisse, ad Pontificiam auctoritatem, ad Ecclesiasticam disciplinam, et ad vetustissimas quasque Christianae Religionis consuetudines funditus evertendas elaboratum.

Sunt vero perspicuae rationes, quamobrem ita sit iudicandum. Nam in scripto illo, quod gravaminum nomen habet, de Purgatorii, et Sanctorum cultus doctrina detrahitur; Mendicantium Ordines contumeliis afficiuntur; ferias, templorum, coemeteriorum, atque aeris campani consecrationes, veluti superstitiosas delendas, aliosque sacros ritus abrogandos, et Clericalem statum tribunali laico subiiciendum esse proponitur. Verum haec ab ipsis Imperii Ordinibus, ab ipso, ut dici solet, Corpore Germanico, profecta, ac postulata esse, credi non potest. Nam etsi negari nequeat, inter eos, qui conventus Norimbergensis participes erant, multos fuisse, qui haeresi lutherana erant infecti, erant tamen in Ordinibus illis multi catholici, et ecclesiastici. Atqui horum etiam nomine, et consensu, ista proponi, et postulari potuisse, nulla ratione concedi posse manifestum est. Quae enim ex gravaminibus deprompta significavimus, cum sententiis, quae Catholici cuiuslibet propriae esse debent, penitus pugnant.

Quaenam igitur ex gravaminibus, seu postulationibus, ad Norimbergensem conventum allata esse dici possunt? Ex gravissimorum scriptorum testimoniis desumi argumentum potest; decem illa tantum mitiora gravamina, ad illum conventum deducta esse, quae sub Maximiliano I edita primum fuerant, quibus alia

etiam fortasse addita sunt. His gravaminibus sub Maximiliano I allatis, aliisque, quae illis addita fortasse sunt Lutheranorum opera, illorum numerus adeo percrevit, ut ad centum usque pervenerit. Scriptoribus, quos paullo ante memoravimus, et quos gravamina Lutheranis tribuisse vidimus, adiungendus est Cochlaeus, et Thomas Campegius Episcopus Feltrensis, qui et ipse in posterum Nuntii Apostolici munere in Germania functus est. Nam uterque iste scriptor, id quod dicimus, aperte tradidit, videlicet, ista centum gravamina, non Ordinum Norimbergensium, sed hominum Lutheranorum opus reputandum esse.

Itaque Cochlaeus in *hist. de actis Lutheri ad annum 1523* haec narrat: « Absente tunc procul in Hi» spania Carolo Caesare, celebrantur » comitia Imperialia Norimbergae a » Vicario imperii, fratre eius Fer» dinando etc. In quibus sane mul» tus, variusque tractatus fuit in » negotio fidei. Nam et Hadrianus VI » Romanus Pontifex quendam eo mi» serat Archiepiscopum Franciscum » Cheregatum, virum disertum, cum » plenissima instructione, et paterna » oblatione ad mitigandos animos » germanorum etc. At quanto beni» gnius se offerebat Pontifex, tanto » ferocius agebant Lutherani... ma» xime quiritantes contra abusus Ro» manae curiae, de quibus tamen » abolendis Pontifex ipse benignis» sime omnem operam suam ultro » pollicitus fuerat. Proposuerant qui» dem Imperii Principes gravamina » quaedam, quibus inique gravari » videretur natio Germanica, non » solum a Curia Romana, sed etiam » ab Episcopis, et Praelatis Germa» niae. Et proposuerunt ea, non modo » Norimbergae in comitiis, verum » etiam Wormatiae prius, coram » Caesare. At Lutherani omnia ad » sinistram, et iniquam intentionem » detorquentes, ac depravantes, sum» pta inde occasione, ediderunt li» brum, tum Latine, tum Germani» ce, cui titulum fecere Centum gra» vamina Germaniae. In quibus sane » recensendis, non solum, et mali» gne in odium Papae, et Cleri omnia » exaugebant, et in peiorem partem » interpretabantur, verum etiam im» pie plerisque antiquissimis caere» moniis Ecclesiae, quibus Episcopi, » et clerici in suis functionibus rite » utuntur, derogabant. Atque ut o» dium in Papam adhuc magis adau» geretur in populo, adiunxerunt et» iam summas omnium Annatarum, » quas totius orbis Episcopi, loco pri» mitiarum, Summo Pontifici, in con» firmatione sui adnumerare solent, » ut longe gravissima exactio, et infi» nita prorsus pecunia videatur quot» annis a Papa exigi inique. »

Quid vero Thomas Campegius de totius gravaminum contextus auctoribus iudicaverit, nunc videndum est, quid, inquam, de hoc senserit Campegius, qui accuratam gravaminibus ipsis responsionem scripsit, quae in Vaticanum tabularium relata est. Ita vero de gravaminibus Campegius loquutus est, ut ostenderit, se existimare illud opus Nationi Germanicae falso tribui. Etenim in suo ad primum gravamen responso affirmavit, se non « credere, eos qui Germano» rum nomine haec gravamina edi» dere, voluisse in universum hu» manas damnare constitutiones. » Agens vero de nonagesimo quarto gravamine, ait: « Tam indigne in» vehuntur qui haec protulere gra» vamina, in viros doctrina, et re» ligione insignes, et in Romanam » Ecclesiam omnium Ecclesiarum ma» trem devotos, ut indignos se red» dant, quibus de his responsum de» tur. » Haec autem Campegii verba manifeste significant, eius mentem fuisse, auctores gravaminum, non quoslibet proprie dictos Norimbergensis conventus participes, sed homines Lutheranos iudicari oportere.

Evincit denique in sua ad tricesimum gravamen responsione Campegius, huius scripti auctores, non veritate iniuriarum, quas Germani

paterentur, adductos esse ad querelas illas congerendas, sed ut de Ecclesia Catholica, et Romano Pontifice detraherent. Nisi enim ita esset iudicandum, profecto gravaminum auctores, minime inter gravamina posuissent quandoque id, quod antea fuerat concessum, quodque ideo tunc improbatum, impugnatumque fuerat, quia concessum fuisset. « Verum animadvertimus, ait, admiratione dignum, quod in comitiis Norimbergae habitis, quando edita sunt gravamina, pro onere habitum est, quod mundus, et pretiosior supellex Ecclesiarum pro communi Christianorum utilitate in medium non conferretur; et post annos septem in conventu Augustensi, pro gravi, et intolerabili onere habitum est, quod a fel. rec. Clemente VII Serenissimo Principi, Ferdinando tunc Hungariae, et Bohemiae, modo etiam Romanorum Regi indultum fuerit, ut pro defensione civitatis Viennensis, et bello contra Turcas sustinendo, ab Episcopis, Archiepiscopis, et aliis Praelatis, mobilia pretiosa, et quae vocant *clenodia,* nec non immobilium quota pars venderetur; sicque utrumque, et alienare, et non alienare huiuscemodi bona, pro onere est habitum. Quo edocemur, multa pro onere haberi, quae si tollerentur, maiora afferrent detrimenta, et rerum perturbationem. » Hoc vero postremum Campegii testimonium, non modo ostendit, Lutheranis praecipue auctoribus gravamina centum esse prolata; sed etiam, nisi fallor, explicat luculenter, quam malo animo ea composita fuerint.

Haec, quae attulimus, satis aperte demonstrant, quibus praesertim auctoribus memorata gravamina debeantur. Negari tamen non potest, agendi rationem, qua Cheregatus in conventu Norimbergensi usus est, multum inservire potuisse, ut ad querelas afferendas commodior via sterneretur. Nam quae Hadrianus VI Cheregato significaverat, et in quibus Pontifex exposuerat causas, quamobrem ipse arbitrabatur, Romae quoque multa emendari oportere, et abusus esse auferendos, qui in urbe obtinuerant; ea Cheregatus Norimbergae palam confessus est, atque adeo demissa loquendi ratione, ut iusta querelarum causa in rebus a Romana curia gestis posita esse videri posset. Hanc Cheregati expositionem Lutherus ipse sibi gratulans, cuius pretii ex ea esset existimanda vehementer exaggeravit, et inter Cardinalis Caietani, ac Cheregati loquutiones comparatione facta, quantopere Reformationis a se excogitatae negotium proficeret, amplificavit.

Quamobrem illud certe mirum esse non potest, a Norimbergensi conventu Cheregatum minime humilem responsionem retulisse. Itaque eo se continuerunt ii, qui Norimbergensis conventus participes fuerunt, ut edicti contra Lutherum antea Wormatiae lati inexsequutionem, iustis querelis, quibus Romana Curia occasionem praebuerat, tribui debere dicerent; optimum esse pronuntiarent, Hadrianum Pontificem ipsum romanos abusus fateri, et eorundem corrigendorum necessitatem declarare, praesertim ut pecunia ex Annatarum proventibus derivanda, ad legitimum usum converteretur. Unam interea pacis Germaniae restituendae rationem superesse, videlicet, concilii celebrationem; dum simul operam daturos se esse dicerent, ut Lutherus taceret, et Ordinarii locorum ecclesiasticos, et monachos status sui desertores, in officio continendos, et poenis canonicis coercendos curarent. Legendus de his Cardinalis Pallavicinius in *hist. Conc. Trid. lib. 2 cap. 8* et Audinius in *hist. vitae Lutheri tom. 2 cap. 6.* Haec, quae Norimbergae evenerunt, Pontificem Hadrianum magno dolore affecerunt, qui, non multo postquam Cheregatus Romam reversus fuerat, die 14 Septembris an. 1523 mortuus est, cum Ecclesiae praefuisset annum unum, menses 6 et dies 11 prout

in eius sepulcri inscriptione legitur, « quod post temporariam apud S. Petrum depositionem, ait Spondanus, » erectum est ei amplissimum in Ecclesia S. Mariae Teutonicorum, dicta de Anima, a Guillelmo Enckenvordio Belga, quem ex Episcopo Detrusiensi, et Datario suo in » ipsa aegritudine, paucis ante obitum diebus, vocatis ad se Cardinalibus, presbyterum tituli Sanctorum Ioannis et Paulli creavit, » nullo alio, toto Pontificatu, ad » eam dignitatem evecto, nemineque » ex suis ad altiores dignitates, aut » maiora beneficia Ecclesiastica promoto.»

Hadriano VI die 19 Novembris anno 1523 suffectus est Iulius Mediceus, postumus filius Iuliani Medicei, qui in celeberrima Pazziorum coniuratione Florentiae anno 1478 excitata interfectus fuit, Leonis X consobrinus, a quo deinde Archiepiscopus Florentinus, et Cardinalis factus est, qui Clementis VII nomen suscepit, quique Ecclesiae praefuit annos decem, menses 10, et 6 dies, cum anno 1534 die 26 Septembris mortuus sit, et in aede S. Mariae supra Minervam sepultus.

Anno 1526 conventione facta cum Regibus Galliae et Angliae, Venetis, aliisque Italiae Principibus, contra Carolum V Imperatorem se coniunxit. Ex eo autem foedere magnam sibi, et toti urbi calamitatem, ac vastitatem comparavit. Comestabilis Burbonius, qui Franciscum I Galliae Regem dereliquerat, et Carolo V adhaeserat, petierat a Pontifice ut posset cum exercitu per ditionis Pontificiae regiones transire, atque iter Neapolim versus facere. Cum Clemens VII Burbonio transeundi cum copiis suis facultatem denegavisset, ille indignatus, impetu facto, cum exercitu ad urbem venit, et die 5 Maii 1527, ad urbis moenia castra posuit, eamque postridie expugnatam cepit, quae depopulata, ac vastata duorum mensium spatio, horribilem cladem, et calamitatem omnis generis tantam perpessa est, quantam ipsa ab Alarici copiis antea non pertulerat; atque in ea re crudeliores, et atrociores Germani milites fuerunt, qui magnam partem erant Lutherani.

Burbonius quidem igneo percussus globulo interfectus est, dum urbem aggredi conaretur una cum suis, ex ea parte, quae prope Vaticanum, templo S. Spiritus proxima est. Quare Burbonius iniqui consilii sui, antequam illud ad effectum perduceretur, poenas luit. Non erit inopportunum Spondani locum ad eum annum n. 4 afferre, in quo hanc illatam teterrimam urbi cladem, ac vastationem describit.

Interitu Burbonii, Spondanus ait, Guicciardinii narrationem sequutus, Burbonii interitu, militum ardor non modo non deferbuit, sed multo est accensus magis, qui cum duas horas magna vi pugnassent, tandem suburbium sunt ingressi, circiter mille ex suis desideratis; ex Romanis vero, tam in certamine quam in ipso direptionis furore, quatuor millibus, seu, ut Iovius habet, septem, quibusdam aliis, quinque sexve millia Italorum, Caesarianorum verum tercentos tantummodo occisos enarrantibus. Pontifex in arcem S. Angeli se recipiens cum multis Cardinalibus, dum, utrum ibi manendum sibi esset, an per urbem, cum expeditis equitibus custodiae suae, in tutum aliquem locum confugiendum (quod facile erat, nondum hostibus in urbem irrumpentibus, qui nonnisi sub solis occasum per pontem Sixti in eam ingressi sunt) quaereret; a Berardo Patavino, qui ab hostibus transfugit, monitus, totum exercitum de morte Burbonii consternatum pacem cupere, infeliciter abeundi consilium neglexit.

Ingressi milites urbem ad praedam discurrere coeperunt, eaque nocte nihil umquam lugubrius, aut funestius Roma vidit; omnibus in locis ad satietatem usque editae hominum strages, nobilissimi quique tormentis excruciati, virgines, matro-

nae, sacrae virgines constupratae; Cardinalium domus, Principum, Legatorum, Antistitum expugnatae; templa, multis necatis, aut excruciatis sacerdotibus, direpta; sacrae reliquiae dispersae, et igne combustae; sacratissima Eucharistia conculcata; omne genus impietatis, et saevitiae commissum. Id ipsum consequentibus diebus factum; adeo ut calamitates, quas tunc Roma passa est, non modo explicari, sed ne cogitatione quidem comprehendi possint. Prae quibus Wandalicae, ac Gothicae illae antiquae, rosae fuerunt, et flores optimi odoris, comparatae spinis aculeatissimis, et foetori teterrimo huius Germano-hispanicae, quam qui accuratissime describere studuerunt, longissime a facinorum patratorum foeditate superati noscuntur.

Praedae vero magnitudinem enarrare quis valeat? Quam ad ducenties centena millia, hoc est viginti milliones, ut vocant, aureorum ascendisse volunt; eamque in immensum auxit ingens captivorum, qui post maxima se pecunia redemerunt, et dignitas, et numerus. Quod vero calamitatem mirum in modum cumulavit, Bibliothecae fuit Vaticanae, aliarumque locupletissimarum vastatio, librorumque dilaceratio, atque regestorum Pontificiorum combustio, irreparabili in omne aevum damno. Post haec describit Spondanus, militum, praesertim Lutheranorum erga quoslibet sacra dignitate praeditos viros odium, ac crudelitatem Hispanorum quoque militum, et Italorum erga Romanam urbem ferociam recenset. Tum haec subdit.

De quibus tamen militibus agens Iovius, qui aderat cum Pontifice arci inclusus, hoc inter eos discrimen constituit, quod Germani Lutherani, quamvis feritate, et truculentia terribiles, nihilominus a primo impetu, quo armatos deleverant, a gladiis temperabant, usque adeo remissa animi ferocia, ut exiguo facile pretio libertatem captivis darent, et praesentibus tantum spoliis, et compotationibus laetarentur, verterentque demum furorem in templa, et antiqui operis statuas; Hspani astuta et implacabili crudelitate acerbiores, ut abdita, arcanaque familiarum eruerent, tormentis, atque suppliciis in nobilissima corpora grassarentur, tanta auri cupiditate, ut Iulii Pontificis cadaver multa exesum carie eruere, et annulo spoliare non dubitaverint. Itali, Brutiique praesertim, Hispanorum facinora, decerptis vitiis, nec ullis omnino admistis virtutibus, facile aequabant, et eo graviore cum invidia, quod in obsequium barbarorum longe promptissimi, aemulatione scelerum, ab amore, charitateque communis patriae discessissent.

Equidem intelligo neminem talia fando a lacrimis posse temperare, prout Aeneas de Troiae excidio apud Virgilium lib. 2 Aeneidos affirmavit. Sed fuit haec usque ad illud tempus Romanae urbis inaudita calamitas: illius scilicet aetatis infortunium, ut quidquid Romanum esset, periculi nomine censeretur. Et usque ad nostra tempora, quemadmodum Muratorius animadvertit, incussus his sceleribus, caedibusque nefariis horror, ac terror populari traditione ita perseveravit, ut corrupto Burbonii nomine, pueris, praesertim in Urbe Roma, vanus ceteroquin timor iniici soleat.

Clemens VII in arcem S. Angeli confugerat. In ea arce, militum copiis circumseptus, atque omni simul ope destitutus, eo est redactus, ut Archiepiscopo Capuano interveniente, die 5 Iunii eodem anno 1527 de deditione agere debuerit iniquis hisce conditionibus; 1. ut tercentum millia aureorum, constituto brevi temporis spatio, solveret; 2. ut arcem S. Angeli ipsam Imperatoris exercitus ducibus dederet; 3. atque ut ipse Pontifex obses, vel captivus maneret, quoad pecuniae impositae dimidiam summam numerasset. Eodem tempore Pontifex iubebatur Imperatoris officialibus urbes Ostiae, Cen-

tumcellarum, ac Tifernum cedere, et iisdem restituendas curare Parmae ac Placentiae civitates. Verum Pontifici id iubenti nemo ex iis, qui memoratis civitatibus praeerant, obtemperavit, aut conventioni per vim initae assensus est. Interea tamen Clemens VII pecuniam numerandam solvendo non erat, atque in gravissimis rerum angustiis versabatur. Accessit etiam, ut pestilentia, quae in tanta calamitate urbem invaserat, in arcem quoque S. Angeli penetrarit. Quare tandem aliquando summis precibus, Pontifex, et Cardinales, qui cum eo erant, die 11 Augusti impetrarunt, ut sub Hispanorum militum custodia, ad palatium Vaticanum transferrentur. Inde vero iterum ad arcem S. Angeli coacti sunt reverti, ex qua arce die 9 Decembris Pontifex, simulatis mercatoris vestibus indutus, egressus est, et Urbiventum deductus.

Galliae Rex commotus hac iniqua agendi ratione, et indignatus hanc impiam erga Romanum Pontificem adhibitam crudelitatem, iusserat copias suas, quae in Italia erant, Romam petere, et Pontifici opem ferre. Tunc exercitus Caroli V duces intelligentes periculum, quod imminebat, Roma abeundum esse senserunt, et Hugo de Moncada debuit cum Pontifice pacisci, id quod die 26 Iunii anno 1529 ad exitum perductum fuit. Clemens VII vero cum Carolo V reconciliatus, eundem Bononiae morantem die 24 Februarii anno 1530 Imperatorem coronavit. Per ea tempora, quibus tam grave infortunium Clemens VII passus est, affligebatur etiam Pontifex controversia cum Henrico VIII Angliae Rege, ob novum, quod is ineundum curabat cum Anna Boleyna matrimonium, de qua re huius voluminis cap. XLIX loquuti sumus.

Cum Clemens VII pontificatum gereret, pertractari serio coepit de Concilii Generalis celebratione facienda, ut dissidia propter Lutheranam haeresim excitata, quaeque Germaniam praesertim tantopere perturbabant, finem haberent. Lutherani quoque Concilii celebrationem postularunt. Legendus tamen Raynaldus *ad an. 1530 n. 171 et seqq.* et Pallavicinius in Hist. Conc. Tridentini *lib. 2 c. 8 et seq.*, ubi de Clemente VII agit. Ex iis enim, quae a duobus nunc memoratis scriptoribus afferuntur, facile colligi potest, non restitisse Pontificem Concilii celebrationi, nisi quod timeret, ne Lutherani non bona fide illud peterent, neque parati essent, iis, quae Concilium decrevisset, obtemperare. Praeterea timebat ne propter bellorum impendentium vicissitudines, opportuna tunc non esset ad concilii celebrationem tempora. Tandem, ex litteris die 1 Decembris an. 1530 a Pontifice ad Ferdinandum Regem scriptis, quas Raynaldus n. 175 refert, perspicue apparet, Clementem, quando omnia rite servanda servata fuissent, paratum se demonstrasse ad Concilii in Italia celebrandi indictionem sine mora faciendam.

De eadem Concilii celebratione anno 1533 actum etiam est, sed magnas difficultates huic negotio tam gravi absolvendo, praesertim quod Galliae, et Angliae Reges non assentirentur, Annales Raynaldi inter cetera, quae afferri possent monumenta perspicue evincunt. Praeclarum denique, ut alia omittam, Clementis VII voluntatis testimonium, ferme tota anni decimi eius Pontificatus, seu 1534 historia continet. Illum enim annum fere universum in ea re pertractanda Pontifex insumpsit. Difficillima tamen etiam eo tempore erant ad concilium habendum adiuncta. Plurimum praeterea Pontifex, legatis missis, et litteris scriptis debuit laborare, ut intelligerent Lutherani, si Sedes Apostolica ad concilium indicendum adducta fuisset, non alia certe conditione ad hoc eam adductum iri, nisi ut Concilium, more in Ecclesia recepto, ac semper religiose servato celebraretur, minime vero eorundem

Lutheranorum arbitratu synodi Generalis convocatio, et celebratio fieret.

Ea autem res Lutheranis minime placebat. Nam non talis erat Lutheranorum mens, ut Concilium Generale pro Ecclesiae bono haberetur: sed ut Concilii praetextu, vel diutius liberiores esse possent in errorum et causae suae defensione, vel ut Concilium tale celebraretur, in quo ipsi dominarentur, et de catholicis impune triumpharent. Quare si tunc non potuit Concilii Generalis celebratio definitive, ac sine dilatione decerni, id non Clementis VII repugnantiae, quasi alieno ab ea celebratione facienda fuerit animo, sed gravissimis rationibus, huius rei tantae gravitatis exsequutionem impedientibus, tribuendum est. Verum haec de Clementis VII pontificatu dixisse satis sit. Veniamus potius ad referenda praecipua facta, Paulli III pontificatum respicientia, a quo Pontifice, prout superius significavimus, Concilium Generale Tridentinum haberi coeptum est, cuius Concilii celebratio, non ad iuvandam Lutheranorum causam, quemadmodum ii futurum esse speraverant, sed ad catholicam fidem vindicandam, atque ad errores invicte profligandos opportunissimum evasit.

Alexander Farnesius Romanus die 13 Octobris anni 1534 in comitiis electus est communi Cardinalium omnium suffragio, qui Paulli III nomen suscepit. Pontifex autem fuit usque ad diem 10 Novembris 1549, quo die, aetatem agens annorum ferme 82 mortuus est, cum annos quindecim, et 27 dies Ecclesiae praefuisset. Post alios Episcopatus gestos, Alexander Farnesius Episcopus Ostiensis erat, et sacri Collegii Cardinalium Decanus, cum Pontifex Maximus electus fuit. Itaque, Clementi VII die 26 Septembris anno 1534 mortuo, non multos post dies successor datus est. Illum Clemens VII Pontifex Romae Legatum reliquerat, dum in Galliam profectus est, eumque Clemens morti proximus Mediceo Cardinali Patruelis sui filio, tamquam meritis supra ceteros insignem commendaverat, quorum meritorum ratione factum est, ut is primo Comitiorum memorato die 13 Octobris Pontifex eligeretur. Inter reliquas autem virtutes, prudentia praestitit, qua ductus noluit quacumque specie, ne propria equidem defensionis ratione, cum Principibus foedus inire. Itaque medius inter Principes perstitit, licet id aegre Carolus V toleraret.

Cum eo tamen, et Venetis foedere coniunctus est contra Turcas. Orta deinde inter eum, et Caesarem dissensione, Lucam ad colloquium cum illo habendum se contulit. Praeterea cum Francisco I Galliae Regi conciliare eundem Caesarem studeret per legatos, et nihil proficeret; veniente Caesare in Italiam ut hinc in Germaniam, ad contrahendas armorum vires pergeret, Paullus ipse per se, Caesarem ad pacem hortari voluit, atque idcirco Niciam ivit, quod idem deinde per Cardinales consequi conatus est, persuasitque Carolo, ut eorum preces, et consilia audiret. Hortatus est eum reliquorum nomine ad pacem ineundam, gravi, ac prudenti oratione Cardinalis Grimanus.

Praeter istam congressus causam, alia non minus gravis illa fuit, quae Concilii Oecumenici celebrationem respiciebat. Quod vero nonnulli, inter quos Paullus Sarpius, factum id a Pontifice dixerunt, ut Mediolanum Octavio impetraret, oblata vicissim magna auri copia, et promisso contra Gallum foedere, confutat Pallavicinius *lib. 5 cap. 3.* Cum tandem effectum esset, ut inter Carolum, et Franciscum decennales induciae firmarentur, his nondum absolutis, res turbatae sunt ex nece Petri Aloisii, cui Paullus Pater anno 1545 Parmam et Placentiam iure beneficiario tribuerat, acceptis permutationis titulo, Camertium Principatu, et Nepesis dominio, ex quibus tunc reditus ma-

iores proveniebant, ut probat idem Pallavicinius *lib. 5 cap. 14.* Itaque cum Carolus contenderet, urbes illas ad ditionem suam Mediolanensem pertinere, inter eum et Pontificem simultates ortae sunt.

Cum maxima vero esset Paulli III cura, ut Concilium celebraretur, de ea re colloquium Romae anno 1536 cum Carolo V habuit, in quo statutum est, illud Mantuae celebrandum, et mense Maio 1537 incipiendum indicere. Sed Mantuae Dux restitit, quominus ea civitas ad Concilii celebrationem designaretur. Quare illud Vicentiae potius habendum esse placuerat, sed post perlongam tractationem, Constitutione die 22 Maii anni 1542 a Paullo III promulgata, indictum est Tridenti celebrandum. Etsi vero statutum esset, ut mense Novembri eius anni concilium inciperet, illud tamen initium non habuit nisi die 13 Decembris anno 1545, eiusque primae decem sessiones revera sub Paullo III habitae sunt.

Multa praeterea Paullus III ad Ecclesiae bonum procurandum sapienter gessit. Inter quae commemorabo sacrae Cardinalium Congregationis supremae universalis inquisitionis formam ab eo institutam, religiosum Capuccinorum Ordinem, quem Clemens VII probaverat, ab eo sanctione donatum, et confirmatam inclytam Societatem Iesu litteris Apostolicis 5 cal. Octobris anni 1540 promulgatis. Petente S. Francisco Borgia, tum Gandiae Duce, librum exercitiorum spiritualium, auctore S. Ignatio, litteris, ut vocant, Brevibus commendavit. Ad disciplinam restituendam coetum instituerat quatuor gravissimorum, et doctrina praestantium Cardinalium, Contareni, videlicet, Carafae, Sadoleti, et Poli. Consuevisse etiam Paullum III ferunt, praestantissimos theologos, et philosophos inter mensam audire disputantes de quaestione aliqua, quam ipse proposuisset.

Cum die 10 Novembris anno 1549 Paullus III mortuus esset, Iulius III antea Ioannes Maria de Monte Episcopus Praenestinus die 8 Februarii anno 1550 praeter communem ferme exspectationem Pontifex creatus est. Artineum, sive verius, a Monte S. Savini eum fuisse tradunt, natum tamen ipsum Romae in regione Parionis Panvinius testatur. Prout inter alios Cardinales in conclavi convenerat, Parmam restituit Octavio Farnesio. Multa ab eo praeclare decreta sunt, quae Panvinius tunc vivens commemorat, atque inter cetera, quod « pulcherrimo edito » diplomate, haereticos, et schismaticos ad Apostolicae sedis unitatem » invitaverit, libros Haereticorum » damnaverit, eosque legi, et teneri » gravi poena vetuerit, idem de iudaeorum libro Thalmud sanxerit.» Romanae praeterea Sedis Poenitentiarii munus confirmavit edita constitutione, quae in Bullarium relata est.

De iis qui ad catholicam fidem, vel a iudaismo, vel ab infidelitate converterentur, utilia multa, et opportuna constituit. Collegium, sive seminarium Germanicum instituit, eiusque curam S. Ignatio demandavit, ut refert Pallavicinius lib. 13 cap. 8. Societati Iesu multa beneficia impertitus est; quare de eo Maphaeius lib. 2 cap. 19 vitae S. Ignatii ait « quod in Synodo Tridentina Legatus, Fabrum Lainem, et Salmeronem Theologos Apostolicos familiariter noverat, multaque tum ex » iis, tum ex aliis de Societatis Iesu » instituto didicerat, Ignatio suppli» canti multa in Societatis incremen» tum, ac rem, admodum liberaliter » tribuit. »

Concilium Tridentinum post Paulli III mortem intermissum, nova edita constitutione anno 1550 instauravit, et eo pontificatum gerente, sex aliae post decimam eiusdem concilii sessiones habitae sunt. Mortuo in Anglia Eduardo VI cum regnum ad Mariam, filiam Catharinae Aragoniae, uxoris Henrici VIII devenisset, plurimam operam contulit,

ut in eo regno catholica fides restitueretur. Mortuus est autem Iulius III die 23 Martii anno 1555, cum pontificatum gessisset annos quinque, mensem unum et 14 dies. Quae Cardinalis Pallavicinius *lib. 13 cap. 10 hist. Conc. Trid.* de Iulio III pertractat, atque ea simul, quae fuse in annalibus Raynaldus, ac Spondanus de eo Pontifice habent, tum ad plenam eius pontificatus historiae notitiam comparandam, tum ad eum ab accusationibus apposite vindicandum, inservire plurimum possunt.

Iulio III Pontifici Marcellus II olim Marcellus Cervinius, Cardinalis Roberti Bellarmini avunculus, suffectus fuit. Is in oppido Montis Iani natus est, ut Panvinius tradit, et Petrus Polidorus in eius vita probat, etsi Politianus dicatur. Electus autem est communi omnium Cardinalium suffragio, cum legatione fungeretur ad Concilium Tridentinum, die 9 Aprilis anno 1555. Vir fuit, morum integritate, prudentia et litterarum scientia conspicuus, cuius rei monumentum, inter cetera, sunt S. Cypriani opera, cum manuscriptis codicibus, praesertim antiquissimo Beneventano ab eo collata, atque illustrata, et in bibliotheca collegii Romani servata. Paullus Sarpius vitio ei vertit, Genethliacae artis curam, sed hanc calumniam refutat Pallavicinius lib. 13 cap. 11, Natalis Alexander, et Petrus Polidorus, qui postremus ab hac eadem labe vindicat Patrem Marcelli Richardum. In suscipiendo Pontificatu nomen mutare Marcellus noluit, etsi ceteri ad hoc eum hortarentur, qui brevem eorum pontificatum fuisse dicerent, qui in eo ineundo nomen non mutavissent. Erat autem Marcelli nomen, antiquissimi Martyris Pontificis appellatione religiosissimum. Nonnisi maligne autem ex nominis immutatione, quam Pontifices faciunt, poterat a Sarpio argumentum ambitionis desumi, a Sarpio, inquam, qui inter Regulares Professus, sciebat, nomen in religione profitenda sodales suos mutare solere. Vir praeterea Marcellus fuit imprimis modestus, et integer, atque ab omni familiae suae nobilitandae studio prorsus alienus, quod eo praesertim tempore, quo tam acerba, et falsa a Lutheranis contra Romanos Pontifices spargebantur, erat laudatissimum. Videndus de ea re ad annum Marcelli electionis Spondanus. In meditatione magnorum operum ex apoplexia mortuus est calendis Maii 1555, 22 Pontificatus die, in permagno urbis totius luctu.

Paullus IV neapolitanus, olim Ioannes Petrus Carafa, Ioannis Antonii Comitis Matalunae filius, aetatis annum agens 79 (natus enim erat anno 1476, ut Panvinius habet, non 1466 ut habet Ciacconius), creatus est Pontifex anno 1555 die 23 Maii, in quem diem inciderat festum Ascensionis. Fuerat iam Theatinorum Archiepiscopus, et cum S. Caietano Thienaeo Ordinem Clericorum Regularium fundaverat, ideo dictum Theatinorum. Erat autem tunc Neapolitanus Antistes, nec eum archiepiscopatum dimittere voluit. Mirum modum, quo is electus est Romanus Pontifex, fuse refert Cardinalis Pallavicinius lib. 13 cap. 11 testimonium etiam perhibens eius pietatis, relationem Navagerii sequutus. « Princeps, inquit lib. 14 » cap. 9, virtute religionis eximius, » addictus ad eam profitendam in sa- » cris claustris vel a puero, quare » decimo quinto aetatis anno, coeno- » bium PP. Praedicatorum ingressus » est, sed a consanguineis per vim » abductus, quoad ille vixit, numquam » visus est aut in pietate tepescere, » aut apostolici studii libertatem flu- » xarum rerum rationibus postha- » bere. Fatetur tamen idem Palla- » vicinius, studium pietatis non po- » tuisse in eo extinguere quosdam spi- » ritus, vel a patria, vel a familia, » vel a temperamento haustos. »

Alibi Pallavicinius summum Paulli IV Religionis studium non fuisse cum pari prudentia coniunctum concedit, nimiumque in consanguineos

amorem, virtutem enervasse, atque eiusdem Pontificatum haud ita gloriosum reddidisse. Cum tres haberet Ioannis Alphonsi fratris filios, eorum unum Carolum, Equitem Hierosolymitanum Cardinalem creavit. Duos alios honoribus, divitiis, et possessionibus auxit, quibus rebus factum est, ut in Romanae praesertim urbis magnam invidiam Paullus IV inciderit, eo quod Nepotes eius in ditione pontificia nominari quodammodo viderentur. Sed eorundem superbia, atque agendi ratione melius cognita, in eos indignatus, Pontifex a se illos amovit, et expulit. Cum ab Hispania Columnenses, quibus Paullus IV infensus gravibus de causis erat, protegerentur, natae sunt in Pontificia ditione turbae, quae auctae quoque sunt, quod Pontifex foedus inivisset cum Galliae Rege Henrico II, et Philippum Hispaniae Regem decidisse a Regni Neapolitani possessione declarasset. Quare ab Hispanis militaribus copiis multae regiones, Latii praesertim, vastatae sunt. Verum tandem anno 1557 pax et concordia restituta est.

Multa ceteroquin Pontifex Paullus IV pro religionis bono providit, inter quae ista tantum brevitatis ratione commemorabo. Videlicet ut fidei, et morum detrimento occurreret, quod ex Christianorum cum Iudaeis commercio manabat, hos segregatum a christianis locum, clausumque habitare coegit, et notam, qua a Christianis distinguerentur, habere, ac deferre eos iussit. Indicem librorum prohibitorum primus edidit. Primus item, prout Spondanus testatur, conciones in Palatio haberi voluit; Romanum Breviarium correxit; tribunali Inquisitionis maiorem etiam auctoritatem addidit. Sed eo adhuc vivo, populus aliquando tumultuatus est, et ipsius mortui statuam, quae propter beneficia in Capitolio ei posita fuerat, deiecit. Eam postea Clemens XI restituit, addita epigraphe: *Paullo IV Pontifici Maximo, scelerum vindici integerrimo, Catholicae fidei acerrimo propugnatori.* Decessit die 18 Augusti anno 1559, cum annum aetatis ageret 84, et postquam Cardinales ad se vocatos praeclare alloquutus esset, atque eos ad Ecclesiae causam diligenter iuvandam, et ad successoris sui electionem religiose peragendam hortatus fuisset.

Post Paulli IV mortem quid evenerit in conclavi, quod ad eius successoris electionem faciendam habitum est, Cardinalis Pallavicinius accurate narrat *lib. 14 cap. 10,* quae scitu digna sunt ad cognoscendam illius temporis Romanae Urbis historiam. Tandem nocte, quae diem festum Nativitatis D. N. I. C. 1559 sequebatur, electus est Pontifex Pius IV antea dictus Ioannes Angelus Mediceus, Mediolanensis, Ioannis Iacobi Marchionis Maniliani, strenui, et celeberrimi Caroli V exercitus Ducis frater. De eodem Cardinali Mediceo tunc electo Pontifice, Pallavicinius ait: Vir erat multae aetatis, multi iudicii, ac prudentiae, multis muneribus functus. Die autem solemni Epiphaniae Domini coronatus est. Mortuus autem est nocte die 9 Decembris 1565, cum Ecclesiae praefuisset annos quinque, menses undecim, et dies 15.

Paullo post quam Pontifex electus fuerat, Ferdinando I Imperatoriam dignitatem, quod eius Praedecessor facere negaverat, ratam habuit, eiusque tamquam legitimi Imperatoris legatos excepit. Condonavit etiam Plebi Romanae crimina, sede vacante patrata, idque ad preces Cardinalis Carafae, qui in Conclavi, statim post eius electionem, pro ea supplicaverat. Dum istam tamen clementiae significationem praebuit, poenas interea sanxit in eos, qui eiusmodi motus in posterum renovavissent. Non multo post magnam contra Paulli IV ipsius nepotes severitatem adhibuit, quam deinde S. Pius V quodammodo correxit, cum in iudicem, qui sub Pio IV processum contra Carafas instituerat,

capitis poena animadvertit. De qua re Muratorius ad annum 1559 consuli potest. Studuit plurimum, ut augerentur publica Urbis ornamenta, cuius rei testimonium est Flaminia, et Capena porta magnifice renovata, cui postremae nomen suum indidit.

Duo autem sunt prorsus praecipua, propter quae Pius IV de Ecclesia optime meritus est. Horum primum fuit Seminarii Clericorum in qualibet dioecesi instituendi exemplum Romano clero ipsi praebitum, cum in urbe Roma Pius IV seminarium primus instituerit, quod tanto Romanae civitati ornamento, et Ecclesiae utilitati fuit. De seminariis autem eiusmodi in qualibet dioecesi instituendis, Tridentina Synodus ipsa vehementer sollicita fuit, quae *sess. 23 de Ref. cap. 18* decretum de ea re dedit, et formam eorundem instituendorum, regendorumque praescripsit. Non est vero necesse huius consilii a Pio IV et a Concilio Tridentino suscepti laudes texere. Est enim omnibus exploratum, nihil ea re opportunius, ad clericos rite religioseque informandos, nihil ad eorum sacra praesertim studia promovenda, pietatem, morumque integritatem probandam, atque ad idoneos Ecclesiae sacros ministros comparandos, sapientius, ac securius constitui potuisse.

Alterum, in quo peragendo Pius IV praecipuum tulit de Ecclesia meritum, fuit nova ab eo facta indictio Concilii Tridentini, quod sub Iulii III vitae finem, post 16 sessiones fuerat intermissum. Itaque de eo prosequendo, atque absolvendo Pius IV Constitutionem edidit die 29 Novembris anno 1560, quae incipit *Ad Ecclesiae regimen*. Misit autem anno posteriori, constitutionis illius exempla ad omnes catholicos, et protestantes principes, eosque per legatos etiam suos monuit, de tanti huius ad exitum perducendi negotii gravitate, atque illos idcirco, ut ad Concilii prosequendi celebrationem se benevolos demonstrarent, hortatus est. Die autem 18 Ianuarii anno 1562 Concilium revera haberi iterum coepit, et sessio prima sub eo Pontifice, quae inter sessiones omnes decima septima est, celebrata fuit. Denique cum die 3 et 4 Decembris anno 1563 ultima Concilii sessio habita esset, et operam dante praesertim S. Carolo Borromaeo, Pontificis ex sorore nepote, absolutum illud fuisset, die 26 Ianuarii anno 1564 constitutionem Pius IV edidit, cuius initium est *Benedictus Deus*, qua Concilium ipsum, eiusque decreta, auctoritate apostolica confirmavit. De eo autem Concilio sermo nunc a nobis instituendus est. De reliquis vero Romanis Pontificibus, qui hoc saeculo, post Concilium absolutum, Ecclesiae praefuerunt, prout in huius capitis initio significavimus, non est huius loci pertractare.

CAPUT LIII.

DE CONCILIO TRIDENTINO, SEU OECUMENICO XVIII.

Quoties de Conciliorum Generalium celebratione egimus, toties in antecessum morem sequuti sumus, ut de causis, quapropter eorum quodlibet celebratum est, sermonem haberemus. Verum de Concilii Tridentini celebratione acturi, non est necesse, ut de earum rerum, quae Concilio celebrando causam attulerunt, pertractationem instituamus. Nam ex iis, quae hactenus in superioribus capitibus exposuimus, satis apparent causae, quae deinde effecerunt, ut concilium hoc haberi debuerit. Videlicet, turbae gravissimae a Luthero, Calvino, aliisque Novatoribus, in Ecclesia, et Republica commotae, errores innumeri ab iisdem undique praedicati, quibus universam catholicae Ecclesiae doctrinam evertere, atque Ec-

clesiam ipsam convellere, Ecclesiasticam potestatem, Hierarchiam divina ordinatione institutam de medio tollere conati sunt, praecipuam Concilio celebrando rationem, et causam suppeditaverunt.

Tantis hisce malis Concilii Tridentini celebratio consuluit. Nam doctrina Ecclesiae Catholicae contra memoratos errores explicata, ac propugnata in eo est, Ecclesiae divinitus instituta potestas, asserta, et Patrum fides vindicata fuit, atque illud Concilii huius fuit singulare, ac proprium, quod cum habitae usque ad illud tempus aliae Generales Synodi, peculiares quosdam tunc primum invectos errores impugnavissent; Tridentinum Concilium, ferme de quolibet fidei catholicae capite, doctrinam tradere, et confirmare debuerit; quod universam catholicam fidem abolendam Novatores suscepissent, et infinita propemodum ab iis inducta esset, atque in medium fuisset allata, errorum congeries.

Fuit ceteroquin alia etiam celebrandi concilii gravissima ratio, quae in morum populi christiani emendatione, atque in Ecclesiasticae disciplinae reformatione posita erat. Quare a Concilio Tridentino, de his etiam condita, et promulgata sunt sapientissima decreta, prout considerantibus ea, quae in sessionibus de reformatione continentur, id perspicue apparet. His autem decretis, abusus sublati, expeditior iudiciorum Ecclesiasticorum forma constituta, pietati fidelium, matrimonii sanctitati, societatis uberiori bono, splendori domus Dei, atque Ecclesiae universae ornamento, summa sapientia prospectum est.

Nihil dico, quibus Pontificibus Ecclesiam gubernantibus, concilium habitum sit, cum iam pluries significaverimus, Paullo III, Iulio III, et Pio IV Concilium indicentibus, et per Legatos suos eidem praesidentibus, illud celebratum esse, atque a Pio IV confirmatum fuisse. Sessiones in concilio habitae fuerunt viginti quinque. Canones de pluribus Ecclesiae fidei doctrinae, ac disciplinae capitibus, numero centum viginti septem sunt promulgati. A Patribus 233 subscriptum est, quorum quidam, maximo numero, Cardinales, Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi erant, reliqui autem Generales Ordinum regularium, aliique dignitate ecclesiastica insigniti viri; et cum anno 1545 coepisset, prout superius commemoravimus, anno tandem 1563 absolutum fuit.

Quae hucusque significavimus, facile ostendunt, quantae utilitatis Ecclesiae fuerit, ut Concilium Tridentinum celebraretur. Rerum vero in Synodo illa gestarum, et decretorum ab ea editorum consideratio evincit, ad coercendam Novatorum petulantiam, et ad errorum, qui ab iisdem spargebantur, solemnem condemnationem roborandam, nihil memorati Concilii celebratione gravius evenire potuisse. Quid enim, ut Ecclesiae catholicae fides propugnaretur contra Protestantes, poterat opportunius esse, quam ut ab ea quoque Synodo, illi, eorundemque errores condemnarentur, qui Romanorum Pontificum, eos ipsos errores damnantium voce perculsi, cum a Sede Apostolica ad Concilium generale provocavissent, in Concilio ipso, condemnationem suam solemniori ratione factam, erroresque suos totius etiam Ecclesiae voce, ac decretis profligatos esse audiverunt? Quare non est mirum, haereticos, eorumque socios, catholicae Ecclesiae inimicos, Concilio Tridentino infensos quoque fuisse. Neque mirum est, eos conatos esse, ut Concilii Tridentini auctoritas despiceretur.

Talis Frater Paullus Sarpius fuit, vir ex ordine PP. Servorum S. Mariae Virginis, qui nominis sui anagrammate excogitato, se *Petrum Suavium Polanum* appellavit, et ficto isto nomine assumpto, ad scribendam Concilii Tridentini historiam se contulit. Quae quidem historia

mendaciis, calumniis, dicteriis in Romanos Pontifices, in Sedem Apostolicam, atque in Ecclesiam omnem referta, non dico ad imminuendam, sed omnino ad vituperandam Ecclesiae Catholicae causam conscripta est. Talis Petrus Franciscus Le Courayerius, qui Petri Suavii Polani historiam Concilii Tridentini, Gallice reddendam, et adnotationibus historicis, ac theologicis fulciendam curavit. Talis, ut omittam ceteros, A. Bianchius Giovinius fuit, qui opus anno 1836 Turgoviae edidit duobus voluminibus, inscriptum: *Biografia di Fra Paolo Sarpi, Teologo e Consultore di Stato della Repubblica Veneta,* in quo opere, inter permulta, quae de Paulli Sarpii laudibus, magna falsitate recenset, historiam ab eo Concilii Tridentini scriptam plurimum commendat, quod opus tamen Sacri Consilii Nefariis Libris Proscribendis Praepositi decreto die 4 Iulii anno 1837 promulgato, in indicem librorum prohibitorum relatum est.

Hoc loco autem non erit abs re, quis Paullus iste Sarpius Venetus, seu Petrus Suavius Polanus fuerit, recordari, ut intelligatur quae fides eiusdem narrationi, cum Concilii Tridentini historiam refert, haberi possit. Agentes de Leone X Pontifice Maximo *cap. XLV* huius voluminis, de Paullo Sarpio nonnulla diximus, cum calumnias memorato Pontifici obiectas refutavimus, inter quas eae sunt numerandae, quae in recensita sua Concilii Tridentini historia Paullus Sarpius adducere non dubitavit.

Scilicet Benedictus XIV *lib. 2 cap. 11 de Servorum Dei beatificatione, et canonizatione,* edit. Bononiensis *an. 1755* Paullum Sarpium *cucullatum Lutheranum* iure appellatum animadvertit. Atque in opere *de sacrosancto Missae sacrificio lib. 2 c. 2* idem Pontifex ait, quaenam esset huius hominis conditio, quodnam institutum, satis constare ex Bossuetii Meldensis Episcopi *historia variationum lib. 7* editionis Parisiensis anni 1788. Nam in alia posteriori eiusdem operis Bossuetii editione, locum illum, qui Paulli Sarpii vitae historiam continet, editores subtraxerunt. Bossuetius autem Burnetium Anglicanum Ministrum refellit, qui in *historia reformationis Anglicanae* affirmaverat, Catholicos, circa ea, quae Concilii Tridentini historiam respiciunt, fidem habere debere Paullo Sarpio, eo quod hic scriptor catholicus fuerit. Haec per fraudem a Burnetio dicta esse ad incautos decipiendos, Bossuetius sapientissime adnotavit. Etenim constabat Burnetio, hunc Fratrem Paullum, quem is catholicum in memorato opere appellabat, specie tenus simulavisse se ad catholicos spectare, cum ipse revera homo esset ex protestantium genere, monastica veste indutum, *Protestant en froc.*

Constabat id, inquam, Burnetio, qui sciebat, Paullum Sarpium, liturgiam Anglicanam, tamquam regulam, ac normam suam habuisse, atque eum praeterea, occasione turbarum Paullum V Pontificem Maximum inter et Venetam Rempublicam excitatarum, impense laborasse, ut Rempublicam ipsam ad absolutam ab Ecclesia Romana separationem perduceret, eum denique, communionem cum Ecclesia Romana, corruptam, et idololatricam communionem reputavisse, Missam celebrasse sine fide de Missae sacrificio, confessiones sacramentales audivisse, aliisque catholici sacerdotis officiis functum esse, quantumvis a catholicis istis dogmatibus ipse abhorreret.

Quod vero spectat ad Concilii Tridentini historiam a Paullo Sarpio, seu Petro Suavio Polano scriptam, manifestum omnibus est, quo animo ad eam historiam scribendam ille se contulerit. Videlicet primum, vehementer indignatus, quod Episcopalem dignitatem consequi non potuisset, tum etiam post dissidium inter Venetam Rempublicam ac Paullum V Pontificem, acerbior effectus, ac tandem ob illud opus plurimum offen-

sus, quod anno 1612 Mirandulae editum est, inscriptum *Inquisitio de libertate veneta,* seu *Lo squitinio della libertà veneta,* memoratam historiam suam scribendam iudicavit, ut de Apostolica Sede praesertim ultionem sumeret, atque eidem insultaret.

Quod si consulatur dissertatio praevia ad historiam Concilii Tridentini, a Cardinali Sfortia Pallavicinio scriptam, et P. Francisci Antonii Zaccariae adnotationibus illustratam, reperietur, Paullum Sarpium, ad historiam suam tunc edendam adductum esse, ut Scipionem Africanum imitaretur, qui ad Annibalem ab Italia removendum, opportunum, et utile esse existimavit, bellum contra Carthaginem ipsam convertere, scilicet contra propriam Annibalis patriam, ut ad illam defendendam, atque ab inopinato periculo liberandam, eo arma revocare Annibal cogeretur, atque a ceteris negotiis prosequendis abstinere. Haec vero a Paullo Sarpio scripta Concilii Tridentini historia, ab Marco Antonio De Dominis Apostata Spalatensi, Londini primum anno 1619 in lucem edita est. Ea autem magna laetitia, Sedis Apostolicae, et catholicae Ecclesiae inimicos affecit, prout probant plures eius editiones, et apologetica scripta a Protestantibus praesertim elaborata. Non est ergo mirum, hanc Paulli Sarpii historiam, gravissimis contra Sedem ipsam Apostolicam, et Ecclesiam iniuriis refertam esse, et falsissima quaelibet ad eam lacessendam, ac vituperandam in eandem congesta fuisse.

Neque diversum ferri iudicium debet de Gallicana versione illius historiae, a Petro Francisco Le Courayerio facta, deque adnotationibus, quas idem Le Courayerius ei versioni adiecit. Nam Benedictus XIV in opere *de Synodo Dioecesana lib. 7 cap. 2* de Le Courayerio ait: « Qui Sarpii » historiam, in Gallicum sermonem » vertit, eodem, quo Sarpius, infe» ctus veneno, lividis notis aspersit.» Fuit autem Le Courayerius antea Canonicus Regularis, et bibliothecae Sanctae Genovefae Parisiensis Praefectus, tum Apostata, et Doctor Oxfordiensis in Anglia. Falsum vero est quod Bianchius in recensita superius Paulli Sarpii biographia iactavit, adnotationes Le Courayerii, neque confutatas hactenus esse, neque refelli posse. Satis enim est ad contrarium evincendum, eruditissimos tres sermones legere, quos in opere pulcherrimo *De historica malignitate* scripsit P. Appianus Bonafede S. Iesu, qui sermones plenam, et sapienter elaboratam continent Le Courayerii adnotationum confutationem.

Altera celeberrima Concilii Tridentini historia illa est, quam Cardinalis Sfortia Pallavicinius S. Iesu, summa eruditionis, ac doctrinae laude, ex germanis eiusdem Concilii actis, in Bibliotheca Vaticana, et in Arce S. Angeli tunc servatis, atque ex certissimis aliis monumentis, Alexandri VII Pontificis Maximi iussu, scribendam, et in lucem edendam curavit. In ea autem historia, Suavii Polani, seu Paulli Sarpii mendacia, et calumnias Pallavicinius invicte refutavit, et veram rerum omnium in Concilio pertractatarum, ac decretarum narrationem, pereleganti italico idiomate exhibuit. Hoc opus autem, in genere suo, iure dixerim vere classicum, et permagnam eruditionis vastitatem, ac gravissimam theologicam Ecclesiae catholicae apologiam complectens, non est mirandum homines, quibus Sarpii mendacia placuerunt, Bianchium, dico, Potterium, Moshemium, hoc opus, inquam, contempsisse, vel contemnere se existimari voluisse. Tanta ceteroquin fuit huius Cardinalis Pallavicinii operis celebritas, ut pluries non modo Romae, sed aliis etiam in locis, typis editum illud fuerit, et non solum italico, prout ab auctore scriptum fuerat, idiomate, sed aliis etiam litteris fuerit vulgatum. P. Callistus Puccinellius vero, valde utile, et accuratum totius operis compen-

dium elaborandum suscepit, demptis perlongis, quae in Concilio factae fuerant, theologicis discussionibus. Illud vero Io. Petrus Catalonius absolvit. Vir etiam eruditus P. Augustinus Morellius, Eremitanus Camaldulensis, in septem libros, universam Cardinalis Pallavicinii historiam redegit, et magna cum omnium utilitate Neapoli anno 1724 eos libros in lucem edidit.

Nunc de Concilio ipso, et rebus in eo gestis, decretisque loquamur. Quod ut ex ordine fiat, erit opportunum, ea etiam non interrupta narratione referre, quae circa faciendam Concilii indictionem, diversis locis, separatim superiori capite attigimus.

Itaque Concilii oecumenici celebrationem ad Lutheranas turbas comprimendas postularunt Haeretici ipsi, ut moram aliquam captarent, et non continuo ex Wormatiensi edicto in eos animadverteretur. Praeterea edictum in Norimbergensi conventu, nomine Caroli V absentis compositum, affert Raynaldus ad annum 1524, quo Concilii indictio fuit postulata; Catholici etiam, ut hoc praeterea remedium tentaretur, illud expetebant, quemadmodum apposite Pallavicinius lib. 3 cap. 5 animadvertit, qui cap. 10 introductionis exponit causas, quamobrem multa fuerint statuenda, antequam Concilii eiusdem celebrationis negotium definitive absolveretur, quae res longae dilationis rationem attulit.

Iam vero Acta Consistorii in Concilii celebrationis causa habiti, apud Raynaldum haec referunt: « Romae » feria sexta, die secunda Iunii fuit » consistorium. SS. Dominus Noster » Paullus III pro exstirpatione haeresum, et errorum, et correctione » morum christiani populi, et universali pace inter fideles compo» nenda, indixit oecumenicum, seu » universale, et generale Concilium, » in civitate Mantuae inchoandum » die 23 mensis Maii 1537. » Idem testatur Massarellus Concilii Secretarius, qui id factum narrat edita Bulla, quam recitat Raynaldus, cum scriptis aliis ad Concilium pertinentibus, et habetur in Bullario novo tomo 4 parte prima. Pallavicinius tradit id factum esse, postquam de eo Pontifex, et Carolus V iam Romae colloquuti fuerant mense Aprili. Anno sequenti 1537 scripsit Paullus III Duci Mantuae, ut ea compararet, quae erant Concilio necessaria, atque ad eundem misit rosam auream, destinatis etiam Legatis ad Principes, eius rei causa. Sed cum Mantuae Dux petiisset, ut ad urbis suae securitatem, militare praesidium impensis Pontificis ibi constitueretur, adductus est Pontifex ad Concilium prorogandum, et illud indixit calendis Novembribus, quod fecit die 20 Aprilis, alia edita Bulla, item ab Raynaldo relata, atque 8 idus Octobris illud iterum prorogavit ad calendas Maii anni sequentis, statuens etiam habendum Vicentiae. Tunc vero Legatos Concilii destinavit Cardinalem Campegium, Simonettam, et Brundusinum Episcopum.

Post alia multa, quae intervenerunt quaeque Concilium diutius distulerunt, tandem anno 1542 Paullus III Concilium Tridenti celebrandum decrevit, et Bulla ista indictionis initio Concilii exstat, atque in Bullario novo, et apud Raynaldum, ubi prioris indictionis mentio fit, ac prorogationis, et suspensionis, causis explicatis, pronunciatur illud habendum calendis Novembris eiusdem anni. Legati, qui Concilio praesiderent a Pontifice electi fuerunt Cardinales Moronus, Parisius, Polus. Tridentum hi pervenerunt die 22 Novembris. Primam congregationem Raynaldus ait factam anno 1543 die 9 Ianuarii, ubi Legati Caroli V comparuerunt, et fusam habuerunt orationem, quam is ibidem refert. Verum congregatio ea fuit a Concilii sessione diversa, de qua etiam Pallavicinius lib. 5 cap. 4. Ceterum, cum ferventibus bellis, impeditisque itineribus a militum copiis, Tridentum

pauci convenissent, eos denuo Paullus invitavit, et nihilominus coactus est Concilium suspendere: litteras, quarum partem habet Raynaldus, integras novum Bullarium recenset.

Bellorum motibus tandem aliquando sedatis, qui Concilium impediverant, Paullus, habito Cardinalium coetu, de eo instaurando cogitavit, et de ea re Bullam edidit *Laetare Ierusalem* Romae die 19 Novembris anni 1544; preces etiam publicas ad impetrandum a Deo felicem Concilii exitum, prout idem Raynaldus refert, fundendas iussit. Legatos iterum elegit Cardinales Ioannem Mariam de Monte, Episcopum Praenestinum, Marcellum Cervinium presbyterum tit. S. Crucis (qui ambo postea Pontifices fuere nomine Iulii III et Marcelli II), et Reginaldum Polum Diaconum S. Mariae in Cosmedin. De his idem Raynaldus ad annum 1545, et Pallavicinius lib. 5 cap. 8. Inchoandum Concilium Pontifex edixit die 7 Maii, quamquam novis enascentibus impedimentis, initium tandem non habuerit nisi die 13 Decembris, quae erat Dominica tertia Adventus, ut liquet ex Concilii ipsius inspectione, atque ex actis apud Raynaldum, et Pallavicinium.

Quae antecesserunt Concilii primam sessionem explicat Pallavicinius initio lib. 6 cap. 1, praesertim Officialium electionem, ex quibus Concilii Secretarius cum primo nominatus esset Marcus Antonius Flaminius, ea aetate clarus latinus scriptor, deinde Priulus: his recusantibus factus est Angelus Massarellus postea Episcopus Thelessinus; cum vero controversia excitata esset, an Praelati Regulares votum decisivum obtinere deberent, fuit eis illud collatum. In prima sessione habita, ut diximus, die 13 Decembris, festo S. Luciae, in quem incidebat Dominica 3 Adventus, orationem habuit Cornelius Mussus Episcopus Bitontinus, quam contra Sarpium defendit Pallavicinius lib. 5 cap. 18. Sequuta est admonitio Legatorum facta Patribus, atque his praemissae preces dici solitae cum Concilia aperiuntur. Has, et ritus servatos in inchoatione Concilii describit Massarellus in Diario, tum etiam Raynaldus, et ex aliis actis Spondanus.

Altera sessio habita est die 7 Ianuarii anno 1546, in qua Episcopus S. Marci Coriolanus Martiranus habuit orationem, post quam Massarellus Legatorum nomine hortatorium sermonem legit, quem Pallavicinius lib. 6 cap. 5 tradit a Cardinali Polo esse compositum, de vitae honestate, ac sanctitate in Concilio maxime servanda. Episcopus Castri Maris Ioannes Fonseca primo legit Paulli III constitutionem, quam recitat Raynaldus, ne Episcopi per Procuratores suffragia in Concilio ferrent. Legit etiam Concilii decretum, quo pia quaedam opera ad divinam opem obtinendam praescribebantur, ac statuebatur ne in sententiis dicendis, immodestis vocibus strepitus fieret, et si forte contingeret, aliquem debito in loco non sedere, nulli praeiudicium idcirco afferretur, nullique novum ius acquireretur, quod decretum legitur etiam in omnibus Concilii editionibus. Addit Pallavicinius, Guillelmum de Prato Episcopum Claromontanum postulasse, ut in decreto, quo preces pro Imperatore iniungebantur, nominaretur etiam Galliae Rex. Sed hoc denegatum est exemplo precum, quae habentur feria 6 maioris hebdomadae. Sarpius hoc loco Paullum III reprehendit, quod ad Concilium miserit Episcopos duos, Olaum Magnum, Upsalensis, primariae in Svecia dioecesis Archiepiscopum, et Robertum Venantium Scotum, Armacanum Hiberniae Primatem Archiepiscopum, qui Ecclesias suas non administrabant, erantque tantum, ut ipse iactat, Episcopi Titulares. Pontificem in ea re defenderunt Pallavicinius, ac Spondanus. Erant enim duo illi Antistites, proprie, ac vere duarum illarum Sedium Archiepiscopi, quorum primum Gustavus Sveciae, alterum Henri-

cus VIII Angliae, et Hiberniae Rex a sede, et patria sua eiecerat.

Post sessionem, in congregatione generali diei 13 Ianuarii habita, disputatum est de Concilii titulo, an esset addendum *universalem Ecclesiam repraesentans*, de quo etiam antea disceptatum fuerat. Hunc inscribendi modum Braccius Martellus Fesulanus Episcopus adeo acriter tuebatur, ut negaret se assensurum decreto ulli, cui non esset ille praefixus: quare a Praeside reprehensus, et in sententia hac a ceteris derelictus est. Cardinalis Pallavicinius *l. 6 cap. 2 et 6* graves rationes significat, quare illa inscribendi Concilii ratio non fuerit accepta, sed potius sit statutum, ut *Oecumenica, et Generalis* Tridentina Synodus inscriberetur. In aliis congregationibus diei 18, et 22 Ianuarii multo acrius patres contenderunt, utrum a decretis fidei incipiendum esset, an a decretis reformationis. Verum sententia Thomae Campegii placuit, ut una simul ageretur de dogmatibus, et de morum disciplina. Videlicet ne tota de reformatione pertractatio in tempus illud reiiceretur, quo res omnes fidem, ac doctrinam respicientes, essent absolutae, ac decretae; sed ut, durante Concilio, de doctrina passim, et de reformatione statueretur. De qua re *lib. 6 cap. 7* accurate agit Pallavicinius. Res autem plurimum adnotatu digna intervenit, institutio videlicet trium diversarum congregationum in domibus Cardinalium praesidentium, ita ut eae regerentur per substitutos a Cardinalibus Legatis. Consilium hoc susceptum est, ut facilius, ac citius de rebus definiendis peragi posset, et ideo in secunda congregatione generali haec institutio probata est. Hanc aliasque ad hoc faciendum causas *lib. 6 cap. 8* Pallavicinius exponit.

Die 4 Februarii eiusdem anni 1546 habita est sessio tertia, in qua post missam celebratam de Spiritu sancto a Petro Tagliavia Archiepiscopo Panormitano, orationem habuit Ambrosius Politus, qui dici voluit Catharinus. Lectum est decretum, quo statuebatur, praemittendam esse confessionem fidei, id est symbolum; et additum est decretum de futura sessione habenda die 8 Aprilis. Nec tamen sessio haec vacavit contradictione aliqua, trium scilicet Episcoporum, inter quos Fesulanus quaestionem iterum de titulo Concilii movit, et de connectenda tractatione rerum ad mores, atque ad fidem spectantium. Interfuerunt huic sessioni quinque Cardinales, hoc est, praeter tres Legatos, Ludovicus Mandrutius Episcopus Tridentinus, et Petrus Paceccus de Villena Hispanus, Episcopus Giennensis, qui mense Decembri praeterito creatus fuerat Cardinalis. In congregatione post hanc sessionem die 8 Februarii, Cardinalis de Monte causam attulit, cur titulus ille omittendus esset, et cum Episcopi nonnulli quererentur, omissum esse decretum de tractanda simul doctrina fidei, et etiam morum reformatione, idem Legatus his satisfecit, prout Pallavicinius *lib. 6 cap. 11* narrat.

Tunc actum praecipue est de canone sacrorum librorum, et primo an sacri omnes libri utriusque Testamenti probandi essent ut canonici, etiamsi scriptor aliquis catholicus id denegaret; secundo, an probandi essent praemissa discussione aliqua; tertio, an divisio facienda esset in libros ad aedificationem fidelium, atque inter hos ponendi essent liber Sapientiae, et Proverbiorum; atque in libros praeterea, ex quibus fidei dogmata sint confirmanda. Postremum hoc propositum fuit a Seripando, sed repudiatum. De altero etsi in congregatione privata coram Cardinali Cervinio affirmativa sententia placuisset, tamen argumentis, quae cap. 11 Pallavicinius innuit, in congregatione generali die 12 Februarii habita, nihil statui potuit. In secunda vero diei 15 Februarii, res acta est tanta discordia, et confusione, ut necesse fuerit a singulis suffragia exposcere, eaque numerare. Sed in re-

censendis libris divinis, communis concordia fuit; quantumvis non concors sententia fuerit quando quaesitum est, utrum anathema in eos esset ferendum, qui librum ex iis aliquem repudiarent, inter quos Caietanum numerabant. Verum ne id in posterum fieret, affirmativa sententia probata est.

Post haec de traditionibus agi coepit, atque in congregatione quidem diei 18 Februarii deliberatum fuerat, ut primo ageretur de traditionibus excipiendis; deinde de abusu tam scripturarum divinarum, propter earum in alia idiomata versionem, quam traditionum in his docendis. Sed cum aliqui, etiam Ecclesiae instituta in decreto nominanda esse contenderent, alii concilia, et Decretales Pontificum; summa fuit sententiarum varietas. Quare in congregatione posteriori, duo Patres electi sunt per singulas tres congregationes, qui decretum componerent de scripturis sacris, et traditionibus. Atque ii fuerunt Salvator Alepus Archiepiscopus Turitanus, Archiepiscopus Materae, et Armacanus; Episcopi Pacensis, Bellicastrensis, et Feltriensis. In congregatione generali diei 26 Februarii rursus orta est dissensio, maxime quod traditiones solum *Apostolicae* nominarentur. Vehementer etiam conquerebantur Fesulanus Episcopus, et Episcopus Astoricensis, cum reliqui semper concordes essent, adeo ut Brictinoriensis Episcopus commotus his clamoribus dixerit, mirum sibi videri, unum, aut alterum hoc arrogasse sibi, ut Synodo toti contradicerent. Eos etiam graviter reprehendit Cardinalis Polus.

Cum quaestio pertractaretur de sacris libris, et traditionibus, occurrit quoque quaestio de tempore, quo absoluta dici deberet Synodus Florentina, quae decretum de libris obsignavit die 4 Februarii anni 1441. Atque usque ad illud tempus Synodum Florentinam revera perduravisse, nos in c. XXXIX huius voluminis de illa Synodo agentes ostendimus. Ad abusus vero tollendos, qui ex versionum varietate oriebantur, statutum est, iis occurri posse, una, eademque constituta, et emendatissima vulgata. Praeterea decretum est, non licere ut suo quisque arbitrio, ad rem, quam vellet, sacras litteras detorqueret, atque ut huic rei remedium afferretur, propositum est, nonnisi ex Patrum Ecclesiae consensu explicare sacras litteras oportere. Tandem, prout Pallavicinius cap. 14 refert, in congregatione generali die 27 Martii, 1, 3, 5 et 7 Aprilis habita, decretum propositum, et firmatum est de sacris scripturis, et traditionibus. Ac disceptatio in eo solum versata est, num verba essent adhibenda, ut scripturae et traditiones susciperentur *aequali pietatis, et reverentiae affectu*, cum aliqui pro *aequali*, vocem *simili* scribendam esse putarent.

Post factas istas in congregationibus pertractationes, celebrata est die 8 Aprilis anno 1546 quarta sessio, cui praeter Legatos, et duos superius memoratos Cardinales, interfuerunt 55 Praesules Mitrati, Praepositi Generales, et Franciscus Toletus Caesaris orator, ut traditur in narratione Concilii, quae habetur in collectionibus. Post missam de Spiritu sancto, et orationem habitam a Francisco Augustino Bonnuccio Ordinis Servorum B. M. Virginis Generali, promulgata sunt duo decreta, ut refert Massarellus, in quorum primo recipiuntur, et numerantur libri canonici; ac praeterea Traditiones, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tamquam vel oretenus a Christo, vel a Spiritu sancto dictatae, *pari pietatis affectu, ac reverentia suscipiendae venerari* debere declarantur. In altero, *vetus et vulgata latina sacrorum librorum editio*, quae longo tot saeculorum usu in Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus, et expositionibus *pro authentica* habenda esse decreta est. Eodem autem decreto corrigun-

tur, ait Massarellus, quidam abusus circa interpretationem ipsius Sacrae Scripturae, et opportuna statuuntur de libris, qui de rebus sacris agant, non imprimendis sine nomine auctoris, et facultate; item de non usurpandis verbis Sacrae Scripturae in rebus scurrilibus, fabulosis, et vanis. Quae sapientissimis hisce decretis Sarpius opposuit, ea Pallavicinius memorato *lib. 6* optime confutavit.

Sequutae sunt congregationes de rebus in futura sessione decernendis. Cumque eodem tempore de dogmatibus, et de reformatione agendum esset, disceptari coepit de peccato originali, ac de Clericorum, et populi Christiani institutione. Sed Caesareus orator nolebat tunc de Dogmatibus agi, ne haeretici offenderentur. Verum Legati a proposito dimoti non sunt. Cum vero sermo esset de Praebendae Theologalis institutione, et Quaestoribus qui Cruciatam in Hispania promulgabant; Braccius Martellus Episcopus Fesulanus contra Regulares declamavit, qui in suis Ecclesiis, ab Episcopis non vocati concionarentur, cui respondit Thomas Caselius ordinis Praedicatorum, Episcopus Brictinoriensis. Actum est etiam de instituenda in monasteriis, seu conventibus lectione Sacrae Scripturae. Qua occasione Dominicus Soto pro Scholastica Theologia disseruit, et de residentia Episcoporum.

His vero praemissis, die 17 Iunii anno 1546 sessio quinta celebrata est, in qua post missam, sermonem habuit Marcus Laureus Episcopus Campaniensis Ordinis PP. Praedicatorum. Duo autem decretorum genera ibidem edita sunt. Primum, videlicet, ad dogmata pertinens, de peccato originali, constans quinque anathematismis, quos in ipso Synodi decreto videre licet, et apud Raynaldum. Additum vero est in fine Decreti, « non esse Synodi intentionis » comprehendere in hoc decreto, ubi » de peccato originali agitur, Beatam, et Immaculatam Virginem » Mariam, Dei Genitricem, sed ob» servandas esse constitutiones fel. » rec. Sixti Papae IV sub poenis in » eius constitutionibus contentis, quas » innovat. » Alterum decretum fuit de reformatione, in cuius capite primo iussum est, Theologos, et scholarum Magistros in singulis Ecclesiis institui; capite autem secundo statutum fuit ut Episcopi, aliique Praelati, per se ipsos, aut si legitime fuerint impediti, per alios viros idoneos praedicare Evangelium teneantur, quod idem de iis, qui parochiales Ecclesias, vel alias curam animarum habentes obtinent, sancitum est. Praeterea decretum fuit, ut Regulares, nisi post acceptam Superiorum suorum licentiam, et Episcoporum benedictionem, in ipsis etiam suorum Ordinum Ecclesiis praedicare non possint; in aliis vero id nequeant nisi de licentia Episcoporum. Si quis errores, vel scandala disseminaverit, Episcopi eis praedicationem interdicant; si haereses autem, contra eos de iure aut consuetudine procedant. Iussum est etiam ut quaestores Eleemosynarum quicumque, nec per se nec per alios praedicare praesumant, aliter ab Episcopis eos amoveri debere. Confutat hic Sarpium Pallavicinius cap. 14 eo quod is de hac sessione multa falsa narraverit, ubi etiam de Canonistarum sententiis sermonem habet circa Pontificis Maximi auctoritatem.

Post quintam sessionem in Theologorum coetibus agi coeptum est de materia iustificationis: et Regis Galliae Oratores iam advenerant, cum terror imminentium bellorum Patrum animos commovit. Insuper Cardinalis Polus minus valere coepit, et legationem deserere coactus fuit. Hanc fuisse veram eius absentiae causam, non quod sententiam teneret catholicae de iustificatione doctrinae contrariam, probat Cardinalis Quirinius in eius vita post Raynaldum. Itaque agi quoque coepit de Concilii translatione, cui tamen rei Imperator adversabatur. His tamen non obstantibus duae ibidem sessiones ce-

lebratae sunt. Sexta, scilicet, anno sequenti 1547 die 12 Ianuarii, in qua Andreas Cornelius Episcopus Cavensis orationem habuit.

In ea decretum promulgatum est de fide, idest de iustificatione 16 capitibus, et contrarii errores 33 canonibus damnati sunt. Alterum decretum de reformatione latum fuit quinque capitibus comprehensum, quorum primum, et secundum est de residentia Episcoporum, de qua re saepius actum antea fuerat in congregationibus, cum praecipue disceptatum esset, divino ne, an humano inre ad hoc ii teneantur; de qua quaestione opuscula edita nunc quoque exstant. Caput tertium de Clericorum, et Regularium, si extra monasteria degant, criminibus agit, quae Ordinarii locorum correctioni subiiciuntur. Quarto capite decernitur cathedralium capitula a suis Episcopis, aliisque maioribus Praelatis visitari, et corrigi posse. Quinto statuitur, nulli Episcopo licere pontificalia in aliena Dioecesi, nisi de licentia Ordinarii illius loci exercere. Quae huc spectant, narrat Pallavicinius lib. 8 cap. 9. Paullus III autem constitutionem edidit, qua etiam Cardinales Episcopos teneri residentiae onere significavit.

Sessio septima habita est die 3 Martii, eodem anno; in qua sermo habitus non est ob raucedinem, qua Coriolanus Martiranus Episcopus Sancti Marci tunc laborabat. Decretum vero in illa promulgatum est circa sacramenta, illudque continet 30 canones, 13 videlicet de Sacramentis in genere, 11 de Baptismo, et 3 de confirmatione, quibus damnati sunt Haereticorum errores: alterum decretum de reformatione in ea sessione latum, continet capita 15, quae ferme omnia ad Beneficia spectant.

Interea Tridenti pestilentia serpere coepit. Itaque, prout Cardinalis de Monte in congregatione conquestus est, plures ex Patribus post sessionem celebratam discesserunt, quorum nonnulli, insciis etiam Legatis. Et cum in congregatione, de consilio capiendo Patres sententiam rogati fuissent, plerique eorum, Tridento discedendum esse affirmarunt. Paullus III vero Pontifex Maximus constitutionem dedit, quae incipit *Regimini* diei 22 Februarii an. 1547, qua de Concilii translatione exsequenda potestatem concessit.

Itaque in sessione octava habita die 11 Martii discedendum, et Bononiam Concilium transferendum esse constitutum est: licet reclamarent nonnulli, praecipue Petrus Paceccus Cardinalis Gienensis, qui morbum Tridenti serpentem, contagiosum esse negabat, etsi talem illum esse asseruisset Hieronymus Fracastorius celebris Medicus, et plurimorum mors id testaretur. Ergo die 12 Martii, ut Massarelli diaria habent, Legati discesserunt Tridento, et die 20 pervenerunt Bononiam. Hac de re Pallavicinius lib. 9 cap. 13 pertractat.

Post haec sessio nona Bononiae celebrata est die 21 Aprilis in Ecclesia Sancti Petronii, in qua orationem habuit vir doctrina celebris Ambrosius Catharinus Episcopus Minoritanus, quae exstat apud Martenium, et Raynaldum. Congregatio Generalis facta fuerat die 19 Aprilis; cum vero non satis magnus Patrum numerus convenisset, nihil statutum est, sed sessio prorogata fuit ad diem Iovis infra octavam Pentecostes. Habitae tamen sunt in antecessum congregationes minorum Theologorum, a die 29 Aprilis ad diem 7 Maii, et congregationes aliae a die 9 Maii ad diem 16 eiusdem mensis, et die 1 Iunii facta est congregatio generalis, quarum mentio fit apud Raynaldum. Habita est autem die 2 Iunii 1547 decima sessio; sed in ea nihil aliud decretum est, nisi ut sessionis vera celebratio ad diem 15 Septembris prorogaretur. Interea tamen prosequuti sunt Patres et Theologi congregationes habere de rebus, tum ad fidem, tum ad disciplinam spectantibus, de quibus Concilium in poste-

rum erat decreturum. Die 14 Septembris Congregatio generalis habita fuit, qua sessio indicta ad diem 15 Septembris ad beneplacitum Concilii prorogata est. A die autem 22 Septembris ad diem 5 Octobris habitae sunt congregationes Theologorum, itemque aliae diebus 10, 22, 24, 25 eiusdem mensis, et die etiam 18 Novembris. In causa fuit Germanorum, et Gallorum Episcoporum absentia, eo quod Imperator, et Galliae Rex Henricus II, qui Concilii translationem improbaverant, Bononiam eos venire non paterentur. Tandem translationem Henricus probavit, atque id missis etiam ad Concilium Oratoribus suis aperte significavit. In memorata superius congregatione die 14 Septembris habita in Legatorum domo, Cardinalis de Monte rationes attulit, quibus sessio, quae sequenti die habenda indicta fuerat, ad alium incertum diem proroganda videretur. Et revera eiusdem sessionis prorogatio ad Concilii beneplacitum, prout diximus, decreta est. Interea Paullus III Patres aliquot Romam venire iusserat, ut illorum sententiam circa disciplinam sanciendam audiret. Praeterea Pontifex ipse Concilium suspendit, missis ad Cardinalem De Monte litteris, quas ille legit Tridentinis Patribus Bononiae congregatis. Pallavicinius lib. 10 capite 12 eam suspensionem a Pontifice, Legatorum consilio, decretam esse narrat. Non multo post, die 10 Novembris mortuus est Paullus III, cui die 7 Februarii anni sequentis, suffectus est Cardinalis de Monte, Concilii Legatus, Iulii III nomine suscepto.

Iulius III Carolo V se Tridentum Concilium revocaturum esse affirmavit, et de ea re cum Cardinalibus egit, atque ad Principes scripsit. Postea Paulli III acta confirmavit, et die 24 Novembris 1550 Concilium indixit instaurandum Tridenti calendis Maiis proximi anni et Bullam de Concilio instaurando dedit. Anno sequenti 1551 cum Carolus V decrevisset ut Germani, et Protestantes se Concilio submitterent, Iulius in consistorio diei 4 Martii Legatum, et Praesidem Concilii nominavit Marcellum Crescentium, adiunctis Sebastiano Pighinio Archiepiscopo Sipontino, atque Aloisio Lippomanio *ad praesidendum Nuntiis,* ut ait in litteris apud Raynaldum. Cur unum tantum Legatum esse voluerit, narrat Pallavicinius lib. 11 cap. 13. Hi vero cum die 29 Aprilis Tridentum venissent, congregationem Patrum habuerunt die ultima Aprilis, decernentes ut die sequenti haberetur sessio de Concilii renovatione. Itaque sessio undecima celebrata est calendis Maiis, in qua Angelus Massarellus Concilii Secretarius Bullam legit reassumptionis Concilii, statutumque fuit, ut proxima sessio haberetur calendis Septembribus.

Sessio duodecima, cui adfuerunt Electores duo, Moguntinus, et Trevirensis, habita est memorata 1 Septembris die. Omissa concione, lecta est a Massarello admonitio quaedam de modo agendi in Concilio. Deinde cum ratio reddita esset, quare tunc nihil statui posset, indicta sessio fuit ad diem 11 Octobris, in qua de Eucharistia, et impedimentis residentiae Episcoporum agendum esse declaratum est. Die 8 Septembris iterum haberi coeptae sunt congregationes theologorum, « in quibus, ait » Raynaldus, sententias dixere pri» mum missi a Pontifice Iacobus Lay» nez Societatis Iesu, Hispanus, Al» phonsus Salmeronius eiusdem So» cietatis, deinde missi a Caesare » Ioannes clericus saecularis, Mel» chior Canus Ordinis Praedicato» rum, Ioannes Orthega Ordinis Mi» norum, deinde alii. »

Sessio decima tertia celebrata est die 11 Octobris. Orationem in ea dixit Salvator Archiepiscopus Turitanus, et adfuit Orator Ioachimi Electoris Brandeburgensis Christophorus Stratius, qui Marchionis eiusdem erga Concilium observantiam longa oratione professus est. Respon-

sum autem epistolae Regis Galliarum, quae antea in Synodo fuerat recitata, lectum est palam in ista sessione, et Praelatorum nomine Regis Oratori traditum fuit. Ita etiam articuli de sacramento poenitentiae, et extremae unctionis Patribus communicati sunt. Lectae praeterea fuerunt litterae Ioachimi Marchionis Brandeburgensis, ac postea decreta promulgata sunt. Eorum primum erat de Eucharistiae sacramento, de quo octo capitibus explicata est catholica doctrina, et undecim canonibus haereticorum errores huic doctrinae contrarii damnati sunt. Alterum decretum fuit de reformatione, quo octo pariter capitibus statuta sunt quae ad Praelatorum iurisdictionem, et ad appellationum modum spectant. Tertium decretum fuit de prorogatione definitionis quatuor articulorum de Sacramento Eucharistiae, et de Salvoconductu Protestantibus dando. Hi enim audiri super quatuor istis articulis postulabant: videlicet an necessarium sit ad salutem, et divino iure praeceptum, ut singuli Christifideles Eucharistiam sub utraque specie sumant; praeterea num minus sumat qui sub altera, quam qui sub utraque specie communicat: deinde an erraverit Ecclesia, laicos et non celebrantes sacerdotes sub panis specie dumtaxat communicando: denique an etiam parvuli communicandi sint.

Die 20 Octobris habita est Theologorum congregatio, et consequentibus etiam diebus id factum est. « Theologi autem, prout Raynaldus » ait, dixerunt sententiam, primo » loco missi a Pontifice PP. Laynez, » ac Salmeronius; secundo missi a » Caesare; tertio Lovanienses missi » a Maria Hungariae Regina; quarto » missi ab Augustano, et Tridentino » Cardinalibus; quinto missi ab Im» perii Electoribus; sexto Clerici Sae» culares, qui erant apud Praesules, » et octo Regulares. » Adnotationes autem quaedam factae communi consensu circa materiam, de qua erat quaestio, lectae sunt in congregationibus Praelatorum, quae singulis septem diebus, bis habitae sunt. Apparet autem ex his, quam accurate Concilium ageret de rebus ab eo iudicandis, cum quaestiones propositas primo Theologi expenderent, deinde Praesules antequam sessio celebraretur, praeter quamplures privatas congregationes, quae passim habebantur.

Sessio decima quarta habita est sub Iulio III die 25 Novembris anno 1551. Fuse autem in ea exposita est catholica doctrina de sacramentis poenitentiae, et extremae unctionis, atque errores haereticorum damnati, quae res de poenitentia novem capitibus, et quindecim canonibus continetur. Tribus vero capitibus, et quatuor canonibus, Ecclesiae fides de sacramento extremae unctionis asserta est. Editum fuit etiam decretum de reformatione capitibus 13, quibus quamplura continentur, quae ad Ecclesiae Praelatos, et Beneficiarios, vel ad Clericos pertinent; de quibus Raynaldus ad hunc annum n. 59 et Pallavicinius lib. 12 cap. 14 diserte agunt.

Sessio decima quinta die 25 Ianuarii anno 1552 celebrata est, in qua sessionis prorogatio ad diem 19 Martii decreta fuit, et statutum praeterea est valde amplum salvumconductum dandum esse Protestantibus, ut ad Synodum tandem aliquando venirent. Ii autem non omittebant interea de Concilio detrahere, et veluti si non iuste de eorum causa, ac doctrina in ea ageretur, acerbe conqueri. Quamobrem ad eorundem clamores sedandos, atque ad ostendendum, eos iniuste de rebus in Concilio gestis, ac decretis obloqui, libentius adducti sunt Patres ad salvumconductum ampliori forma concedendum. Licet vero ista concederent Tridentini Patres, minime tamen passi sunt ea Protestantes consequi, quae ad imminuendam Concilii ipsius auctoritatem, aut ad decretorum usque ad illud tempus in eo edito-

rum robur infirmandum, iidem Protestantes postulabant. Etenim ostendebant quidem se optare, ut Protestantes ad dicendam libere causam suam Tridentum venirent, sed nulla tamen ratione assentiebantur, ob eorum querimonias debilitari ea, quae in Concilio definita, ac statuta fuerant.

Cum autem dies 19 Martii instaret, et Lutherani tamen non venissent, cumque bellum grave, et periculosum Caesarem inter, ac Germaniae Principes excitatum esset, die ipsa 19 Martii congregatio habita est, in qua sessionis ad calendas Maias prorogatio decreta fuit; verum cum maior quotidie fieret belli metus, et plures ex Patribus idcirco, ne venia quidem petita, Tridento discederent, Pontifex Concilium suspendendum censuit, atque ita de Cardinalium consilio, et assensu, «Concilium Tridentinum inchoatum, ad Sanctitatis suae beneplacitum suspendit,» ut habent acta consistorialia apud Raynaldum. Editae sunt de hac re pontificiae litterae, et die 24 Aprilis, cum Congregatio Generalis ob gravem morbum Legati in aula consueta haberi non potuisset, habita illa est in cathedrali, et in ea de Concilii suspensione actum fuit, quam maior Patrum pars ad biennium decernendam esse censuit.

Die 28 Aprilis 1552 celebrata est sessio decima sexta, in qua decretum est de suspendendo ad biennium Concilio, ea lege, ut si pax antea restituta fuisset, restitutum Concilium absque nova convocatione existimari deberet. Huic decreto assensi sunt Patres, reclamantibus dumtaxat duodecim Hispanis. Verum novis supervenientibus impedimentis, haec Concilii suspensio ad decennium perduravit, quo tempore Iulius III mortuus est, eiusque proximus successor Marcellus II, qui brevissimum viginti duorum dierum pontificatum habuit; atque in eo etiam rerum statu, Paul-il IV Pontificatus tempus totum lapsum est, etsi is non omiserit operam dare, ut Concilium, quanto citius fieri posset, iterum haberi inciperet, prout ad annum 1557 apud Raynaldum videri potest.

Paullo IV die 18 Augusti an. 1559 mortuo, Pius IV die 26 Decembris eiusdem anni suffectus est. Sub eo autem Pontifice Concilium Tridentinum instauratum denuo est, et absolutum. Atque ab ipso Pontificatus sui initio Pius IV studium omne suum ad prosequendam, ac finiendam Concilii celebrationem convertit. Cuius rei testimonia perspicua in Raynaldi et Spondani annalibus, atque in Cardinalis Pallavicinii historia continentur. Itaque cum Ferdinando I Imperatore, cum Francisco II Galliae Rege, et cum aliis Germaniae, et Hispaniae Principibus, ad tantum opus efficiendum Pius IV egit, et Episcopos undique per Ecclesiam, ad Concilii prosequutionem est adhortatus. Neque omisit Pontifex, Lutheranos etiam Principes, ac liberarum Germaniae civitatum magistratus invitare, ut ad Concilium venientes Ecclesiae pacem restituerent, et cum Sede Apostolica reconciliarentur.

Cum haec Pius IV egisset, et opportunum tempus advenisse existimaret, ut Concilium posset iterum congregari, die 29 Novembris anno 1560 constitutionem edidit, cuius initium est *Ad Ecclesiae regimen,* qua id efficiendum iussit, et novam Concilii indictionem, seu prosequutionem sanxit. Verum, prout suo loco de Pio IV agentes significavimus, licet ea constitutio, mense Novembri anno 1560 edita fuisset, id tamen, quod erat eadem constitutione statutum, non statim effici potuit, sed gravibus de causis, Concilium non ante aliud quatuordecim ferme mensium spatium renovatum est. Cum non semel de Legatis ad Concilium destinandis Pius IV egerit, referendum est, quinam vere eo munere functi sint. Illi autem fuerunt Hercules Gonzaga Mantuanus, Hieronymus Seripandus, Stanislaus Hosius Polonus, Ludovicus Simone-

ta, et Siticus Altempsius Pontificis Nepos, omnes Cardinales. Mense autem Ianuario anno 1562 cum Legati venissent, et magna Tridenti fieri coepisset frequentia Episcoporum, congregationem Generalem, et Sessionem habendam esse statutum est.

Itaque die 15 Ianuarii congregatio generalis est habita, in qua, praeter cetera, Cardinalis Mantuanus, Legatorum primus, multa erudite disseruit, quibus demonstravit, quantopere cum Ecclesiae bono coniunctum esset, ut ad Concilii celebrationem religiose omnes incumberent, quantumque ad rem adeo gravem feliciter absolvendam, vitae sanctitas, eleemosyna, ieiunium, et frequens missae celebratio conferret. Tum ad amovendam praesertim Bartholomaei De Martyribus, Ordinis Praedicatorum, Archiepiscopi Bracarensis, viri magna pietate, ac doctrina praediti anxietatem, renovatum est decretum, quod antea quoque factum fuisse meminimus, ut ex ordine sedendi in Concilio, nullius iura offenderentur, neque ius cuiquam acquisitum esse censeri posset. Post haec, aliaque statuta, quae ad Concilii regimen pertinebant, est actum de non differenda sessionis celebratione, ac dies 18 Ianuarii, qui dies Cathedrae Romanae D. Petri Apostolorum Principis dicatus est, ad illam revera habendam designatus fuit.

Quare die 18 Ianuarii 1562 prima sessio sub Pio IV celebrata est, cui praeter Cardinales Legatos, alii duo Cardinales interfuerunt: videlicet Carolus Cardinalis Lotharingius, et Ludovicus Madrutius; praeterea Patriarchae tres, Archiepiscopi viginti-quinque, Episcopi centum sex. Dux etiam Mantuae interfuit, prout habetur in monumentis apud Raynaldum, et refert Pallavicinius lib. 15 cap. 16, qui etiam ordinem servatum in habendis congregationibus, et in sessionibus celebrandis fuse describit. Cum missam celebrasset Cardinalis Gonzaga, et concionem habuisset Gaspar de Fosso Archiepiscopus Rhegiensis Ordinis S. Francisci de Paula; Massarellus Secretarius Bullam recitavit de Concilio celebrando, et diplomata, quibus Legati constituebantur. Editum ergo est decretum de concilio, sublata qualibet suspensione, celebrando, et futura sessio indicta est ad diem 26 Februarii, quo die revera illa sessio celebrata est, quae ordine fuit decima octava. Andreas Cauchus Archiepiscopus Corcyrensis orationem habuit: mandatum Ferdinandi Imperatoris exhibitum est, atque in concilii acta relatum, exstatque in eiusdem editione Lovaniensi. Duo autem edita sunt decreta: primum de librorum interdicendorum delectu, atque ut Patres ad hoc deputati diligenter in libros noxios inquirerent, et de censuris contra eos latis agerent, ac ad concilium deinde de re tota referrent. Aliud decretum fuit de salvoconductu haereticis dando. De his Raynaldus, et Pallavicinius pertractant, quorum postremus Sarpium de censura librorum obloquentem refellit, quod idem fecit in posterum Franciscus Antonius Zaccaria. Ac statutum denique est, ut proxima sessio, feria quinta post festum Ascensionis Domini, hoc est die 14 mensis Maii, celebraretur.

Sessio decima nona celebrata est die 14 Maii, in qua decreta est sessionis prorogatio ad feriam quintam post festum Corporis Christi, id est ad diem 4 Iunii. In sessione ista decima nona non sunt edita decreta, sed statutum est de rebus decernendis in proxima sessione agi debere. Hoc autem consilium susceptum est, quia cum Regis Galliarum Oratores nonnullis ante sessionis decimae nonae celebrationem diebus petiissent, ut sessio ipsa ad eorum adventum exspectandum prorogaretur, Patres Concilii putarunt, Concilii ipsius dignitatem requirere ut sessio quidem haberetur, sed decreta potius in aliam diem differrentur. Prorogari autem sessionem postulaverat Catharina Galliae Regina, eo quod Elisabetham

Reginam Angliae ad catholicam Ecclesiam reversuram esse speraret.

Die 4 Iunii habita est vicesima sessio, in qua decretum est, ut dum de rebus ad fidem pertinentibus agebatur, ea etiam pertractarentur, quae ad reformationem spectarent, decreta vero, in proxima sessione die decima sexta Iunii habenda, promulgarentur. Factum id est, ut narrat Raynaldus, quod Germani catholici conarentur pro viribus ad concilium adeundum Protestantes adducere. Caroli IX Regis Galliae litterae, quae antea exhibitae in congregatione fuerant, tunc coram patribus in sessione lectae sunt. Videndus de hac sessione lib. 16 cap. 12 Pallavicinius, ut de Gallorum petitionibus, quid actum sit, notitia haberi possit.

Post haec congregationes plures habitae sunt, in quibus de iis rebus est actum, quae in sessionibus erant decernendae. Ferdinandus autem Imperator petitiones quasdam interposuerat de ieiuniis tollendis, de uxoribus Sacerdotibus non prohibendis, ac de usu calicis laicis concedendo. Responsiones referunt Raynaldus, Pallavicinius, aliique. Nec de duabus primis petitionibus ullum poterat esse dubium, illas esse reiiciendas. Quis enim non intelligit, concilium in Spiritu sancto congregatum, numquam fuisse passurum, ut leges sanctissimae, atque in Ecclesia religiosissime semper custoditae abrogarentur? De postrema autem petitione actum est in sessione vicesima prima die 16 Iunii habita, in qua post Missam a Marco Cornario Archiepiscopo electo Spalatensi celebratam, Andreas Duditius Sbardellatus, Hungarus Episcopus Tiniensis, cum concionem habuisset, communionem sub utraque specie Laicis concedendam, clam insinuare conatus est, quasi in eius patria id esset usitatum, ut observat Pallavicinius pluribus in locis lib. 16 et 17 de Sbardellati oratione loquens. Verum in sessione id reiectum est, ac declaratum, nullo divino praecepto laicos, et clericos non conficientes, obligari ad Eucharistiae sacramentum sub utraque specie sumendum, neque ullo pacto, salva fide, dubitari posse, quin unius alterius speciei communio sufficiat ad salutem. Exposita est praeterea doctrina catholica de communione sub una tantum specie, deque parvulis ad eam sumendam non obligatis, atque id quatuor capitibus, totidemque canonibus absolutum est. Editum est etiam decretum de reformatione novem capitibus comprehensum, de quibus tum Raynaldus, tum Pallavicinius lib. 17 cap. 8 videri potest.

Sessio vicesima secunda sub Pio IV celebrata est die 17 Septembris, in qua concionem habuit Ioannes Carolus Vicecomes, Episcopus Ventimiliensis. In ea, doctrina catholica de sacrificio Missae octo capitibus, sive decretis est exposita. Haereticorum autem errores de ea re canonibus novem damnati sunt. Insuper tria edita fuerunt decreta. Primum de observandis, atque vitandis in celebratione Missae; secundum de reformatione undecim capita complectens; tertium super petitione, ut laicis usus calicis concederetur. Nam Caesar instantissime hoc iterum petierat, prout Pallavicinius in historia sua refert. Decrevit autem interea concilium, integrum hoc negotium ad Pontificem Maximum esse referendum, qui pro sua singulari prudentia id efficiat, quod utile Reipublicae Christianae, et salutare petentibus usum calicis esse iudicaverit. Praeter quaestiones plures in congregationibus excitatas, quas lib. 18 cap. 1 commemorat Pallavicinius, illud mentione dignum est, in hac sessione lectam esse professionem catholicae fidei Patriarchae Assyrii, qui Romam venerat, et suam erga concilium observantiam testabatur. Post sessionem vero, cum haberentur congregationes de sacramento Ordinis, aliisque in futura sessione definiendis, quae futura sessio dilata est petentibus maxime Gallis, Carolus Lotharingius Cardinalis Triden-

tum venit, cum quatuordecim eius Regni Episcopis, aliisque Abbatibus, ac Theologis, ut Pallavicinius narrat illius libri capite ultimo; atque ii deinde in consessum solemnem Patrum admissi sunt.

Sessio vicesima tertia celebrata est die 15 Iulii anni 1563. Nam saepius ea prorogata fuerat, atque interea mortui sunt duo Cardinales Legati, Hercules Gonzaga, et Seripandus; subrogati autem iis fuerant a Pontifice Cardinales Ioannes Moronius, et Bernardus Navagerius. Cardinalis vero Altempsius, iam venia impetrata, Tridento discesserat, et ad Ecclesiam suam Constantiensem se contulerat, ut refert Pallavicinius lib. 18 cap. 16. In hac ergo sessione, in qua Missam celebravit Eustachius Bellaius Parisiensis Episcopus, et concionem habuit Noguerus Hispanus Aragonius, Aliphanus Episcopus; explicata est quatuor capitibus doctrina catholica de sacramento Ordinis, et oppositi Haereticorum errores octo canonibus damnati sunt. Editum etiam fuit decretum de reformatione capitibus decem et octo comprehensum, quorum primum est de residentia Pastorum animarum in suis Ecclesiis, de qua residentia diu, acerrimeque agitata fuerat in congregationibus illa quaestio, quae etiam moras sessioni interposuerat, an, scilicet, residendi obligatio esset iuris divini, vel Ecclesiastici tantum. Iuris esse divini asserebant Hispani, et Galli, sed ex Italis multi iuris tantum ecclesiastici eam esse contendebant. Petrus de Soto, iuris esse divini constantissime defenderat, et Tridenti moriens, morti proximus, fusam de hac re epistolam scripsit ad Pium IV. Editae sunt etiam de eodem argumento dissertationes in unum volumen collectae. Atque ea quaestione durante, simultas orta est inter Cardinales Legatos, Gonzagam, ac Simonetam, de qua re Pallavicinius agit libro 16. Visum tamen est concilio abstinere ab huius quaestionis definitione.

Sessio vicesima quarta habita est die 11 Novembris. Indicta ea quidem fuerat ad diem 16 Septembris, sed prorogata deinde est ob difficultates excitatas de Matrimoniis clandestinis, prout Pallavicinius lib. 22 capite 8 ostendit. Raynaldus quoque narrat magnam Patrum partem existimasse, matrimonia huiusmodi rescindi debere, sed alios Patres numero sexaginta negasse iure rescindi ea posse. Verba Nicosiensis Episcopi de ea re refert Raynaldus, et schedulam quoque datam a Cardinali Lotharingio, ac sententiam Cardinalis Hosii Legati. In sessione vero ista definita est Catholicae Ecclesiae doctrina de sacramento Matrimonii canonibus duodecim, quibus praefixum est breve de eodem sacramento prooemium. Edita praeterea fuerunt decreta duo, quorum primum est *de reformatione Matrimonii* complectens capita decem, quae ad idem sacramentum spectant; alterum vero de aliis reformationis materiis, viginti et uno capitibus pertractat. De his Pallavicinius lib. 23 agit, et Raynaldus.

Postquam sessio vicesima quarta celebrata est, cum Legati properandum esse statuissent, et concilium tandem aliquando finiendum curarent, habita est congregatio in domo Cardinalis Moronii Legati, cui reliqui Legati, ac duo alii Cardinales, Lotharingius, ac Madrutius, Oratores praeterea Principum, et viginti quinque Episcopi ex diversis nationibus selecti interfuerunt. In ea actum est de catholicae Ecclesiae doctrina Purgatorium, indulgentias, cultumque Sanctorum respiciente, deque iis, quae circa reformationem statuenda supererant. Tum post sublata ea, quae contra concilii exitum festinandum, orta erant impedimenta, praesertim, cum de gravissimo Pontificis morbo nuntius acceptus esset, ad vicesimam quintam sessionem, eamque ultimam celebrandam deventum est.

Itaque cum haec sessio vicesima

quinta indicta antea fuisset celebranda die 9 Decembris, habita tamen est die 3 eiusdem mensis, et proximo die 4 absoluta. In ea vero plura decreta edita sunt, de Purgatorio, videlicet, cultu, invocatione, veneratione, reliquiis, et imaginibus Sanctorum; de indulgentiis praeterea, delectu ciborum, ieiuniis, ac diebus festis. Iussum est etiam, Indicem librorum et catechismum edendum esse, ac Breviarii, et Missalis Correctionem faciendam, Pontificis Maximi iudicio subiici debere. Decretum est quoque viginti duobus capitibus de iis omnibus, quae ad Regularium, ac Monialium statum pertinent, et aliud decretum aliam reformationis materiam respiciens, viginti et uno capitibus comprehensum, promulgatum est. Iussa denique est decretorum concilii receptio, et observatio, recitatis iis etiam, quae sub Paullo III et Iulio III edita fuerant.

Tandem de fine concilio tunc imponendo et de eiusdem confirmatione a Pio PP. IV petenda decretum fuit, id quod promulgata constitutione, quae incipit *Benedictus Deus*, die 26 Ianuarii anno 1564 data, Pontifex effecit. Hac ratione concilium Tridentinum absolutum est post annos decem et octo, ex quo sub Paullo III inceptum fuerat. Concilio autem subscripserunt Patres 255, id est, quatuor Legati, Moronius, Hosius, Simoneta, Navagerius, et alii duo Cardinales Lotharingius, ac Madrutius, Patriarchae tres, Archiepiscopi 25, Episcopi 178, Abbates 36, absentium Praelatorum Procuratores, et Religiosorum Ordinum Generales. Antequam concilio finis imponeretur, veteri more acclamationes factae fuerunt Pontifici Maximo, Christianis Principibus, et Patribus concilii a Cardinali Lotharingio, quae exstant ad finem concilii editae.

Haec de concilii Tridentini celebratione, ac de rebus in eo gestis, et decretis, prout servanda in his praelectionibus brevitas requirebat, perstrinxisse satis erit. Ceterum Raynaldi, et Spondani Annales, et eruditissima eiusdem concilii a Cardinali Pallavicinio scripta historia ostendit, quam longa rerum pertractatio instituenda fuisset, si de hoc Historiae Ecclesiasticae celeberrimo, ac gravissimo capite pressius, ac singillatim debuisset disputari. Illud certum est, ad Catholicae Ecclesiae fidem contra haereticos novatores vindicandam, ad disciplinam in veterem splendorem restituendam, ad abusus reiiciendos, atque ad pietatem, et religionis amorem in populo Christiano excitandum, nihil, eo tempore, concilii Tridentini celebratione, ac decretis opportunius, et salubrius contingere potuisse.

CAPUT LIV.

DE CONCILII TRIDENTINI CANONIBUS.

Si quid ex rerum in Concilio Tridentino gestarum historia maxime resultat, id illud est profecto, quod respicit sapientiam, prudentiamque singularem, quam Patres perpetuo in decretis, canonibusque condendis demonstraverunt. Huius rei veritas ex superiori harum praelectionum capite luculenter apparet, sed ea multo clarius ex Pallavicinii, Raynaldi, Spondani, atque ex eorum denique omnium narratione constat, qui non strictim, atque, ut dici solet, per summa capita, sed fuse, ac copiose, de tota concilii Tridentini celebratione pertractaverunt. Nihil enim a memoratis concilii Patribus, nisi post longam, et accuratam, atque ab omni partium studio liberam considerationem, nihil, nisi post ponderatas rei cuiuslibet decernendae rationes, declaratum umquam ab iis,

vel canonum auctoritate definitum est.

Atqui si hominibus fides esset habenda, de re tantopere manifesta, secundum praeiudicatas opiniones suas disputantibus, alia, et longe diversa deberet esse de concilii Tridentini decretis, canonibusque sententia. Satis est, Sarpium, Moshemium, Potterium, Rankium audire. Ita enim ii de adhibita a Patribus, qui concilio interfuerunt, agendi ratione loquuntur, veluti si non pro rerum natura, et gravitate, non post diligentissimam veritatis investigationem, ad decreta ferenda, atque ad canones sanciendos ii devenerint, sed omnia, vel ad nutum praecipue, atque arbitratum Romani Pontificis ii gesserint, vel studio partium commoti, gravissimas controversias, inconsiderate, ac sine consilii maturitate dirimi posse putaverint.

Nonnulla hic ego pertractabo breviter de iis, quae in ista re Leopoldus Rankius in universitate Berolinensi Professor habet in opere inscripto: *Histoire de la Papauté pendant les seixième, et dixseptième siècles,* quod opus ex Germanica lingua ab I. B. Haiberio gallice redditum, Parisiis anno 1838 editum est. Is Scriptor, praesertim *tom. 1 et 2 lib. 2 parag. 5 et lib. 3 parag. 6* ita loquitur, ut de concilii gravitate, et de decretorum ab eo editorum auctoritate perspicue detrahat.

Itaque Rankius contendit, decretum cum canonibus *de Iustificatione,* quod Sessione 6 editum est, atque in cuius decreti materia, caput praecipuum controversiae Catholicos inter, et Protestantes versabatur, facile tunc componi, et promulgari celeriter potuisse, quia nihil eo tempore metuendum Catholicis esset, cum tam acriter Pontifex, et Imperator arma contra Protestantes gererent. Itaque animadvertit, in concilio, quod arbitratu Pontificis omnia peragebat, sine difficultate, tunc potuisse Lutheri doctrinam de Iustificatione condemnari. Quare ait, inutiles proinde fuisse Cardinalis Poli (quem Rankius tamquam latentem Protestantium in ea causa fautorem iniuria traducit) exhortationes ad Novatorum doctrinam serius perpendendam. Haec autem si vera essent, illud omnino sequeretur, huius dogmatis definitionem tribui debere politicis illius temporis rerum adiunctis, id quod manifeste cohaeret cum Rankii scopo in memorata Papatus historia scribenda.

Verum difficile non est calumniam detegere. Etenim bellum, quod tunc gerebatur, non modo Catholicis non favebat, sed potius valde a Patribus, illius belli causa timendum erat. Narrat Pallavicinius in Concilii Tridentini historia, adductis argumentis, voluisse Patres Tridento discedere, eo quod a Duce Wittembergensi grave periculum instaret. Et merito quidem timebant, ne in eius potestatem perducerentur. Legati autem, rei gravitate perpensa, erant animo parati ad concilium alio transferendum. Verum cum Paullus III Rom. Pontifex rei certior factus est, Legatos reprehendit, et affirmavit, concilii translationem faciendam esse, non timoris causa, sed pro Religionis honore; deinde vero illos vehementer adhortatus fuit, ut constanti animo concilium prosequerentur. Haec vero cum evenerint eo ipso tempore, quo quaestio de iustificatione agitabatur, clara res est, Tridentinos Patres adduci non potuisse ad dogma, de quo sermo est, stabiliendum, humanis rationibus, atque ea praesertim de causa, quod tunc Protestantibus ii essent potentiores, sed in eo decreto condendo nihil aliud gessisse, aut statuisse, nisi quod Christi doctrina, et semper custodita de iustificatione in Ecclesia sententia requirebat. Praeterea quomodo Patrum Tridentinorum decretum illud potest assentationi erga Pontificem, et Imperatorem tribui, quando constat, liberum unicuique fuisse sententiam suam aperte proferre, et de facto nonnullas excitatas fuisse

hac de re controversias ? Id vero concilii Tridentini historiam consulentibus patet.

Rankius quidem controversias istas commemorat, verum non ita, ut in iisdem narrandis, reprehensione dignus is non reperiatur. Etenim affirmat, tantam exstitisse animorum concitationem, ut Episcopus Cavensis, et Chironensis, singulis diebus manus ad invicem consererent. Est hoc ad concilii dignitatem imminuendam valde opportunum, sed falsum etiam est prorsus, hoc saepe evenisse. Nam semel hoc accidisse tantummodo, atque id congregatione iam absoluta, et cum magno Patrum scandalo, ac dolore, qui remedium adhibuerunt, narrat Pallavicinius.

Praeterea Rankius, cum de controversiis, quae tunc evenerunt, mentionem facit, referens sententias a Patribus pronuntiatas, veritati consonam non affert rei narrationem. Nam in iis Patrum sententiis circa iustificationem recensendis, quae favere videbantur Lutheri doctrinae, narrationem Rankius exaggerat, et conatur ostendere, doctrinam catholicam de eo dogmate, cum concilium habebatur, exploratam hactenus, et cognitam non fuisse. Hoc autem falsum omnino est. Nam constat, Episcoporum oppositiones paucas fuisse, atque a toto fere concilio, tamquam a veritate abhorrentes, et prorsus reiiciendas habitas esse, prout Pallavicinii historia docet.

Sermonem quoque de Vulgata S. Scripturae versione latina instituit Rankius, atque eam a concilio illa tantum de causa probatam esse dicit, quia Ecclesia Romana semper a quocumque errore, speciali Dei providentia fuerit exempta. Hoc autem ineptum prorsus est. Etenim vix est aliud quidpiam in tota concilii Tridentini historia adeo notum, quam rationum gravitas, et ab eo, quod dicit Rankius, manifesta diversitas, quibus Patres Tridentini adducti sunt ad veterem vulgatam versionem Latinam authenticam declarandam. Fuit autem illa ratio gravissima, quod ab Ecclesia universa, a tempore S. Gregorii Magni illa adhibita fuisset, et summa cum veneratione suscepta ab Isidoro, Beda, Remigio, Alcuino, ceterisque doctissimis Ecclesiae patribus, ac Theologis, qui longo illo intervallo usque ad concilium Tridentinum floruerunt.

Quae breviter animadvertimus, satis esse posse arbitramur ad ostendendum, num Rankio, et Scriptoribus eiusmodi, qui de concilii Tridentini canonibus detrahendum curarunt, fides haberi possit. Nunc vero non erit inopportunum, aliqua notare circa ea, quae memorato historiae Papatus libro tertio, Rankius disputat cum de postremis concilii sessionibus sermonem habet.

Contendit autem is primo loco, concilium non amplius pertractasse de unione procuranda Protestantium cum Ecclesia catholica, atque universam eius curam de catholicis nationibus iuvandis, ac docendis dumtaxat fuisse. Atque ut Rankius hoc confirmet, animadvertit fieri non potuisse, ut Protestantes, decretis in praecedentibus sessionibus editis adhaererent, eo quod in ipsis praecipua Lutheranae doctrinae capita profligata fuissent; dum concilium interea accuratum de iis rebus examen instituere denegasset. Post illud tempus, quo istud accuratius examen denegatum est, contendit Rankius, concilium de unione cum Protestantibus instauranda sollicitum non fuisse, et diem 15 Ianuarii anni 1552 epocham huius rei statuendam esse.

Verum Rankii sententiae, concilii Tridentini historia repugnat, in qua plurima habentur exempla, quae ostendunt, concilium semper, etiam post significatum illud a Rankio tempus, studiosissime conatum fuisse, pacem a Catholicis cum Protestantibus iniri, id quod cum concilii scopo penitus cohaerebat.

Sane perlongum esset exempla ista singillatim afferre, atque in re perspicua id minime esset necessarium.

Satis autem erit librum 15, cap. 2 num. 3 et 4 historiae Cardinalis Pallavicinii consulere; atque id, quod dicimus, aperte evincetur. Sunt praeterea notissima Cardinalis Commendonii gesta in sua Germanica legatione, quae narrat idem Pallavicinius lib. 15, quibus gestis confirmatur, id quod propugnamus. Recolantur denique ea, quae circa concilii finem pertractata fuerunt de controversia respiciente communionem sub utraque specie laicis concedenda, et studium illud, quod Patres demonstraverunt, ut Salvus conductus amplissima forma Protestantibus daretur. Nisi haec vero demonstrent, concilium revera curavisse semper, ut Protestantes reconciliarentur, non erit ut arbitror aliquid in posterum, quod ex factorum veritate certo deduci possit.

Controversiae de Episcoporum residentia adhuc agitabantur (prosequitur Rankius), cum Legati Ferdinandi Imperatoris Tridentum pervenerunt, et concilio haec tria reformationis capita proposuerunt. I. Romanum Pontificem reformari debere in persona, in statu, et in curia; et concilii Constantiensis notissima decreta restauranda esse. II. Communionem Laicis sub utraque specie concedi debere. III. Missalia, Breviaria expurganda esse, Religiosos reformandos, aliaque huiusmodi. Rankius gloriatur, se primo has petitiones secundum rei veritatem retulisse, ac Pallavicinium accusat quod eas omiserit. Sed hac ratione se ipsum prodit. Etenim primam Imperatoris petitionem narrat Pallavicinius lib. 17 cap. 1 num. 6. Secunda saepe legitur apud eundem scriptorem, praesertim lib. 12 occasione petitionum a Carolo V factarum, et deinde fuse lib. 24 cap. 12. De tertia vero petitione non est quod immoremur. Nam constat, Concilium Tridentinum operam dedisse memoratae reformationi consequendae, quod merito cum amplissima eiusdem concilii laude refert toties citatus Pallavicinius.

Petitionibus Germanorum, subdit Rankius, ad rei summam congruebant illae, quae a Cardinali de Lotharingia, una cum Legatis Galliae Regis, propositae fuerunt. Sed praeterea animadvertit istos postulasse ut decreta Concilii Basileensis confirmarentur, aperte contendentes Concilium Romano Pontifice esse po, testate superius.

Equidem etsi Cardinalis Pallavicinii historiam diligenter perlegerim, ea tamen, quae Rankius de petitionibus, a Cardinali Lotharingiae, et Galliae Legatis in concilio propositis commemorat, non inveni, eo praecipue loco, videlicet *tom. 4 lib. 19 cap. 1,* quo Pallavicinius de tota ista re fuse pertractat. Nihil enim ibi est, quod respiciat petitionem ab iis factam, ut decreta Basileensia confirmarentur, aut eorundem assertionem de statuenda Concilii supra Pontificem potestate.

Possumus tamen rem explicare, testimonio desumpto ex epistolis Mutii Calini Archiepiscopi Zarae, viri pietate, et ingenuitate insignis, quas primum vulgavit doctissimus Ioannes Dominicus Mansius, in *Miscellanea* Stephani Balutii *tomo 4.* Ex his autem apparet, memoratum Cardinalem, ceterosque Gallos Legatos sese opposuisse, quominus decreta de Romano Pontifice ederentur, quae statuta Concilii Basileensis, recta everterent. Verebantur enim Galli, ne, si id fieret, Sorbonistarum Collegium perturbaretur, et inde Calvinistarum secta occasionem arriperet graviores in Gallia tumultus excitandi. Hoc autem valde diversum est ab iis, quae dicit Rankius de petita, scilicet, a Cardinali Lotharingio decretorum Basileensium confirmatione, aut de Pontificis potestate, quae Concilii Generalis auctoritate sit inferior.

Quaestio de Episcoporum institutione vehementer animos commovit in Concilio Tridentino, ac notissimum est factum, quod inter Melchiorem Avosmedianum, et nonnullos Italiae Episcopos, die 1 Decembris anno 1562

evenit. Eam rem ita narrat Rankius: « Cum Gaditanus (dici autem debuis- » set *Accitanus*) Episcopus comme- » morasset, celebres Antistites, et » Ecclesiae Patres exstitisse, quos Ro- » manus Pontifex minime instituerat, » ipsum removeri petierunt Episcopi » Itali; anathema, atque haeresim » esse pronuntiarunt; sed anathema, » atque haeresis in ipsos ab Hispa- » nis reiecta fuit. Saepius turbae ex- » citatae fuerunt, quibus Hispaniae, » et Italiae nomina efferebantur. In » viis fluere sanguis visus est, in ipsa » quoque pacis, et misericordiae sa- » cra domo. »

Haec quidem Rankius, sed ex authenticis documentis rem totam exponit Pallavicinius lib. 19 cap. 5 n. 5, cui omnino consonat memoratus Calinus in epistola die 3 Decembris eiusdem anni scripta. Ex his vero monumentis apparet luculenter, narrationem de sanguinis effusione, Rankii commentum esse. Constat enim, postquam nonnulla verba iniuriosa, non ab omnibus Italis, sed a nonnullis, quos Calinus et Pallavicinius recenset, prolata fuerunt, Legatos operam dedisse, ut inter eos concordia instauraretur: Avosmedianum mentem suam saniori sensu explicasse, atque ita controversiam istam felicem exitum habuisse.

Post haec refutationem non merentur, quae affirmat Rankius de Romanorum, ac praesertim Cardinalis Rodulphi Carpensis persuasione, videlicet, Ecclesiae ruinam, et casum brevi eventurum esse. Haec enim ab homine tantum ex eo Haereticorum genere possunt pronuntiari, qui doctrinam catholicam de Ecclesiae indefectibilitate penitus ignoret, vel despicere se posse arbitretur.

Negari quidem non potest graves ortas esse in concilio Tridentino dissensiones: verum denegari pariter non potest, eas tandem in maius Ecclesiae, et Apostolicae Sedis decus redundasse. Hoc autem tantopere clarum est, ut Rankius ipse id in dubium revocare non audeat. Rei tamen veritate fractus hoc omne tribuit humanis rationibus, ac politicis rerum adiunctis. Ex legatione enim Cardinalis Moronii ad Ferdinandum Imperatorem, derivasse putat Rankius fielicem concilii exitum. Nam ait, Ferdinandum fuisse primarium moderatorem omnium, quae in concilio fiebant. Quare cum memoratus Cardinalis in sua legatione, Imperatorem benevolum Pontifici peritia sua reddidisset, inde factum esse Rankius concludit, ut statim concilii negotia conversa sint in meliorem fortunam, ac dissensiones finem habuerint.

Profecto non est negandum, Cardinalis Moronii Legationem ad pacem componendam multum contulisse. Negamus vero eam talem habuisse, qualem Rankius contendit, effectum. Id autem facile est intelligere. Etenim Cardinalis Moronius reversus est Tridentum a sua legatione die 17 mensis Maii anni 1563. Decretum vero de institutione, et residentia Episcoporum, editum non fuit nisi die 15 Iulii eiusdem anni. In eo duorum mensium intervallo, dissensiones acriter perdurarunt; ac nonnisi singulari Dei auxilio factum est, ut ea die, cum Sessio 23 celebraretur, omnibus fere consentientibus canon de Episcoporum institutione, atque auctoritate, et decretum de residentia, in quibus rebus controversiae cardo positus erat, incredibili totius Ecclesiae laetitia, tandem statuerentur.

Plura alia ex Rankii opere toties significato possent afferri, quae ostendunt quantum a veritate discrepent ea, quibus ille conatus est concilii Tridentini auctoritatem extenuare. Sed facile ea quoque possunt refutari, modo sincera, et ad fidem faciendam idonea monumenta consulantur. Id autem, ut generatim dicam, apparebit iis, qui Papatus memoratam Rankii historiam, in aliis, quae continet circa concilii Tridentini celebrationem, cum monumentis a Pallavicinio, Raynaldo, et Spondano allatis comparare voluerint.

In huius disceptationis initio, de Ioanne Laurentio Moshemio etiam mentionem feci, veluti de homine qui plurimum de concilii Tridentini gravitate, atque eiusdem decretorum, et canonum auctoritate detraxerit. Ut id verum esse pateat, satis erit me ea adducere, quae in *Institutionibus Historiae Christianae saeculi 16 sect. 3 parte 1 cap. 1 parag. 23* Moshemius de concilio illo, et de rebus in eo sancitis affirmat. Hic enim Moshemii institutionum locus, veluti summam eorum omnium complectitur, quae ad concilium Tridentinum vituperandum excogitari possunt.

Itaque Moshemius ait: « Tridentinum concilium, quod ad illustrandam, digerendam, et emendandam, tam religionem, quam disciplinam, coactum esse dicitur, nova potius monstra peperisse, viris sapientibus, quam vetera debellasse videtur. Queruntur enim, in eo multa Doctorum Scholasticorum scita, de quibus olim libere in utramque partem disceptabatur, iniuste consecrata, et inter dogmata creditu necessaria temere relata, immo exsecrationibus septa esse. Accusant decretorum, et legum ambiguitatem, litesque per ea non tam sedatas, et explicatas, quam implicatas potius, et propagatas esse moleste ferunt. Dolent, non ex veritatis et sacrarum litterarum, sed ex Romani Pontificis praescripto cuncta esse gesta, patribusque a Legatis Romanis omnem fere facultatem ademptam esse vulnera Ecclesiae sanandi. Deplorant, pauca, quae bene, et sapienter constituere licuit, nuda, et inermia relicta esse, nemineque prohibente negligi. Ad summam id potius Tridentinos spectasse censent, quod dominationi Pontificiae, quam quod universae rei Christianae utile esset. Quocirca mirum nemini videri potest, esse inter ipsos Romanae Ecclesiae filios, qui Tridentina etiam decreta ex mente sacri codicis, et traditionis exponi velint, nec eandem eius in omnibus provinciis Romani orbis auctoritatem esse. »

Non arbitror tam brevi oratione maiorem mendaciorum numerum potuisse a Moshemio perstringi. Sed facile est simul brevi aliqua animadversione ista confutare.

Primo enim quaeri a Moshemio posset, qui sint vere sapientes ii viri, quibus visum est, concilium Tridentinum, quod ad religionis bonum, et ad disciplinae instaurationem convocatum fuerat, in religionis potius incommodum, ac damnum conversum esse. Dubium esse non potest, hos viros, quos sapientes Moshemius hoc loco appellat, nisi vel Protestantes, vel alios Catholicae Ecclesiae infensos scriptores intelligi oportere. Fieri enim non potest, ut homines Catholici, et ii omnes, qui ea, qua necesse est erga catholicam Ecclesiam observantia animati sint, de concilio Oecumenico iudicare potuerint, illud concilium, cum ad religionem iuvandam incumbere debuisset, nova monstra in Ecclesia peperisse, perniciem, scilicet, Ecclesiae intulisse. Quod si qui ita de concilio Tridentino iudicarunt, inimici catholicae religionis sunt, quid est quod eorundem testimonium, ad imminuendam concilii auctoritatem alicuius roboris esse Moshemius existimaverit, cum nihil tam sit naturale, quam homines catholicae Ecclesiae inimicos, de catholica Ecclesia ipsa iniuste detrahere?

Est praeterea manifestum, istas scriptorum, quos Moshemius sapientes appellat, querelas, aperte calumniosas esse. Etenim manifesta calumnia est, concilium Tridentinum, multa scholasticorum doctorum scita, seu placita, de quibus antea libera cuilibet esse poterat in utramque partem sententia, ac disceptatio, concilium, inquam, illa consecrasse, inter fidei dogmata, ab omnibus necessario credenda retulisse, anathemate in eos indicto, qui ista credere repugnassent.

Primo enim loco, dum haec affir-

mat Moshemius, non videt, in quam facili ad falsitatem prodendam quaestione is versetur. Nam res haec tota in facti consideratione continetur. Possumus autem iure nos postulare, ut vel ipse, vel docti viri, quos laudat, significent, in quo concilii Tridentini decreto, vel canone reperiantur illa, quae multa esse dicit, scholasticorum placita, extra credendi necessitatem antea posita, quae concilium Tridentinum consecraverit, inter catholicae Ecclesiae dogmata retulerit, et de quibus, veluti ad fidem spectantibus, necessario credendis, anathemate indicto, sententiam pronuntiaverit. Certum est, nullum concilii Tridentini locum ad accusationis huius probationem afferri a Moshemio, vel alio quolibet scriptore umquam posse.

Praeterea nihil adeo est apud omnes exploratum, ac cognitum, quam a concilio Tridentino id sapientissime semper, et accuratissime cautum esse, non modo ne scholasticorum liberae de aliqua re sententiae non consecrarentur, et ad Ecclesiae fidem spectare declararentur, sed ne ulla quidem probatione sua terminarentur. Huius rei undique ex concilii historia, atque actis resultant argumenta. Et communis hominum vere sapientia praestantium sententia, et concors admiratio fuit, in summa illa, accurataque cautela demonstranda, qua Patres Tridentini, in decretis, canonibusque sanciendis usi sunt, ne quid huic sapientissimo proposito contrarium umquam committeretur. Docent id quaestiones gravissimae circa verba, in declarationibus, decretis, et canonibus adhibenda diu pertractatae, atque id confirmat pluries immutatus a Patribus in canonum, ac decretorum contextu, antequam promulgari possent, dicendi modus. Nonne igitur aperta calumnia est, adeo confidenter affirmare, multa Doctorum Scholasticorum placita, quae antea libera circa fidem praestandam erant, concilii Tridentini sententia, inter fidei dogmata, necessario ab omnibus credenda relata fuisse?

Accusari decretorum, et legum concilii ambiguitatem subdit Moshemius, atque inde factum esse dicit, ut lites de rebus ad decreta ipsa pertinentibus, non modo non sedatae, sed auctae potius fuerint, et evaserint difficiliores. Huic accusationi primum ea responsio dari posset, quam superius de querela scholasticorum opiniones inter dogmata a concilio relatas respiciente significavimus. Haec enim quoque res in facti quaestione versatur. Quapropter ab eo, qui hanc perplexam decretorum, et legum a concilio latarum formam conqueritur, deberet exemplis adductis ostendi, hoc vitio concilii Tridentini decreta, legesque laborare. Id autem quomodo ostendi possit, non facile intelligitur.

Deinde huic accusationi ea apud doctos quoslibet homines, atque ad istam rem diiudicandam idoneos recepta sententia iure potest opponi, cetera etiam omnia concilia oecumenica, sapientissime decreta, et leges suas condidisse, eaque concilia, non minus quam Tridentinum, infallibilitate praedita reputanda esse, sed peculiarem hanc laudem, quae ex latine scribendi clariori forma derivat, concilio Tridentino esse tribuendam. Estne vero credibile, homines gravissimos, quibus rerum decernendarum rationes omnes erant manifestae, postquam diu de rebus ipsis, verbisque in decretorum expositione adhibendis deliberassent, ambiguitatem loquendi vitare non potuisse?

Denique lites, quas per decreta Tridentina Moshemius ait non modo non sedatas, explicatasque fuisse, sed implicatas potius, et propagatas esse, lites, inquam, eae, cuiusnam generis sunt? Profecto definitiones in materia fidei a concilio factas eae lites respicere non possunt. Quis enim est, qui concilii oecumenici naturam, et auctoritatem perspectam habeat, et definitionum ab Oecumenico concilio editarum infallibilitatem, quae cre-

dendi pariat necessitatem, agnoscat, quis, dico, post definitiones eiusmodi editas, in litigando perseverare, aut acrius in sententia his definitionibus contraria persistere potest? Certe id ab ea, ad quam tenentur omnes erga Concilii Oecumenici definitiones observantia penitus abhorret.

Quod si vero decreta, ac leges illae Tridentinae, quibus non obstantibus, Moshemius ait, lites perdurasse, atque auctas esse, ad disciplinam tantummodo spectant, facile est intelligere, id decretorum, aut legum ipsarum vitio tribui non posse. Nam si de regionibus sermo sit, in quibus decreta Tridentina disciplinam respicientia non sunt promulgata; in iis certe, ante eorundem promulgationem, neque sedandarum, neque augendarum eiusmodi litium, illa decreta occasionem, aut causam afferre potuerunt. Si autem Moshemius de iis regionibus est intelligendus, in quibus decreta, ac leges circa disciplinam a concilio Tridentino latae, receptae, atque ad obtemperandum propositae sunt, profecto, si post promulgatas eas leges, in iis locis lites perseveraverunt, id hominum superbiae est accensendum, qui intelligentes, per eas Tridentini leges, vetera placita, consuetudines, aut abusus abrogatos esse, non ea tamen, qua oportebat, docilitate voluerunt concilii Oecumenici sanctiones revereri.

Venio ad illud, quod in superius allato Moshemii loco tanta confidentia dicitur, sapientes viros dolere, eo quod non ex veritatis, et sacrarum litterarum, sed ex Romani Antistitis praescripto cuncta fuerint gesta in Tridentina synodo, et a Legatis Pontificiis omnis fere facultas patribus adempta sit Ecclesiae mala sanandi. Iam vero concilii Tridentini decreta legentibus, et doctrinam ab eo expositam considerantibus facile apparet, num in sacro illo Ecclesiae conventu omnia eo modo fuerint gesta, quem per calumniam significat perpetuo ibi obtinuisse Moshemius.

Nam de facto constat, concilium Tridentinum doctrinam suam, et decreta ex sacrarum litterarum auctoritate, iuxta eum sensum, quem semper Ecclesia tenuit, exposuisse, et ex constanti simul Ecclesiae traditione confirmasse. Si autem istam in doctrina sua tradenda, atque in decretis condendis normam concilium Tridentinum perpetuo religiose servavit, est etiam perspicuum, ea, quae in synodo gesta sunt, ex veritatis praescripto gesta fuisse. Quando enim constet, Patres Tridentinos in doctrinae, decretorumque suorum expositione, Sacrae Scripturae, et Traditionis Ecclesiae auctoritatem sequutos esse, constat etiam eos ex veritatis praescripto egisse. Neque poterant Tridentini Patres in his agendis a Romani Pontificis praescripto discordes esse, cum eiusdem Pontificis sententia Sacrae Scripturae, et Traditioni esset consentanea.

Quod spectat vero ad libertatem, quam fere omnem a Legatis Pontificiis ademptam esse Patribus Tridentinis affirmat Moshemius, vix esset, cur eiusmodi accusationi, seu potius calumniae responderi deberet. Afferenda essent potius in medium concilii Tridentini acta, et eius historia esset huic assertioni obiicienda. Non ea quidem historia, quam Paullus Sarpius, ad concilium, et Sédem Apostolicam vituperandam excogitavit, et calumniosa narratione replevit, sed ea quae veritati rerum consona est, concilii Tridentini historia. Tunc certe appareret, quam falso dicatur, sapientes viros conqueri, Patres Tridentinos a Legatis Pontificiis libertate spoliatos fuisse. Etenim in concilii actis, atque in historia rerum vere in concilio gestarum, nihil est tam perspicuum, quam libertatem a Legatis ademptam Patribus numquam fuisse, aut Pontificis auctoritate Patres impeditos esse, quominus ea decernerent, quae post perlongam rerum investigationem decernenda esse statuissent.

Haec vero confirmari optime possent, argumentis iis, quae Cardina-

lis Pallavicinius toto libri 24 capite 14 ad hoc idem demonstrandum adduxit. Etenim eo loco Pallavicinius ostendit, numquam in concilio Tridentino evenisse, ut Patres ad ea, quae ipsi nollent, statuenda adigerentur, aut ab iis, quae decernenda putassent, statuendis abstinerent. Quod si vero Pontifex propriam suam in concilio auctoritatem exercuit, atque ei per Legatos praefuit, et Patribus, qui synodo aderant, consiliis suis, et theologorum, ac canonistarum suorum adiumento fuit, id nihil libertati Patrum offecisse idem Pallavicinius animadvertit, cum haec evenerint, remanente semper in Patribus singulis facultate sententiae ferendae, quae ipsis magis placuisset; atque eo more servato, ut ad definitiones promulgandas suffragiorum pluralitas requireretur.

Ista vero memoratus Concilii Tridentini historiae doctissimus scriptor, non solum de dogmaticis, sed etiam de iis quae ad reformationem pertinebant, definitionibus, luculenter evincit. Nam exemplis ex controversiis, de Episcoporum residentia, ac de eorundem institutione commemoratis, probat, perpetuo in Patribus servatam libertatem fuisse circa primum illud definitionum genus. De iis autem quae ad reformationis materiam referuntur, *cit. cap. 14 n. 13* Pallavicinius animadvertit, ex concilii actis apparere « non » solum Pontifices libenter assensos » esse, ut Patres statuerent quae» cumque Ecclesiae universae bonum » respicerent, sed etiam iisdem re» liquisse facultatem, Romanam cu» riam, et tribunalia reformandi; » Pium IV praeterea fuisse pluries » Legatis suis auctorem, ut id fieret, » re minime cum eo communicata, » et sibi displicere significavisse si » quando id actum non esset; con» tra vero laudata ab eo Pontifice » fuisse quaecumque in sessionibus » essent statuta, licet id inopinato, » aut contra exspectationem suam, » vel Romanae Curiae non favora» bile accidisset; denique Cardinalem » Lotharingiae, atque Archiepiscopum » Pragensem, postquam cum Ponti» fice longam, et intimam de his re» bus pertractationem habuissent, » memoratam eiusdem Pontificis vo» luntatem, ac religiosum studium » in hoc etiam reformationis facien» dae capite requirendo, apertissime » in concilio testatos esse. »

Haec autem cum ita sint, perspicuum est, calumniam esse quod dicit Moshemius, patribus Tridentinis a Legatis Pontificiis libertatem iudicandi ademptam esse, quae calumnia a Paullo Sarpio etiam, et a Febronio quoque in posterum pronuntiata, a Cardinali Pallavicinio in historia sua, et a Francisco Antonio Zaccaria in *introductione ad Antifebronium cap. 2 n. 7* confutata est.

Sed in allato superius Moshemii loco, haud ita potest facile intelligi quid verba illa significent, ea pauca, videlicet, quae a concilio Tridentino statuta sunt, nuda, et inermia relicta esse, atque ea quidem nemine prohibente negligi.

Nam si de definitionibus ad fidem, doctrinamque catholicam spectantibus Moshemii verba intelligenda sunt, falsum est, decreta illa nuda, et inermia relicta esse, cum concilium Tridentinum anathematis poena eos omnes mulctaverit, qui contrarios definitionibus suis errores affirmaverint, aut docuerint. Praeterea sciunt omnes cuius roboris, ac momenti sint expositiones catholicae doctrinae, ac fidei in concilii decretis comprehensae. Scilicet omnes intelligunt, non posse catholicos eos reputari, qui doctrinam his expositionibus contrariam retinerent; atque id natura ipsa sua evenire, quapropter ea decreta nullo umquam tempore inermia existimari posse.

Si vero de rebus a concilio Tridentino statutis, et disciplinam, ac reformationem respicientibus eo loco sermo sit; tunc vero dici potest, etiam hic non intelligi, quanam de causa, illa decreta nuda, et inermia re-

licta fuisse existimari possint. Primo enim habent illa naturalem vim suam apud omnes, qui concilii Oecumenici auctoritatem despici non posse sciunt. Hac autem vi, atque isto robore, non possunt ea decreta umquam destitui, neque ulla alia, quam Romani Pontificis, aut concilii legitimi Oecumenici auctoritate super eorundem observatione dispensari potest.

Praeterea falsum est, nemine prohibente ea decreta negligi. Nam iis in locis in quibus decreta Tridentina ad disciplinam quoque spectantia promulgata sunt, Episcoporum curae commissum est, ut eadem accurate serventur, atque ibi poenalia etiam praescripta, quae iis decretis continentur, sine controversia effectum suum consequuntur. Denique, ut omittam cetera, inter amplissimorum S. R. E. Cardinalium sacra consilia, a Sixtō V Pont. Max. ad graviora Ecclesiae negotia pertractanda sapientissime instituta, illud est celebratissimum, quod Sacrosancti Concilii Tridentini decretorum interpretum appellatur. Ad sacrum autem illud consilium, officium et cura spectat, quam Pius IV ipse nonnullis Cardinalibus ab initio commiserat, ut quaecumque ad decretorum illorum materiam pertinentes controversiae fuerint excitatae, secundum illorum decretorum normam, et concilii mentem dirimantur, et diligenter operaetur, ut de quaestionibus eiusmodi, prout decreta memorata requirunt, accurate iudicetur.

Opportunum erit ad hoc probandum ipsius Constitutionis Sixti V, quae *die 19 Februarii anno 1588* data est, et incipit *Immensa aeterni Dei,* verba referre, quibus sacri consilii instituendi rationem explicavit, videlicet, quod *Concilii Tridentini decreta ab omnibus servari vellet.* » Atque eorum quidem, inquit, de» cretorum, quae ad fidei dogmata » pertinent, interpretationem Nobis » ipsis reservamus, Cardinalibus vero » praefectis interpretationi, et exse» quutioni concilii Tridentini, si quan» do in his, quae de morum refor» matione, disciplina, ac moderatio» ne, et Ecclesiasticis iudiciis, aliis» que huiusmodi statuta sunt, du» bietas, aut difficultas emerserint, » interpretandi facultatem, Nobis ta» men consultis, impertimur... Ha» beat itidem congregatio auctori» tatem promovendi reformationem » Cleri, et Populi, nedum in Urbe, » et Statu Ecclesiastico temporali, » sed etiam in universo Christiano » Orbe, in iis, quae pertinent ad di» vinum cultum propagandum, devo» tionem excitandam, et mores Chri» stiani populi ad praescriptum eius» dem concilii componendos. » Quomodo igitur, nisi per calumniam affirmari potest, ea, quae a concilio Tridentino statuta sunt, nuda, atque inermia relicta esse, ac nemine prohibente negligi?

Quae hactenus animadvertimus, illud quoque falsum esse evincunt, quōd Moshemius subdidit, a sapientibus scilicet viris esse reputatum, Tridentinos Patres ad summam id potius spectasse, quod dominationi Pontificiae, quam quod universae rei Christianae utile esset. Nam cum ea quae Patres Tridentini decreverunt, vel fidei doctrinam, vel reformationem tantummodo respiciant, quanam ratione vere dici potest, eos Patres spectasse potius dominationis pontificiae, quam Ecclesiae universae utilitatem? Certe in definiendis fidei dogmatibus, in haereticorum erroribus proscribendis, Patrum Tridentinorum scopus esse non potuit Pontificiam dominationem amplificandi. Decreta autem de disciplina, ad universam prorsus Ecclesiam, eiusque bonum ubique procurandum spectant. Atque in his praeterea decretis quamplura continentur, quae curiae Romanae non erant favorabilia, et ea tamen, Romano Pontifice laudante, fuerunt statuta. Factum igitur ipsum ostendit, hanc quoque Moshemii animadversionem calumniosam esse.

Restant pauca alia illa, quae ex-

trema testimonii superius adducti parte Moshemius habet, scilicet, cum tales sint sapientum, ut ipse eos appellat, virorum, de concilio Tridentino querelae, mirum nemini videri posse, inter ipsos catholicos, seu, prout eos ille vocat, Ecclesiae Romanae filios, reperiri, qui Tridentina decreta ex mente sacri codicis, et traditionis exponi velint, nec eandem concilii Tridentini in omnibus provinciis Romani orbis auctoritatem esse.

Iam vero facile hic etiam est Moshemio respondere, et obscuritatem, qua gravem istam rerum materiam is offundere voluit, avertere. Cum enim ille affirmat esse inter ipsos Ecclesiae Romanae filios, qui Tridentina decreta ad mentem sacri codicis, et traditionis exponi velint, aperte significat, se de Tridentinis illis decretis, aut definitionibus loqui, quae dogmata fidei, et Ecclesiae doctrinam respiciunt. Etenim eius generis prorsus esse decreta debent, in quorum expositione facienda , de sacrarum scripturarum, et traditionis sensus intelligentia sermo esse possit.

Haec autem cum ita sint, quid sibi Moshemius voluit cum de decretis huiusmodi agens, nemini mirum videri posse dixit, inter ipsos Catholicos reperiri, qui in iis exponendis ad sacrarum scripturarum, et traditionis sensum recurrant? Num haec significant, dubium esse, an Tridentina de his rebus decreta, Sacrarum Scripturarum testimoniis, et Traditionis auctoritati non innitantur? Satis vero est eorum decretorum contextum consulere, ut appareat Concilii Tridentini Patres in condendis definitionibus suis, atque in doctrina exponenda, omnem Scripturae Sacrae, ac Traditionis rationem semper habuisse, et secundum verum Scripturae, ac Traditionis sensum decreta sua fecisse.

Fieri quidem quandoque potest, ut cum de explicandis, vel de propugnandis rebus a concilio Tridentino decretis sermo occurrerit, Sacrae Scripturae, et Traditionis testimonia afferantur, et iis adductis, veritas definitionum a Concilio Tridentino factarum confirmetur. Hoc tamen non ostendit, ipsos Romanae Ecclesiae filios, tamquam si in Tridentinorum decretorum auctoritate, et claritate non acquiescant, ad Scripturae Sacrae, et Traditionis testimonia confugere, quo possint definitionum a concilio editarum, vel doctrinae ab eo traditae veritatem sibi persuadere.

Denique memorata superius Moshemii verba magnam continent incohaerentiam. Etenim ad verum cognoscendum Scripturae, ac Traditionis sensum, cuiusnam est, aut esse potest gravior, quam Ecclesiae auctoritas? Decreta vero, seu fidei definitiones, quae in concilio Oecumenico editae sunt, nonne decreta ac definitiones eiusmodi sunt, quae Ecclesiae Catholicae manifeste continent auctoritatem? Quomodo igitur, qui sibi cohaerere in disputando velit, iudicare potest, ad Tridentinarum definitionum veritatem consequendam, Catholicos ipsos existimare, Sacrae Scripturae, et Traditionis testimonia perscrutari oportere? Tandem sciunt omnes, Traditionis praecipuam partem in Conciliorum Generalium definitionibus contineri. Quae igitur tanta loquendi incohaerentia est, ut ad decreta a concilio Tridentino Oecumenico promulgata exponenda, necesse esse dicatur, ad Sacrae Scripturae, et Traditionis testimonia confugere?

Dixi paullo ante, facile esse eam obscuritatem avertere, quam rebus, de quibus agimus, Moshemius conatus est offundere. Atque id quidem verissimum est. Nam cum is affirmasset non esse mirum, propter querelas de Concilii Tridentini agendi ratione a viris sapientibus factas, ipsos Catholicos in eius decretorum expositione, ad Sacrae Scripturae, ac Traditionis auctoritatem se convertere; id quod demonstrat, Moshemium de rebus ad fidem spectantibus sermonem habere; repente idem scriptor,

uno, eodemque orationis contextu prosequutus est, non esse mirum, non eandem in omnibus Romani Orbis, seu Catholicae Ecclesiae provinciis eiusdem concilii auctoritatem esse. Atqui fuisset hic a Moshemio aperte explicandum, permagnum esse in rebus, de quibus ipse loquitur, discrimen.

Etenim si de decretis fidem respicientibus, aut de Ecclesiae doctrina a concilio Tridentino tradita sermo fit, falsum est, non eandem apud catholicos ubique eius decretorum esse auctoritatem. Pugnaret enim cum ipsa catholicae religionis natura, ut aliquae provinciae, quae catholicae vere sint, non revereantur veluti infallibilem concilii Oecumenici definitionum fidei auctoritatem. Quamobrem quod ad huiusmodi materiam pertinet, certum est, Tridentina decreta eandem habere in universa ecclesia catholica auctoritatem. Alia vero ratio est decretorum, quae non ad fidem, sed ad disciplinam pertinent. Quemadmodum enim Religionis Catholicae natura non requirit, ut qua ratione una fides ubique terrarum esse debet, pari de causa eadem ubique debeat esse catholicarum regionum omnium praxis, et consuetudo; ita evenire etiam potest, ut non in omnibus catholicis regionibus decreta de disciplina a concilio Tridentino condita serventur. Neque id tamen inde nascitur, quod etiam ea decreta suam non habeant auctoritatem.

Proficiscitur enim id ex eo, quod concilii Tridentini m[illegible], circa materiam, quae ad disciplinam spectat, non ea fuerit, ut statim, ubique, catholicos, in qualibet Ecclesiae parte deberet statim obligare.

Exempla plura ad hoc probandum afferri possent. Unum tamen brevitatis causa commemorasse satis erit, scilicet id, quod respicit impedimentum dirimens clandestinitatis, quod *Sess. 24* in decreto *de reformatione Matrimonii cap. 1* a concilio Tridentino statutum est. In eo enim decreto ita Patres Tridentini inter cetera loquuti sunt: « Qui aliter quam » praesente Parocho, vel alio sacer- » dote de ipsius Parochi, seu ordina- » rii licentia, et duobus, vel tribus » testibus, matrimonium contrahere » attentabunt, eos Sancta Synodus, » ad sic contrahendum omnino inha- » biles reddit, et huiusmodi contra- » ctus irritos, et nullos esse decer- » nit, prout eos praesenti decreto » irritos facit, et annullat. » Constat vero, receptumque est apud omnes, hoc impedimentum, quod tam gravibus verbis, atque adeo generali loquendi ratione sancitum est, in iis tantummodo locis vim habere, in quibus decretum ipsum promulgatum est, vel in quibus illud, tamquam a concilio Tridentino inductum observetur. Quamobrem manifestum est, loca quamplura esse, in quibus matrimonium, licet ista forma a Concilio Tridentino praescripta non contrahatur, valeat tamen, et dirimenti hoc impedimento non teneatur. Ex hoc tamen non sequitur, etiam inter Catholicos, non eandem concilii Tridentini decretorum auctoritatem esse, sed sequitur inde tantummodo hoc evenire, ut, quantum spectat ad decreta disciplinam respicientia, sint in iis non pauca, quae non obligent, nisi ubi decreta ipsa promulgata, vel tamquam concilii Tridentini decreta recepta fuerint.

Et quoniam hic sermo incidit de impedimento clandestinitatis dirimente, a Concilio Tridentino inducto, et de eiusdem impedimenti robore in iis tantum regionibus, in quibus Tridentinum decretum de reformatione matrimonii promulgatum est, non erit inopportunum commemorare id, quod a Benedicto XIV decreto edito die *4 Novembris 1741*, quod in eius Bullarii tom. 1 continetur, statutum est de matrimoniis inter haereticos, vel inter haereticos ac catholicos coniuges in Hollandia, et foederati Belgii provinciis, non servata forma Concilii Tridentini contractis.

Videlicet matrimonia quantumvis

ea ratione inita, valere tamen in iis locis Pontifex constituit. Quapropter effecit, ut, licet in iisdem regionibus impedimentum clandestinitatis, per Tridentini Concilii decreti promulgationem, seu observationem, antea vigeret; impedimentum illud tamen in iisdem locis, circa matrimonia inter haereticos, vel etiam catholicum inter et haereticum contracta, in posterum non obtineret. Romani Pontifices vero Benedicti XIV successores, id, quod de Hollandia, et foederato Belgio Benedictus Pontifex constituerat, etiam de aliis regionibus deinde statuerunt. Haec autem omnia ideo a me commemorata sunt, ut scilicet, luculentius appareat, si sermo sit de decretis Tridentinis disciplinam respicientibus, valde diversa ratione iudicandum esse, quam si quaestio sit de decretis ad fidem, ac doctrinam spectantibus. Haec tamen diversitas nullo modo probat, de Concilii Tridentini decretorum auctoritate catholicos inter se non convenire. Sed haec dumtaxat ostendunt, circa decretorum de fide, atque eorum, quae de disciplina pertractant, observationem, diversum natura sua iudicium esse debuisse.

Cum vero ista dicimus, manifestum est, minime nos ea comprehendere, quae quantumvis ad disciplinam pertineant, universali tamen lege, ac ex sanctissimo Ecclesiae instituto sancita sunt. Nam etiam in huiusmodi decretis servandis, nulla reperitur, aut reperiri potest inter catholicos discrepantia. Tale profecto est ex. gr. quod *sess. 24 can. 9 de sacramento Matrimonii* a Concilio Tridentino decretum fuit, ut anathema sit, si quis dixerit, Clericos in sacris ordinibus constitutos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse non obstante lege ecclesiastica. Tale etiam, quod can. 10 eiusdem sessionis pronuntiatum est de prohibitione solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus. Haec enim, aliaque eiusmodi, a Concilio Tridentino condita decreta, continent sanctissima, ac vetustissima Ecclesiae instituta, quae quantumvis ad disciplinam proprie pertineant, religiose tamen ubique ab omnibus sunt servanda, neque ulla ratione sunt miscenda cum iis, quorum observandorum obligatio ex dceretorum promulgatione dependet.

CAPUT LV.

DE CONCILII TRIDENTINI CONFIRMATIONE ET ACCEPTATIONE.

Postquam Concilium Tridentinum dimissum est, Romam reversi sunt duo Pii IV Romani Pontificis Legati, qui Concilio ipsi eiusdem Pontificis nomine praefuerant, videlicet Ioannes Cardinalis Moronus Episcopus Praenestinus, et Ludovicus S. Cyriaci in Thermis Cardinalis Simoneta. Reliqui enim duo Legati, Stanislaus Cardinalis Hosius tituli S. Eustachii, et Bernardus Navagerius Cardinalis S. Nicolai inter Imagines, alter in Poloniam, alter Veronam statim post impositum Concilio finem redierunt.

Cum autem Legati Romam venissent, et Concilii decreta ad Pontificem Maximum, ut ea confirmaret, allata essent, agi continuo coepit de eadem confirmatione facienda; quae deinde, prout superius diximus, edita constitutione, quae die 26 Ianuarii anno 1564 data est, a Pio IV tributa fuit. Aliam quoque Bullam die 18 Iulii anno 1564 idem Pius IV edidit, quae incipit *Sicut ad Sacrorum*, qua aperte declaravit, a calendis Maii eiusdem anni, decreta omnia Concilii ad reformationem, ac ius positivum spectantia obligare coepisse. Denique

die 2 Augusti memorati anni 1564 alias litteras Apostolicas Pontifex dedit, quibus octo Cardinalibus a se deputatis munus commisit, decretorum Concilii Tridentini exsequutionis atque observationis procurandae.

Quanta vero fuerit Pontificis Pii IV cura, ac sollicitudo, ut Concilii Tridentini, et decretorum ab eo editorum plena confirmatio fieret, ostendunt quamplura ad postremos duos eius Pontificatus annos pertinentia monumenta; et Cardinalis Pallavicinius praeterea toto *lib. 24 cap. 9* fuse demonstrat, quo loco n. 5 ex actis consistorialibus diei 30 Decembris 1563, orationem quoque italice redditam, a Pio IV latine habitam affert, qua perspicuum de singulari eius studio ad hoc tam grave negotium, pro Ecclesiae bono absolvendum, testimonium continetur. Nam Pius IV in ea oratione, primum gratulatus ob Concilii felicem exitum, Ferdinando Imperatori, reliquisque Principibus, atque Episcopis, qui Concilii participes fuerant, gratias egit. Deinde reformationis decreta a Concilio condita plurimum laudavit, et se daturum omnem operam esse declaravit, ut ubique accuratissime servarentur, et non modo se alienum omnino esse dixit a quolibet eorundem decretorum non confirmando, sed etiam se esse effecturum, ut quae aliquanto mitius a concilio in iis rebus statuta fuerant, iudicio, diligentia, atque auctoritate sua, severius ubique cogerent, et explicarentur. Plura praeterea Pontifex pronuntiavit, quibus ostendit, se velle statim ad effectum ea perduci, quae Concilium statuerat, atque ea praecipue, quae Episcoporum electionem, residentiam, aliaque id genus respiciunt.

Quod spectat autem ad confirmationem Concilii decretorum, licet iam meminerimus, Pontificem, edita constitutione eam dedisse, est tamen hic locus, ut de ista re disertius aliqua dicamus. Itaque aliud die 26 Ianuarii 1564 consistorium Pius IV habuit, in quo memoratam superius constitutionem *Benedictus Deus,* a Cardinalibus etiam subscriptam promulgavit, qua, postquam affirmasset, se cognovisse, Concilii decreta omnia catholica, et populo Christiano utilia, ac salutaria esse, eadem decreta omnia, et singula se confirmare, et ab omnibus suscipienda, ac servanda esse, se decernere declaravit. « Ad vitandam vero, subdit Pontifex, perversionem, et confusionem, quae oriri posset, si unicuique liceret, prout ei liberet, in decreta Concilii commentarios, et interpretationes suas edere, auctoritate apostolica inhibemus id omnibus... si cui vero in eis, aliquid obscurius dictum, et statutum fuisse, eamque ob causam interpretatione, aut decisione aliqua egere visum fuerit, ascendat ad locum, quem Dominus elegit, ad Sedem, videlicet, Apostolicam, omnium fidelium magistram, cuius auctoritatem etiam ipsa Sancta Synodus tam reverenter agnovit. Nos enim difficultates, et controversias, si quae ex eis decretis ortae fuerint, nobis declarandas, et decidendas, quemadmodum ipsa quoque Sancta Synodus decrevit, reservamus, parati, sicut ea de nobis merito confisa est, omnium provinciarum necessitatibus, ea ratione, quae commodior nobis visa fuerit, providere. »

Paullus Sarpius quidem de hac facta a Pio IV Concilii Tridentini confirmatione obloquitur. Sed illum citato *lib. 24 cap. 9 n. 8 et seqq.* Pallavicinius graviter refellit. Ostendit enim falsum esse quod Sarpius dixerat, excepto tantummodo Hugone Boncompagnio, qui deinde Gregorius XIII fuit, omnes in aula Romana confirmationi decretorum universim faciendae restitisse. Dubium praeterea de generali illa confirmatione facienda Pontificem numquam fuisse, tum ex ipsa rei totius consideratione, tum ex litteris die 1 Februarii anno 1564 a Cardinali Bor-

romaeo ad duos Hispaniae Regis Legatos scriptis Pallavicinius demonstrat.

Quoniam vero Sarpius contenderat, ex decreto, seu actu consistoriali apparere, Pontificem, quando Concilii Tridentini decreta omnia confirmavit, *non vidisse, nisi decretum ipsum de petenda confirmatione*, in ea quoque re manifestam ab eodem scriptore pronuntiatam esse falsitatem Pallavicinius evincit.

Quo loco perspicuum mihi videtur studium maledicendi, quo Sarpius animabatur. Nam ex forma decreti consistorialis, quod a Cardinali Alexandro Farnesio S. R. E. Vicecancellario subscriptum, praemitti solet Bullae a Pio IV die 26 Ianuarii promulgatae de Concilii confirmatione, ex forma, inquam, decreti illius consistorialis Sarpius concludit, Pontificem, quando confirmationem illam dedit, decretum tantummodo vidisse de petenda confirmatione. Hoc autem Sarpio excidere non potuisset, nisi quemlibet, et penitus absurdum maledicendi praetextum arripere voluisset. Etenim ad Curiae, seu Cancellariae praxim hoc pertinet, ut in decretis consistorialibus, res, de quibus agitur, et super quibus Pontifices perquam longas etiam constitutiones edituri sunt, res, inquam, eiusmodi, summatim significentur, non autem diserta oratione per singula capita exponantur. Quare, quod ad formam spectat decreti consistorialis, satis erat in eo mentionem fieri decreti Patrum Tridentinorum de petenda a Romano Pontifice confirmatione Concilii decretorum. Itaque facile intelligitur, nonnisi ab homine levissimo, vel maledicendi cupiditate abrepto, hoc afferri potuisse tamquam argumentum ad ostendendum, eo tempore Pium IV decretum Tridentinum dumtaxat illud vidisse, quo petendam ab Apostolica Sede confirmationem Patres Concilii statuerunt.

Falsum est praeterea, ex decreto consistoriali apparere, Pontificem eo tempore vidisse tantummodo decretum de confirmatione petenda. Nam in eo decreto legitur: « Petitioni » nomine Concilii Oecumenici Tri- » dentini super eius confirmatione » nobis factae annuentes, omnia et » singula, quae in dicto Concilio tam » sub fel. rec. Paullo III, et Iulio III » praedecessoribus nostris, quam pon- » tificatus nostri tempore decreta, » et definita sunt, auctoritate Apo- » stolica, etiam de venerabilium fra- » trum nostrorum Cardinalium con- » silio, et assensu, matura cum il- » lis deliberatione praehabita, con- » firmamus, atque ab omnibus Chri- » stifidelibus recipi, et inviolabiliter » observari mandamus. »

Haec autem cum ita sint, non intelligitur, quomodo ab homine, qui serio agat, affirmari possit, ex istius decreti consistorialis contextu apparere, nullum aliud, nisi illud de petenda confirmatione factum a Patribus Tridentinis decretum, Pium IV eo tempore hactenus vidisse. Etenim Pontifex ait, se Concilii petitioni obsecundantem, omnia Concilii decreta confirmare, verum illud quoque adiungit, se hoc facere post consultos a se Cardinales, et postquam ii assensum suum significavissent. Neque ad confirmationem tribuendam Pontifex repente devenit, sed hoc a se fieri affirmavit post maturam cum iisdem Cardinalibus antea habitam de ea re deliberationem. Hanc vero deliberationem circa decreta confirmanda versari debuisse, non autem circa decretum de petenda confirmatione, manifestum omnibus est. Quomodo igitur videri Sarpio potuit, ex decreto consistoriali apparere, eo tempore Pium IV Pontificem decretum illud dumtaxat vidisse, quod ad petendam confirmationem referebatur?

Quanam ratione praeterea haec Sarpii opinio cum illa querela ab eo toties repetita convenire potest, qua continetur, quaecumque Tridenti fierent, Pontifice volente evenisse, et a Legatis retardatos Episcopos

esse ab iis decernendis, quae Pontificis, aut Romanae Curiae voluntati non consentanea futura esse intellexissent? Quis vero sibi persuadeat, Pontificem, qui in consistorio die 30 Decembris anno 1553 habito, tam gravem de decretis Tridentinis orationem habuerat, quique statim ea decreta ad effectum perducenda esse declaraverat, in alio deinde consistorio, post viginti septem dies ad solemnem confirmationem promulgandam habito, postquam de negotio toto mature cum Cardinalibus deliberavisset, unum illud Concilii decretum cognovisse, quo Pontifici supplicandum esse Episcopi Tridentini statuerant, ut decreta Concilii confirmaret? Haec sunt cuilibet omnino incredibilia, atque ab homine tantum proficisci poterant, qui, ut suo erga Romanam Ecclesiam odio indulgeret, ad absurda quoque confingenda descendit.

Quod si Sarpius facile refellitur dum hac ratione de confirmatione a Pio IV decretis Tridentinis tributa obloquitur, atque eum maledicendi studio ista pronuntiasse luculenter ostenditur; non difficilius certe Potterius de hac ipsa re, *parte 2 lib. 5 pag. 148* agens redarguitur. Etenim contendit eo loco Potterius, decreta de reformatione, permagno in periculo fuisse ne a Romano Pontifice non confirmarentur, cum in iis reperirentur non pauca, quae Romanae Curiae moribus, ambitioni et avaritiae repugnarent. Sed Hugonem Boncompagnium modum excogitavisse ait, quo sine repugnantium istorum hominum offensione, ac detrimento, decreta illa confirmarentur. Videlicet, id facile futurum Boncompagnium ostendisse, modo Pontifex in facienda decretorum omnium Concilii confirmatione, ipsi sibi uni decretorum ipsorum interpretandorum, aut explicandorum potestatem reservasset, poenis etiam indictis in eos, qui huic reservationi non obtemperavissent. Idcirco autem Pontifici potestatem istam reservatam fuisse Potterius affirmavit, quod ea contineret in seipsa remedium, quo decretorum de reformatione severitas, opportuno tempore declinari commode posset.

Verum haec quoque sunt plena falsitatis. Negamus enim fuisse Hugonis Boncompagnii callidum inventum, ut Pius IV decretorum Tridentinorum interpretationem, atque explicationem sibi reservaret. Hoc enim agere proprium erat supremae Romani Pontificis potestatis, atque ipsorum Tridentinorum Patrum sententiae consonum erat. Hoc praeterea erat omnino necessarium, si controversiae de decretorum sensu excitatae, aut de modo, quo intelligi ea deberent, quandoque commotae, cum auctoritate dirimi voluissent. Secus enim, quantumvis doctrina, et eruditione praestitissent qui obortas de decretorum intelligentia quaestiones componere voluissent, definitive tamen eas dirimere non potuissent, cum hoc non ad alios quoslibet, etiam praestantissimos viros, sed ad unum Romanum Pontificem, omnium Christianorum Doctorem, ac Magistrum, possit pertinere.

Ipsa praeterea Pii IV constitutio, qua decreta Tridentina confirmavit, et eorundem interpretationem sibi reservavit, evincit calumniosum esse quod Potterius ait, reservationem istam ad declinandam reformationis severitatem, excogitatam a Boncompagnio fuisse. Nam Pontifex causam attulit, cur aliis licere non deberet interpretationes Tridentinorum decretorum facere. Videlicet, inquit, « ad vitandam perversionem, et con» fusionem, quae oriri posset, si uni» cuique liceret, prout ei liberet, in » decreta concilii, commentarios, et » interpretationes suas edere. » Haec autem ratio iustissima erat, et Pontificis sapientiae, non vero hominum calliditati tribuenda est.

His adiungi debet Pontificem dedisse operam, ut Concilii Tridentini decreta diligenter, emendateque typis imprimerentur omnia. Quare si in memorata constitutione sua pro-

hibuit, quominus aliquis sine Apostolicae Sedis auctoritate, « ullos » commentarios, glossas, adnotatio- » nes, scholia, ullumve omnino in- » terpretationis genus super ipsius » Concilii decretis ederet; » hoc ostendere facile poterat, reservationem illam nulla calliditate factam fuisse. Quid enim profuisset ea reservatio ad decretorum severitatem declinandam, quando decreta ipsa, prout a Concilio profecta erant, in lucem prodibant? Nonne eo posito, ad severitatem istam avertendam consultius fuisset, liberam cuilibet facultatem permittere, ut commentarios, glossas, adnotationesque suas super Concilii decretis in vulgus spargerent?

Denique in ea constitutione nihil est, quod significet Pontificem sibi proposuisse decreta Tridentina arbitratu suo interpretanda reservare. Sed quae de interpretatione, et explicatione decretorum, solum ab Apostolica Sede facienda Pontifex affirmavit, ea omnia respiciunt quaestiones, quae de decretorum sensu possent excitari, et postulationes, quae ad dubia tollenda circa decretorum intelligentiam possent afferri. Has quaestiones dirimere, his postulationibus respondere ad Sedis Apostolicae auctoritatem spectare Pius IV declaravit. Num vero id commune aliquid habeat cum callido consilio inito, prout fingit Potterius, severitatis decretorum declinandae, intelligunt omnes, quibus veritatis amor in honore est.

Quae hactenus diximus, confirmationem decretorum Concilii Tridentini a Pio IV factam respiciunt. Nunc aliqua breviter de eiusdem concilii acceptatione referemus, quod Concilium, statim ac absolutum, dimissumque fuerat, Pontifex diligenter curare coepit, ut a Principibus Catholicis in regionibus eorundem dominationi subiectis reciperetur.

Iam vero in ista re, cum reliquae Italiae partes, tum Veneta Respublica Pontifici libenter obsecundarunt. Nihil enim dico de urbe Roma, et de tota Ditione Pontificia; nam ibi sine dilatione qualibet, Concilii decreta ad exsequutionem perducta esse, manifesta res est. Nihil etiam dico de Mediolanensi Ecclesia, deque locis omnibus sedi Archiepiscopali Mediolanensi quacumque ratione subiectis. Etenim S. Carolum Borromaeum Mediolanensem Archiepiscopum, cuius praesertim cura, ac religionis studio concilium Tridentinum absolutum fuerat, dedisse operam, ut ibi decreta omnia Tridentina reciperentur, et accurate servarentur, extra controversiam positum est.

Itaque Veneta Respublica continuo quod Pontifex postulabat, sine mora faciendum curavit; et Senatus decreto, in templo S. Marci, inter Missarum solemnia, Concilii decretorum acceptatio promulgata fuit. Quae res tantopere Pontifici placuit, ut magnificentissimum Romanum palatium ad aedes S. Marci, quod Paullus II Venetus aedificaverat, quodque Pontifices Romani deinde incoluerant, Venetiarum Reipublicae apud Apostolicam Sedem Legatis ad habitandum concesserit. Narrat Pallavicinius, *lib. 24 c. 11,* Pontificem, ad ostendendum Reipublicae Venetae benevolum animum suum, non modo ob acceptationem Concilii tanta celeritate factam, sed etiam ob peculiare studium in tam gravi negotio peragendo demonstratum, Breve Apostolicum de ea re scripsisse, quo Senatus pietatem, et singularem erga Apostolicam Sedem observantiam summopere laudavit.

Item in Gallia Concilium Tridentinum receptum est. Ac de recipiendis quidem decretis, et canonibus ad fidem spectantibus, et de universa doctrina fidei a Concilio Tridentino tradita recipienda, nulla umquam in Gallia quaestio fuit. De nonnullis vero disciplinam respicientibus est disceptatum, prout apud Pallavicinium citato loco, Natalem Alexandrum in *Diss. 12 ad Hist. Ecclesiast. saec. 15*

art. 16, aliosque videri potest. Sed certum est, eadem decreta ubique in Galliae Regno deinde accepta esse.

Ad eam rem clare concipiendam valde opportuna sunt quae Natalis Alexander eo loco habet. Nam postquam acceptationem Concilii Tridentini in singulis Galliae regni provinciis factam exposuit, memorato *art. 16 n. 14* de totius regni Ordinum comitiis, et Cleri conventu generali Parisiis anno 1615 habito verba faciens ait: « Ordines regni con» iunctis studiis Regi Ludovico XIII » (qui *Iustus* honoris gratia appel» latus est) pro Concilii promulga» tione supplicarunt. Illud tandem » Gallicani praesules, ceterique viri » Ecclesiastici Gallicanam Ecclesiam » repraesentantes, in frequentissimis » comitiis, eodem anno Parisiis ce» lebratis, subscriptione sua, ac iu» ramento receperunt, ac se recipere » declararunt, atque in Conciliis pro» vincialibus solemni ritu recipien» dum, et comprobandum decreve» runt, salvis regni iuribus, et pri» vatorum rationibus, quorum gratia » Summus Pontifex rogatus est a » clero, ut quaedam eiusdem Synodi » capita temperaret. » De qua re tamen idem Natalis Alexander n. 43 subdit: « Quod tamen non impedit, » quin idem Concilium, tum quoad » decreta fidei, tum quoad reliqua » disciplinam Ecclesiasticam ac mo» rum emendationem spectantia, ab » eadem Ecclesia recipiatur, obser» vetur, vereque Oecumenicum, et » Sacrosanctum ab omnibus catholi» cis habeatur. »

De vastissimis eo tempore Hispaniae Regi subditis regionibus, non est dubium, sine dilatione, Concilii Tridentina decreta in iis recepta esse. Etenim plura ad hoc exsequendum habita sunt Toleti, Salmanticae, Caesaraugustae, Granatae, et Mechliniae in Belgio, quod tunc Hispaniae Regi suberat, concilia. Deinde Philippus II Hispaniae Rex, quem de Concilii Tridentini promulgatione optime meritum esse Pallavicinius *cit. lib. 24 cap. 12* ostendit, edicto promulgato illud in omnibus locis ad dominationem suam spectantibus, servandum esse iussit. Quare cum utraque Sicilia, atque in America, amplissima essent regna eidem Hispano Principi subdita, ut erant Peruvianae, ac Mexicanae regiones, in omnibus istis etiam tam late patentibus ditionibus Concilium Tridentinum receptum fuit. Quod de Hispania dico, idem de Lusitaniae regno statuendum est. Nam sub Sebastiano Lusitaniae Rege, anno ipso 1564, prout constat ex epistola ab eodem ad Pium IV die 2 Octobris eo anno scripta, Concilii Tridentini decreta omnia, et exceptione nulla in iis facta, plaudentibus omnibus, in illo regno recepta sunt. Regis Sebastiani ad Pontificem epistolam perspicuum pietatis, atque observantiae erga Sedem Apostolicam testimonium praeseferentem Pallavicinius affert *lib. 24 cap. 9*. Sileri vero non potest, ad felicem huius rei exitum, in eo regno obtinendum, plurimum contulisse Cardinalis Henrici virtutem, qui Sebastiani Regis Patruus erat, et Pontificis tunc in Lusitania Legatus, ac deinde Sebastiani ipsius in regno successor.

Ad Germaniam vero quod attinet, ut breviter me expediam, referam verba quae habet Richardius *t. 2 analysis conciliorum pag. 611.* « Ger» maniae Principes Protestantes Con» cilium recipere renuerunt. At illud » ab Imperatore Maximiliano II, quo» ad eius peculiares ditiones, ac de» inde ab universa Germania, in con» ventu Augustae Vindelicorum an» no 1566 habito, receptum est. » Cum vero Maximilianus II Hungariae quoque Rex esset, manifestum est, eius de Concilio in omni ditione sua recipiendo iussionem, Hungariam etiam comprehendisse. Commemorat praeterea eodem *cap. 12 lib. 24* Pallavicinius, praeter illud Augustae Vindelicorum, etiam alia Concilia, ad hoc efficiendum, in Germania celebrata, et factam in pecu-

liaribus illius gentis regionibus Concilii Tridentini acceptationem.

In Polonia quoque universa Concilium Tridentinum receptum est, in generali totius Poloniae Regni conventu anno 1564 celebrato, in quo Sigismundus III Augustus Poloniae Rex, de concilio Tridentino servando se imprimis sollicitum ostendit. In qua re egregie se gessit Nuntius Apostolicus Cardinalis Commendonius, cui a Pontifice Pio IV huius negotii pertractandi peculiaris cura commissa fuerat. Legenda autem eiusdem Commendonii epistola ad Cardinalem Borromaeum scripta, quam eruditissimus P. Lagomarsinius in suis adnotationibus ad Poggianium *tom. 4 pag. 135* edidit. Ea enim epistola evincit, quanta sapientiae, et eloquentiae laude Commendonius commissum sibi a Pontifice munus impleverit. Agit etiam de ea re *cap. 13 lib. 24* Pallavicinius.

Haec, quae hactenus de Concilii Tridentini celebratione, decretis ab eo editis, eiusdemque confirmatione, et acceptatione pertractavimus, talia esse arbitramur, ut ostendant, non necessarium esse, peculiarem disputationem instituere, qua idem Concilium Oecumenicum vere fuisse demonstremus. Nam ex iis, quae extremis tribus huius voluminis capitibus exposuimus, satis abunde colligitur, Concilium Tridentinum ea omnia habuisse, quae ad constituendum concilium vere Oecumenicum requiruntur; universalem, scilicet, a Romano Pontifice faciendam eiusdem indictionem, celebrationem legitimam, et Pontifice per Legatos suos praesidente factam, et ab Apostolica Sede tributam confirmationem, cui universae Ecclesiae adhaesit acceptatio.

Praeterea, quae in Paullo Sarpio, Moshemio, Febronio, Potterio, et Rankio refutandis attulimus, praecipua continent, quae a Concilii Tridentini obtrectatoribus allata toties, ac repetita sunt, quaeque, inter ceteros, in memorata superius Natalis Alexandri dissertatione *art. 16* videri possunt, quo loco, « sacrum » Concilium Tridentinum, ceu legi» timum, et Oecumenicum, ab omni» bus orthodoxis habendum, colen» dum, et suscipiendum esse, » idem scriptor ostendit.

Itaque Concilii Tridentini auctoritatem manifestam omnibus esse, Gelasiii I Romani Pontificis testimonio quoque, ex epistola ad Episcopos Darnaniae deprompto, possumus confirmare, qui bene gestam Synodum definivit, « quae fiat secundum » Scripturas, secundum Traditionem » Patrum, secundum Ecclesiasticas » regulas, pro Fide Catholica, et com» munione prolata, quam cuncta re» cepit Ecclesia, quam maxime Se» des Apostolica comprobavit. » Haec enim omnia, si Gelasius post Tridentini Concilii tempora vixisset, de Concilio Tridentino ipso pronuntiata ab eo esse iure reputarentur.

Quid enim adeo secundum Scripturas, secundum Traditionem Patrum gestum est umquam, quam id, quod in Concilio Tridentino peractum, definitumque est? Nam legentibus eiusdem decreta, et doctrinae ab eo factam expositionem, Scripturae Sacrae testimoniis eam confirmatam esse statim apparet. Quod vero ad Traditionem pertinet, non modo, prout Ecclesiae traditio requirebat, decreta, et doctrina fidei exposita fuit, sed ipsa quoque Traditionis auctoritas a Concilio propugnata est. Ad illud enim Concilium pertinuit Ecclesiae traditionem vindicare, cum Novatorum audacia, atque errores essent ab eodem condemnandi, qui Traditionis auctoritatem spernendam esse contenderunt. Quodnam vero concilium dici potest adeo pro fide catholica universa celebratum fuisse, quam Tridentinum, quod contra Novatores habitum fuit, qui non singulare aliquod doctrinae catholicae caput, sed universam penitus Ecclesiae catholicae fidem, ac doctrinam impugnandam susceperant? Restat igitur ut exploratam Oecumenici Concilii Tridentini auctoritatem omnibus

esse debere concludamus, atque a peculiari ad hoc ostendendum disputatione instituenda abstinere possimus.

Commemorabo potius ad Concilii Tridentini laudem, verba S. Caelestini I in epistola *ad clerum, et plebem Constantinopoli constitutam*, quam Petrus Coustantius affert *tom. 1 epist. RR. Pontificum col. 1208 et seqq.*, in qua *num. 10* Pontifex de Concilii Ephesini contra Nestorium rebus gestis loquens, ait: « Pressa est » illic falsitatis levitas pondere veri- » tatis, nec se ausa est fulgori ra- » diantium sacerdotum perfidiae ca- » ligo miscere. »

INDEX CAPITUM

EX SAECULO UNDECIMO.

CAPUT I. *De Ecclesiae statu saeculo undecimo.* . . . . . pag. 3
CAPUT II. *De controversia ob Investituras excitata.* . . . . . » 5
CAPUT III. *De Romanorum Pontificum agendi ratione in controversia de Investituris.* . . . . . » 8
CAPUT IV. *De lege Caelibatus Ecclesiastici, quam S. Gregorius VII propugnavit.* . . . . . » 12
CAPUT V. *De haeresis Berengarii condemnatione.* . . . . . » 19
CAPUT VI. *De bellorum sacrorum ad recuperandam Palaestinam susceptorum iustitia.* . . . . . » 24
CAPUT VII. *De bellorum sacrorum ad recuperandam Palaestinam susceptorum effectibus.* . . . . . » 29
CAPUT VIII. *De schismate Graecorum ab Ecclesia Latina per Michaelem Cerularium Patriarcham Constantinopolitanum renovato.* . . . . . » 34

EX SAECULO DUODECIMO.

CAPUT IX. *De Concilio IX Generali, seu Lateranensi Oecumenico I.* » 42
CAPUT X. *De Schismate Petri Leonis.* . . . . . » 46
CAPUT XI. *De Concilio Generali decimo, seu Lateranensi Oecumenico II.* . . . . . » 51
CAPUT XII. *De dissidio inter Fridericum I Germaniae Imperatorem* Aenobarbum, *et Alexandrum III Pontificem Maximum excitato.* . . . . . » 56
CAPUT XIII. *De sacrorum bellorum renovatione et prosequutione.* . » 58
CAPUT XIV. *De Concilio Generali XI, seu Lateranensi III Oecumenico* . . . . . » 62
CAPUT XV. *De S. Thomae Archiepiscopi Cantuariensis Martyris causa.* . . . . . » 71
CAPUT XVI. *De Militarium Sacrorum Ordinum institutione.* . » 82
CAPUT XVII. *De Petro Abaelardo, eiusque causa.* . . . . . » 84
CAPUT XVIII. *De peculiaribus Romanae urbis adiunctis circa finem saeculi XII* . . . . . » 89

EX SAECULO DECIMO TERTIO.

CAPUT XIX. *De Ecclesiae statu saeculo decimo tertio.* . . . . . » 91
CAPUT XX. *De politicis Europae vicissitudinibus.* . . . . . » 93

CAPUT XXI. *De Waldensium Haereticorum origine.* . . . pag. 100
CAPUT XXII. *De Waldensium erroribus* . . . . . » 103
CAPUT XXIII. *De Innocentio III Romano Pontifice.* . . . . . » 106
CAPUT XXIV. *De Concilio Lateranensi Generali IV seu Oecumenico II.* . . . . . » 125
CAPUT XXV. *De Concilio Lugdunensi I Generali, seu Oecumenico XIII.* . . . . . » 136
CAPUT XXVI. *De Concilio Lugdunensi Generali II, seu Oecumenico XIV.* . . . . . » 141
CAPUT XXVII. *De Guelphis et Gibellinis.* . . . . . » 147
CAPUT XXVIII. *De Gregorii IX decretalium collectione deque aliis pluribus, quae pro Ecclesiae bono Pontifices Romani saeculo XIII. gesserunt* . . . . . » 151

EX SAECULO DECIMO QUARTO.

CAPUT XXIX. *De Bonifacio VIII Romano Pontifice.* . . . . . » 161
CAPUT XXX. *De Concilio Viennensi Generali seu Oecumenico, XV, et de Templariorum Ordinis extinctione.* . . . . . » 185
CAPUT XXXI. *De Romanis Pontificibus, qui Avenione morati sunt.* » 197
CAPUT XXXII. *De Urbani VI Pontificis Maximi electione, et de schismate deinde excitato.* . . . . . » 200
CAPUT XXXIII. *De Wicleffitarum et Hussitarum erroribus.* . . » 213

EX SAECULO DECIMO QUINTO.

CAPUT XXXIV. *De Ecclesiae statu saeculo decimo quinto ineunte.* » 216
CAPUT XXXV. *De Concilio Pisano ad schisma tollendum celebrato.* » 218
CAPUT XXXVI. *De Concilio Constantiensi.* . . . . . » 221
CAPUT XXXVII. *De decretis sessione IV et V a Concilio Constantiensi promulgatis* . . . . . » 233
CAPUT XXXVIII. *De Concilio Basileensi.* . . . . . » 250
CAPUT XXXIX. *De Concilio Florentino seu Oecumenico XVI.* . » 260
CAPUT XL. *De Nicolai V Pontificatu.* . . . . . » 279
CAPUT XLI. *De Conventu Mantuae anno 1259 a Pontifice Pio II cum Christianis Principibus habito.* . . . . . » 299
CAPUT XLII. *De Paullo II Romano Pontifice.* . . . . . » 304
CAPUT XLIII. *De Sixto IV Romano Pontifice.* . . . . . » 313

EX SAECULO DECIMO SEXTO.

CAPUT XLIV. *De Concilio V Lateranensi Generali, seu Oecumenico XVII.* . . . . . » 317
CAPUT XLV. *De Leone X Romano Pontifice* . . . . . » 332
CAPUT XLVI. *De Ecclesiae statu saeculo XVI ineunte.* . . . » 347

CAPUT XLVII. *De Martino Luthero, et haeresi ab eodem inducta.* pag. 349
CAPUT XLVIII. *De Ioanne Calvino, et haeresi Calviniana.* . . » 359
CAPUT XLIX. *De Anglicano Schismate.* . . . . . » 365
CAPUT L. *De Socinianis, eorumque erroribus.* . . . . . » 373
CAPUT LI. *De Bello Smalcaldico, transactione Passaviensi, et pace Religionis.* . . . . . » 380
CAPUT LII. *De Romanis Pontificibus, qui saeculo XVI usque ad Concilii Tridentini exitum Ecclesiae praefuerunt.* . . . » 392
CAPUT LIII. *De Concilio Tridentino, seu Oecumenico XVIII.* . . » 405
CAPUT LIV. *De Coneilii Tridentini canonibus.* . . . . . » 421
CAPUT LV. *De Concilii Tridentini confirmatione et acceptatione.* » 433

BRIGHAM YOUNG UNIVERSITY
3 1197 21058 9211